BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
G
28
NAPOLI

Digitized by Google

EPICVRI
ETHICÆ,
PER
PETRVM GASSENDVM,
Tomus II.

EX
[redacted]

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ EPICVRI PARS TERTIA, QVÆ EST ETHICA, SEV DE MORIBVS.

Pag.78 ỷ.11. ΠΕΡΙ δὲ τῶν βιωτικῶν. Hactenus fuit Phyſica Philoſophiæ Epicuri pars; Supereſt iam pars Ethica, de qua Laërtius, vt initio recepit, ita iam prolaturus eſt poſtremam ex tribus, quas delegit Epiſtolis, totam Epicuri Philoſophiam ſummatim complectentibus; ſed poſtquam tamen, vt præfatur, ea præmiſerit, quæ Epicuro, Epicureiſque circa Sapientis deſcriptionem placent. Lego autem ỷ.12. αἱρεῖσθαι, τὰ δὲ ἐκφεύγειν, pro ἐκφεύγειν, τὰ δ' αἱρεῖσθαι, quòd & MSS. ſic habeant, & aliàs vbique id ſeruetur ordinis, vt eligenda, ſeu amplectenda, priùs; fugienda, poſteriùs dicantur; quamquam magni hoc momenti non eſt.

Obſeruandum itaq; potiùs, quod iſta Philoſophiæ pars heic indigitatur περὶ τῶν βιωτικῶν, *de iis quæ attinent ad vitam*, conforme eſſe titulo eorum librorum, quos Epicurus inſcripſit περὶ βίων, *De vitis*, ſeu mauis, *generibus vitæ*, aut *rationibus traducendi vitam*. Nimirum & pars hæc pleriſque appellata *Ars vitæ eſt*, & quæri pridem ſolitum fuit, εἰ ἔστι τις περὶ τὸν βίον τέχνη; *Aliquáne vitæ degendæ ars ſit?* Quod verò mentio etiam fit eligendorum, & fugiendorum; inſinuatur id, quod eſt initio dictum, fuiſſe Partem hanc appellatam quoque περὶ αἱρετῶν, καὶ φευκτῶν, *De eligendis, & fugiendis*: cùm & libri inſcripti fuerint περὶ αἱρέσεως, καὶ φυγῆς, *De electione, ac fuga*; & Epicurus ideò videatur Naturali etiam Philoſophiæ prætuliſſe Prudentiam, quòd cùm Prudentiæ proprium ſit hæc eligere, illa fugere, idem eſſe *Prudentiam* cum *Philoſophia Morali*, cenſuerit. Quo ſenſu etiam Plutarchus docet, cùm rerum aliæ ſint per ſe, vt cœlum, ſidera, terra, mare; aliæ referantur ad nos, vt bonum, malum; expetendum, fugiendum; iucundum, moleſtum; circa priora quidem *Sapientiam*; at circa poſteriora *Prudentiam* verſari. Adiici heic poſſet ſolitam hanc partem indigitari quoque ab Epicureis περὶ τέλους, *de Fine*; ſed præſtat hærere in eo, quod commune ipſis cum cæteris fuit, appellare τὸ ἠθικὸν, *Partem Philoſophiæ Moralem*: Nempe adnotat quidem Quintilianus nomine carere ſermonem Romanum, quod vocem ἦθος exprimat, quia rei naturam ſpectanti eâ non tam mores ſignificari videantur, quàm quædam morum proprietas, vtputà quaſi lenitas, & mitigatio affectuum; quaſi ἦθος, & πάθος ita opponantur, vt ἦθος ſit *affectus lenior*, πάθος *affectus concitatior*; attamen ipſe quoque fatetur & illa appellari *mores*, & inde eſſe ἠθικὴν *Moralem partem* Philoſophiæ dictam: Quod verò ait, *Moribus omneis habitus mentis contineri*; id poteſt quidem ſenſu quodam generaliore eſſe verum; at ſpeciatim habitus mentis, qui ſunt merè ſpeculatiui, neque ad actionem, ac potiſſimùm appetitus, ordinem habent, mores non dicuntur: ex quo Ariſtoteles etiam diſcrimen ſtatuit non vno loco inter habitus, ac virtutes διανοητικὰς, καὶ ἠθικὰς, *intellectualeis, & moraleis*. Docet porò Ariſtoteles morale genus habituum ἠθικὸν dictum ἀπὸ τοῦ

Lib. de virt. Moral.

L.6. c.2.

1. Ethic. 13. &c. L.2. c.1. Lib. de virt. Moral. & de lib. educ.

Digitized by Google

Philoſophia Epicuri, de Moribus.

τοῦ ἔθους, *à conſuetudine*, & Plntarchus id comprobans, contendit moraleis virtuteis ἠθικὰς, quaſi ἐθικὰς, *conſuetudinaleis*, (vt ſic loquar) dici: Et certè, cùm nomine Morum intelligantur tam Virtutes, quàm Vitia; ac nemn ferè non admittat eſſe Virtutes bonns, & Vitia malos habitus; cnnſtat profectò habitus conſuetudine agendi acquiri. Neminem ferè dico; quoniam non defuère, qui cenſuerint virtutem non conſuetudine, aut doctrinâ, ſed ſolâ naturâ, aut θείᾳ μοίρᾳ, *diuinâ ſorte*, vt Platn loquitur, parari. (In Men.) Quod quidem tametſi ſit verum de virtute quaſi inchoata, ſeu de virtutis ſeminibus, videtur tamen virtus perfecta, & conſtans, citra doctrinam, conſuetudinémque rectè ac honeſtè agendi, non eſſe.

Ex boc interim intelligitur, τὴν ἠθικὴν, *Moralem Philoſophiæ partem* non eſſe merè θεωρητικὴν *Speculatiuam*, quaſi in nuda morum contemplatione ſita ſit; ſed eſſe reuerá πρακτικὴν *Actiuam*, ſeu in eo ſitam, vt mores formet, huneſtatéve imbuat, ac regat; ſitque adeò ſcientia, ſiue mauis, ars benè, & ex virtute agendi. Cùm verò homo ſpectari poſſit, quatenus ſingularis eſt, & ſui ipſius curam gerit; ac poſſit prætereà is eſſe, cui cura familiæ incumbat, aut is etiam, ad quem Reipublicæ adminiſtratio pertineat, ſicque triplex vitæ genus diſtinguatur, in quo Philoſophia actiua verſetur; conſiſtit ea tamen præſertim in primo, quòd ipſum generale ſit, & probis mnribus imbui debeat, non modò qui priuatus degit, ſed etiam, qui domus, aut Reipublicæ gerit curam. Ex quo efficitur, vt cùm ſecundùm genus dicatur οἰκονομικὸν, *Familiare*, & tertium πολιτικὸν, *Ciuile*; primum tamen non tam μοναστικὸν, *ſolitarium*, quàm generali voce ἠθικὸν, *Morale*, vocetur; quòd etiam ſub ipſa perſona Patrisfamilias ac Principis, ſit priuatus bomo, quem eſſe alioquin benè moratum nporteat, quique tanto magis idoneus aliis regendis ſit euaſurus, quantò ſeipſum regere, affectibúſque ſuis imperare norit. Vnde & minus mirum eſt, ſi in eo maximè ſit Moralis Philoſophia, vt mores cuiuſque priuatos inſtituat; quando, vel ex hoc ipſo, finem, ad quem collineat, aſſequitur, vt videlicet hominem, quantum fieri poteſt, felicem efficiat; vtpotè cùm eatenus ſolùm poſſit homo felix cenſeri, quatenus probè moratus eſt, animſque adeò perturbationibus caret, non modò priuatus dum eſt, verùm etiam, dum aliis præeſt. (1 Mag. Mor.) Et quamuis Ariſtoteles velit Moralem Philoſophiam eſſe partem Politices; id tamen facit, quatenus mores ipſis legibus præſcribuntur, & Politice eò ſpectat, non vt vnus ſolùm, aut alius, ſed vt omnes, ſi fieri poſſit, benè ac feliciter viuant; cùm & aliunde ſupponat Ariſtoteles debere Politicum virum, cui legum ſiue condendarum, ſiue tuendarum cnmmiſſa eſt cura, eſſe ipſummet τὸ ἦθος σπουδαῖον, *probis moribus informatum*.

Sed ne id fuſiùs iam proſequar, id heic adnotandnm, quod partim initin inſinuatum eſt, partim expendetur in Ratis ſententiis, (In pag. 78.) Epicurum tanti feciſſe Moralem Philoſopbiam, vt Pbyſicam eatenus ſolùm eſſe curandam cenſuerit, quatenus vtilis quibuſdam perturbationibus eximendis, ad ipſam proinde Moralem, illiúſve finem conducit. Hcinc nempè conſtat ipſum nnaliò reſpectaſſe, quàm Socratem, dum Phyſicam ab vſque Thalete veluti per manus traditam repudians, legitur (Cic. 5. Tuſcul.) *Philoſophiam deuocaſſe è cælo, & in vrbibus collocaſſe, & in domos etiam introduxiſſe, & coëgiſſe de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quærere.* Ex hoc verò eſſe quidem poteſt, vt cùm Socratis auditores Ariſtippus, Antiſthenéſque, & profecti ex ipſis Cyrenaici, Cynicique, Phyſicam prorsùs abdicarint, Moralem ſolam coluerint, & vnà cum ipſo quærendum eſſe duxerint:

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν, τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. (Laërt. lib. 6.)
Quid ſiet in domibus fortaſſe malúmve, bonúmve.

Socrates propterea inuentor cenſeatur Moralis Philnſopbiæ; ſed cùm id poſſit intelligi de innouato inſigni cultu; non poteſt tamen ſanè de primo; nam ante ipſum Pythagoras illam ſummè babuerat cordi; vnde & id cenſuit, quod habet Stobæus: (Serm. 8.) *Eſſe illius Philoſophi orationem inanem, qua affectum nullum in homine curat; quia vt medicina vſus nullus eſt, niſi à corpore morbos abigat, ſic neque Philoſophia, niſi malum ex animo pellat.* Quin-etiam, non modò paulò antiquiores appellati Græciæ Sapientes, aliam nb cauſam tales andierunt, quàm quia fuit in ipſis moralis ſapientiæ ſtudium eminens; vnde & etiam-num ſunt in ore omnium, quæ eorum Moralia dicta percrebuerunt; ſed procedendo etiam vlteriùs ad Heroïca vſque tempora, ex eodem ſtudin Moralis fuit, quòd ſylueſtreis homines,

Moribus, & fædo victu deterruit Orpheus, (Horat. in art. poët.)
Dictus ob id lenire Tigres, rabidóſque Leones:
Dictus & Amphion, &c.

Nimirùm, vt idem Poëta, qui hæc interpretatur, ſubiungit,

——Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Ex quo efficitur, vt præclarè quidem Cicero (5. Tuſc.) requirat: *Quidnam eſſe cauſæ putemus, cur, cùm conſtemus ex animo, & corpore; corporis curandi, tuendique cauſâ, quæſita ſit ars eius, atque vtilitas Deorum immortalium inuentioni conſecrata; animi autem medicina nec tam deſiderata ſit, antequàm inuenta; nec tam culta, poſteaquàm cognita eſt; nec tam multis grata, & probata, pluribus etiam ſuſpecta, & inuiſa?* At non ideò tamen ſit exiſtimandum medicinam hanc animi, hoc eſt, Moralem Philoſophiam, adeò eſſe recens inuentum, vt non ſit hominum memoriâ ſuperius. Quamquam fatendum aliunde eſt, ex quo vſque Socrates eſt philoſnphatus, fuiſſe illam & traditam, & ſcriptis mandatam vberius

Digitized by Google

In pag. 78. riùs; nam partim eius auditores, veluti Plato, & Xenophon egregia aliqua de ipſa monimenta reliquerunt; partim, qui conſequuti ſunt, ediſſeruêre vberiùs omnia ad eandem attinentia, vt Ariſtoteles, Stoïcique.

Ad Epicurum quod attinet, cùm ipſe quoque plurima de Morum Philoſophia & docuerit, & ſcripſerit; vix quicquam tamen de iis habemus, præter haſce apud Laërtium conſeruatas reliquias, & quæ prætereà reſperſa ſunt apud reliquos Authores fragmenta; maximéque apud Ciceronem, qui aliunde ſic colloquentem libro primo de Finibus Torquatum Epicureum facit, vt is pertexat quaſi quoddam totius Moralis Philoſophiæ Epicuri compendium. Ac ſi exſtarent quidem libri de Fine, de Vita degenda, & alij, intelligere vberiùs liceret, tùm ſummam, tùm ordinem rerum, quas ille ad hanc partem retulit. Sed interim tamen vel ex hoc compendio elicimus eius inſtitutum fuiſſe (ac potiſſimùm in libro de Fine) vt de ipſo fine, ſiue Summo Bono, quod non aliud, quàm Voluptatem eſſe probaret, ageret; ac deinceps de mediis ad acquirendum, tuendúmque huiuſmodi finem idoneis, vtpote de virtutibus, quas ſolas ad ipſum comparatas voluit. Scilicet Torquatus ſic aggreditur: *Primùm igitur agam ſic, vt ipſi Authori huius diſciplinæ placet: Conſtituam quid, & quale ſit id, de quo quærimus.* Et ſtatim: *Quærimus igitur, quid ſit extremum, quid vltimum bonorum, quod omnium Philoſophorum ſententiis tale eſſe debet, vt ad id omnia referri oporteat; ipſum autem nuſquam. Hoc Epicurus in Voluptate ponit, quod Summum bonum eſſe vult, ſummúmque malum Dolorem; idque inſtituit docere ſic: Omne animal, ſimul atque natum ſit, &c.* Dico autem præſertim in libro de Fine, quoniam in aliis tractatibus alium ſequi ordinem potuit, vti eſt etiam in Epiſtola ad Menœceum, & Ratis Sententiis ſequutus; exordium videlicet ducens ab eo, quod de Diis, déque morte ſentiendum eſt, vt ſecuritas animo quæratur.

Vt vniuersè autem dicamus de iis, quæ à Laërtio congeſta ſunt, ea referri poſſunt ad Capita quatuor. Nam PRIMVM Effata de Sapiente proponit, quæ partim ex ipſo Epicuro, partim ex illius Sectatoribus colligit. SECVNDÒ Epiſtolam ad Menœceum, iis verbis, eôque tenore, quo fuit conſcripta, ſubiicit. TERTIÒ Appendicem quaſi aliquam, vt capita quædam præcipua, quæ ſunt viſa omiſſa in Epiſtola, ex aliis Epicuri operibus ſuppleat, attexit. QVARTÒ demùm Ratas Sententias, quaſi coronidem adſcribit.

EFFATA DE SAPIENTE Varia.

℣. 13. ΠΡΌΤΕΡΟΝ δὲ διέλθωμεν ἃ τὰ αὐτῷ δοκεῖ περὶ τοῦ σοφοῦ. Hoc Primum eſt ex quatuor mox indicatis capitibus, quo videlicet recenſentur compluſcula Effata, quandam velut deſcriptionem Sapientis continentia; vtpote ex quibus elicitur, qualis Sapiens ſit, qualiáve acturus, aut non acturus ſit in vita. *Effata de Sapiente varia.* Nempe, cùm nomine Sapientis Philoſophi vulgò intelligant Virum intelligentiâ, & virtute perfectum, qui nihil non rectè faciat, ac ſit eorum omnium, quæ prudenter, iuſtè, decorè in vita geruntur, quaſi regula, aut exemplar; attribuunt ipſi proinde varia, prout quiſque ex ſuo, Sectæque ſuæ genio, congruum, atque decorum fingit. Sic, vt ea, quæ Ariſtoteles, cæterique habent, prætercam, trita ſunt iſta ex Stoïcis: *1. Metaphyſ. &c.* *Sapientem non ignorare, non opinari, non mentiri. Eſſe Sapientem paſſionum expertem, non miſereri, non ignoſcere, non peccare, non affici iniuriâ. Solum Sapientem eſſe pulcrum, nobilem, Rhetorem, Vatem, diuitem, amicum, ciuem, Magiſtratum, Regem. Eſſe Sapientem ſemper in gaudio, ſibi ſufficientem, Deo parem. Eſſe omneis Sapienteis pareis; pareis ac indiuiduas virtutes; paria, ac indiuidua peccata:* Aliaque huiuſcemodi. Itaque huius generis ſunt, quæ ab Epicuro, eiuſque Sectatoribus tradita, à Laërtio heic congeruntur.

Sapientem Rationis conſilio tolerare iniurias.

℣. 17. βλάβας ἐξ ἀνθρώπων. Effatum iſtud primum eſt, in quo verbum περιγίνεσθαι *tolerare* interpretor, imitatione Senecæ, qui ad hanc reſpexiſſe ſententiam videtur, cùm de Epicuro eſt loquutus in libro inſcripto *De Sapientis conſtantia*, ſeu: *Quòd in Sapientem non cadit iniuria.* Ac poterat quidem etiam reddi, Sapientem iniuriis *ſuperiorem euadere*, aut ipſas *nihili ducere, contemnerève*, ob vocem contemptus, qua idem Seneca vtitur; verùm res eodem recidit. Vt locum porrò integrum ex Seneca hûc inſeram; præmittendum eſt illum initio dixiſſe: *Tantum inter Stoicos, & cæteros ſapientiam profeſſos intereſſe, quantum inter fœminas, & mareis. Cæteros enim ſapienteis molliter, & blande, vt ferè domeſticos, & familiareis medicos ægris corporibus, non quà optimum, & celerrimum eſt, mederi, ſed quà licet: Stoicos virilem ingreſſos viam, non vt amœna ineuntibus videatur, curæ habere; ſed vt quam-primum nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui extra omnem teli iactum ſurrexit, vt ſupra fortunam emineat.* Cap. 1. Poſt-modùm autem, ne videatur inter illos cæteros comprehendere ex toto Epicorum, ſic habet: *Nec putes iſtam Stoicam eſſe duritiam, Epicurus, quem vos patronum inertiæ veſtræ aſſumitis, putatiſque mollia, ac deſidioſa præcipere, & ad voluptatem ducentia: Raro, inquit, Sapienti interuenit Fortuna.* Cap. 15. (Hæc verò eſt vna ex Raris Sententiis, de qua ſuo loco dicendum eſt.) Tum paucis interpoſitis, & quaſi accedens ad id quod hûc facit, ſic infit: *Quod ſi Epicurus quoque, qui corpori plurimùm indulſit, aduerſus iniurias exſurgit, quid apud nos incredibile videri poteſt, aut ſupra humanæ naturæ menſuram; Nec eſt, quod dicas hoc naturæ repugnare.* Cap. 16.

Digitized by Google

Effatu de Sapiente varia. *Non negamus rem incommodam eſſe, verberari, & impelli, & aliquo membro carere; ſed omnia iſta negamus iniurias eſſe. Non ſenſum illis doloris detrahimus, ſed nomen iniuriæ, quod non poteſt recipi virtute ſalvâ. Vter verius dicat, videbimus. Ad contemptum quidem iniuriæ vterque conſentit. Quæris quid inter duos interſit? Quod inter gladiatores fortiſſimos, quorum alter premit vulnus, & ſtat in gradu; alter reſpiciens ad clamantem populum, ſignificat nihil eſſe, & intercedi non patitur. Non eſt, quòd putes magnum, quo diſſidemus.* Hactenus ille, qui admittens demùm, magnum non eſſe, quo Stoïcus, & Epicurus diſſident, arguit profectò vix diſſidium alia re, quàm voce conſtare; quatenus nempe Epicurus Iniuriam vocat id nocumentum, quod Sapienti infertur ab hominibus odio, inuidia, deſpectu, ductis; Stoïcus vocari Iniuriam non vult, quod virtus hanc vocem non ferat. Scilicet, quaſi virtus curet, quo res vocetur nomine; non verò id ſolùm, vt conſtanter feratur; cæterùm enim neque Stoïcus doloris ſenſum detrahit; neque Epicurus vult non ſtare Sapientem in gradu; neque ex ſimilitudine gladiatorum aliud diſcrimen elicitur, quàm quod vtroque Sapiente teſtante conſtantiam, Stoïcus addat oſtentationem. Par eſt diſſidium, cùm Epicurus eſſe Malum dolorem ait, Stoïcus dici Malum non fert, licèt aſperum, triſte, durum, ac perpeſſu difficile, contraque naturam admittat; cùm Epicurus nihil aliud nomine Mali intelligat, neque dolorem eſſe rem vitioſam, ac turpem contendat; vt ſuo poſteà loco deducendum eſt.

Addo heic ſolùm, *τὸν λογισμὸν, ratiocinium, rationiſve conſilium*, quo Epicurus docet Sapientem ferre patienter iniurias, eſſe multiplex quidem poſſe; ſed videri tamen illud maximè, quo & poſteà docet Sapientem aduerſus Fortunam ſe comparaturum. Videlicet quatenus ſapiens agnoſcit non eſſe in ſua poteſtate, vt cæteri hominum iuſti ſint, paſſionibuſque non abripiantur: ideò tam parùm iraſcitur, commouetúrve ob iniurias illatas ab hominibus, quàm ob incommoda, aut damna, quæ à fortuitis caſibus, vniuerſéque ab aliis cauſis, extra facultatem poſitis, aduenìunt. Non commouetur, exempli gratiâ, propter feruores, aut algores, qui à tempeſtatibus inducuntur; quoniam tempeſtatum ſuas vices obeuntium hæc natura ſit, quam immutare ipſe non poſſit. Quamobrem neque commouetur ob iniurias, quas inferunt petulantes, & improbi, quòd illi pro ſua natura ſic agant, & vt ſecus agant, naturámve mutent, in ipſo non ſit. Spectant huc trita illa exempla de patientia Socratis, cum pro eodem habuit, effuſum poſt clamores à Xantippe lotium, ac effuſam poſt tonitrua pluuiam; impactam à proteruo calcem, ac impactam ab aſino, cæteraque huiuſmodi. Tametſi verò quis obiiciat, cæteras cauſas cæcas eſſe, experteiſque arbitrij, homines autem iniuriam ſcienteis, volenteis facere, ac idcircò bilem mouere: reputat tamen ſapiens huiuſcemodi homines, quaſi ratione excæcatos, & præ paſſionis impetu, vehementiáque, non compotes ſui. Alienum putat à Sapientia, malum malo adiicere (ſcilicet præter nocumentum, quod extrinſecùs accidit, accerſere ſibi ſua opinione perturbationem intrinſecùs) neque, quia alius voluit moleſtiâ animum eius afficere, ipſe eſt ita demens, vt moleſtiam admittens, illi quaſi gratificetur. Quin-etiam à moleſtia vacans, non affectabit quidem, ſed interim tamen id aſſequetur vltionis genus, vt illi quaſi mandet laqueum, dum ſuo ſe fine ſruſtratum agnoſcet, quòd nihil aliud, quàm Lunæ vel vti allatrârit, iaculo Solem petierit, pugnum in rupem impegerit: Sed hæc infrà ſunt vberiùs dicenda. In pag. 78.

Non deſciſcere à Sapientia, qui ſemel ſapiens fuerit.

¶. 21. ἀλλὰ καὶ τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφόν. Addo interpretando, *verè, ſolidéque*; quoniam alioquin quæ eſt tantùm vmbra, ſeu fucus ſapientiæ, poteſt leui negotio euaneſcere, ac deleri; & quæ inchoata ſolùm eſt, neque radices egit profundas, ea conuelli facilè poteſt. Id certè videtur innuere Lucretius, cùm eſſe nihil ſuauius ait,

—— Benè quàm munita tenere
Edita doctrinâ Sapientum templa ſerena.

Quippe *benè munita* dicit, vt ſi quis videatur à Sapientia excidere, is non conſtitiſſe in ipſa quaſi arce intelligatur. Huic dogmati porrò affine eſt illud, quod Epicuro quoque à Plutarcho tribuitur: *Τὸ μηδὲν ἐμπεπεισμένον ἀμετάπειστον μηδένα, πλὴν τὸν σοφόν: Excepto Sapiente, eſſe neminem, cui aliquid ſic perſuadeatur, vt de ſententia deduci nequeat.* Nempe, quòd putet ſolum Sapientem ſic expendere omneis rationis numeros, vt poſtquàm, omnibus ſubductis, quidpiam apud ſe conſtituerit, illud deinceps teneat, neque ampliùs nutet. Et quod ad doctrinam quidem attinet, rem inſinuauit ſatis initio Epiſtolæ ad Pythoclem, dum eſſe *πίστιν βεβαίαν, perſuaſionem conſtantem* voluit, non modò circa ea, quæ vno tantùm modo ſe habent, ſed etiam circa ea, quæ fieri poſſunt pluribus, eo ſenſu, quòd tenendum ſit, poſſe ea fieri pluribus modis. Quod verò attinet ad mores, rem declarat poſteà in Ratis ſententiis, vbi docet, niſi quis *τὸ ὑφεστηκὸς, καὶ ἐπιλογιζόμενον τέλος, finem conſtantem, rationéque firmatum* ſibi propoſitum habuerit, fore omnia vt controuerſa, ita conturbationis plena. Ex hoc certè eſt, cur non paucos videas, qui totam vitam de vitæ ſtatu deligendo deliberent, neque

Iidem eadem poſſint horam durare probantes. Horat. 1. Epiſt. 1.

Sicque ille appoſitè tùm comparetur cum Proteo, tùm derideatur à Poëta, qui

Quod petiit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit;
Æſtuat,

In pag. 78. *Æſtuat, & vita diſconuenit ordine toto.*

Prætereo verò idem Effatum placuiſſe non Cynicis modò, ſed etiam inter Stoïcos ipſi præ Lib. 7. cæteris Cleanthi; vti apud Laërtium eſt. Siquidem tametſi Chryſippus exiſtimârit, poſſe Sapientiam (nomine virtutis) amitti, vt per ebrietatem, aut per atram bilem; Cleanthis tamen ſententia fuit, eſſe eam ἀναπόβλητον *inamiſſibilem*, δι᾽ βεβαίας καταλήψεις, *propter conſtanteis comprehenſiones*. Videlicet quaſi Sapientia ſit æſtimanda ex habitu, & ex actibus, qui ratione deliberante eliciuntur; non verò, qui præter naturam ex abſonis viſis veluti erumpunt, vt in Chryſippeis illis caſibus. Spectat Epiſt. 50. huc autem, quod Seneca à Cleanthe ſtans in hunc modum habet: *Eò maiore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quòd ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. Non dediſcitur virtus, contraria enim mala in alieno hærent; ideò expelli, & exturbari poſſunt; fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt. Virtus ſecundum naturam eſt; vitia inimica, & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, &c.*

Sapientem veritati hærere; neque (ne ſapientiæ ponat obicem) quidquam fingere.

℣. 24. μηδὲν πλάττειν ἑκόντα. Subiicio hiſce vocibus ἀληθεύειν μᾶλλον συγχωρεῖν τε, καὶ, pro πάθεσι μᾶλλον συγχωρήσεσθαι. Quippe tùm illud, quod antecedit, μηδὲν πλάττειν, agi heic potiùs de veritate fictioni oppoſita, quàm de paſſionibus inſinuat; tùm illud, quod ſequitur, ἵνα ἂν ἐμποδίσαι πρὸς τὴν σοφίαν, agi potiùs arguit de fictionibus declinandis, quo modo Sapientiæ obſtaculum non ponitur, ſed tollitur; quàm de ſubeundis, quibus hæreatur, paſſionibus; quo modo obſtaculum non tollitur, ſed ponitur potiùs. Et certè Epicurus quoque contendit Sapientem debere, quàm-maximè licet, à paſſionibus eſſe liberum, vt ex ſequentibus conſtabit; ac is fuit aliunde, cui veritas nuda, apertáque ita fuerit cordi, vt ne probare quidem potuerit, ſed reprehenderit, vt Cicero In Bruto. ſcribit: *Ironiam illam, quâ apud Platonem Socrates effert in cælum laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros; ſe autem rerum omnium inſcium fingit, & rudem.* Adeò proinde, vt de illo idem dici potuerit, quod poſteà de Quintilio Varo ex Sectatoribus eius vno, dictum eſt:

Horat. 1. Od. 14.
Incorrupta fides, nudáque veritas
Quando vllum inueniet parem?

Quin-etiam debere Effatum in hunc legi ſenſum, ac poſſe adhiberi adhibitas illas interpre- Lib. 1. in ſomn. c. 2. l. 10. de Rep. tando voculas, intelligi poteſt vel ex loco Macrobij, in quo Colotes Epicuri auditor reprehendit Platonem, ob confictam illam percelebrem fabulam de Ero Armenio, qui cùm in prælio occubuiſſet, ſublatis decimo die cadaueribus iam planè corruptis, ipſe incorruptus repertus, domúmque delatus, vt ſepeliretur, duodecimo iam ab obitu die, dum pyræ imponeretur, reuixerit, & rediuiuus longâ oratione, viſa, obſeruatáque in inferis commemorarit. Effata de Sapiente varia. Nempe Colotæ verba ſunt. *Non oportuiſſe fabulam confingi à Philoſopho; quoniam nullum figmenti genus, veri Profeſſoribus conueniret. Cur enim, inquit, ſi rerum cæleſtium notionem, ſi habitum nos animorum docere voluiſti; non ſimplici, & abſoluta hoc inſinuatione curatum eſt; ſed quæſita perſona, caſuſque excogitata nouitas, & compoſita aduocati ſcena figmenti ipſam quærendi veri ianuam mendacio polluerunt?* Ne verò iſthæc ſigillatim ad varias Effati parteis referam; adnoto ſolùm, quod dicitur, *veri ianuam figmento pollui*, nihil eſſe aliud quàm obicem fieri in ipſo ſtatim limine, ne ad veritatis notitiam, quæ ſapientia eſt, perueniatur, ſi prætendatur fabula. Nam ſi, quæ Erus, v.g. de Inferis narraſſe fertur, vera in ſe exſtiterint, ſuſpicio eſt, ne falſa ſint, quatenus ille, neque vidit, neque narrauit, quæ ipſi tribuuntur. Sin falſa in ſe fuerint, ſuſpicio eſt, ne vera ſint, quatenus & qui perhibet ſapiens reputatur, & ſit-ne impoſſibile id, quod perhibetur, non ſit exploratum. Vnde efficitur, vt Sapientiæ ſtudioſus, & Sapientem idcireò audiens, in eo verſetur diſcrimine, vt aut verum pro falſo, aut falſum pro vero amplectatur, & vtrouis modo à veritate, quam requirit, aberret. Affinis iſti obex eſt ex fabularum inuolucris, dum quid ſub ipſis lateat, niſi coniectando diſcerni non poteſt, ſicque germanæ doctrinæ loco, nihil aliud, quàm hariolandi occaſio fit. Id Ariſtoteles præclarè inſinuat, cùm de rerum 1. Metaphyſ. c. 4. principiis loquens, conqueritur priſcos Poëtas, vniuerſoſque Theologos nominibus Deorum ea indigitanteis, quid ipſimet quidem cogitarent attendiſſe, ſed contempſiſſe interim nos, ſeu parùm curaſſe, quo ſenſu ea, quæ dixiſſent, exciperemus. Idem porrò licet dicere de iis, qui ea, quæ docent, ſymbolis, gryphis, ænigmatibus contegunt; quatenus illi pari modo ex re ſeria ludicram faciunt; ac eo ipſo ore, quo volunt videri verum declarare, tenebras offundunt, quibus obſcuretur:

Heraclytus init, quorum dux prælia primus, Lib. 1.
Clarus ob obſcuram linguam, magis inter inaneis,
Quam de graueis inter Graios, qui vera requirũt.
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amántque,
Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt;
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Quod à Lucretio obiicitur. Addo autem, vt aliud non eſſe improbandum videatur, approbari ſaltem non poſſe iacturam eius temporis, quod hariolando conſumitur, ac poſſet, deberétque progreſſui vlteriùs tentando impendi. Et vulgaris quidem ad hæc, aliáque excuſatio eſt, quam prætendit Simplicius, dum requirit, cur Ariſtoteles, non fabulas, aut ſymbola, ſed ἀσάφειαν, *obſcuritatem* in dicendo fuerit ſectatus. Proleg. in Categ. Nimirùm, noluiſſe antiquos Sapientiam ſuam deiici ad Sutores vſque; hoc eſt, patêre apud vulgus, ne perſpecta propha-

Effata de Sapiente varia. naretur. Sed vt prætercam, non videri inuidendam ſapientiam vniuerſitati generis humani; quando ea huiuſmodi eſt, vt ſi qualis eſt, reuerâ innoteſceret, non poſſet non accendere, & ad honeſtatem pertrahere, niſi omneis, at maximam ſaltem, etiam vulgarium hominum partem: Quid amabo, neceſſe fuit, vt vulgus inde arceretur, erucem iis defigere, qui ad Sapientiam, veritatémque ardentiſſimo ſtudio connituntur? Vulgo aut non vacat ad diſquiſitionem rerum naturæ attendere, aut ſatis eſt illos, qui attenderint, audire: Quamobrem verò iis, quibus vacat, quibúſque res ſeriò noſſe cordi eſt, eo modo res proponuntur, vt non tam de iis cognoſcendis, quàm de mente eius, qui loquutus eſt, percipienda laboretur? Sed hæc vt mittam, dico ſolùm, fuiſſe Epicurum, vt fabulas, ſic obſcuritatem omnem auerſatum; & nihil vnquam magis curaſſe, quàm vt diceret quidlibet quammaximè poſſet perſpicuè. Quare & mirum videri poſſe, cur cùm illius ſectatores, vti vel ex duobus, aut tribus citatis intelligitur, imi-
5. Strom. tati eum fuerint, Clemens tamen Alexandrinus aſſerere Epicureos ſcribat: τινὰ ϗ παρ' αὐτοῖς ἀπόῤῥητα εἶν, ϗ μὴ πᾶσιν ἐπιτρέπειν ἐντυγχάνειν τούτοις τοῖς γράμμασιν, *quadam eſſe apud ſe arcana, neque ſe permittere omnibus vt ea ſcripta*
3 De natur deorum. *legant.* Niſi fortè quis ſpectare huc putet, quod v. c. Cicero dicit Epicurum *Deos verbo poſuiſſe, re ſuſtuliſſe*; illudque haberi in libris
1. De natur deorum. 1. de fin. vulgaribus, hoc in Arcanis. At Cicero, qui parcere Epicuro aliàs non ſolet, nihil tale vnquam eſt interpretatus; imò, vt aliàs retulimus, *de homine minimè vafro*, inquit, *malè exiſtimant*. Et, *Epicurus nec non vult, ſi poteſt, planè & apertè loqui*. Sanè verò, ſi Epicurus, aut eius etiam Sectatores, quidpiam facere occultum debuiſſent, fuit maximè illa circa Prouidentiam, immortalitatémque ſententia; quam tantoperè tamen euulgarunt, vt ex iis, quæ aduerſus ipſam diſputauimus, manifeſtum eſt.

Non fieri Sapientem ex quavis conſtitutione corporis: nec naſci in qualibet gente.

℣. 27. Οὐδὲ μὴν ἐκ πάσης σώματος ἕξεως. Quod ſequitur ſtatim; οὐδ' ἐν παντὶ ἔθνει, legit Aldobrandinus, οὐδ' ἐν παντὶ ἤθει. Verùm retinendam communem lectionem id ſuadet, quod
1. Strom ſcribit Clemens Alexandrinus; nempe exiſtimaſſe Epicurum μόνους φιλοσοφῆσαι Ἕλληνας δύνασθαι, *philoſophari ſolos Græcos poſſe*. Non profectò quòd Epicurus id abſolutè dictum voluerit; ipſe præſertim, qui amicos ex Ægypto vſque ad Philoſophiam admittebat, qui Cyrenæum, Ariſtippum, & Sinopenſem Diogenem prope contemporaneos, Atheniſque philoſophatos norat; qui in illa adeò recente Alexandri expeditiune, Sapienteis in India repertos ignorare non poterat; ſed quòd innuere contenderit, non eſſe parem felicitatem hominis apud Barbaros, & in ipſa Græcia naſcentis; *In pag. 78.*
quòd nato in Græcia neceſſaria omnia ad philoſophandum præſidia paterent, nato apud Barbaros nulla ſuppeterent; vnde & efficeretur, vt in Græcia quidem frequentes; apud Barbaros autem vel nulli, vel rariſſimi philoſopharentur. Id certè confirmat Lactantius, dum nullum agnoſcit philoſophatum ex Bar-
Lib 3. cap. 14. baris, præter vnum Anacharſin Scytham, *qui etiam*, inquit, *Philoſophiam ne ſomniaſſet quidem, niſi & linguam, & Græcas literas antè didiciſſet*. Quare & videtur Epicurus eò ſolùm
Lib. 1. reſpexiſſe, quò Thales, dum, vt apud Laërtium eſt, Fortunæ egit gratias, non modò quòd homo, non bellua; vir, non fœmina; ſed etiam ὅτι Ἕλλην, ϗ οὐ βάρβαρος, *quod Græcus, non Barbarus* natus eſſet. Quod verò Epicurus cenſuit non eſſe omnem corporis habitum ad comparandum Sapientiam idoneum; id intelligitur præſertim de ea intemperie, læſionéque cerebri, ex qua eſt hebetudo, aut amentia inuicta; Ne aliquid dicam de læſis viſus, audituſque organis, déque appetitu in paſſiones effræni, atque adeò de feritate, ſeu immanitate, aliiſque id genus ita à Sapientia abducentibus, vt cùm Mercurius Sapientiæ Deus habitus ſit, videri poſſit hac occaſione verſum in adagium, id quod dictum eſt, *Non ex omni*
Lib 6. de Republ. *ligno Mercurius*. Heinc certè eſt cur Plato quoque indolem poſcat docilem, planè memorem, veri flagrantem, non illiberalem, non moroſam, non ſuperbam, non immodeſtam, non puſillanimem, non iniuſtam. Ac obiicit quidem Lactantius, quòd Epicurus etiam rudeis ad Sapientiæ ſtudium inuitet. *Quomodo enim*, inquit, *illa, quæ de Principiis rerum dicuntur, intelligerent, quæ perplexa, & inuoluta vix etiam politi homines aſſequuntur?* Verùm conſtat iſtos, quos appellat rudeis, eos eſſe, quibus non ingenium, ſed cultus ſolummodò deeſt; ac docilitate eâ ſunt, vt patientem culturæ accommodent aurem. Quod ſupereſt autem, illorum, qui poſſunt adſpirare ad ſapientiam, tres quaſi claſſes, ſeu ordines ab Epicuro diſtinguuntur. Sed res eſt dicenda verbis
Epiſt. 52. Senecæ. Ea ſic habent: *Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine vllius adiutorio exiſſe; feciſſe ſibi ipſos viam. Hos maximè laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt.* (Rarum hoc genus, & ex quo Epicurum ipſum fuiſſe
Lib. 1. 3. &c. Lucretius apertè contendit.) *Quoſdam indigere operâ alienâ; non ituros, ſi nemo præceſſerit; benè ſequuturos. Ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque ſed ſecunda ſortis ingenium.* Et paulò pòſt: *Præter hæc adhuc inuenies aliud genus hominum ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum, compellique poſſunt, quibus non duce tantùm opus ſit, ſed adiutore; &, vt ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt: Si quæris exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis ſuſpicit. Quamuis enim ad eundem finem vterque peruenerit; tamen maior eſt laus idem effeciſſe in difficiliore*

Digitized by Google

In pag. 78. *difficiliore materia.* *Itaque* (pergit paulò pòſt Seneca de eiſdem Metrodoro, & Hermacho loquens:) *Ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij ſecum habuit; hunc quidem de ſe melius meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad Sapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit.*

Sapientem, etiam in tormentis, ingemat licet, beatum fore.

℣. 30. Κἂν στρεβλωθῇ δὲ ὁ σοφός. Poſterior huius Effati pars quaſi Effatum aliud poſt inſequens vulgò habetur; eam autem, quaſi tranſpoſitam reſumpſi, priorique attexui, tanquam cohærentem, ac eiuſdem planè argumenti, & rem inſinuante particula aduerſatiua μηδὲ facta ex μή τις, & accommodatis ſeriei Effatorum modis μύζει, καὶ οἰμώζει, pro μύζῃ, καὶ οἰμώζῃ. Nam illud quidem στρεβλωθῇ, pro στρεβλῶται, ſponte ſua ſe obtulit, cùm particula ὅτι coniunctiuum patiatur. Et ſcrupulus quidem poſtmodum ſubortus, quòd eadem-met poſterior pars viſa fuerit poſſe per commodè, eſſe etiam inſequentis Effati poſterior; quaſi remanente particula τις, intelligi poſſit *amicorum quis, quo in tormentis conſtituto ſapiens aliquando gemat, eiuletque*: Verùm quod res typis commiſſa iam fuerit, nihil emouendum cenſui; & maximè quidem, quia illa quoque prior coniectura viſa fuit non improbanda, quatenus idem verbum στρεβλωθῇ vtrique parti commune eſt; & quia ſi amicorum quidem cauſa ingemiſcendum ſit (fortè non etiam eiulandum) id fieri oporteat non modò in eorum tormentis, & cruciatibus, qui ad corpus pertinent; ſed in calamitatibus etiam cæteris, quibus animus angi ſummè poteſt; vt prætercam, cùm ſit procliuius gemitu, atque eiulatu dolorem teſtari in propriis, quàm in alienis cruciatibus; videri fuiſſe inſinuandum huiuſcemodi teſtationem nun derogare felicitati, de qua in priori parte agitur; cùm &, ſi ea ſignum amiſſæ felicitatis fuerit, cauenda etiam ſit in amicorum cruciatibus, ob quos tamen Sapiens non debeat amittere felicitatem. Vtcumque ſit, viſus fuit ſaltem ſcrupulus non diſſimulandus.

Quod ſupereſt, Ex hoc Effato pronum videtur, vt nihil aliud, at ſaltem illud elicere; Non conſtitui ab Epicuro Beatitudinem in ea ſola, quæ vulgò creditur voluptate: quippe cùm talem non experiatur, qui ſubiicitur tormentorum, morborúmque doloribus. Nempe morbos quoque adiicio, quoniam ſunt illorum cruciatus, quàm tyrannorum vt frequentiores, ita aliquando non minùs immanes. Certè tametſi Cicero ad hoc reſpexiſſe Effatum videatur, cùm dici ab Epicuro ait, *Nullum Sapienti eſſe tempus, etſi vratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare, quàm pro nihilo puto*; ac rurſùs: *In Phalaridis etiam tauro, ſi erit, dicturum, Quàm ſuaue eſt hoc! quàm hoc non curo!* At videtur quoque reſpexiſſe Plutarchus, cùm

5. Tuſc.

5. Tuſc.

dicere Epicurum ſcribit, καὶ γελᾶν τοῖς ὑπερβολαῖς τοῦ περὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα τὸν σοφόν. *Ridere etiam ſæpè in æſtibus ipſis corporei morbi ægrotantem Sapientem.* Porrò, quia primâ ſtatim fronte difficultas ex poſteriore Effati parte ſuborietur; Quî fieri videlicet valeat, vt Sapiens gemat, ac eiulet, & ſit nihilominùs beatus; cùm videatur Beatitudo non poſſe ſine pleno gaudio, ac citra omnem gemitum, eiulatúmque intelligi, idcircò adnotandum eſt, explicari rem iuxta duo Effata, quæ aliquantò poſteriùs occurrent. Nam primùm quidem Epicurus duplicem diſtinguit beatitudinem vnam perfectam, abſolutámque, quæ ſoli Deo competat; aliam imperfectam, comparatéque ſumptam, qualis ſola hominibus (in hac nempe vita) poſſit conuenire. Videlicet non ita benè agitur cum hominibus, vt præſumere debeant poſſe ſe totum vitæ tempus in pleno, puróque gaudio degere, ac effici omni dolore immuneis: ſed cùm iſtis plus, illis minus gaudij; iſtis plus, illis minus doloris contingat; beati præ cæteris ij ſunt, qui ampliùs gaudent, quàm doleant; ij præ cæteris miſeri, qui amplius dolent, quàm gaudeant; ac ij ſunt demùm ſummè beati, qui ſunt minimè omnium miſeri; ij ſummè miſeri, qui ſunt minimè omnium beati. Quare & cùm finis Sapientiæ is ſit, vt homines reddat quam-maximè licet beatos, ſeu quam-minimùm licet miſeros: ideò in quocumque vitæ genere, aut ſtatu Sapiens fuerit, ita animo erit comparatus, vt in eo obtineat quam-multùm licebit gaudij; quam-minimùm licebit doloris. Exinde autem fit, vt ſi in tormentis, aſperiſque morbis verſetur, dolores profectò perſentiat, neque abſolutè tam ſit, quàm ſi illis careret, beatus; ſed interim tamen, quia factâ illos patiendi neceſſitate, minimè ipſos exaſperat, ſeu præ impatientia, ac deſperatione grauiores non reddit; quin potiùs quam-maximâ poteſt animi conſtantiâ illos mitigat, quodammodóque leuiores facit; eatenus ſanè beatior eſt, quàm ſi illis succumberet, miſeriámque tantumdem augeret. Imò dici quoque beatiſſimus poteſt, non ſanè reſpectu illorum, qui ſimilibus doloribus carent; ſed reſpectu illorum, qui vexati ſimilibus, non pari virtute, conſtantiâque eos tolerant, neque paria habent à Sapientia, quibus eos leuent, adiumenta. Deinde concedit Sapienti Epicurus, vt mœrorem, luctúmque ſentiat, atque adeò, vt ingemiſcat, eiulet, fundat lacrymas; quatenus quæ natura fecit homines dolori obnoxios, eademmet dolori adhibuit hoſce indiuiduos quaſi comites; non ſanè, vt eius irritamenta, ſed vt leuamenta potiùs quædam ſint. Videtur quippe dolor exinde aliquatenus velut exhalari; & non pauci ſunt, qui dum non tam eſſe, quàm videri conſtantes volunt, damno ſuo ſuſpiria, gemitúſque ſupprimant; quippe, qui cor ſuum, quod dici ſolet, exedant, ſeſéque ipſos magis conficiant.

Effata de Sapiente varia.

Digitized by Google

Effata de Sapiente varia. ficiant. Adeò proinde, vt Sapientiæ videatur non tam obſtate ne ex toto prodeant, quàm dum naturæ ſponte erumpunt, mentem ad honeſta ſic diuertere, vt & infrequentiùs, & leuiùs erumpant. Id certè Epicurus ſuo exemplo docuit, cùm per illos dolores, ad quorum magnitudinem accedere nihil poterat, *Compenſabatur*, inquit, *cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum, inuentorúmque noſtrorum.*

Heinc & ad aliam difficultatem, quæ excitari ob relata ex Cicerone & Plutarcho poteſt, appoſitè huc referatur, quod in hunc Epiſt. 92. modum Seneca: *Quid porrò*, inquit, *non æquè incredibile videtur, aliquem in ſummis cruciatibus poſitum dicere, Beatus ſum? Atqui hæc vox in ipſa officina voluptatis eſt audita. Beatiſſimum, inquit, & vltimum diem ago, Epicurus; cùm illum heinc vrinæ difficultas torqueret, heinc inſanabilis exulcerati dolor ventris.* Quo loco id, quod dicitur, *in officina voluptatis*, facit admoneam, vt quemadmodum aſſerta ab Epicuro voluptas malignam eſt paſſa interpretationem; ita, cùm dixit eſſe Sapientem in mediis tormentis beatum; videri inuidioſæ interpretationis, quod etiam dicturum in Tauro Phalaridis Sapientem cenſuerit: *Quàm ſuaue eſt hoc: quàm hoc non curo; quàm pro nihilo duco:* Quibus ex verbis facta eſt inſultandi in ipſum occaſio, non Ciceroni modò, ſed etiam La- Lib. 3. cap. 26. ctantio, cuius verba ſunt: *Epicurus multò fortiùs: Sapiens*, inquit, *ſemper beatus eſt, & vel incluſus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet, Suaue eſt, & nihil curo. Quis eum non irriſerit? maxime quòd homo voluptarius perſonam ſibi viri fortis impoſuit, & quidem ſupra modum. Non enim fieri poteſt, vt quiſquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat; cùm ſatis ſit ad officium virtutis implendum, perferre, ac ſuſtinere.* Sanè verò Epicurum nihil aliud cenſuiſſe, ac ideò reuerâ dixiſſe, quàm quod poſtremis hiſce verbis à Lactantio contenditur, neque à Cicerone ſecùs; dum: *Ego*, inquit, *tantum vim non tribuo Sapientiæ contra dolorem. Eſſe fortem in perferendo officio ſatis eſt; vt lætetur etiam, non poſtulo. Triſtis enim res eſt ſine dubio, aſpera, amara, inimica naturæ, ad patiendum, tolerandúmque difficilis.* Nihil, inquam, aliud cenſuiſſe, aut etiam dixiſſe Epicurum; intelligi poteſt ex ipſomet Seneca; qui, tametſi hoc quoque habeat: *Poteram reſpondere, quod Epicurus ait, Sapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce eſt, & ad me nil attinet.* Poſtmodùm tamen hæc ſunt, quæ ſubdit: *Dabo apud Epicurum tibi etiam-num ſimillimam huic noſtræ diuiſionem bonorum. Alia enim ſunt, apud illum, quæ malit contingere ſibi, vt corporis quietem ab omni incommodo liberam, & animi remiſſionem bonorum ſuorum contemplatione gaudentis; alia ſunt, quæ quamuis nolit accidere, nihilominùs & laudat, & comprobat, tanquam illam, quam paulò antè dicebam, malæ valetudinis, & dolorum grauiſſimorum perpeſſionem, in qua Epicurus fuit illo ſummo, ac fortunatiſſimo die ſuo; ait enim ſe veſicæ, & exulcerati* In pag. 78. *ventris tormenta tolerare, vlteriorem doloris acceſſionem non recipientia; eſſe nihilominùs ſibi illum beatum diem; beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono non poteſt. Ergo & apud Epicurum ſunt hæc bona, quæ malles non experiri; ſed quia ita res tulit, & amplexanda, & laudanda, & coæquanda ſummis ſunt. Non poteſt dici hoc non eſſe par maximis bonum, quod beatæ vitæ clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit:* quod ex parte quidem commemoratum alibi eſt. Prætereo autem, quod idem Seneca, poſtquàm hoc præmiſit, Attalus Stoïcus dicere ſolebat: *Malo me fortuna in caſtris ſuis,* Epiſt. 67 *quàm in deliciis habeat. Torqueor, ſed fortiter; bene eſt. Occidor, ſed fortiter; bene eſt:* Tùm, in hunc modum ſubiicit: *Audi Epicurum; dicet, & dulce eſt. Ego tam honeſtæ rei, ac ſeueræ nunquam molle nomen imponam. Vror; ſed inuictus. Quidni optabile ſit, non quod vrit me ignis, ſed quod non vincit. Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulcrius; & bonum eſt, & optabile, quicquid ex huius geritur imperio.* Vtcumque ſit, ac vt breue faciam; non debet res nobis præſertim videri incredibilis; apud quos tot exſtant exempla beatiſſimorum Martyrum, quorum fuit conſtantia in mediis tormentis incomparabiliter alacrior, quàm vllius Anaxarchi, Zenonis, aut alterius ex Sapientibus Ethnicis, cùm & ſpeciatim id concinatur de ſancto Protomartyre, *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Solum Sapientem gratiam Amicis, qualem oportet, habiturum.

ỳ. 1. Μόνον τε χάριν ἕξειν τὸν σοφόν. Poſtrema huius Effati verba, ἢ καὶ ἀποθανοῦσιν, ſubſtitui pro Pag. 75. illis, διά τι ἴδια, ex quibus nihil ſanè eſt ſenſus, quod elicere valeas. Et obſcurum quidem ad correctionem veſtigium; verùm in eo ſaltem poſitus eſt greſſus, quòd Epicurus amicorum etiam demortuorum memoriam vt percaram habuit, ſic colendam cenſuit. Res vel ex ipſius Teſtamento conſtat, vtpote quo vitâ functorum Metrodori, ac Polyæni celebrari quotannis, memoriam, vt ipſe ſuperſtes celebraſſet, mandârit; & vt ipſe habuiſſet, ita haberi iuſſerit liberorum vtrinſque curam. Quòd porrò Epicurus conſtantiam, quâ vera amicitia probetur, exprimit, præſentiæ, abſentiæ, mortis ipſius, atque adeò omnibus planè temporibus; comprehendit ſanè ea duo tempora, quibus quales ſint amici, probantur; proſperæ nimirùm fortunæ vnius, & aduerſæ alterius. Quippe frequentiſſimum eſt, vt ſeu quis euadat fortunis cumulatior, veterem amicum contemnat; ſeu alius in calamitatem incurrat, ipſum deſerat: Cui Cicero iure En- Ibid. nianum illud obiicit,

Amicus certus in re incerta cernitur.

Cùm & poſſit de Spurio iſto amicorum genere illud Euripidis vſurpari,

ὄνομα γάρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι,

οἱ

Digitized by Google

In pag. 79. Οἱ μὴ ἐπὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι.

Habent amici nomen, at rem non habent
Qui tempore aduerſo haud amicos ſe exhibent.

Quod autem dicit ſolum ſapientem eſſe amicum eius conſtantiæ, qui nullo non tempore ſibi ipſi ſimilis ſit, comprobari poſſet vel ex
Ibid. eo, quod habet Cicero, dum poſtquam oſtendit magnam eſſe pennriam eius generis amicorum, quos non hæc duo leuitatis, & infirmitatis conuincant, *aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt: Qui igitur,* inquit, *vtraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit; hunc ex maximè raro hominum genere iudicare debemus, & penè diuino.* Verùm quia Epicuri Effatum idem penitus eſt cum vno ex Paradoxis Stoïcis, audire præſtat
Epiſt. 81. quid Seneca in ipſius gratiam proponat. *Itaque negamus*, inquit, *quemquam ſcire gratiam referre, niſi Sapientem; non magis, quàm beneficium dare quiſquam ſcit, niſi Sapiens; hic ſcilicet, qui magis dato gaudet, quàm alius accepto. Hoc aliquis inter illa numerat, quæ videmur inopinata omnibus dicere (παράδοξα Græci vocant) & ait: Nemo ergo ſcit præter ſapientem referre gratiam; ergo nec quod debet creditori ſuo reponere quiſquam ſcit alius; nec cùm emit aliquam rem pretium venditori perſoluere? Sed ne nobis fiat inuidia; Scito idem dicere Epicurum. Metrodorus certè ait, Solum Sapientem referre gratiam ſcire.* Pergit verò Seneca, tanquam Effatum confirmaturus: *Deinde idem admiratur, cùm dicimus, Solus Sapiens ſcit amare; ſolus Sapiens amicus eſt. Atqui & amoris, & amicitiæ pars eſt referre gratiam; imò hoc magis vulgare eſt, & in plureis cadit quàm vera amicitia. Deinde idem admiratur, quod dicimus, fidem niſi in ſapiente non eſſe; tanquam non ipſe idem dicat. An tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam neſcit? Deſinant itaque infamare nos, tanquam incredibilia iactanteis; & ſciant apud Sapientem eſſe ipſa honeſta, apud vulgum ſimulacra rerum honeſtarum, & effigies. Nemo referre gratiam ſcit, niſi ſapiens. Stultus quoque, vtcumque ſcit, & quemadmodum poteſt, referat; ſcientia illi potiùs, quàm voluntas deſit. Velle non diſcitur. Sapiens inter ſe omnia comparabit. Maius eius opus, aut minus fit (quamuis idem ſit) tempore, loco, cauſa. Sæpè enim hoc non potuêre diuitiæ in domum infuſæ, quod opportunè dati mille denarij.* Sic & non multò antè dixerat in eandem ſententiam: *Non omnes debere ſciunt gratè beneficium. Poteſt etiam imprudens, & rudis, & vnus è turba (vtique dum propè abeſt ab accepto) reddere beneficium, & penſare; ignorat autem quantum debeat. Vni Sapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit. Nam ille de quo loquebar modò ſtultus, etiam ſi bonæ voluntatis eſt, aut minùs, quàm debet, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit: Id, quod referendum eſt, effundit, atque abiicit.* Cùm heic nihil ſit adiiciendum; adnoto ſolùm quod obiter à Seneca inſeritur, *gaudere magis Sapientem dato, quàm alium accepto.* Effatum eſſe, quod Plutarchus ad Epicurum refert, non ſemel, ſcilicet apud quem vox ſit: τὸ εὖ ποιεῖν ἥδιον εἶναι τοῦ πάσχειν: *Dare beneficium iucundius eſſe, quàm accipere*, ac rurſus: τοῦ εὖ πάσχειν τὸ εὖ ποιεῖν οὐ μόνον κάλλιον, ἀλλὰ καὶ ἥδιον εἶναι· χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτως γόνιμόν ἐστιν, ὡς χάρις. *Eſſe non modò pulcrius, verùm etiam iucundius beneficium dare, quàm accipere; neque enim aliquid eſt, quod magis gaudium pariat, quàm gratia.* Notum eſt, quàm id ſit conforme ſacræ illi ſententiæ: Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν: *Beatius eſt dare, quàm accipere.* Verùm res non eget amplificatione. Effata de Sapiente varia. 2. Adu. Colot. Lib. de differ. cū Princ. Act. 20.

Nihil fore Sapienti cum ea Muliere, quâ leges interdixerint.

℣. 4. γυναικί τι οὐ μιγνύσθαι. Non defuêre, qui hoc Effatum, tametſi alioquin laudandum, interpretati inuidioſè fuerint. Videtur autem Origenes illis ſubſcripſiſſe, cùm aduerſus Celſum ſcribens: *Vitant*, inquit, *adulterium Philoſophi, qui Zenonem Cittienſem ſectantur; vitant & quibus Epicurus placet Magiſter (nonnulli etiam ex illiterata plebecula) Sed vide quàm variæ ſint horum voluntates in fugiendo adulterio. Illi peccari contra naturam, & ſocietatem humanam putant, ſi quis vitiet mulierem legitimè coniunctam alteri, & familiam eius adulteret; Epicurei verò non hac de cauſa abſtinent, ſed quia omneis actiones ſuas ad vnum ſcopum, Voluptatem, dirigunt; multis autem ſeipſum fraudat voluptatibus, qui huic vni ſuccumbit; interdum etiam in carceres, exſilia, mortem incidit; & ipſum antè factum non caret periculo, dum obſeruat mariti è domo exitum, & eorum, qui illi fauent. Itaque fac eum fallere poſſe maritum, domeſticos eius, & cæteros, à quibus ſibi timet opprobrium, quantum attinet ad voluptatem, etiam adulter Epicureus fieret.* Sic ille. Cùm porrò Effatum eiuſmodi ſit vt reuerentiam legum prætendat, propter quam Sapiens non adulterium modò, verùm etiam ſtuprum, inceſtum, & omneis alios concubitus, quos leges vetuerint, ſit deuitaturus: Apparet ſanè conſequutionem, quæ præterea elicitur, ad conflandum inuidiam trahi. Ac ſapiens quidem, dum leges ſeruat, neque ſocietatis iura violat, moleſtias, & pericula alioquin incurrenda declinat; ſed indecorum tamen non eſt, illum, dum ſaluas leges vult, ſuæ ſimul ſaluti ſtudere. At, niſi leges prohiberent, adulteriúmne committeret? Neſcias, an iſtud inuidioſiùs, an, vt exiſtimari poteſt, inconſideratiùs quæratur; quandoquidem, ſi leges tollas, promiſcui erunt, vt ferarum, ſic hominum concubitus; & cùm mulieres fuerint communes (quod Plato quidem voluit) non erit hæc tua, potiuſquàm alterius; non erit vxor, non coniugium, cuius violatio adulterium ſit, pœnámve vllam adiunctam habeat. Sed hæc proſequi nihil eſt neceſſe.

Eſſata de Sapiente varia. *Famulos quidem caſtigaturum, ſed ſtudioſis tamen veniam habiturum.*

ψ. 8. τούς τε κολάσειν οἰκέτας. Quod τούς τε, pro οὔτε heic legam tùm coniectura Caſauboni facit, tùm aduerſatiua particula μέν τοι, quæ ſi ὅτι legatur, non perinde conſtabit. Adde quòd (vt de re etiam dicam) videtur caſtigatio appoſitè adhibita auertere maiora peccata, ac idcircò eſſe cum-primis neceſſaria, vbi famuli ſunt illiberales, ac poſſunt ſpe impunitatis inſoleſcere, metu pœnæ in officio teneri. Rem certè & Plato, & alij inſigniores Philoſophi dicto, factôque comprobarunt; ne quidpiam dicam de Stoïcis, qui vniuersè pronunciarunt, Sapientem *nunquam ignoſcere*, μηδέποτε συγγνώμην ἔχειν. Poteſt & aliunde vir Sapiens pœnas exigere non iratus, ſed qualis eſt ille in Panegyrico:

Clau. de Maul.
Qui placidus delicta domat, nec dentibus vnquã
Inſtrepit horrendum fremitu nec verbera poſcit.

Ac proinde in quo

Temperiem ſeruant oculi, nec lumina feruor
Aſperat, aut rabidas deducit ſanguine venas
Nullâque mutati tempeſtas proditur oris.

1. de Ira. cap. 1. Horat. Epiſt. 18. Vbi notandum, cùm Seneca oppoſita ratione iratum deſcribat, vt rectè dictum probet à quibuſdam Sapientibus: *Iram eſſe breuem inſaniam* (ſeu, vt Poëta, *breuem furorem*; μανίαν ὀλιγοχρόνιον) docere ipſum alibi ſententiam eſſe Epicuri: *Immodicam iram gignere inſaniam.* Quod quidem noto, vt inſinuem, quâ animi moderatione Epicurus in adhibenda caſtigatione vtendum cenſuerit. Quamquam coniectura non longè petenda, cùm poſteriore Effati parte voluerit, ſecùs ac Stoïcos, Sapientem illis veniam dare, qui fuerint alioquin indolis non malæ, ſed ſtudioſi, ac ſeduli. Et

Epiſt. 95. commendat certè Laërtius ipſiuſmet ἡμερότητα πρὸς τοὺς οἰκέτας, *manſuetudinem in famulos proprios*, vt ſuo loco viſum eſt. Et quod Seneca ait Epicurum appellaſſe *Seruos amicos*, habuiſſe eum quoque reipsâ vt amicos ex eo comprobatur, quod Mus, & Serui cæteri fuerint cum ipſo philoſophati. Adeò proinde vt præclarius exemplum non potuerit Senecæ ſup-

Epiſt. 47. petere ad illud præceptum: *Viue cum ſeruo clementer, comiter quoque, & in ſermonem admitte, & in conſilium & in conuictum.* Neque item ad id quod ait: *Maiores omnem inuidiam dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxiſſe, cùm Dominum Patrem familia, Seruos familiareis, quod etiam,* inquit, *in mimis adhuc durat, appellauerunt.*

Neque amore captum iri, neque habiturum amorem, vt quid immiſſum diuinitùs.

ψ. 11. Ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν οὐ δοκεῖ. Poſteriorem Effati partem, οὔτε θεόπεμπτον, tanquam poſt treis voces, quæ ſunt de Sepultura, tranſpoſitam, huc refero; ſatis enim conſtat ipſam ad eandem cum priore ſententiam ſpectare. Imprimis porrò circa priorem, nihil neceſſe eſt admonere intelligi ab Epicuro Amorem, qui In pag. 79.
ſit σύντονος ἀφροδισίων ὄρεξις, *rerum venerearum* In voc. ἔρως.
appetitio vehemens; hoc nimirùm Suidas apertè declarat. Id verò interim obſeruo, propter Platonem, Antiſthenem, Ariſtotelem, Stoïcos, & alios, qui ex oppoſito aſſerentes τὸν σοφὸν ἐρασθήσεσθαι, *iri Sapientem amore captum*, viſi ſunt id velle de Amore *amicitia* dicto intelligere, ac potiſſimùm reſpectu puerorum. Cicero certè 4. Tuſc.
iſtud dogma Stoïcis ſpeciatim attribuens, ac interpretatus illam diſtinctionem συνουσίας, καὶ φιλίας ab ipſis allatam, amoris *ſtupri*, *ac amicitia*, addit illos propterea *litigare cum Epicuro, non multum,* inquit, *vt opinio mea fert, mentiente: Quis eſt enim amor iſte amicitia? Cur neque deformem adoleſcentem quiſquam amat, neque formoſum ſenem?* Nihil deinde neceſſe eſt commemorare, quod apud Stobæum, cùm quidam dixiſſet, οὐκ ἐρασθήσεται ὁ σοφὸς, *non capietur amore Sapiens*, & in exemplum propoſuiſſet Menedemum, Alexinum, & Epicurum, Chryſippus nihil aliud habuerit, quod Epicuro obiiceret, niſi, quod fuiſſet ἀναίσθητος, *ſine ſenſu*, quaſi ſcilicet ligneus, aut lapideus; quod in Apologia iam notauimus. Satis eſt quædam ſeligere ex Lucretij carminibus, quæ ad partem hanc potiſſimùm faciant. Huiuſmodi autem eſſe poſſunt hæc:

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula Amoris
Abſterrere ſibi, atque aliò conuertere mentem.
Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat Amorem,
Sed potiùs quæ ſunt ſine pœna commoda ſumit,
Nam certa, & pura 'ſt ſanis magis inde voluptas.
Adde quòd abſumunt vireis, pereúntq; labore:
Adde quòd alterius ſub nutu degitur ætas;
Labitur intereà res, & vadimonia fiunt;
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.
Vnguenta, & pulcra in pedibus Sicyonia rideat,
Scilicet & grandes viridi cum luce Smaragdi, &c.
Nequicquam: quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quòd conſcius ipſe animus ſe fortè remordet,
Deſidiosè agere ætatem, luſtriſque perire;
Aut quòd in ambiguo verbum iactata reliquit,
Quod cupido adfixum cordi viueſcit, vt ignis;
Aut nimium iactare oculos, aliúmve tueri
Quod putat, in voltúque videt veſtigia riſus.
Atq; in amore mala hæc proprio, ſummèq; ſecũdo
Inueniuntur; in aduerſo verò, atque inopi ſunt,
Prendere quæ poſſis oculorum lumine aperto
Innumerabilia; vt meliùs vigilare ſit, antè
Quã docui ratione, cauerèque, ne inlaqueeris.
Nam vitare, plagas in Amoris ne laciamur,
Non ita difficile 'ſt, quàm captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

An & iſta quoque ob elegantiam ſubiicienda?

Et tamen implicitus quoque poſſis, inque peditus
Effugere infeſtum, niſi tute tibi obuius obſtes,
Et prætermittas animi vitia omnia primùm,
Tùm quæ corpori' ſunt eius, quam percupis, ac vis.
Nã hoc faciunt homines pleruq; cupidine cæci,

Et

Digitized by Google

In pag. 79. *Et tribuunt ea, quæ non ſunt his commoda verè.*
Multis modis igitur prauas, turpeiſque videmus
Eſſe in deliciis, ſummóque in honore vigere.
Nigra, μελίχροος est; immunda, & fœtida, ἄκοσμος:
Caſia, παλλάδιον: neruoſa, & lignea δορκάς:
Paruola, Pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atq; immanis, κατάπληξις, plenáq; honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens eſt:
At flagrans, odioſa, loquacula, λαμπάδιον fit:
ἰσχνὸν ἐρωμένιον tùm fit, quum viuere non quit
Præ macie: ῥαδινὴ verò eſt, iam mortua tuſſi:
At gemina, & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Iaccho:
Simula, σιληνὴ, ac ſatyra'ſt: labioſa, φίλημα,
Cætera de genere hoc longum'ſt, ſi dicere coner.
Sed tamen eſto iam quantóuis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nēpè alia quoq; ſunt; nēpè hac ſine viximus antè:
Nempè eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi:
Et miſeram tatris ſe ſuffit odoribus ipſa,
Quā famula lōgè fugitāt, furtimq; cachinnāt, &c.

Circa poſteriorem; quæ habetur etiam apud Suidam, ac addi videtur propter fabulas de Amore, quas placuiſſe etiam aliquibus Philoſophis, vel ex vno Platone conſtat; adnotare ſufficit, non fuiſſe eam quoque ipſi Lucretio prætermiſſam. Quippe poſtquàm illud præmiſit:

Nec diuina ſatum genitalem Numina quoiquam
Abſterrent, Pater à natis ne dulcibus vnquam
Appelletur, & vt ſterili Venere exigat æuum, &c.

Tùm ſubiicit:

Nec diuinitùs interdum, Venerisque ſagittis,
Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis
Morigeriſque modis, & mundo corporis cultu,
Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam:
Quod ſupereſt conſuetudo concinnat amorem, &c.

Quem in ſeoſum, cætera inter occurrit illud Phocylidis:

Μὴ δ᾽ εἰς ἔρωτα γυναικὸς ἅπας ῥίψῃς ἀκάθεκτον
Οὐ γὰρ Ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ᾽ ἀΐδηλον ἁπάντων.
Totus in effrænem ne abeas mulieris amorem:
Quippe Amor haud Deus eſt; tacita'ſt affectio cuiq;

Non fore anxiè de ipſa ſui ſepultura ſollicitum.

℣.15. Οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν. Addo ad interpretationem *anxiè*; vt intelligamus, non ideò Epicurum voluiſſe omnem penitùs abiici ſepulturæ curam. Nam quòd alioquin exiſtimârit haberi poſſe aliquam, inſinuat Plutarchus, dum ſcribens in illud λάθε βιώσας, *occultus viue* (quod fuit ſeu ipſius, ſeu Neoclis fratris, vt Suidas quidem reputat) *Tu ergo*, inquit, *ô Epicure, ne ſcribe ad amicos, nec ſcribe libros ſapientiam oſtentans, μηδὲ διατάσσειν περὶ ταφῆς, nec de ſepultura aliquid præſcribe.* Ac non legitur quidem aliquid de ſui ſepultura in teſtamento præſcripſiſſe; ſed tùm rem cordi fore ſatis amicis, ac potiſſimum teſtamenti curatoribus ſupponere potuit; tùm verbo potuit idem mandare, quod ſcripto Theophraſtus, θάψαι δὲ καὶ ἡμᾶς ὅπου ἂν δοκῇ μάλιστα ἁρμόττον εἶν᾽ τοῦ κήπου, μηδὲν περίεργον περὶ τὴν ταφὴν, μηδὲ περὶ τὸ μνημεῖον ποιοῦντας: *Sepeliunto nos quà videbitur in hortis commodiſſimum; nihilque interim ſumptuoſiùs, quod ſiue ad ſepulturam, ſiue ad monumentum pertineat, agunto*: tùm demùm quæ cætera fieri in ſui memoriam, hiſce paria ſunt. Quare & nihil aliud voluiſſe huiuſcemodi Effato videtur, quàm fore, vt Sapiens, ſi fortè prouideat ſepultura ſe aut omnimoda, aut conſentanea cariturum, id pro nihilo ducat, quaſi nempè futurum ſit, vt tùm res ipſum nihil attineat, carentem putà omni ſenſu, vt vel Diogenem monſtraſſe eſt tritum, cùm timentibus, ne cadauer à feris, volucribúſve laniaretur, apponi ipſi baculum iuſſit, quo poſſet illas abigere. Et vide, quàm egregiè Lucretius iſtud excipiat:

Laërt. lib. 5. — Effata de Sapiente varia.

Nam, ſi in morte malum'ſt, malis, morſúq; ferarū Lib. 3.
Tractari; non inuenio, qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut in melle ſitum ſuffocari; atque rigere
Frigore, cùm in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi
Vrgerive supernè obtritum pondere terræ.

Prætereo, quod adhûc Seneca præclariùs: *Vt ex barba*, inquit, *capillos detonſos negligimus; ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur; ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe iudicat pertinere, quàm Secundas ad editum infantem. Vtrùm proiectum aues differant, an conſumatur* Epiſt. 92.

—Canibus data præda marinis,

quid ad illum? Prætereo & quòd ſtatim pòſt illud Mecœnatis commodat:

Nec tumulum curo; ſepelit natura relictos;

tanquam proſpiciente natura, ne quis denique inſepultus iaceat, cùm dies ipſa condat, quem ſæuitia proiecerit; id fuiſſe quoque à Poëta eius conſanguineo expreſſum illis verſibus: Lucan. lib. 7.

Nil agis hac ira: Tabeſne cadauera ſoluat,
An rogus, haud refert: Placido natura receptat
Cuncta ſinu.

Non incubiturum in id, vt affectatis floſculis orationis rhetoricetur.

℣. 16. Οὐδὲ ῥητορεύσειν καλῶς. Quòd vocem *καλῶς de affectatis orationis floſculis* interpretor, facit imprimis, quòd Epicurus non improbârit, ſi quis decenter, & accommodatè ad rem quamque perſpicuè exprimendam dicat (Nempè orationis decorum *ἐν τῇ σαφηνείᾳ in perſpicuitate conſtituit*) & præditus aliunde ſit natiuâ quadam, non arte quæſitâ, affectatâve eloquentiâ (φύσις γὰρ ἦν ἡ κατορθοῦσα λόγους) quemadmodum libro octauo Apologiæ deduximus; ac ideò damnare dumtaxat potuerit, ſi quis profeſſus ſapientiam, elegantiæ ſit, quàm rerum ſtudioſior, & gloriam captet ex iis verbis,

—Quæ bellè tangere poſſunt
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Effata de Sapiente varia. vt non multò antè ex Lucretio retulimus. Deinde, quòd Cicero ipſe adhibitam præterea non neceſſariam elegantiam *florem orationis* appellat, cùm præfando in Paradoxa, & ad M. Brutum de Catone ſcribens: *Quod eò maius eſt illi*, inquit, *quàm aut tibi, aut nobis, quia nos ea Philoſophia vtimur, quæ peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari; Cato autem perfectus meâ ſententiâ Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſanè probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis.* Quo loco par non eſt mirari orationis cultum neglectum fuiſſe à Stoicis; quando Zeno illorum Princeps comptos, concinnoſque ſermones ſimileis habuit Alexandriuis nummis, ſpe-
Lib. 7. cie quidem elegantioribus, ſed bonitate tamen, ponderéque deterioribus Atticis tetradrachmis, vti apud Laërtium eſt. Cùm ſint porrò
Lib. 6. compluſcula ad hocce Effatum ſpectantia memorato loco congeſta; ideò nihil heic loci repetendum eſt. Addo dumtaxat, quod in memoriam ſubit, exſtare apud eundem Laërtium de Diogene, illum ſcilicet eos, qui ex oratione maximam gloriam quærerent, *τρισανθρώπους*, *ter-homines*, hoc eſt, *ter-miſeros* appellaſſe.

Fugiturum Venerea, vt quæ nunquam proſint, ac benè ſit, niſi & noceant.

ψ. 17. Συνουσίη δέ (φασιν) ὤνησε μὲν οὐδέποτε. Cohæret hoc Effatum cum ſuperiore illo de Sapiente non amaturo. Neutrum de Epicuro vulgus crederet, ob præconceptam illam de ipſo, vt de voluptario homine ſententiam. Mirum proinde, cùm vulgus ipſum incontinentiæ effrænis damnet, reputetque libidino-
3. Tuſc. ſas eius fuiſſe ſententias (ſecùs ac expreſsè habet Cicero) Galenum tamen fuiſſe coactum aduerſus ipſum diſputare, quòd parcus, rigiduſque nimiùm hacce in re exſtiterit vt dum
comm. 1. ſcribens in librum tertium Epidemiorum Hippocratis, Τίς γὰρ ἦν, inquit, ἀνάγκη, γράφειν, Δημόκριτον, μὴ εἰρηκέναι μικρὰν ἐπιληψίαν εἶναι τὴν συνουσίαν, Ἐπίκουρον δὲ μηδέποτε μὴ ὠφελεῖν ἀφροδισίων χρῆσιν, ἀγαπητὸν δ' εἰ μὴ βλάψειεν· ἐπεὶ γάρ, &c. *Quid fuit neceſſe ſcribere, dixiſſe Democritum eſſe coitum paruam epilepſiam: Epicurum verò Venereorum vſum nunquam prodeſſe, præclaréque agi,*
Cap. 85. *niſi etiam noceat. Siquidem*, &c. Et in libro Medicæ artis, Ἀφροδισίων, inquit, κατὰ μὲν Ἐπίκουρον οὐδεμία χρῆσις ὑγιεινή· κατὰ δὲ τὸ ἀληθὲς, ἐν διαλείμμασιν, &c. *Iuxta Epicurum quidem, vſus venereorum nullus ſalubris; reuerà tamen, ſi*
3. Tuſc. *per interualla*, &c. Non eſt porrò heic prætereundus locus, quem Cicero hac concludit ſententia: *Hoc loco*, inquit, *multa ab Epicureis diſputantur, hæque voluptates ſigillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, quærunt tamen copiam. Nam & obſcœnas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, facileis, communeis, in medio ſitas eſſe dicunt; eaſque, ſi natura requirat, non genere, aut loco, aut ordine, ſed forma, ætate, figura metiendas putant; ab*
In pag. 79. *iiſque abſtinere minime eſſe difficile, ſi aut valetudo, aut officium, aut fama poſtulet: Omninóque genus hoc voluptatum, optabile eſſe, ſi non obſit, prodeſſe nunquam.* Non etiam tacendum, quod apud Plutarchum, Adoleſcentibus qui-
3. Symp. quæſt. 6. buſdam improbantibus agitari in Epicuri contubernio quæſtionem illam, de Venereorum ante, vel poſt cœnam vſu, Zopirus Medicus exceperit, *non fuiſſe Epicuri conuiuium attentè ſatis ab iis pellectum. Neque enim illum quæſtione ab initio propoſita, ipſam ſubinde ediſſeruiſſe; ſed cùm à cœna adoleſcenteis ad deambulandum inuitaſſet, de Temperantia verba feciſſe, & à laſciuia eos deterruiſſe*, ὡς ἀεὶ μὲν ἐπισφαλοῦς εἰς βλάβην τοῦ πράγματος ὄντος, μάλιστα δὲ τοὺς περὶ πότον, ἢ ἐδωδὴν χρωμένους αὐτῷ δεινοτάτου, *quòd nempe res venerea, cùm aliàs facilè noceret, tum maximè iis, qui non longè à conuiuio eam exercerent.* Eſt porrò hæc vna, ac prima ex iis conditionibus, quas ipſe Galenus requirit; ne corpus videlicet ſit ὑπερπληρωμένον, ἢ ἐνδεές, *nimis oppletum, aut ieiunum*; Et, ſi partium diei circunſtantiam, in anni tempeſtates commutaueris, deprehendes eandem Pythagoræ, quàm Epicuri fuiſſe ſententiam. Ille enim, Lib. 8.
apud Laërtium, *Venereis*, inquit, *hyeme, non æſtate operam dato; ea autumno ſunt, ac verè leniora; ſed quacumque tandem tempeſtate grauia ſunt, & ad ſanitatem non bona.* Et aliquando interrogatus, quando ad mulierem accedendum foret, *quando voles*, inquit, *fieri imbecillior*: Non immoror autem in ſoluendis iis, quæ Galenus, alijque habent. Rem paucis præſtat Scaliger aduerſus Cardanum, dum abſurdum habet, quod Paulus in primo ait, *Corpus Ve-* Exercit. 269.
neris exercitio augeſcere, ac pergit: *Robur enim minui, quis neſcit? Nam, quod aiunt retentum ſemen efficere melancholicos, & concoctionem prohibere, falſum eſt. Exoneratur enim natura, vbi oppreſſa eſt, per ſomnia. Etiam vigilantibus exit ſponte, ſine ſenſu. Igitur huius ſententiæ temperatio illa inanis: aiunt enim per accidens augere robur, ſublatis concoctionis impedimentis. Alij verò nugantur è contrario, non poſſe in ſuis vaſis putreſcere ſemen. At nihil naturâ humidum eſt, quod contrahere nequeat aliquid vitij ad putreſcendum. Ergo multi Athletæ priſci penitùs ab hoc ludibrio abſtinuerunt: quorum aliquot in octauo de Legibus nominat Plato, Iccum Tarentinum, Criſſonem, Aſtyllum, Diopompum. Quare optimè dicebas ex Ariſtotele, ſalacioribus animalibus vitam eſſe breuiorem.* Sic ille. Prætereo heic porrò quæ alij de eodem argumento habent, præſertim verò Clemens Alexandrinus, qui 2. Pædag. 10.
etiam Effatum, non ſine authoris laude, tacito licet nomine, refert, *Rectè enim*, inquit, *videtur dixiſſe quiſpiam*, Συνουσίη ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δὲ, εἰ μὴ ἔβλαψεν. Quibus eiſdem verbis habet quoque Effatum Porphyrius. Nota 1. de abſt.
verò obiter B. Clementem illeic loci referre ad Protagoram auditorem Democriti, quod Democritus paulò antè apud Galenum de Serm. 6. Saturn.
coitu

Effata de Sapiente varia. coitu dixit; eſſe illum nempe *Epilepſiam paruam*; cùm & Stobæus præterea ad Eryximachum referat, & ad Hippocratem Macrobius. Prætereo & ex iis, quæ afferri in Effati confirmationem poſſent, nihil eſſe poſſe commendatius, quàm quod Plutarchus optimè dictum

In præc. de ſan. 6. Epid. ſect. 4. ait (& ex parte quidem ab Hippocrate) *res eſſe ſaluberrimas* τροφῆς ἀκορίαν, καὶ πόνων ἀοκνίαν, καὶ σπέρματος ἐποχὴν συντήρησιν, *citra ſaturitatem veſci, ad laborem impigrum eſſe, ſubſtantiam ſeminis conſeruare.*

Non ducturum vxorem, non ſuſcepturum liberos; niſi circumſtantiâ quapiam exigente.

ꝟ. 20. Καὶ μηδὲ γαμήσειν, μηδὲ τεκνοποιήσειν, pro, Καὶ μὴν καὶ γαμήσειν, καὶ τεκνοποιήσειν. Ita ſcilicet haud abs re opinatur Caſaubonus, quandoquidem Effatum iſtud ex ſuperiore conſequitur; & poſterior ipſius pars, quæ eſt quaſi quædam exceptio haud aliter eſſe legendum inſinuat. Adde quòd propterea Epictetus Epicurum non ſemel ſugillat. Ait enim, exem-

Apud Arrian. l. 3. c. 7. pli gratiâ: *Epicuream ciuitatem cogitas; Non ego ducam, neque ego vxorem;* οὐ γὰρ γαμητέον, ἀλλ' οὐδὲ παιδοποιητέον: *Non enim vxor ducenda eſt; non item liberi procreandi.* Et rursùs: *Tu verò, Epicure, quamobrem diſſuades Sapienti* τεκνοτροφεῖν, *educare liberos?* Quod Theodoretus

Lib. 1. cap. 23. 2. Stro. verò hac in re Epicurum facit Democriti ſocium, dum vtrumque reprehendit, quod iubeat, παραιτεῖσθαι καὶ τὸν γάμον, καὶ τὴν παιδογονίαν, *auerſari & nuptias, & ſuſceptionem liberorum,* idipſum eſt, quod Clemens docet, dum poſtquàm dixit Democritum, παραιτεῖσθαι γάμον, καὶ παιδοποιίαν, διὰ τὰς πολλὰς ἐξ αὐτῶν ἀηδίας τε, καὶ ἀφολκὰς ἀπὸ τῶν ἀναγκαιοτέρων, *repudiare coniugium, liberorùmque procreationem, ob multas, quæ ex ipſis percipiuntur, moleſtias, obque auocationem à rebus magis neceſſariis;* ſubdit, Aſſentiri ipſi Epicurum, & quotquot ἐν ἡδονῇ, καὶ ἀοχλησίᾳ, ἔτι δὲ καὶ ἀλυπίᾳ τἀγαθὸν τίθενται, *Summum bonum in voluptate, & vacuitate perturbationis, dolorisque conſtituant.* Exagitat porrò in Epicuro quoque dictam Democrito cauſam Epictetus. Nam ad verba illa, *Ecquid reformidas?* ſubiicit: *Iſtud videlicet,* μὴ διὰ ταῦτα εἰς λύπας ἐμπέσῃ, *ne propterea in moleſtias incidas.* Et ſtatim: *At nouit Epicurus,* ὅτι ἂν ἅπαξ γένηται παιδίον, οὐκέτι ἐφ' ἡμῖν ἐστι μὴ στέργειν, μηδὲ φροντίζειν ὑπὲρ αὐτοῦ: *Simul ac eſt infans editus in lucem, in poteſtate noſtra non eſſe, ne eum depereamus, ſollicitique pro ipſo ſimus.* Ac rurſus: *Dicere,* inquit, *cauſam audet, cur liberos non ſuſcipiamus,* ὅτι πρόβατον μὲν οὐκ ἀπολείπει τὸ αὐτοῦ ἔκγονον, οὐδὲ λύκος, ἄνθρωπος δ' ἀπολείπει, *quòd cùm neque ouis, neque lupus enatam à ſe prolem, deſerat, minùs deſerere homo poſſit;* neque poſſit non affici, ἰδὼν παιδίον αὐτοῦ κλαῖον, ἐπὶ τὴν γῆν πεπτωκός, *puellum ſuum eiulantem, prolapſumque in terram conſpiciens.* Quæ, & plura permirum eſt ita exaggerari (ſed Stoïco nempè affectu) ab optimo viro, ipſo præſertim cœlibe, & ſectam ſequuto, cuius princeps

Zeno neque vxorem duxit, neque ſuſcepit liberos; adeò proinde vt Demonax ipſi Epitecto conſilium danti, vt & vxorem duceret, & liberos ſuſciperet, perquàm lepidè dixerit, δὸς οὖν, ὦ Ἐπίκτητε, δός μοι μίαν τῶν σαυτοῦ θυγατέρων: *Vnam ergo filiarum tuarum, ô Epictete, mihi colloca;* quod quidem apud Lucianum eſt. Vt nihil interim dicam de Platone, de Thalete, déque tot aliis Sapientibus, & magnis viris, qui neque vxorem ducendo, neque liberos ſuſcipiendo, Epicuri Effatum reipsâ probarunt. Nam & quòd etiam-num apud nos, ij, qui seputantur præ cæteris ſapere, ſeſe etiam votis conceptis addicant cœlibatui, nihil attinet memorare. Sufficiat, cùm ſit nemini non-notum quibus moleſtiis ſe eximant, qui à coniugio abſtinent, nihil ſuaſiſſe Epicurum aliud, quàm vt ſi quis vellet multa moleſtiarum declinare genera, atque idcirco ſaperet, is à coniugio viueret liber. Impetit autem ipſum Epictetus, quaſi perſuaſum id voluerit non paucis quibuſdam ſapientiæ ſtudioſis, ſed omnibus, ſiue cuiuſvis conditionis hominibus; aut quaſi periculum ſit, ne propterea genus humanum, deficientibus, qui appetant nuptias, procreéntque liberos, deficiat. Quod caput eſt, cùm poſteriore Effati parte cenſet Epicurus eam incidere poſſe circumſtantiam, vt Sapiens & vxorem ducat, & ſuſcipiat liberos; id præoccupat quicquid poteſt potiſſimùm obiici, ne videantur non ſapere, qui dum nuptias adeunt, aut ſibi, aut familiæ, aut Reipublicæ conſulunt.

In pag. 79.

Repoſui porrò hac in parte τεκνοποιήσειν, pro διατραπήσεσθαι, tùm vt conſenſus intéger cum priore parte haberetur; tùm quia nuptiarum auerſationem conſulere, quod verbo διατραπήσεσθαι fit, fuiſſe præſtitum priore eſt viſum.

Non pernoctaturum in compotatione.

ꝟ. 25. Οὐδὲ νυκτερεύσειν ἐν μέθῃ. Lego νυκτερεύσειν pro μὴν τηρήσειν, quòd alioquin nihil ſit ſenſus, quod elici exinde valeat; & reſpicere Epicurus potuerit ad eas cœnas, quæ interdum protrahebantur διὰ νυκτὸς, ſeu, vt ex Ariſtophane habet Athenæus, δι' ὅλης νυκτὸς, *per totam noctem*: atque adeò etiam ad conuiuium Platonis, in quo Socrates quoque ipſe totam noctem compotare (& poculo quidem, quod puteus dici poſſet) inducitur. Vt taceam autem hoc Effatum videri poſſe cohærere cum ſuperiore, & affinibus, quatenus indiuidua penè admonitio eſt de Venere, & vino fugiendis: Lib. 7.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,

Poteſt idem ſpectare ad leges iis conſimileis, quas Philoſophorum conuiuiis præſcripſiſſe Xenocratem, & Ariſtotelem idem Athenæus tradit. Scilicet Epicurus quoque epulareis quoſdam conuentus inſtituit; vt ex teſtamento ipſius intelligitur; & quamvis eius Sectato- Lib. 5.

Digitized by Google

Effata de Sapiente varia. res, aut aquam paſſim biberent, aut vinuli heminâ contenti eſſent, licere voluit, vt interdum genio tantillum indulgerent, eodem prorſus fine, quo Plato, dum in libris de legibus, obſeruante Agellio : *Non ebrietatem iſtam turpiſſimam, quæ labefacere, & minuere hominum menteis ſolet, laudauit, ſed hanc largiorem paulò, iucundiorémque vini inuitationem, quæ fieret ſub quibuſdam quaſi arbitris, & magiſtris conuiuiorum ſobriis, non improbauit. Nam & modicis,* pergit ille, *honeſtiſque inter bibendum remiſſionibus, refici, integrarique animos ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit ; reddique eos ſenſim lætiores, atque ad intenſiones rurſùs capiendas fieri habiliores.* Atque hanc quidem fuiſſe Epicuri mentem intelligetur vberiùs ex infrà dicendis circa commoda ſobrietatis ; ex quibus etiam manifeſtum fiet, probari ipſi non potuiſſe Stoicam illam diſtinctionem, quâ decreuerunt apud Laërtium : *Sapientem vino obrutum iri, nec fore tamen ebrium*, hoc eſt, facturum quidem paria ebriis, ſed non tamen ex deſtinatione, & mente nihilominus perſtante in propoſito. Quod quidem aliunde impugnatur non modò à Philone, dum quæſtionem ediſſerit, *inebrietúr-ne ſapiens*, quam ſtudioſè tractatam dicit à plerìſque Philoſophis ; ſed etiam à Seneca ipſo : *Nam ſi,* inquit, *argumentaberis Sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam-ſi temulentus ſit : licet colligas ; nec veneno poto moriturum ; nec opio ſumpto dormiturum, nec elleboro accepto, quicquid in viſceribus hærebit ; eiecturum. Sed ſi tentantur pedes, lingua non conſtat ; quid eſt, quare illum exiſtimes in parte ſobrium eſſe, in parte ebrium ?* Diceres Lucretium eodem reſpexiſſe, cùm fœditatem, incommodáque ebrietatis ſic attigit :

Lib. 1. & 2. Lib. 15. cap. 2.

Lib. 7.

Lib. de plant. Noe.

Epiſt. 83.

Lib. 3.

——Cùm vini vis penetrauit,
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor ;
Conſequitur grauitas membrorum; præpediuntur
Crura vacillanti; tardeſcit lingua; madet mens;
Nant oculi; clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt, &c.

Non ad Rempublicam acceſſurum, neque Principatum geſturum ; niſi quid interuenerit.

¶. 27. οὐδὲ πολιτεύσεσθαι. Duo heic affinia Effata connecto ; & ad interpretationem addo, *niſi quid interuenerit*, authoritate Senecæ fretus, ex quo potuiſſet fortaſſis quoque in textum reſtitutio induci. Verba nempè illius ſunt ; *Duæ maximæ hac in re diſſident Sectæ, Epicureorum, & Stoicorum ; ſed vtraque ad otium diuerſâ viâ mittit. Epicurus ait : Non accedet ad Rempublicam Sapiens, niſi ſi quid impedierit ; alter otium ex propoſito petit ; alter ex cauſa.* Huinſcemodi interim exceptio Reſponſionis eſt loco ad id, quod poteſt obiici : De neglectu Patriæ, publicæve vtilitatis ; cùm ſi interuenerit tempus, quo Patria conſilio, opéque Sapientis indigeat, ille ſit ipſius ſaluti otium ſuum poſthabiturus. Quamobrem & corruunt quæ hoc etiam loco Epictetus exaggerat, ipſe præſertim ex ea Secta, cuius Principibus Zenoni, Cleanthi, Chryſippo, obiicit Plutarchus, quòd cùm Sapientem adhortarentur ad capeſſendum Rempublicam ipſi tamen fuerint laudatam Epicuro tranquillitatem ſequuti. Corruunt & quæ Cicero habet, dum commemorando, iuxta decreta Epicuri : *Omnia ſuâ cauſâ facere Sapienteis ; Rempublicam capeſſere hominem ſanum non oportere ; nihil eſſe præſtabilius otioſâ vitâ, & plenâ, & confertâ voluptatibus* ; ita ſubnotat, quaſi ſenſus ſit, *vaticinari, atque inſanire eos, qui dicant dignitati eſſe ſeruiendum ; Reipublicæ conſulendum ; officij rationem in omni vita, non commodi eſſe ducendam ; ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam.* Eodem ſpectat, quòd ad Trebatium ſcribens : *Quid fiet*, inquit, *populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris* (nempè cùm foret Epicureus) πολιτεύεσθαι *non oportere ?* Poſſet porrò heic alia quoque adhiberi Exceptio, quæ apud Plutarchum eſt, & à Stobæo etiam refertur. Quippe Epicuri ſententia fuiſſe legitur, οὐδ᾽ ἂν ἡσυχάζειν, ἀλλὰ τῇ φύσει χρῆσθαι πολιτευομένους, καὶ πράσσοντας τὰ κοινὰ τοὺς φιλοτίμους, καὶ φιλοδόξους, ὡς μᾶλλον ὑπ᾽ ἀπραγμοσύνης ταράττεσθαι, καὶ κακοῦσθαι πεφυκότας, ἂν ὧν ὀρέγονται, μὴ τυγχάνωσιν. *Iis, qui ſuapte natura ambitioſi, gloriæque appetentes ſunt, non eſſe quieſcendum, ſed publicæ adminiſtrationi, actuoſæque vitæ ſe dedentibus naturæ obſequendum: ſcilicet, cùm ſint ita comparati, vt ex otioſa potiùs vita perturbationem, & moleſtiam, dum quod concupiſcunt, non aſſequuntur, trahant.* Quod quidem cum eo cohæret, quod Theodorus Prodromus ait ſtatuere Epicurum, ἀγαθὸν ἑκάστῳ τὴν ἡδονήν, *bonum cuiuſque eſſe voluptatem.* An autem propterea vocet Epicurus ad Rempublicam illos potiùs, qui non poſſunt quieſcere, quàm illos, qui poſſunt regere præclarè, vt ille quidem obiicit, non eſt agnitu operoſum. Siquidem nihil aliud voluit Epicurus, quàm eſſe quidem Philoſophicum otium negotioſæ vitæ, cæteris paribus, præferendum : Verùm, ſi quis vrgeri ſe gloriæ quaſi ſtimulo ſentiat, ac aliunde actuoſus ſit, publiciſque rebus gerendis idoneus, inſuper verò aut naſcendi conditio, aut ſors, & occaſio ianuam facilem ad publicæ rei adminiſtrationem aperiat ; eſſe cur is vitam præferat actuoſam: quatenus obſeruare licet, non eſſe minùs laborioſum natis ad negotium verſari in otio, quàm natis ad otium verſari in negotio. Porrò, ſi quis aut ſuâ naturâ ad otium comparatus ſit, aut ambitionem, vanitatémque vi rationis repreſſerit, aut quid id ſit rei expertus, quaſi ex procellis emerſerit ; meritò cenſet Epicurus eſſe illi otium longè præſtabilius ; neque eſſe congruum, vt illud cum vita actuoſa commutet ; niſi quid fortè interueniat ex parte Reipublicæ, quod eius induſtriam depoſcat.

De ot. Sap. c. 30.

In pag. 79.

Ap. Arrian. l. 3. cap. 7.

De Stoï. repug.

Orat. pro Sext.

De An. tranq. Serm. 29.

In Amar.

Ac nemini quidem non notum, quàm mul-

ta

In pag. 79. ta poſſent hoc loco dici de beata illa tranquillitate, qua frui in ſeceſſu philoſophico, ſiue Philoſophiæ quaſi ſinu licet; déque ærumnoſa agitatione, quâ in ipſo veluti ſalo negotiorum ciuilium diuexari neceſſe eſt; ſed volens prætereo, adnotóque ſolùm videri Epicurum tantò ſentire, quàm Zenonem præſtantiùs, quantò ipſe quidem per ſe ac ſponte otium eligit, Zeno autem ad illud, niſi ex accidenti, & quia à negotio arcetur, non tendit; vt taceam videri animi modeſtiam à Republica abſtinere, ad quam neceſſitas non vocet; animi autem præſumptionem in eam ſe vltrò ingerere, etiam cùm nihil eſt, quod obſtet. Et Cap. 31. vide quid etiam Seneca hac de re. *Negant*, inquit, *noſtri ſapientem ad quamlibet Rempublicam acceſſurum. Quid autem intereſt, quomodo ſapiens ad otium veniat? Vtrùm quia Reſpublica illi deeſt, an quia ipſe Reipublicæ. Si omnibus defutura Reſpublica eſt (ſemper autem deerit faſtidioſè quærentibus) interrogo, ad quam Rempublicam ſapiens acceſſurus ſit? Ad Athenienſium, in qua Socrates damnatur; Ariſtoteles, ne damnaretur, fugit? in qua opprimit inuidia virtutes? Negabis mihi acceſſurum ad hanc Rempublicam Sapientem. Ad Carthaginienſium ergo Rempublicam ſapiens accedet, in qua aſſidua ſeditio, & optimo cuique infeſta libertas eſt, ſumma æqui, ac boni vilitas, aduerſus hoſteis inhumana crudelitas, etiam aduerſus ſuos hoſtilitas? Et hanc fugiet. Si percenſere ſingulas voluero, nullam inueniam, quæ ſapientem, aut quam ſapiens pati poſſit. Quod ſi non inuenitur illa Reſpublica quam nobis fingimus, incipit omnibus eſſe otium neceſſarium; quia quod vnum præferri* Cap. 30. *poterat otio, nuſquam eſt.* Cùm id verò habeat aduerſus Zenonem, En, cætera inter, quid pro Epicuro: *Poteſt ergo & ille, cui omnia adhuc in integro ſunt, antequam vllas experiatur tempeſtates, in tuto ſubſiſtere, & protinus commendare ſe bonis artibus, & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam à quietiſſimis poſſunt, &c.* Prætereo autem, vt ſubinde peregregiè amplificet, quod Anaxagoras inſinuauit, qui cùm receſſiſſet, & neglectis publicis rebus, in rerum naturalium contemplatione verſaretur, obiiciente quodam *nulla ne tibi patria eſt cura? Bona verba*, inquit, *mihi enim vel maximè patria eſt cura:* cœlum oſtendens, quod quidem apud Laërtium eſt. Addo ſolùm, quod poſteà habet, vt oſtendat agere Sapientem etiam in ſeceſſu ſuas in Republica parteis. *Nam, quo animo*, inquit, *ſapiens ſecedit? Vt ſciat ſe tùm quoque ea acturum, per quæ poſteris proſit. Nos certè ſumus, qui dicimus & Zenonem, & Chryſippum maiora egiſſe, quàm ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non vni ciuitati, ſed toti humano generi tulerunt. Quid ergo eſt, quare tale otium non conueniat bono viro, per quod futura ſæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt?* Quem in ſenſum Lucretius quoque docet Epicurum longè vtiliora, quàm Cererem, Bachum, Herculem generi humano feciſſe, cùm

——Talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit, Effata de Sapiente variis. Lib. 5.
Ex quo nunc etiam per magnas dedita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

Non Cynico ritu victurum, neque mendicando vitam quæſiturum.

℣. 30. οὐδὲ κυνιεῖν. Heic duo quoque, tanquam ad idem attinentia Effata connecto. Interpretor autem, *non Cynico ritu victurum*, inductus illo Ciceronis loco, *Cynicorum autem rationem, atque vitam alij cadere in Sapientem dicunt, ſi quis eiuſmodi fortè caſus inciderit, vt id faciendum ſit; alij nullo modo.* 3. De fin. Nam ſi Stoïcorum fuit dogma, Κυνιεῖν τὸν σοφὸν, itemque τὸν κυνισμὸν εἶναι ἐπὶ ἀρετὴν ὁδόν, *Cynicam viuendi rationem rectiſſimam eſſe ad virtutem viam:* (vti apud Laërtium eſt) & aliqui tamen Stoicorum (de iis enim Cicero loquitur) adſtipulati minimè ſunt; videtur profectò, debuiſſe adhuc minùs Epicuro placere ea, quæ dicta eſt ἀναισχυντία κυνικὴ, *Cynica inuerecundia*. Sanè verò cùm Cyniſmus nihil aliud ſit, quàm ratio viuendi, cuiuſmodi eſt aliorum animalium nullis legibus addictorum; non eſt ille quidem ex ſe, atque abſolutè damnandus, prout eſt ſecundum naturam, ac homines poteſt innumeris curis, quibus in ciuili ſocietate diſcruciantur, eximere; Verùm poſitis, vt ſe habent, rebus, & natis, ac viuentibus in ea hominum ſocietate, quam ſeruari incolumem ſingulorum intereſt, neceſſe eſt (ac poteſt etiam ſecundum naturam cenſeri) quemque in illa ſic viuere, vt eius leges non offendat, bonúmque adſciſcens, non accerſat malum. Sunt autem in omni ferè ſocietate, præter leges cæteras, etiam nonnullæ ad honeſtatem, ſiue decorum attinentes, quas ſi violare cuique impudenter, impunéque licuerit, rerum perturbatio breui conſequatur. Huiuſcemodi præ cæteris ſunt quæ ad Venereorum tractationem ſpectant; quippe cùm mira illicò labefactatio futura ſit, ſi ea paſſim liceant, quæ paria, niſi etiam peiora, belluis, Crates, Diogeneſque in propatulo, inuerecundéque egerunt. Nihil ergo mirum, ſi Epicurus huiuſmodi mores alienos à Sapiente cenſuerit.

Ad poſteriorem partem, quæ eſt de mendicitate, quod ſpectat, non improbauit quidem Epicurus, prandere patienter olus Cynicos, ac ideò nolle Regibus vti; quippe cùm & ex aliàs dictis, & ex infrà fuſiùs dicendis, nihil æquè probauerit, ac ſimplicem, tenuem, facilè parabilem victum: At cùm paruum ſit, quo id conſtat, noluit ſapientem eò demitti, vt mendicando illud requirat, ſicque ipſi obiici poſſit,

——Tu poſcis vilia; verùm es Horat. 1. Epiſt. 17.
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem.

Verùm ſi fortuna adeò ſit iniqua, vt illud ipſi

non

Effata de Sapiente varia. non ſuppetat; cenſuit id eſſe potiùs propriâ induſtriâ comparandum, & profitendo quidem ſapientiam (ne deſinat, etiam donec neceſſaria apparabit, philoſophari) quemadmodum proprio effato dicetur aliquantò pòſt.

Tametſi fuerit oculis captus, fore nihilominùs adhuc beatæ vitæ participem.

PAG. 80 ℣. 1. ἀλλὰ κἂν πηρωθεὶς τὰς ὄψεις. Præmitto ſtatim voci βίου vocem εὐδαίμονος, tùm quia alioquin dicere eum, qui fuerit oculis captus, fore ſimpliciter participem vitæ, videri poteſt ridiculum; quaſi cenſeri idem poſſet, cæcum eſſe, & mortuum eſſe; tùm quia, cùm id ſit conſentaneum ſuperiori illi Effato, Κἂν στρεβλωθῇ, &c. B. Clemens Alexandrinus vtrumque ex Platone Effatum huiuſmodi cum voce refert. (4 Strom.) Κἂν στρεβλῶται, inquit, ὁ δίκαιος, καὶ ἐξορύττηται τὼ ὀφθαλμώ, ὅτι εὐδαίμων ἔσται. *Iuſtus, licet torqueatur, licet effodiantur illi oculi; beatus nihilominùs erit.* Videtur proinde Epicurus eo loquutus ſenſu, quem exprimit Seneca, dum etiam pro ipſo Epicuro diſputans aduerſus Stilponem, qui fuit ex Megaricis (Epiſt. 9.): *Hoc inter nos*, inquit, *& illos intereſt, Noſter Sapiens vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit; illorum, ne ſentit quidem. Illud nobis cum illis commune eſt, Sapientem ſe ipſo eſſe contentum; ſed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & contubernalem, quamuis ſibi ipſe ſufficiat. Vide, quàm ſit contentus? Aliquando ſui parte contentus eſt. Si illi manum aut morbus, aut hoſtis inciderit; Si quis oculum caſus excuſſerit; reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient: & erit imminuto corpore tam lætus, quàm integro fuit.* Verùm rem expreſſiùs audire ex ipſo Cicerone licet (5 Tuſc.): *Non ſine cauſa igitur*, inquit, *Epicurus auſus eſt dicere ſemper in pluribus bonis eſſe Sapientem, quia ſemper ſit in voluptatibus; ex quo effici putat ille, quod quærimus, vt ſapiens ſemper beatus ſit. Etiam-ne, ſi ſenſibus carebit oculorum, ſi aurium? Etiam: nam iſta ipſa contemnit. Primùm enim horribilis iſta cæcitas, quibus tandem caret voluptatibus?* Et ſtatim: *Animo autem multis modis, variiſque delectari licet, etiam ſi non adhibeatur adſpectus. Loquor autem de docto homine, & erudito, cui viuere eſt cogitare. Sapientis enim cogitatio non fermè ad inueſtigandum adhibet oculos aduocatos. Etenim ſi nox non adimit vitam beatam; cur dies nocti ſimilis adimat?* Et aliquot aliis exemplis propoſitis: *Diodorus Stoïcus cæcus multos annos noſtræ domi vixit. Is verò, quòd credibile vix eſſet, cùm in Philoſophia multò etiam magis aſſiduè, quàm antè verſaretur, & cùm fidibus Pythagoreorum more vteretur; cúmque ei libri noctes, & dies legerentur; quibus in ſtudiis oculis non egebat; tamen, quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò, quámque lineam ſcriberent. Aſclepiadem ferunt non ignobilem Eretrium Philoſophum, cùm quidam quæreret, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe, vt puero vno eſſet comitatior.* (In pag. 80.) Et mox: *Democritus, luminibus amiſſis, alba ſcilicet, & atra diſcernere non poterat: at verò bona, mala; æqua, iniqua; honeſta, turpia; vtilia, inutilia; magna, parua, poterat; & ſine varietate colorum licebat viuere beatè; ſine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adſpectu oculorum arbitrabatur; & cùm alij ſæpè, quod eſſet ante pedes, non viderent ille in infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate conſiſteret.*

Fieri poſſe, vt mœreat: itémque, vt in ius vocetur.

℣. 4. Καὶ λυπηθήσεσθαι. Videtur Primus Interpres legiſſe μὴ λυπηθήσεσθαι, quandò locum reddidit: *Mœrore item non conficiendum Sapientem.* Verùm omnes tam MSS. quam editi Codices nullam præferunt negationem. Ac ſi ſenſus quidem neceſſariò is fieret, vt intelligeremus Sapientem confectum, conſumptúmve iri mœrore; foret locus planè ſuſpectus, propter mox, & antè allata de beatitudine etiam in cæcitate, tormentiſque non amiſſa; at quia poteſt talis eſſe, vt intelligamus futurum, vt Sapiens moleſtiam, dolorémve ſentiat, ex quo etiam gemat, ſuſpiriaque ducat, & effundat lacrymas (quod ne Seneca quidem prohibet, dum: *Nunquam ergo*, inquit, *à te, ne ex toto mœreas, exigam*) ideò non eſt viſa adſciſcenda negatio. (Conſol. ad Polyb. cap. vlt.) Certè & videtur hoc Effatum prolatum fuiſſe aduerſus ipſam Stoïcorum ἀπάθειαν (Epiſt. 9.) quam, quia vox *impatientia*, vel adnotante Seneca, eſt ambigua, *impaſſibilitatem* liceat dicere, ſicut ex Plutarcho intelligi licet. Scribit nimirum Epicureos (1. Adu. Col.) *repugnare iis, qui in amicorum morte prohibent mœrorem, lacrymas, & ſuſpiria, ac gemitus, & dicere*: τὴν εἰς τὸ ἀπαθὲς καθεστῶσαν ἀλυπίαν ὑφ᾽ ἑτέρου κακοῦ μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος, καὶ δοξοκοπίας ἀκράτου, καὶ λύσσης. Διὸ πάσχειν τι βέλτιον εἶναι, καὶ λυπεῖσθαι, καὶ μὴ ἐκλιπαίνειν τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ τήκεσθαι, καὶ ὅσα δὴ παθαινόμενοι, καὶ γράφοντες ὑγροί τινες εἶναι, καὶ φιλικοὶ δοκοῦσι. *Illam mœroris detractionem, quæ Paſſionis expertem reddat, ab alio maiore malo proficiſci, immanitatè ſcilicet, ac immoderata ambitione, & rabie. Itaque præſtabilius eſſe, paſſionem quandam experiri, mœrore quopiam affici, oculos non pati turgere, ſed in lacrymas fluere, & quæcumque ij patiuntur, aut fingunt, qui affectu tenero eſſe, amanteſque videri volunt.* Et quoniam ſubiicit Plutarchus dicere Epicurum iſta, cùm aliis multis in locis, tùm ſpeciatim in Conſolatione, quam ad Hegeſianactem patrem, & Doſitheum fratrem Pyrrhonis demortui conſcripſit; reſpexiſſe huc credas Senecam, dum Conſolationem ad Polybium ſcribens, & Stoïcis ſuis repugnans, verbis iam ex ipſo recitatis, ſubdit (Loc. cit.): *Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis, quàm fortis prudentiæ viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem. Hi verò videntur nunquam in huiuſmodi caſum incidiſſe: alioquin excuſſiſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem eos veri, etiam inuitos, compuliſſet. Satis præſtiterit ratio,*

ſi

Digitized by Google

In pag. 8c. *ſi id vnum ex dolore, quod & ſupereſt, & abundat, exciderit. Nam, vt quidem nullum omnino eum eſſe patiatur, nec ſperandum vlli, nec concupiſcendum eſt. Hunc potiùs modum ſerues, qui nec impietatem imitetur, nec inſaniam; & nos in eo teneat habitu, qui & piæ mentis eſt, nec emota. Fluant lacrymæ, ſed eædem deſinant; trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur.* Lib 7. cap. 39. Lib. 12. cap 5. *Sic rege animum tuum*, &c. Credas & aliunde exemplum illius *immanitatis, feritatisve*, ſiue vt Plinius loquitur, *rigoris, atque toruitatis duræ, & inflexibilis*, expreſſum in eo Stoico, quem Agellius ſe vnà cum Philoſopho Tauro, & quibuſdam aliis inuiſiſſe laborantem, ſcripſit. *Vidimus*, inquit, *hominem doloribus, cruciatibúſque allabi, quod Græci κῶλον dicunt, & febri ſimul adrapidà afflictari, gemituſque ex eo compreſſos erumpere, ſpiritúſque, & anhelitus è pectore eius euadere, non dolorem magis indicantes, quàm pugnam aduerſus dolorem.* Et poſteà: *Vidiſtis, inquit Taurus, non ſanè iucundum ſpectaculum, ſed cognitu tamen vtile; congredienteis, compugnanteiſque Philoſophum, & dolorem. Faciebat vis illa & natura morbi, quod erat ſuum, diſtractionem, cruciatúmque membrorum; faciebat autem contrà ratio, & natura animi, quod erat æquè ſuum; Perpetiebatur, & cohibebat, coërcebátque intra ſeſe violentias effrænati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras edebat; ſigna tamen quadam, ſicut vidiſtis, exſiſtebant virtutis, & corporis de poſſeſſione hominis pugnantium.* Nempe, ſi adfuiſſet Epicurus, eſſe præſtabilius duxiſſet, ſinere illos gemitus, ſpiritus, & anhelitus, ſponte quaſi effluere, quàm præ ambitione, cupiditatéve teſtandæ conſtantiæ illos ita comprimere, vt tandem tamen maiore cum noxa torrentis inſtar erumperent.

Cùm Epicurus verò hoc loco illam Stoïcorum ἀπάθειαν, *impaſſibilitatem*, ſeu mauis, *affectuum vacuitatem* improbet; conſtat ipſum eadem ſentire cum Pythagora (aut Pythagoreis certè, qui apud Stobæum) itémque Platone, Ariſtotele, cæteris, qui non ἀπάθειαν, ſed μετριοπάθειαν, *temperationem affectuum* probarunt. Cæterùm, ne aliunde quoque ipſis Stoicis inuidia quæratur, videntur illi à ſuo Paradoxo excluſiſſe eas perpeſſiones corporis, quæ ab arbitratu nullatenus pendent, cuiuſmodi imprimis eſt cruciatus, dolórque ex morbo, vt colligi poteſt ex iis, quæ Taurus Loc. cit. apud Agellium poſteà diſſeruit; comprehendiſſe autem dumtaxat affectus, qui in ipſo animo ſint, vt lætitiam, mœrorem, ſpem, metum, cupiditatem, iram. Quin-etiam, non negarunt quidem, quin primi horum affectuum motus ſuborirentur in nobis; ſed eſſe illus ex Seneca, & Epicteto inuoluntarios, 2. De Ira. neque dici propriè affectus, quovſque ſint 3. Arr. συγκαταθέσεις, *mentis aſſenſiones*, ſeu *approbatio-* lib. 1. c. 19 *nes*; hoc eſt, ex iudicio, opinione, arbitratu fiant. Hoc itaque ſuppoſito, diſſidium inter Stoïcos, Philoſophóſque cæteros fuit, quod illi in totum reſcindi, abſoluique affectus voluerint, cæteri autem temperari ſeu ad mediocritaté reduci. Ecce nimirum Cicero, *Cùm*, inquit, Iſſa. p. de Sapiente varia. *antiqui perturbationem animi ex homine non tollerent, naturáque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent; Zeno omnibus his quaſi morbis voluit carere ſapientem.* 1. Acad. Pergit verò: *Cùmque eas perturbationes antiqui naturaleis dicerent, & rationis experteis, aliáque in parte animi Cupiditatem, in alia Rationem collocarent; ne his quidem aſſentiebatur: nam & perturbationes voluntarias eſſe putabat, opinioniſque iudicio ſuſcipi, & omnium perturbationum arbitratur eſſe matrem immoderatam quandam intemperantiam.* Quo ex loco intelligi licet, Stoicos ideò exiſtimaſſe poſſe in totum reſcindi affectus, quòd forent τῷ ἡγεμονικῷ, *in parte animi principe*, ſiue rationali, ſicque à rationis arbitrio penderent, nihil ſcilicet exiſtentes aliud, quàm iudicia, & opiniones quemadmodum illos ſuperiùs definienteis audiuimus; cæteros autem reputaſſe non poſſe ex toto, quia forent in parte bruta animæ, eſſéntque adeò incompoſiti motus, quos Ratio quidem regere, an non omnino tollere, néve prorſus eſſent, poſſet obſtare. Iſthæc habet fuſè Plutarchus, oſtendens tum Lib. de virtute mo- ral. reuerâ eſſe duas animæ noſtræ parteis, & affectus in alia, quàm Rationali ſedem habere; tum neque poſſe fieri, neque è re etiam noſtra eſſe, vt affectus planè, prorſúmque aboleantur. Vt prætercam autem, quod ille attribuit quoque Epicuro, vt τὸ ἡγεμονικὸν ἀπαθὲς, *partem animi* 1. Plac 23 *principē affectuum expertem* autumauerit. Quod ſupereſt, referre præſtat, quod apud Cicero- 5. Tuſc. nem Crantor, dum, *Minimè*, inquit, *aſſentior iis, qui iſtam neſcio, quam indolentiam magnoperè laudant, quæ nec poteſt vlla eſſe, nec debet. Ne ægrotus ſim*, inquit, *ſed ſi fuerim, ſenſus adſit, ſiue ſecetur quid, ſiue auellatur à corpore; nam iſtud nihil dolere, non ſine magna mercede contingit; immanitatis in animo, & ſtuporis in corpore.* Quo loco vides notari eamdem, quæ ab Epicuro obiecta fuit, ὠμότητα, *immanitatem*: ſed vt ſubiiciam in eumdem ſenſum, quod apud Agellium Herodes Lib. 19. cap. 12. Atticus contra Stoicorum ἀπάθειαν diſſeruit, & laceſſitus quidem à quodam Stoïco, tanquam minùs ſapienter, & parùm viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amauerat. *In ea diſſertatione*, inquit Agellius, *huiuſcemodi ſenſus eſt: Quòd nullus vſquam homo, qui ſecundùm naturam ſentiret, & ſaperet, affectionibus iſtis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere, & vacare totis poſſet, & omnino non dolere. Atque, ſi poſſet etiam obniti, non ex re id eſſe melius; quoniam langueret animus, & torperet, affectionum quarumdam adminiculis, vt neceſſario plurimum imperio priuatus. Dicebat enim ſenſus iſtos, motuſque animi, qui cum immoderatiores ſunt, vitia fiunt, innexos, implicatoſque eſſe vigoribus quibuſdam mentium, & alacritatibus. Ac propterea ſi omnino omneis eos imperitiùs conuellamus, periculum eſſe, ne eis adhærenteis bonas quoque, & vtileis animi indoleis amittamus. Moderandos*

Effata de Sapiente varia. *eſſe igitur, & ſcitè conſideratéque purgandos cenſebat, vt ea tantum, quæ aliena ſunt, contráque naturam viderentur, & cum pernicie agnata ſunt, detrahantur; ne profectò id accidat, quod cuipiam Thracio inſipienti, & rudi in agro, quem emerat, procurando veniſſe vſu fabula eſt.* Tùm autem fabulam denarrat quæ trita cùm ſit, apponere præſtat, quod, diſſertationem quaſi excipiens, habet Lib. 6. cap. 15. Lactantius, dum poſtquam furioſos dixit Stoïcos, quòd hominem rebus à natura inſitis caſtrare quodammodo velint; ac tale hoc eſſe, quale ſi velint aut metum detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus, tùm ſubdit: *Sed homines Prudentes non intelligunt, cùm vitia ex homine tollunt, etiam ſe virtutem tollere, cui ſoli locum faciunt. Nam, ſi virtus eſt in medio iræ impetu ſeipſum cohibere, ac reprimere, quod negare non poſſunt; caret ergo virtute quiſquis ira caret. Si virtus eſt libidinem corporis continere; virtute careat neceſſe eſt, qui libidinem, quam temperet, non habet. Si virtus eſt cupiditatem ab alieni appetitione frenare: nullam certè virtutem poteſt habere, qui caret eo, ad quod cohibendum virtutis vſus adhibetur. Vbi ergo vitia non ſunt, nec virtuti quidem locus eſt: ſicut nec victoria quidem, vbi aduerſarius nullus eſt. Ita fit, vt bonum ſine malo eſſe in hac vita non poſſit. Affectus igitur quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſenteis ager, qui eſt naturâ fæcundus, exuberat; ſic animus incultus vitiis ſua ſponte inualeſcentibus velut ſpinis obducitur. Sed cùm verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.* Prætereo autem, quod deinceps præclarè oſtendit, Stoicos quoque eoſdem affectus ſub nominibus aliis admiſiſſe, vt cùm pro *cupiditate, ſubſtituere voluntatem, pro lætitia, gau-* Epiſt. 85. *dium; pro metu, cautionem.* Prætereo & quæ Seneca in oppoſitum congerit, adnotóque ſolùm Lib 2. adu. Pelag. 9. Cin. 5. ſanctos Patres, ac ſpeciatim B. Hieronymum declarare quemadmodum *non Stoicorum, ſed Peripateticorum ſententia omnis S. Scripturæ authoritas conſentiat*; & aliquos etiam, vt B. Auguſt. non tam mediocritatem, quàm circumſtantias in affectibus attendere: *Quippe in diſciplina noſtra, non quæri, vtrùm pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec vtrùm ſit triſtis, ſed vnde ſit triſtis, nec vtrùm timeat, ſed quid timeat, &c.* Sed hæc iam ſatis; cùm & ſint plura hac de re dicenda inferiùs.

Vt quidpiam nunc quoque ſubiiciam de Poſteriore Effati parte, quæ de in ius vocando eſt; eam ſolùm poſuiſſe Epicurus videtur, ne quis Sapienti verteret probro, niſi ita viueret, vt omnem inuidiam, calumniam, omnémque adeò accuſationem, damnationémque deuitaret. Etenim in Sapientis quidem poteſtate eſt, vt benè, & ex virtute viuat; ſed non, ne cæteros erga ſe malignos, iniuſtoſque expetiatur: néve ab ipſis præter fas, & æquum vocetur in ius, cauſamque apud iudices, etiam iniquos, dicere teneatur. Recens adhuc erat memoria damnati morte Socratis; ac recentior adhuc Ariſtotelis, ideò coacti aufugere, ne bis ab Athenienſibus in Philoſophiam peccaretur. In pag. 80. Quamquam nihil neceſſe eſt inductionem contexere; cùm ſit paſſim notum, quod Cicero 5. Tuſc. ait: *Hoc in omni Populo fieri*; hoc eſt, vulgò *omnem virtutis exſuperantiam odio haberi.* Ac verum quidem eſt homines ſic eſſe vulgò comparatos, vt quam virtutem incolumem oderint, ſublatam ex oculis quærant; ac damnent ipſos iudicès, & accuſatores ignominia multent: ſed vtcumque ſapiens oppreſſus id futurum proſpiciat; ſolatio tamen præcipuo eſt, quod fretus ſerena, tutáque conſcientia, & ad quemlibet, quantumvis iniquum fortunæ euentum paratus, ſit ſibi ipſi murus aheneus, ac in iudiciis animosè, imperturbatéque verſetur.

Conſcripturum quidem libros aliquos; non ſcripturum tamen, nec recitaturum panegyricas orationes.

℣. 7. Καὶ συγγράμματα καταλείψειν. Quòd priori huic parti, ſubiiciatur poſterior *οὐ πανηγυριεῖν δὲ*, cum particula aduerſatiua; ideò interpretor *non ſcripturum ſapientem panegyricas orationes*; addóque, *neque ipſum in ſolemni pompa eas recitaturum*, quòd orationum recitatio ſcriptioni conſentanea ſit; & Pollux præſertim τὸ πανηγυρίζειν definiat, τὸ πανηγυρικοὺς λόγους ἐξενέγκαι, καὶ πανδήμους λόγους εἰπεῖν. In Onö. Fuit certè iſtud conſonum non modò præmiſſo Effato, οὐ ῥητορεύσειν καλῶς, cùm nulla oratio eſſe magis compta, quàm panegyrica debeat; verùm ipſis quoque Epicuri moribus, iuxta illud aliàs relatum, quod ait apud Senecam: *Nunquam volui populo placere;* Epiſt. 29. *nam quæ ego ſcio non probat populus; quæ probat populus* (adde & quibus applaudere ſolet in panegyricis orationibus) *ego neſcio.* Atque id quidem ne memorem, quod idem habet Seneca; Epiſt. 79. cùm de Epicuro loquens: *Hic*, inquit, *ignotus ipſis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro ſuo ſuperſtes, in quadam Epiſtola, cùm amicitiam ſuam, & Metrodori grata commemoratione ceciniſſet, hoc nouiſſimè adiecit: Nihil ſibi, & Metrodoro inter bona tanta nocuiſſe, quòd ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolùm habuiſſet, ſed penè inauditos.* Quod ad rem verò ipſam ſpectat; cùm eſſe laudabile poſſit, conſcribi à Sapiente libros, in quibus, vt ex Seneca non multò antè retulimus, ea tradat, per quæ proſit poſteris; Quî poſſit tamen panegyricas, populareiſ-ve habere orationes, quin iure quadrare in ipſum cenſeatur, quod à nonnullis Sanctorum Patrum Philoſophis obiicitur, cùm defi- Tert. de An. c. 1. Hieron. Epiſt. ad Iulian. 2. Tuſc. niunt Philoſophum *gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.* Præclarè certè Cicero: *Eſt enim*, inquit, *Philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens; eique ipſi & ſuſpecta, & inuiſa; vt vel ſi quis vniuerſam velit vituperare, ſecundo id populo facere poſſit.*

Rei

Digitized by Google

In par. Xo, 2 *Rei familiaris curam habiturum; ſed citra diteſcendi cupiditatem tamen.*

ỳ. 9. Καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι. Coniunctionem adhibeo iuxta MSS. Et quaſi ſit phraſis præcedenti conſimilis, vice inſequentis vocis φιλαγγύσειν, cuius nulla commoda interpretatio haberi valeat; repono, οὐ φιλαργυρήσειν ἤ, quaſi hæc ſit cautio priori parti adhibita, ne in cura, ac prouidentia rei familiaris peccetur, vt & familiare, & procliue eſt. Aduerſatur certè huic exceſſui tùm illa, de qua inferiùs dicendum, αὐτάρκεια Epicuro laudata; tùm quod Ælianus, ac Stobæus habent, ſententiam Epicuri 4. Var. hist. lec. 37. eſſe, ᾧ ὀλίγον οὐκ ἱκανόν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν: *Cui pauca non ſufficiunt, illi nihil eſt ſatis.* Quod ſanè conſonat cum eo, quod Seneca ait dixiſſe Epi- Epist. 9. curum: *Si cui ſua non videntur ampliſſima; licet totius Mundi Dominus ſit, tamen miſer eſt.* Contendit porrò interim non eſſe Sapienti negligendam rem familiarem; quia id ſit è re, atque vſu vitæ; ne ſi nimirum peſſum eat, ac deinceps quæ ſunt ad vitam neceſſaria non ſuppetant, philoſophando obex fiat; dum aut laborioſè requirenda erunt, quæ potuerant nullo, exiguóve negotio ſeruari; aut mendicandum, petendumque importunè ex alio, quod quis potuerat ex ſeipſo facili ſtudio obtinere: aut ſeneſcendum, ægrotandum, moriendum ea in egeſtate, quæ tranquillitati non parum officiat. Quod enim Democritus, aliique laudantur, qui proieciſſe diuitias, vt onus, ac impedimentum ad philoſophandum dicuntur; Si illi quidem ſic abiecêre omneis omninò diuitias, vt etiam neceſſaria ad vitam non ſeruauerint, quî laudi verti ipſis poſſit, cùm, niſi amiſſam ſimul vitam voluerint, requirendum deinceps fuerit, quod ad manum habuerant, vt tranſigere ipſam poſſent? Sin neceſſaria retinuerunt; tùm commendari quidem poſſunt, quòd ſuperflua dimiſerint, & cum ipſis maximam partem ſollicitudinis depoſuerint; ſed nihilominus eius partis, quam ſeruatam ſibi fecerunt, non debuit cura negligi, ne eo fine, ob quem ſeruatam ſibi fecerant, fruſtrarentur. Et ſanè, cùm Democritus heic potiſſimùm memoretur, ille nihil aliud, quàm diuiſo ſuis cum fratribus patrimonio, maiorem illis partem conceſſit, ac minorem ſibi, eam videlicet quæ argento conſtaret, aſſumpſit, vt iis, quas ſuſcepturus erat peregrinationibus commodiorem, neque minorem centum talentis (totidémve noſtratium ſcutatorum millibus,) vt Laërtius quidem ex Demetrio refert. Ad id, quod poteſt iure requiri, debeat-ne ſapiens reiicere, abiicerève quas Fortuna ſibi opes obtulerit. Ecce loquens Plutarchus de Sapiente conuerſante cum Principe: *Diuitias*, inquit, *& gloriam, potentiámque non affectabit quidem; Sed neque etiam recuſabit, vbi vltro aduenerint, moderatione animi ſeruata.* Seneca autem: *Sicut ſapiens*, inquit, *nullum dena-* De vi. be. c. 23. *rium intra limen ſuum admittet malè intrantem; ita & magnas opes, munus fortunæ, fructumque virtutis non repudiabit, nec excludet.* Ac ſtatim: *Nec, vt dixi, eiiciet illas è domo. Quid enim dicet? Vtrum-ne inutiles eſtis; an ego vti diuitiis neſcio?* Effata de Sapientia varia. Dixerat autem priùs: *Quid autem dubij eſt, quin maior materia ſapienti viro ſit animum explicandi ſuum in diuitiis, quàm in paupertate; cùm in hac vnum genus virtutis ſit non inclinari, nec deprimi; in diuitiis & temperantia, & liberalitas; & diligentia, & diſpoſitio, & magnificentia campum habeat patentem.* Cap. 22. Et mox: *Quædam enim, etiam ſi in ſummam rei parua ſunt, vt & ſubduci ſine ruina principalis boni poſſint; adiiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, & ex virtute naſcentem. Sic illum afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantem ſecundus, & ferens ventus; vt dies bonus; vt in bruma, ac frigore apricus locus.* Paucis verò interpoſitis: *Quid ergo, inquis, me derides; cùm eundem apud te locum habeant, quem apud me? Vis ſcire, quàm non habeant eundem locum? Mihi diuitiæ ſi effluxerint, nihil auferent, niſi ſemetipſas; tu ſtupebis, & videberis tibi ſine te relictus, ſi illæ à te receſſerint. Apud me diuitiæ aliquem locum habent; apud te ſummum. Ad poſtremum, diuitiæ meæ ſunt; tu diuitiarum es.* Concludit: *Deſine ergo Philoſophis pecuniâ interdicere; nemo ſapientiam paupertate damnauit.*

Aduerſus Fortunam ſe comparaturum.

ỳ. 11. Τύχῃ τε ἀντιτάξεσθαι. Faciunt ad hoc Effatum varia, quæ Epicurus deinceps de Fortuna habet. Verùm ne quidpiam præoccupemus, obſeruo ſolùm non eſſe hoc inter munera Sapientiæ poſtremum, vt animum firmet aduerſus fortuita, dum præſtat ne aliquid ipſi accidat quaſi improuiſum, & de quo leniter ferendo non antè cogitauerit: Nempè, vt Socrates aiebat, non debet minùs vir Sapiens, Stob. ſerm. 3. donec proſpera eſt fortuna, comparare ſibi præſidia, quibus aduerſam fortiter ferat, quàm ſecundo nauigans vento inſtructus eſſe præſidiis, quibus tempeſtatem excipiat. Cùm proſit porrò cogitare quicquid ſiniſtri contingere pro vitæ conditione poteſt, orbitatem, naufragium, exilium, vulnera, tormenta, morbos, in gratitudinem, calumniam, contumeliam, cæteraque innumera; ac dicere poſſe quoties accidunt: Non hæc mihi noua inopinàve ſurgunt.

Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi. 6. Æn.

Tùm inſignis præſertim ratio præmuniendi ſe ſe aduerſus Fortunam eſſe ea videtur, quam ex Epicuro fusè deducit Seneca; in eo nimirùm ſe exercere, ac ſe eò ſponte reducere, quò vix vlla malignitas fortunæ deducere poſſit. Ita ſcilicet ad Lucilium: *Cæterùm adeò* Epist. 18. *mihi placet tentare animi tui firmitatem, vt ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam, interponas aliquot dies, quibus contentus minimo, ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte, dicas tibi; Hoc eſt, quod timebatur. In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe preparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media*

Effata de Sapiente varia. *pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſequuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati prope ad inopiam acceſſerunt, ne vnquam expaueſcerent, quod ſæpè didiciſſent.* Et ſtatim: *Tunc, mihi crede Lucili, exultabis, dupondio ſatur, & intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna; hoc enim, quod neceſſitati ſat eſt, debet, etiam irata.*

Amicum non difficilem quæſiturum.

ŷ. 12. φίλον τι οὐ δεινὸν κτήσεσθαι. Repono οὐ δεινὸν pro ἴδιον, quia quantum alioquin vox hæc Epicuri menti aduerſetur, tum paulò antè dicta de habenda amicis gratia; tum ſubiicienda paulò pòſt de comparatione amicitię, déque oppetenda etiam pro amicis morte; tum commemoranda inferiùs Rata illa ſententia ὧν ἡ σοφία, &c. tum improbata Epicuro apud Senecam Stilponis opinio, *Sapientem ſeipſo eſſe contentum, & propter hoc amicis non indigere*: tum multa alia, maximè verò πολυφιλία illa, quâ dum viueret, Epicurus floruit, declarant. Quamobrem autem pro ἴδιον, οὐ δεινὸν ſubſtituam, id facit, quòd & minima fiat immutatio, & videatur eodem potuiſſe Epicurus De tranq. cap. 7. reſpicere, quò Seneca, dum amici deligendi præcepta tradens, *Præcipuè*, inquit, *vitentur triſtes, & omnia deplorantes, quibus nulla non cauſa in querelas placet. Conſtet illi licet fides, & beneuolentia; tranquillitati tamen inimicus eſt* Lib. de amic. *comes perturbatus, & omnia gemens.* Quò ſpectat & illud M. Tullij, dum, *Simplicem*, inquit, *& communem, & conſentientem, & qui rebus iiſdem moueatur, eligi par eſt; quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum; neque verò, qui non iiſdem rebus moueatur, & naturâ conſentiat, aut fidus, aut ſtabilis poteſt eſſe.* Et rurſus: *Accedat huc ſuauitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ; triſtitia autem, & in omni re ſeueritas abſit. Habet illa quidem grauitatem; ſed in amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque procliuior.* Vno verbo præclarè Horatius poſtquam illud præmiſit.

1. Serm. Sat. 5.

Poſtera lux oritur multò gratiſſima; namque
Plotius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque
Occurrunt: animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit deuinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

Tum pergit,

Nil ego contulerim iucundo ſanus amico.

Bonæ famæ eatenus curam, quatenus deſpectui non ſit, habiturum.

ŷ. 13. Εὐδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοήσεσθαι. Quam Epicurus heic adhibet, non poteſt ea eſſe non inculpata, vt loquuntur, cautela. Quippe tametſi Epicurus non diffiteatur apud Plutarchum καὶ μὴν ἐκ δόξης γίνεσθαι τινὰς ἡδονάς, *etiam ex bona fama nonnullas voluptates proficiſci*; eſſe ſatis nihilominus putat, ſi quis modò ex ea obtineat, vt contemptui minimè ſit, propter moleſtias, quæ ex contemptu ob famam non bonam ſequuntur. Videlicet res paſſim nota, quàm ſit malè audire miſerum, quámque ex oppoſito melius ſit, vt à Sapiente dicitur, *nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*: Sed potuit Epicurus ſpeciatim meminiſſe, quod tunc peruulgatum erat contigiſſe calumniatoribus Socratis; eos ſcilicet, propter infamiam tanto exſtitiſſe odio, & contemptui, vt nemo illis ignem accenderet, nemo interrogantibus reſponderet, nemo eadem aqua vteretur in balneo, ſed eam qua lauiſſent, effundi, vt pollutam iuberet; adeò vt idcircò ſe ſuſpenderint, vt legere apud Plutarchum licet. Videri poteſt huc pertinere illud Metrodori conſilium, quod apud Stobæum ita legitur, Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀναστρέφου, μήτε ὡς κώνωψ. τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ καιροφυλακεῖται. *Sic in ciuitate verſare, vt neque leo ſis, neque culex: ſiquidem hic exteritur, illi autem inſidiæ tenduntur.* Nimirum, vt tutum non eſt, ob nimiam gloriæ appetentiam ſibi odium conſciſcere; ſic neque iucundum, propter nimiam famæ negligentiam quærere contemptum.

In pag. 80.

Lib. de inuid. & od. ſerm. 43.

In publicis ſpectaculis delectatum præ reliquis iri.

ŷ. 15. Μᾶλλον τε εὐφρανθήσεσθαι τῶν ἄλλων. Videri poteſt hoc Effatum ex libro, qui *Dubitationes* fuit inſcriptus, deſumptum. Plutarchus quippe ex eo refert deſcribi ab Epicuro Sapientem, φιλοθέωρον, καὶ χαίροντα, παρ' ὅντινα οὖν ἕτερον, ἀκροάμασι, καὶ θεάμασι Διονυσιακοῖς. *Spectaculorum amantem, & præ quovis alio recitationibus, actionibuſque ſcenicis gaudentem.* Quo loco nihil ſanè aliud videtur voluiſſe Epicurus, quàm poſſe Sapientem non auerſari ſpectacula (nam & Socratem interfuiſſe comœdiis vel ex eo factum celebre eſt, quòd etiam Ariſtophane Nebulas in ipſum edente præſens fuerit) ac dum intereſſe eum contigerit, percipi ab ipſo maiorem, ſinceriorémve oblectationem, quàm à quocumque alio, ob mentem benè compoſitam, eximiéque tranquillam, & ſanam. Atque id quidem ſupponendo eum eſſe germanum Epicuri textum; Nam ipſam alioquin relationem Plutarchi, & quam interpretationem ſubiungit, poteſt ſuſpectam facere, quòd aliquantò pòſt & refert, & interpretatur vltimùm conſcriptam ab Epicuro Epiſtolam, paulò ſecùs quàm tantus vir facere debuiſſe videatur, vt in Apologia declaratum eſt. Certè, niſi hic occurriſſet locus, cui videri poſſet Effatum conforme, nihil obſtiturum fortaſſis fuerat, quò minus Effatum intelligeretur non de exhibitis populo ſpectaculis, ſed de contemplatione rerum, propter

1. Aduerſ. Col.

In pag. 80. propter quàm Sapiens ſingulari oblectatione afficiarnr.

Eſſe Peccata inter ſe inæqualia reputaturum.

ỳ.17. *Ἁμαρτήματα ἄνισα εἶναι.* Opponi conſtat Effatum hoc Stoico illi Paradoxo, quod, cætera inter, Cicero præſertim fecit celebre, *ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα*, *Eſſe peccata æqualia.* Subnotauit verò Paradoxum hoc Alexander Epicnreus, dum apud Plutarchum iocatus in Pyrhagoricam opinionem, agnoſcentem vbique eaſdem animas, verſum illum extulit:

Ἶσον δὲ κυάμους ἔδειν, κεφαλάς τε τοκήων.

Nil diſtat, fabas comedas, capita an ne parentum.

Perſtrinxit idem magis expreſsè Horatins, dum poſtquam illud præmiſit:

Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant,
Cùm ventū ad verū eſt, ſenſus, moreſque repugnant,
Atque ipſa vtilitas, iuſti propè mater, & æqui.

1. Serm Satyr. 3. Subiecit iſta poſtmodùm.

Nec vincet ratio hoc, tantumdē vt peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Diuûm ſacra legerit. Adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne ſcuticâ dignum horribili ſectere flagello.
Nam vt ferulâ cædas meritùm grauiora ſubire
Verbera, non vereor; cùm dicas eſſe pares res
Furta latrociniis, & magnis parua mineris
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines.

Prætereo, quæ habet in idem Plutarchus, cùm de Stoicorum, ac potiſſimùm Chryſippi pugnantibus locis. Sufficit nimirùm ea attexere, quæ Cicero ediſſerit in Opere de Finibus, vbi ad ea reſpondet, quibus Paradoxum aliàs confirmarat. Itaque poſtquàm meminit ſuæ pro Muræna Orationis, in qua ex mente Stoicorum dixerat: *Omnia peccata eſſe paria, omne delictum ſcelus eſſe nefarium; nec minùs delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm qui patrem ſuffocauerit*, tum hæc ſubiungit: *Peccata paria, quonam modo? Quia nec honeſto quidquam honeſtius, nec turpi turpius. Perge porrò (nam de iſto magna diſſenſio eſt) illa argumenta propiora videamus, cur omnia peccata ſint paria.* Subinde autem quaſi obiectio eſt, *Vt in fidibus plurimis, ſi nulla earum ita contenta numeris ſit, vt concentum ſeruare poſſit, omnes æquè incontentæ ſint; ſic peccata, quia diſcrepant, æquè diſcrepant; Paria ſunt igitur.* Reſponſio: *Heic ambiguo ludimur. Æquè enim contingit omnibus fidibus, vt incontentæ ſint; illud non continuò, vt æquè incontentæ. Collatio igitur iſta te nihil iuuat; nec enim omneis auaritias, ſi æquè auaritias eſſe dixerimus, ſequitur etiam, vt æquas eſſe dicamus.* Supponit porrò Cicero eandem reſponſionem adhiberi poſſe ad collationem aliam, quâ vſus fuerat in Paradoxis: *Peccare* eſſe dicens, *tanquam tranſilire lineas; quod cùm feceris, culpa commiſſa ſit; quàm longè progrediare, cùm ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi* Lib. 7. *culpam nihil pertineat.* Quod idem eſt, ac illud apud Laërtium: *Vt Verum vero magis tale non eſt, aeque falſum falſo; ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato. Nam & qui centum ſtadiis à Canopo abeſt, & qui vno, pariter in Canopo non ſunt; ac pariter à recto abſunt, qui ſeu magnum quid, ſeu paruum delinquunt.* Nempe vno verbo aliud eſt à linea, aut Canopo abeſſe ſimpliciter, aliud abeſſe æqualiter. Et cùm vrgetur in Paradoxis, *Nemini licere peccare*; conſtat eſſe in quibus minus, minúſque, & minimùm liceat. Et dùm additur, ſic eſſe in vita, vt dum *hiſtrio, ſi parum ſe mouit extra numerum; aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba vnâ breuior, aut longior, exſibilatur, & exploditur*; conſtat hiſtrionem poſſe imperitiùs, imperitiúſque & ſe mouere, & verſum pronunciare; atque adeò magis, magiſque exſibilari, & explodi. Et cùm initio præmittitur, *peccata non rerum euentu, ſed vitiis hominum metienda*; conſtat eſſe quoque in vitiis, prauôque affectu inæqualitatem. Sed vt redeamus: obiectio iterùm eſt: *Vt Gubernator æquè peccat, ſi palearum nauem euertit, &, ſi auri; ita æquè peccat, qui parentem, & qui ſeruum iniuriâ verberat*: Reſponſio: *Hæc non videre, cuius generis onus nauis vehat ad gubernatoris artem nihil pertinere? Itaque aurum, paleámne portet, ad benè, aut ad malè gubernandum nihil intereſſe; at quid inter parentem, & ſeruum interſit, intelligi & poteſt, & debet. Ergo in gubernando, nihil; in officio, plurimùm intereſt, quo in genere peccetur. Et, ſi in ipſa gubernatione negligentia eſt, nauis euerſa maius eſt peccatum in auro, quàm in palea; omnibus enim artibus volumus attributam eſſe eam, quæ communis appellatur prudentia, quam omnes, qui cuique artificio præſunt, debent habere. Ita ne hoc modo quidem paria peccata ſunt.* Ac circa illud quidem exemplum de Parente, & ſeruo, exceptio eſt in Paradoxis: *Semel peccari in ſeruo necando; in patris vita violanda, multa peccari; violari enim eum, qui procreauit; eum qui aluit, eum, qui erudiuit; eum, qui in ſede, ac domo, atque in Repub. collocauit.* Sed conſtat hæc non modò ſimul, ſed & ſigillatim eſſe multò grauiora. Nam violari fac vitam eius, qui tantùm procrearit, eius qui tantùm aluerit, eius, qui tantùm erudierit, &c. quodlibet horum ſigillatim grauius eſt, quàm ſeruum necare. Obiectio eſt rursùs: *Quoniam omne peccatum imbecillitatis, & inconſtantiæ eſt; hæc autem vitia in omnibus ſtultis æquè magna ſunt; neceſſe eſt paria eſſe peccata.* Reſponſio: *Quaſi verò aut concedatur in omnibus ſtultis æquè magna eſſe vitia? & eadem imbecillitate, & inconſtantiâ L. Tubulum fuiſſe, quâ illum, cuius is condemnatus eſt rogatione, P. Scæuolam? & quaſi nihil inter res quoque ipſas, in quibus peccatur, interſit, vt quò hæ maiores, minoréſue ſint, eò, quæ peccentur in his rebus, aut maiora ſint, aut minora?* Prætermittit porrò Cicero illud argumentum, *Pares ſunt virtutes; ergo & paria vitia.* Sed fecit fortè quia peruidit nihil oportere aliud

Effata de Sapiente varia.

Lib. 4. Parad. 3.

Digitized by Google

Effata de Sanitate varia.

quam inficiari antecedens, de quo par controuerſia ſit, vt aliquantò pòſt attingetur.

Sanitatem, vt in quibuſdam bonum, ſic in aliis vt quid indifferens, agniturum.

℣. 18. Καὶ τὴν ὑγίειαν τισὶ μὲν ἀγαθόν. Sic quidem Laërtius Effatum hoc refert, quaſi duas eſſe Epicureorum de Sanitate opiniones innuat, alteram ſtatuentium eſſe quidpiam bonum, alteram exiſtimantium eſſe quidpiam indifferens. Verùm ſicut inſolens eſt, vt opinionum varietas inter Epicureos audiatur, quemadmodum apud Euſebium ex Numenio adnotatum eſt; ita videtur poriſſimùm circa Sanitatem improbabile; cùm Sanitas, ſiue is ſtatus, in quo nihil corpori dolet, altera ſummi boni pars ſit, vt fuſiùs poſteà referetur. Itaque aut res ſic eſt accipienda, vt hæc opinionum varietas Philoſophos vniuersè attineat, quaſi id adnotatum Epicurus voluerit, vt quidpiam admiratu dignum, cùm nemo mentis compos ſit, qui non ſanus eſſe, quàm æger præoptet; aut ſic eſt potiùs intelligenda, vt agnoſcere liceat homines ita viuere, vt cùm Sanitas quibuſdam ſit bonum, quatenus illâ benè vtuntur, nullúmque ex ea ſibi malum accerſunt; videri poſſit aliis eſſe quidpiam indifferens, quatenus ex eius abuſu grauia ſibi mala adeiſcunt. Priore modo videri poſſet Epicurus nihil aliud voluiſſe, quàm quod fuſiùs poſteà deduxit Sextus Empiricus, dum ſcripſit quoſdam exiſtimaſſe eſſe Sanitatem quid bonum, quoſdam eſſe quidpiam non bonum. Et ex prioribus quidem, alios habuiſſe illam tanquam bonorum maximum, vt Simonidem, vt Licymnum, vt Herophilum, qui in Diætetico dixerit ſapientiam non poſſe oſtendi, artem latere, imbelle eſſe robur, inutileis opes, eloquentiam viribus orbam, vbi non adeſt ſanitas; alios tanquam non-maximum, vt Peripateticos, Academicoſque, quos inter Crator, vt rem oſtenderet, vſus eſt hominis fictione, cui applaudat concio, primùm quidem ediſſerenti eſſe diuitias Bonorum maximum; deinde verò ediſſerenti eſſe ipſam potiùs voluptatem; tum eſſe potiùs ſanitatem; denique eſſe potiùs virtutem. Ex poſterioribus autem, fuiſſe Stoïcos, qui defenderint eſſe Sanitatem quid indifferens, quatenus neque ſanitas, neque morbus, neque omnia corporea, neque externa plurima quicquam aut ad felicitatem, aut ad infelicitatem conducunt; quaſi id indifferens ſit, quo benè licet vti, ac malè; tametſi aliunde voluerint ſanitatem eſſe ex iis indifferentibus, quæ προηγμένα, *Præpoſita*, non ἀποπροηγμένα, *Reiectanea* dixerunt: niſi quòd Ariſto Chius repugnans, declarauit eſſe aliquando in Reiectaneis quidem ſanitatem, in Præpoſitis verò morbum. Poſteriore modo videri poteſt Epicurus, nihil aliud voluiſſe, quàm quod iam antè Socrates apud Xenophontem diſſeruerat, cùm dicente Euthydemo ſe exiſtimare ſanitatem bonum, morbum malum eſſe; & quæcumque adeò ad ſanitatem conducunt, cibum, potum, ſtudia, cæteráque eſſe bona; quæcumque ad morbum mala; excepit Socrates: *Eſſe igitur ipſam quoque ſanitatem, ipſúmque morbum, cùm boni cuiuſpiam cauſa fiunt, bona; cùm mali cuiuſpiam cauſa fiunt, mala.* Rogante verò Euthydemo, Quandonam ſanitas cauſa mali, morbus boni effici poſſit: *Tum ſanè,* inquit, *cùm turpi exſiſtente militiâ, aut nauigatione damnoſâ, aut pluribus aliis huiuſcemodi occaſionibus, ii quidem qui fuerint illarum, ob bonam valetudinem, participes pereunt; qui verò ob inualetudinem ab iis abſtinuerint, incolumes manent.* Euthydemo autem annuente ad hoc quidem, ſed ſubiiciente tamen, eſſe quoque res vtileis, ſiue bona, quæ iſti ob valetudinem aſſequantur, illi non aſſequantur ob inualetudinem; *Cùm itaque*, inquit, *ſanitas, & morbus modò proſint, & modò obſint, non magis bona, quàm mala ſunt.*

14. De præpar.

Adu. Eth.

4. Memorab.

In pag. 80.

Fortitudinem, non quaſi naturâ, ſed quaſi rationis conſilio ingeneretur, habiturum.

℣. 20. Τὴν δὲ ἀνδρείαν φύσει μὴ γίνεσθαι. Aliud hoc Effato Epicurus nihil vult, quàm quod apud Platonem Nicias; dum, *Ego quidem,* inquit, *Laches nequaquam Forteis appello brutas animanteis, neque id nominis cuiquam tribuo, quod præ mentis penuria non reformidat res formidabileis; ſed Timoris expers, Stupidúmque appello. An putas me pueros forteis dicere, qui præ imperitia, rerum nihil timeant? Sed mea quidem ſententiâ, aliud eſt Timoris expers, aliud Forte eſſe; exiſtimóque Fortitudinem, & Prouidentiam in paucos quoſdam cadere; Audaciam verò, Ferocitatem, Temeritatémque quandam inconſultam in multis & viris, & mulieribus, & pueris, & brutis etiam animantibus reperiri. Itaque iſta, quæ tu Fortia ex vulgi vſa nominas, ego Audacia; Fortia verò eadem, quæ Prudentia appello.* Etſi autem Plato aliàs velit Fortitudinem eſſe partim à natura, partim à proba inſtitutione; non negat tamen Epicurus Fortitudinis ſemina eſſe à natura; ſed contendit ſolùm illa in Audaciam, Temeritatémque emergere, niſi λογισμῷ, *rationis conſilio*, regantur. Conſtat nempe, quod Socrates apud Xenophontem aiebat, vt naſcitur corpus corpore robuſtius perferendis laboribus; ita animam animâ adeundis periculis vegetiorem; cùm hic tamen vigor μαθήσει, καὶ μελέτῃ, *diſciplinâ, & ſtudio* incrementum accipiat; Reſpondebat nempe Socrates ad quæſtionem, ἡ ἀνδρεία πότερον εἴη, διδακτὸν, ἢ φυσικόν; *Fortitudóne à doctrina, an à natura haberetur?* idque cùm pleriſque placeret, quod Euripidi eſſe εὐανδρίαν διδακτόν, *Fortitudinem doctrinâ parari*; eſſéque adeò ἐπιστήμην, *Scientiam*, vt apud Platonem (& Ariſtotele etiam referente) Socrates cenſuit. Vno verbo, cùm Ariſtoteles eum Fortem definiat, *qui ea,*

In Lach.

In Prot.

3. Memorab.

Ap. Stob. ſerm. 1.

3. cap. 10. 3. Eth. 11.

qua

Digitized by Google

pag. 80 *qua oportet, & cuius cauſa oportet, & quomodo oportet, & quando oportet, καὶ ὡς ἂν ὁ λόγος, & pro rationis dictamine tolerat, & aggreditur*; idipſum eſt, quod Epicurus voluiſſe hoc Effato videtur.

Amicitiam ob vſus vitæ (vt dum ſpe prouentus Terra ſeritur) ſibi paraturum.

§. 23. Καὶ τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας. Lego conſequenter, εἶναι μὲν, καὶ παρασκευάζεσθαι, καθὰ καὶ, pro δεῖν μέντοι προκατάρχεσθαι, καὶ γάρ. Siquidem voces δεῖν μέντοι cohærere non poſſunt, niſi quid amplius præmittatur; & vt cohæreant cum verbo προκατάρχεσθαι, tum falſum erit amicitiam, ſi medium ſit, antecellere vſibus, qui habeant ipſi rationem finis; tum cauſalis ſequens καὶ γάρ, abſque cauſa erit, aliáque huiuſcemodi, quæ ſenſum aut turbant, aut prædurum faciunt.

Vtcumque ſit, locus hic eſt, ob quem Epicurus non parum vexatur; quandò nemo non reprehendit, Parari amicitiam, non ſui, ſed vtilitatis gratiâ; & amicos non propter ſeipſos, ſed propter vtilitatem ex ipſis percipiendam amari. Sed iſti nempe, qui videri amici præ cæteris volunt, ita rem exaggerant, quaſi id quod vtile dicitur, tale ſolùm ſit, vt parandis opibus, honoribus, aliiſque id genus rebus vſurpetur; & dici quoque tale non valeat, vt parandis oblectationibus, quibus vita iucundè tranſigatur, inſeruiat. An eſt certè ipſorum quiſquam, qui amicum parans, non eum ſaltem vſum ex amicitia fore proſpiciat, vt ipſius amici conuerſatione delectetur? vt ſuaue habeat omnia cum ipſo communicare conſilia? vt benè de ipſo merendi occaſionem arripiens amœnitate perfundatur? vt viſcera in eum effundens, & amari viciſſim ſe medullitùs ab illo ſentiens, beatiſſimè æuum traducat? Scilicet poteſt quidem Sapiens, qui & honores non affectet, & tenui victu contentus ſit, facilè carere amico, à quo, aut cuius interuentu, dignitates, opeſque obtineat; at cùm animal ſuapte natura ſocietatis appetens ſit, non perinde poteſt facilè carere amico, quicum omnia, vt ſecum, habeat, & in cuius dulciſſima conſuetudine æuum ducens, omne ſolitudinis tædium importunitatemque deuitet. Quod ſi, ne in hos quidem vſus parandam amicitiam ducant; ſi dicere pergant commercio haberi amicitiam, niſi omnino propter ſe, ſuive gratiâ expetatur; Quæſo illorum fidem, quid de ſeipſis ſentiant; hoc eſt, nihil-ne penitùs in ſeſe ipſos reſpiciant, & in paranda amicitia ne voluptatem quidem vllam cogitent, quam ex ipſa ſinceri amici poſſeſſione ſint percepturi? Et, ſi heinc quidem vel minima in amicum officia aut tollerentur, aut minuerentur, poſſet res verti vitio, ſed hoc tantum abeſt, vt potiùs officia multiplicentur, ac intendantur; quatenus voluptas eſt tanta, teſtatum amico facere affectum, & foris, ſeu opere ipſo eum amorem exprimere, quo intus præcordia exardeſcunt. Quinetiam inter ſe non pugnant, amare amicum propter ipſummet, ſeu quia per ſe amabilis eſt; & amare illum ſui gratiâ, ſeu quatenus amans gratè exinde afficitur; quoniam amicus ob proprias doteis eſſe non poteſt amabilis, quin ſit alicui amabilis, atque adeò quin ſit gratus, iucunduſque amico, qui ideò in ipſum amore feratur. Rursùs rem ſic exaggerant, quaſi Epicurus velit duntaxat Sapientem parare amicum, *vt habeat, qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vincula coniecto, & inopi* (quod exſtat apud Senecam) & non etiam, *vt habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſum circumuentum hoſtili cuſtodia liberet.* Et hoc ſanè tamen Epicurus quoque in deliciis habuit, fructumque amicitiæ ampliſſimum duxit; ac non tacente præſertim Plutarcho, τὸ ἐκθάρρημα, καὶ τὸ γῆθος, *alacritatem, gaudiumque* illud, quo Metrodoro, Polyæno, & Ariſtobulo tum morbo laborantibus, tum vitâ functis operam, officiumque impendit, vt iam antè notatum eſt. Quocirca & mirari ſubit Plutarchum ita aliàs interpretari Epicuri ſententiam, vt poſtquàm propoſuit eſſe in theatris admirationi illum qui dicit:

Effata de Sapiente varia.

Epiſt. 9.

1. Adu. Col.

De am. lib.

Mercede nam quis hominis hominem diligit?

excipiat; *iuxta Epicurum, Pater filium; Mater prolem; ipſi liberi ſuos parentes:* Conſtat nimirùm quàm inuidioſa conſequutione hoc deducatur: cùm ex tot illis in parentes amicoſque officiis intelligatur nullius minùs, quàm ipſius fuiſſe amorem mercenarium; & ex eo quòd ſibi tot, tamque conſtanteis amicos parauit, ac habuit, neminem meliùs intellexiſſe, ac proprio exemplo docere potuiſſe, quod Hecaton ait apud Senecam, dum, *Ego,* inquit, *tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine; Si vis amari, ama.* Epiſt. 9.

Ac obiici quidem heic poteſt commune illud Epicuro, cum pleriſque aliis Effatum, *Sapientem omnia ſui cauſâ facturum*; ſed cùm rursùs ſit de ipſo dicendum, tum hoc loco conſtat nihil aliud poſſe ex eo deduci, quàm Sapientem, dum amicum parat, non poſſe non reſpicere ad oblectationem, quam ex illius amicitia percepturus ſit. Certè & tametſi quis aduerſus illud, Cic. orat pro Sext.

Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos; Lucan.

miſerum amicum ſponte eligat; non tamen ſine aliquo tacito reſpectu ad ſe faciet, quatenus ſcilicet ſpes erit, vt res ſibi laudi vertatur, tanquam pleniſſima humanitatis; vt beneficentiam ſuauiſſimè exerceat in virum dignum experiri æquiorem fortunam; vt ſi illi res ſuccedant in meliùs, habiturus ſit amicum tantò obſtrictiorem; & niſi ſuccedant, agniturus ſaltem in eo ſit animum gratitudinis plenum. Prætermitti portò hoc loco non poteſt, quod præclarè habet Ariſtoteles, cùm de Amicitia diſputans, dubitari ait inter cætera, Vtrùm amare maximè ſeipſum, an alium

Digitized by Google

Effata de Sapiente varia. alium oporteat? Docet ſcilicet vnumquemque amare maximè ſeipſum, & tum ex hac in ſe amicitia dimanare amicitiam in alios; tum quadrare in ipſam, & ea omnia, quibus amicitia vulgò definitur; & trita illa prouer-
9. Eth. 8. bia, *Anima vna*, ſeu (vt Cicero habet, *Alter idem*) *Amicorum omnia communia*; *Amicitia æqualitas*, *Genu crure propius*: tum qui id negant eorum facta ab oratione diſcrepare. Nam cùm nonnulli maximi faciant pecuniam, honores, voluptates corporeas; alij honeſtatem, ſeu iuſtitiam, temperantiam, virtutes alias; ita omneis omnia ſui causâ facere, vt illi ſibi ex illis bonis, iſti ex iſtis ampliùs tribuant, vt putà in quibus habendis præcellere non nemini velint. Id quidem diſcriminis eſſe, quòd reprehendi priores ſoleant, ac opprobrij loco φίλαυτοι quaſi *ſui* nimiùm *amantes* vocentur, quippe quòd ferè improbi ſint, ſibique ipſis ſolùm proſint; poſteriores autem laudari, quod ſui ſic amantes ſint, vt ſimul viri boni ſint, & alios quam-maximè iuuent. Cæterùm autem bonos hos viros tantò eſſe reuerâ φιλαύτους μάλιστα, *amanteis ſui maximè*, quantò, cùm homo conſtet ex corpore, & animo, & animus ſit potior pars, cæteris illa amantibus, quæ ad deteriorem partem pertinent, ipſi illa depereunt, quibus potiori gratificentur. Heinc eſſe quamobrem pecuniam profundant, vnde amicorum res amplificentur; ſic enim amicis diuitias; ſibi id, quod eſt maius bonum, honeſtum quærunt: heinc honores quoque, & dignitates concedere, quia id ſibi decorum ſit; quin cedere etiam illuſtreis actiones, quia fieri amico authorem rerum agendarum, quàm agere ipſum, ſit plerumque præclarius. Atque ille quidem hæc fuſiùs, qui etiam declarat ſubinde, cùm quis pro amico moritur, idipſum facere ſui gratiâ, ac ſe quoque tunc amare, magiſquàm amicum: ſed res dicenda poſteriùs eſt. An addam heic illud, quod Cicero habet, dum illos reprehendens, qui gratum ſe facere mortuis, ſi eos grauiter lugeant, arbitrantur, exiſtimantes
3. Tusc. ſe faciliùs Diis immortalibus ſatisfacturos, ſi eorum plagâ perculſi, afflictos ſe, & ſtratos eſſe fateantur. *Sed hæc inter ſe*, inquit, *quàm repugnent plerique non vident: Laudant enim eos, qui æquo animo moriantur; qui alterius mortem æquo animo ferant, eos putant vituperandos: Quaſi fieri vllo modo poſſit, quod in amatorio ſermone dici ſolet, vt quiſquam plus alterum diligat, quàm ſe? Præclarum illud eſt, &, ſi quæris, rectum quoque, & verum, vt eos, qui nobis cariſſimi eſſe debeant, æquè ac noſmetipſos amemus; vt verò plus, fieri nullo pacto poteſt. Ne optandum quidem eſt in amicitia, vt me ille plus, quam ſe amet, ego illum pluſquam me. Perturbatio vitæ, ſi ita ſit, atque officiorum omnium conſequatur.*

Sed ne longum faciam, & ad Epicuri ſententiam vt redeam; heic opponere id ſufficiat; quod de ea apud Ciceronem à Torquato diſſeritur. Is itaque poſtquam propoſuit quam-multos, quam-magnos, quantâque amoris conſpiratione conſentienteis amicos Epicurus *In pag. 80.* tenuerit, ſubdit: *Tribus igitur modis eſſe à noſtris* *1. De fin.* *de Amicitia diſputatum. Alij enim cùm eas voluptates, quæ ad amicos pertinerent, negarent eſſe per ſeipſas tam expetendas, quàm noſtras expeteremus (quo loco videtur quibuſdam ſtabilitas amicitiæ vacillare) tuentur tamen eum locum, ſeque facilè, vt mihi videtur, expediunt. Vt enim virtutes, de quibus antè dictum eſt, ſic amicitiam negant à voluptate poſſe diſcedere. Nam cùm ſolitudo, & vita ſine amicis, inſidiarum, & metus plena ſit; ratio ipſa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus, & à ſpe pariendarum voluptatum ſeiungi non poteſt. Atque vt odia, inuidia, deſpicationes aduerſantur voluptatibus, ſic amicitiæ non modò fautrices fideliſſimæ, ſed etiam effectrices ſunt voluptatum tam amicis, quàm ſibi; quibus non ſolùm præſentibus fruuntur, ſed etiam ſpe eriguntur conſequentis, ac poſteri temporis. Quod quia nullo modo ſine amicitia firmam, & perpetuam iucunditatem vitæ tenere poſſumus; neque verò ipſam amicitiam tueri; niſi æquè amicos, & noſmetipſos diligamus; idcircò & hoc ipſum efficitur in amicitia, & amicitia cum voluptate connectitur; nam & lætamur amicorum lætitiâ, æquè ac noſtrâ, & pariter dolemus angoribus. Quocirca eodem modo Sapiens erit affectus erga amicum, quo in ſeipſum; quoſque labores propter ſuam voluptatem ſuſceperit, eoſdem ſuſcipiet propter amici voluptatem.* Et ſtatim: *Sunt autem quidam Epicurei timidiores paulò contra veſtra conuitia, ſed tamen ſatis acuti, qui verentur, ne ſi amicitiam propter noſtram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quaſi claudicare videatur. Itaque primos congreſſus, copulationeſque conſuetudinum, inſtituendarum amicitiarum, fieri propter voluptatem; cùm autem vſus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorere tantùm, vt etiam ſi nulla ſit vtilitas ex amicitia, tamen ipſi amici propter ſeipſos amentur. Etenim ſi loca, ſi fana, ſi vrbeis, ſi gymnaſia, ſi campum, ſi canes, ſi equos, ſi ludicra exercendi, aut venandi conſuetudine adamare ſolemus; quantò id in hominum conſuetudine faciliùs fieri poterit, & iuſtius?* Pergit: *Sunt autem, qui dicunt fœdus quoddam eſſe ſapientum, vt ne minùs amicos, quàm ſeipſos diligant; quod & fieri poſſe intelligimus, & ſæpè id videmus, & perſpicuum eſt, nihil ad iucundè viuendum reperiri poſſe, quod coniunctione tali ſit aptius.*

Felicitatem ſoli Deo ſummam; Homini eam competere quæ magis, ac minus recipiat, exiſtimaturum.

ỽ. 28. Τὴν εὐδαιμονίαν διχῆ νοεῖσθαι: Addo, legóque ſtatim pòſt, καὶ ἄνεσιν, &c. ad vſque προσθήκην, pro οὐκ ἔχουσαν καὶ τὴν. Videlicet, vt prius membrum cum poſteriore congrueret, addendum fuit, καὶ ἄνεσιν, & vt poſterius cum priore, cætera fuêre interiicienda. Meminimus iam huiuſce Effati, cùm de beatitudine in tormentis.

In pag. 80. mentis. Proponitur antem, vt homo tenet in ſeſe deſcendere; ne cùm Felicitas definitur, vt ſolet vulgò fieri: *Secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio*; vel etiam: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, aut alio modo conſimili; præſumat, donec vitam hanc viuit, poſſe ſe huiuſcemodi felicitatem aſſequi, quippe quæ ſoli Deo competat, aut cuius certè non poſſimus participes euadere, niſi in vita alia, quæ nos poſt hanc mortalem maneat, vt nos equidem profitemur. Quippe, iuxta iam memorata, Effati verba non allò tendunt, quàm vt intelligamus, nullam eſſe inter homines felicitatem, quæ valeat, pluſquàm comparatè, felicitas dici; hoc eſt, cùm nulla, quæ abſolutè ſeu qualis deſcripta mox eſt, ipſis competat; contingere ſolùm, vt, cùm omnes homines aliqua ratione infelices ſint (affecti nempè quibuſdam malis, aut priuati quibuſdam bonis) ſed hi quidem plus, illi verò minùs; hi iſto, illi alio modo; felices tamen illi dicantur, qui minùs infelices ſunt; & illi omnium feliciſſimi, in qnibns eſt minimùm infelicitatis. At dices, quónam ergo euadent magnificæ illæ, quibus ſe efferre Philoſophi ſolent, Pollicitationes? Scilicet, quæ modum excedunt, vt inanes ſunt, ſic fumus euadent; quæ non excedunt, ampliùs aut minùs, provt varietas circumſtantiarum erit, conſtabunt. Homines enim vtplurimùm qui qualeſque ſint non agnoſcunt; & vanitati, ambitionique inexplebili connutriti, deberi ſibi felicitatem, non cuius pro naturæ ſuæ conditione capaces ſint, ſed qualem ſomniant, qualemque optarent ſibi obtingere, opinantur. Non nôrunt, quàm curta ſibi ſit ſupellex, & non cogitantes ſe humi affixos, videntur ſibi ipſis caput inter ſidera condere, ac mortalitatis obliti, vno ſe Ioue minores ducunt, immò & dignos reputant, qui ex pari cum illo viuant. At qui bona fide ſecum ipſis agant, ij aduertunt primùm, quàm ſit imbecilla humanæ naturæ conditio; quantæ malorum ſegeti ab exortu vſque ad mortem obnoxia, ac tùm felicitati vertunt, ſi in eo ſtatu viuere liceat, non qui bonorum omnium, ſed qui aliquorum complexio ſit; & à quo mala non omnia, ſed quàm mnlta, & magna licet, ſecernantnr. Nimirùm Sapientiam eò non euehunt, vt nos ab omni eximat malo, omni bono nos cumulet; vt omnem proinde miſeriam expellat, felicitatem omnem inducat; ſed multùm præſtare eam putant, ſi cùm omnes miſeri ſint, quam minimùm miſeros reddat; & cùm, quò minùs quis eſt miſer, eò habeatur felicior; inter eos, qui felices ſunt, feliciſſimos omnium faciat.

Cic. 5. Tuſc. Boet. lib. 3. proſ. 2.

Imagines, ſi quas habuerit, in porticibus, alibive indifferenter collocaturum.

Effata de Sapiente varia.

℣. 5. Εἰκόνας τε ἀναθήσειν, εἰ ἔχοι. Quod ſequitur ſtatim, ἐν σοαῖς repoſitum eſt pro ἂν χοιε, ex quo profectò nihil ſenſus elicias. Eò verò ſolùm tendit Effatum, vt intelligamus non fore præter decorum ſapientiæ, erigere, appendere, habere adeò imagines in propatulo collocatas. Sic legimus certè Ariſtotelem teſtamento mandaſſe Imagines varias, vt Nicanoris, Proxeni, Arimneſti, Matris ſuæ, & matris Nicanoris, quas fieri curârat, neque perfectæ adhuc erant, ἀναθεῖναι, *appendi*. Sic & Theophraſtum poſteà iuſſiſſe Ariſtotelis ipſius imaginem ſtatui in ſacello, & Lyconem ſuam ipſius ſtatnam, vbi maximè foret commodum. Interim verò illud, εἰ ἔχοι, *ſi habuerit quidem*, inſinuat nihil eſſe neceſſe, vt oſtenentur imagines; vnde & ipſe Epicurus nihil ſimile ſuperioribus teſtamento ſuo cauit fieri; tametſi eius ſectatores ipſius imaginem non modò in cubiculis, tabuliſque, ſed etiam in poculis, annuliſque haberent, vt ex Cicerone, ac Plinio alibi memorauimus. Negligi autem hæc poſſe cenſuit, qnòd vt eſt in Ratis ſententiis, οἱ στέφανοι, αἱ ἀνδριάντων ἀναθέσεις, *Corona & Statuarum collocationes* (ſeu dicationes mavis) ex iis rebus ſint, quarum neque naturalis ſit, neque neceſſaria appetitio. Vnde & eodem facit vox ἀδιαφόρως, quæ ad loci delectum ſpectat, parque eſt penè voci illi Ariſtotelis εἰς Νεμέαν, ἢ ὅπῃ ἂν δοκῇ, *Nemea collocator, aut vbi viſum fuerit.*

Pag. 81.

Ap. Laërt. lib. 5.

Eum ſolum rectè de Muſica, Poëticáque verba facturum.

℣. 7. Μόνον τε τὸ σοφὸν ὀρθῶς. Quo ſenſu Epicurus putârit poſſe rectè verba inſtitui de huiuſmodi artibus, intelligi debet ex iis, quæ fuſiuſculè diſſeruimus libro Apologiæ octano. Nimirùm cùm exiſtimârit, aut nihil, aut parum eſſe bonæ frugis, quod ex iis poſſit percipi; idcircò putaſſe videtur Sapientem ita de ipſis verba facturum, vt cùm vulgò eas cæteri aut commendent, aut complectantur; ipſe potiùs vituperet, declinandaſque doceat; aut ſeponendo certè pauca, quæ retineri valeant, quod ſupereſt, ipſas omninò eliminandas ſuadeat. Quippe quod Plato de altera, Poëtica nempe, ſpeciatim cenſuit, dum ex ea nihil aliud, quàm laudes Deorum, virorumque fortium retinendas voluit, &, cætera quod attinet, exterminandam penitùs è Republica autumauit, qnòd & animos faciat humileis inferorum formidine, & nullum ſit flagitij, nequitiæque genus, ad qnod non exemplis Deorum, heroumque inſtituat: idem Epicurus de vtraque cenſuit, hoc eſt etiam de Muſica, quam corruptricem pariter morum bonorum reputauit. Heinc tametſi Plutarchus fortè, iuxta ante dicta, ali-

Lib. 10. de Rep.

Effata de Sapiente varia. quid impoſuit, ſcribens, ſuadere Epicurum ſtudioſis bonarum artium Regibus, στρατηγικὰ
1. Adu. Col. διηγήματα, καὶ φορτικὰς βωμολοχίας ὑπομένειν μᾶλλον ἐν τοῖς συμποσίοις, ἢ λόγους περὶ μουσικῶν, καὶ ποιητικῶν προβλημάτων περαινομένους, *vt ferant potiùs in conuiuiis militaria geſta narrari, aut ſcurrilitates faſtidioſas interſeri, quàm quæſtiones de Muſicis, & Poëticis rebus diſceptari*: id feciſſe tamen Epicurus poteſt, quòd nihil quoque bonæ frugis in his quæſtionibus contineri cenſuerit. Nem-
Epiſt. 88. pè ex hoc genere erant: *Libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit? An Sappho publica fuerit? & alia, quæ erant*, inquit Seneca, *dediſcenda ſi ſcires.* Et quamvis non omnes huiuſmodi ſint; reputauit tamen eas magis ſuperfluas, quàm vt vtiliora requiri non debeant. Sic certè ad mentem illius idem Seneca: *Quæris*, inquit, *vbi Vlyſſes errauerit, potius quàm efficias, ne nos ſemper erremus. Non vacat audire, vtrùm inter Italiam, & Siciliam iactatus ſit, an extra notum nobis orbem; neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia.* Et mox: *Quid inquiris, an Penelopa impudica fuerit? an verba ſæculo ſuo dederit? an Vlyſſem illum eſſe, quem videbat, antequam ſciret, ſuſpicata ſit? Doce me quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum; in corpore an in animo poſita ſit? Ad Muſicam tranſeo. Doces me quomodo inter ſe acuta, ac graues voces conſonent; quomodo neruorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia: Fac potiùs, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint modi flebiles; monſtra potiùs, quomodo inter aduerſa non emittam flebilem vocem.*

Poëmata, ſiue figmenta Poëtarum, ignoraturum; necdum aliqua elucubraturum.

§. 10. Ποιήματά τε ἀγνοήσειν, οὐκ ἂν ποιήσειν. Retinueram quidem, Apologiam ſcribens, vulgarem lectionem, Ποιήματι τε ἐνεργεῖν, οὐκ ἂν ποιῆσαι, ac ipſi interpretationem non planè incongruam adhibueram; ſed planius eſt tamen ita legere, vt intelligamus placuiſſe Epicuro, non eſſe, cur ſapiens legendis, addiſcendiſve poëmatibus (tantum abeſt vt etiam in conficiendis) tempus terat; quòd poëmata leporem amittant, poëmatáque adeò non ſint, niſi fictionibus, phraſibuſque hyperbolicis ſcateant, hoc eſt, niſi compoſita, comparatáque aduerſus veritatem ſint, cuius vnius ſtudio nihil eſſe debeat ſapienti antiquius. Suaderi autem lectio poteſt, tùm ex variis locis, quæ citata in eadem Apologia ſunt, tùm ex eo maximè,
De aud. po. quo apud Plutarchum Epicurus iubet, ποιητικὴν φεύγειν, καὶ παρεξελαύνειν. *Poeticem fugere, intactamque prætergredi*; & eo, quo apud Empiri-
Adu. Gram. cum Poëſis declaratur ab Epicureis, οὐχ' οἷον ἀνωφελὴς πρὸς βίον, ἀλλὰ καὶ βλαβερωτάτη, *non modò vitæ inutilis, verùm etiam maximè noxia*: & eo
In Alleg. Homer. rurſus, quo apud Heraclidem habetur ab Epicuro, ὀλέθριον μύθων δέλεαρ, *perniciosum fabularum ineſcamentum*; quod quidem eſt amplius, In pag. 81.
quàm illud Torquati de Epicuro loquentis: 1. De fin.
An ille tempus in Poëtis euoluendis conſumeret, in quibus nulla ſolida vtilitas, omniſque puerilis eſt delectatio? Nempe eódem ſpectat, quò il- 1. De na. De.
lud Velleij, dum conqueritur, quòd *ſuauitate ipſa nocuerint vocibus Poëtarum fuſa, qui & irâ inflammatos, & libidine furenteis induxerunt Deos, fecerúntque, &c.* planè quaſi ſubſcribens Xenophani, cuius verſus leguntur apud Empiricum.

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα, καὶ ψόγος ἐστί,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.
Attribuêre Diis cuncta Heſioduſque, & Homerus,
Quæ ipſi mortales probroſa, nefandáque ducunt,
Furta, & adulteria, & fraudeis, queis mutua fallunt.

Alium alio ſapientiorem futurum.

§. 12. Καὶ εἶναί τε ἕτερον ἑτέρου σοφώτερον. Lego initio Καὶ εἶναί τε: cùm Aldobrandinus legat οὐκ εἶναί τε, Stephanus οὐ κινεῖν, MSS. habeant οὐ κινεῖ τε, & in Baſileenſi Editione vt tres poſtremæ voculæ ſuperioris Effati, ſic quatuor primæ iſtius deſint, ſuperſintque ſolùm hæ duæ ἕτερον σοφώτερον. Lego, inquam, non tam quòd hæc variatio ſubeſſe quidpiam mendi inſinuet, quàm quòd præter mentem Epicuri ſit, vt non ſit alius alio ſapientior. Quippe tùm ipſe varios in Sapientia gradus agnoſcit, dum & Metrodoro inferiorem facit Hermachum; &
gloriatur ipſe *non toto aſſe ſe paſci, Metrodorum,* Epiſt 18
qui non tantùm profecerit, toto, vt refertur à Seneca: tùm res arguitur ex eo, quòd, vitia inæqualia conſtituens, vt non multò antè eſt viſum, non potuit non habere virtutes ipſis oppoſitas inæqualeis; neque adeò non inæqualeis ipſos ſapienteis, qui ob virtutes tales ſunt; cùm reipsâ virtutes, & ſapientia non diſtinguantur. Certè
Cicero dum hæc Paradoxa Stoïcorum copu- In Parad.
lat, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα. *Paria eſſe peccata, & rectè facta paria*, in hunc modum argumentatur: *Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe; paria eſſe etiam vitia neceſſe eſt. Atqui pareis eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperatiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem* (quo loco ſapientia pro prudentia accipitur) *poſſe fieri, facillimè poteſt perſpici.* Quod quidem commemoro ſolum ob paritatem argumenti; cæterum enim vt vitia, ſic inæqualeis eſſe virtutes probat Epicurus non modò cum Ariſtotele, Platone, cæteriſque Philoſophis, verùm etiam cum tota penè vniuerſitate generis humani, quæ vt illis probra, ſuppliciaque imparia, ſic iſtis encomia, præmiáque imparia diſtribuit. Pigeat autem aduerſus Stoïcos vrgere quicquam
aliud, quàm quod Plutarchus aduerſus Chry- De Stoï. repug.
ſippum habet, dum illum vel ex eo reprehendit, quòd fore admittat laudationem frigidam, ſi quis hominem commendare aggreſſus,

efferat

In pag. 81. efferat illum: *Quòd digitum fortiter extenderit, quòd à vetulæ moribunda continenter abſtinuerit; quòd morſum muſca conſtanter pertulerit; quòd dicentem tria non eſſe quatuor, non impatienter audierit. Si enim*, inquit, *frigidus eſt, qui iſthac laudat; multò vtique frigidior eſt, qui vnumquodque horum pro rectè facto, non modò magno, ſed maximo etiam aſſumit. Nam ſi muſcæ morſum perferre æquale eſt cæteris, quæ ad virum fortem pertinent, & abſtinere à vetula cæteris, quæ ad temperantem; nihil, vt puto intereſt, ab vtris virum bonum laudemus.* Neque obſtat, quod Cicero in Stoïcorum gratiam inſtat, dum allatis eorum exemplis, qui in leuiore materia Loc. cit. rectè, in grauiore prauè ſe gerant: *Vna*, inquit, *virtus eſt, conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. Nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit, nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur.* Nam vniuersè quidem omnis virtus eſt conſentiens quædam cum ratione & perpetua conſtantia; ſed ſpeciatim tamen virtutes, manentes huiuſcemodi, tam eſſe inter ſe inæquales poſſunt; quàm cùm Homo vniuersè conſtet ex capite, trunco, brachiis, cruribus; poſſunt ſpeciales homines, manentes huiuſcemodi, eſſe inter ſe inæquales. Eòdem ſpectat propemodùm quod Seneca ſpecialiùs de ipſa Sapientum æqualitate ait: Epi. 79. *Quicumque*, inquit, *fuerint ſapientes, pares erunt, & æquales. Habebit vnuſquiſque ex his proprias doteis, alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior; illud, de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus.* Nempè vniuersè quidem, ſeu virtus eſt, ſeu ſapientia, quæ beatum facit; ſed ſpeciatim tamen virtus, ſeu ſapientia eſt in his, quàm in illis perfectior; vnde & efficitur quoque, vt iſte ſit, quàm ille beatior. Præoccuparat ille: *Inter cætera hoc habet boni Sapientia; nemo ab altero poteſt vinci, niſi dum aſcenditur; dum ad ſummum perueneris, paria ſunt; non eſt incremento locus, ſtatur.* At quotuſquiſque ille eſt, quem perueniſſe dicat ad ſummum? Qui non ſentiat ſe poſſe adhuc magis, magiſque proficere? Et, ſi arcendi ſunt à numero Sapientum, quicumque proficere adhuc poſſunt; ecquis denique non arcebitur? Et quàm erit proinde nomen Sapientis, ac Sapientiæ vanum? Et quàm iure omnia illa vrgebuntur, quæ Lucian. Lucinus ille in Hermotimum apud Lucianum congerit?

Si quid eguerit, pecuniam quidem, ſed ex ipſa ſola Sapientiæ profeſſione comparaturum.

℣. 14. Χρηματίζεσθαί τε, ἀλλ' ἀπὸ μόνης σοφίας ἀπορήσαντα. Congruit hoc Effatum cum ſuperioribus, μὴ πτωχεύσειν, *non mendicaturum*, & κτήσεως προνοήσεσθαι, *rei familiaris curam habiturum.* Et quod voluerit quidem Epicurus, niſi quæ ad vitam traducendam neceſſaria ſunt, ſuppetant, comparare illa Sapientem non mendicando, ſed ad Sapientiam ſtudioſos ita erudiendo, ſicque de ipſis benè merendo, vt experturus ſit non ingratos; ideò fecit, quòd hac ratione Sapiens non rem illiberalem faciat, ſed laudabiliſſimam potiùs; & ad ſapientiam alios inſtituens, ſeque eius ſtudio ſemper occupatus, tùm inſtitutum ſemper tueatur, tùm proficere quoque ſemper valeat. Quod ſupereſt, nihil eſt addendum ad ea, quæ circa Effata memorata dicta iam ſunt; niſi quòd iſtud ſatis expreſsè apud Porphyrium recenſetur, cùm de Epicureis loquens dicere eos ait: Δεῖν ἐκ ἐπιμασσόμενον τὰ ἀναγκαῖα προσθήκῃ τῇ φιλοσοφίᾳ χρῆσθαι, *oportere eum, qui parata non habet neceſſaria, adhibere ipſam quaſi in ſubſidium, philoſophiam.* Et ſtatim: Κακῷ γὰρ φροντιστῇ τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέψομεν ἄνευ φιλοσοφίας, τὸ ἀναγκαῖον συμμετρούμενοι τῆς φύσεως, καὶ παρασκευάζοντες. *Malo ſcilicet conſultori earum rerum arbitrium, quæ noſtra interſunt, permittimus, ſi quod natura eſt neceſſarium, ſine Philoſophia & metimur, & apparamus.* Concludit autem: Διὸ φιλοσοφοῦντα δεῖ καὶ τούτων προνοεῖν. *Quare oportet philoſophantem de huiuſmodi rebus ſibi prouidere.* Ac ne quis fortè hanc prouidentiam in Epicuro vituperet, vt videlicet quis ad vitam neceſſaria ſibi conquirat, priuſquàm deſideat, ſeu vitam quietam ad philoſophandum inſtituat; Ecce Ariſtoteles inter cætera, quæ huic rei affinia habet: *Interdum*, inquit, *quæ ſunt meliora, non itidem magis eligenda ſunt; non enim, quòd meliora ſint, ideò ſunt magis eligenda.* Τὸ γὰρ φιλοσοφεῖν βέλτιον τοῦ χρηματίζεσθαι, ἀλλ' οὐχ αἱρετώτερον τῷ ἐνδεεῖ τῶν ἀναγκαίων. *Philoſophari enim eſt melius, quàm pecuniam conquirere; ſed non illi tamen magis eligendum, qui rebus neceſſariis eget.* Nempè, quo penè ſenſu docet, abſurdum eſſe ſimul ſcientiam, & modum ſciendi quærere, inſinuat, priuſquam quis ſe ad philoſophandum accingat, quærendum eſſe id, ſine quo philoſophari commodè non licet. Quippe quaſi animus diuertendus à ſuauiſſimis ſtudiis importunè ſit, ſi in dies intercurrat rerum neceſſariarum ſollicitudo. Collineat certè huc illud votum:

Sit bona librorum, & prouiſa frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ. Horat. 1. Epiſt. 18.

Obſequium Principi, ſi occaſio popoſcerit, exhibiturum.

℣. 16. Καὶ μόναρχον ἐν καιρῷ θεραπεύσειν. Talis occaſio præſertim erit, ſi aduocetur à Principe, qui ſit Sapientiæ adeò ſtudioſus, vt optaturus fuerit, quemadmodum Plutarchus ait, fieri ex Pericle, aut Catone, Simo ille Cerdo, aut literator Dionyſius, De diſſe. cum Princ. ſi modò Socratem aſſidentem, colloquentémque foret habiturus. Huiuſcemodi enim occaſione vereri non debet, ne, quod idem ait, *aulicus* vocetur, ac θεραπευτικός, *principis colens* vir; quando propter vtilitatem bene publicè dimanaturam, facturus eſt rem honeſtatis, humanitatiſque pleniſſimam, & Effata de Sapiente varia. 3. De Abſt. 3. Topic. cap. 2.

Effata de Sapiente varia. homine non ambitioſo, ſed virtutis ſtudioſo dignam. Heine & commendat illam ſententiam ex Epicuro antè relatam: *Eſſe non modò pulcrius, verùm etiam iucundius beneficium dare, quàm accipere*: vt inferat longè pulcherrimam, iucundiſſimámque rem fore, beneficium conferre in Principem, ex quo ad tam multos ſit redundaturum. Prætereo quæ ſubdit ad hanc rem præclara, aduotóque ſolùm quod vbi retulit adſtitiſſe Anaxagoram Pericli, Platonem Dioni, Pythagoram Principibus Italis; & aliunde Catonem ab expeditione nauigaſſe ad Athenodorum, & Scipionem accerſiiſſe Panætium, rogat num Panætius abnuere debuiſſet, & ad Scipionem hæc dicere? *Si eſſes quidem Cato, vel Pollux, aliúſue aliquis priuatus, qui ciuitatem refugiens, & aliquo in angulo otiatus ſyllogiſmos retexeres, & de Elenchis philoſophareris, conditionem amplecterer, verſarérque tecum libenter. Nunc verò, quia Pauli Æmilij, eius, qui duos egit conſulatus, es filius, & Scipionis eius Africani nepos, à quo fuit deuictus Carthaginienſis Annibal; nolo tecum philoſophari.* Et quia poſſet quæri cur Plato non modò ad Dionem, ſed ad Dionyſium quoque acceſſerit, neque imitatus fuerit Heraclitum, qui ad Darium, honorificis licet inuitatus literis, quas Laërtius habet, proficiſci noluit: Reſpondet Plutarchus ſperaſſe Platonem, ſe conſequuturum, vt Dionyſius operibus dogmata, & præcepta Philoſophiæ repræſentaret; at Dionyſium repertum fuiſſe quaſi librum, in quo quæ ſcripta ſunt, rurſus expunguntur; quippe iam planè commaculatum, neque tincturam tyrannidis, quæ temporis longinquitate facta iam penetrabilis, indelebiliſque fuerat, dimittentem. Heinc verò dixi principem, *qui ſit adeò Sapientiæ ſtudioſus, &c.* Alioquin enim Sapiens ad illum, cuius non fuerit indoles ſatis explorata, non facilè accedet; quòd magna ex parte probetur, quàm verè illud dictum ſit, *vt cum igne, ſic cum Principe*; & non ſit nequicquam quod admonet Solon: *Eſſe libertatis in ipſo ingreſſu ad Principem iacturam procliuem.*

Vbi quiſpiam ſe in meliorem frugem receperit, gratulaturum.

℣. 18. Καὶ ἐπιχαρήσεσθαί τινι, ἐπὶ τῷ διορθώματι. Videtur Effatum proponi, tùm vt inſinuetur eſſe quidpiam maius facere ex vitio gradum in virtutem; quàm fieri incedentem iam in via virtutis, prouectiorem: tùm vt Sapiens hanc occaſionem benefaciendi arripiat; hoc eſt, ad pergendum addat animos, quaſi qui eſt recens virtutem amplexus, adhortatione ad tuendum conſtantiam præſertim indigeat. Cùm ipſa autem gratulatio, quam adhortatio conſequitur, inſtitui probè non valeat, quin, dum virtutis, ad quam itur, pulcritudo deſcribitur, exaggeretur ſimul vitij, quod deſeritur, turpitudo; ideò non abs re Epicurus emendationis vitæ initium petit ex notitia peccati, ex cuius fœditate ipſa vitij turpitudo cognoſcitur. Scilicet illius ſententia apud Senecam hiſce exſtat verbis: *Initium eſt ſalutis, notitia peccati.* Quod profectò maximè congruit cum eo, quod Sacri docent Theologi: Dum ἐπιγινώσκειν, inquiunt, καὶ συνορᾷν τὸ πλημμεληθὲν, οὐκ ἔστι μικρὸν, ἀλλ' ὁδός τίς ἐστι, καὶ ἀρχὴ, πρὸς διόρθωσιν ἄγουσα, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ κρείττω μεταβολήν. *Peccatum agnoſcere intelligeréque, non parua res eſt: ſed via quædam eſt, & initium ad emendationem, mutationémque in meliorem ſtatum.* Et vide quid Seneca addat: Poſtquàm præmiſit videri hoc ſibi egregiè dixiſſe Epicurum, ſubdit: *Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes; Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideò quantum potes, te ipſum coargue; inquire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis, nouiſſimè deprecatoris.* Diceres ipſum reſpexiſſe ad quotidianum illud examen, ad quod ante ſomnum ſe ipſe exegit, iuxta conſilium Pytagoræ ſibi dicere quemque adhortantis: *In pag. 81.* *Epiſt. 28.*

Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; *Carm. aur.*
Quid prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?

Siquidem poſtquam commemorauit quid huiuſmodi Sextius ageret; tùm paucis interpoſitis: *Vtor*, inquit, *hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico: Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia; totum diem mecum ſcrutor, facta, ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo; nihil tranſeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere, vide, ne iſtud ampliùs facias: nunc tibi ignoſco. In illa diſputatione pugnacius loquutus es; noli poſteà congredi cum imperitis; nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti, quàm debebas; itaque non emendaſti, ſed offendiſti; de cætero vide, &c.* *3. De Ira. 36.*

Scholam aperturum; ſed non eò vſque, vt populare auditorium fiat.

℣. 20. Καὶ σχολὴν κατασκευάσειν. Intelligendum hoc Effatum, vt & pleraque alia, non abſolutè, quaſi ſit neceſſe, vt quis Sapientis nomen mereatur, aperiri ab eo ſcholam; ſed ſuppoſita conditione, ſi vacet, aut iuuet; quaſi eo caſu nihil facturus contra Sapientiæ decorum ſit. Adhibet tamen limitationem, ἀλλ' οὐχ ὥστε ὀχλαγωγῆσαι. Quaſi videlicet habere auditorum delectum oporteat; ne ſi popularis, clamoſaque ſit turba, concurſus fieri quaſi ad agyrten, ſeu circulatorem videatur. Ac nihil ſanè etiam repugnat vocem ὀχλαγωγῆσαι ita accipi, quaſi ſit ſenſus Sapientis ſcholam non debere ita inſtitui, quaſi debeat fieri factionum, contentionúmque ſeminarium; ac præſertim

Digitized by Google

In pag. 81. præſertim, cùm ſuam ita inſtituerit, vt ſicut aliàs ex Seneca, Euſebio, Themiſtiôque retulimus, ſumma ſemper conſenſio ſectatorum omnium in illa viguerit, ac ipſam proinde Numenius ſimilem dixerit Reipub. quam à ſeditione remotiſſimam vna communis mens, vnáque moderetur ſententia. Verùm, ne damnari videantur Philoſophorum aliorum Scholæ, in quibus ab ipſis initiis variæ ſubortæ factiones ſunt, vel ex eodem Numenio; ac ne eò quoque res extendatur, vt talis ſchola non debeat quaſi factio quædam aduerſus alias fieri, ſicque ſentire quicquam repugnans aliorum placitis prohibeatur; idcirco potuit illa prior interpretatio non diſplicere. Confirmari

Epiſt. 33. 12. præp. Orat. 4.

Epiſt. 7. autem poteſt vel ex eo, quòd Seneca, poſtquàm illud præmiſit, *Cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò iſta fiunt; & homines, dum docent, diſcunt*; tum paucis interpoſitis, tria ſubiicit in eundem ſenſum, nempe illud Democriti, *vnus mihi pro populo eſt, & populus pro vno*: itemque illud alterius, *Satis ſunt mihi pauci, ſatis eſt vnus, ſatis eſt nullus*: ac tandem illud Epicuri, quod aliàs quoque retulimus, *Hæc ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

Scriptorum aliquid lecturum coram multitudine; ſed non vltrò tamen, neque non rogatum.

ỷ. 22. Καὶ ἀναγνώσεσθαι ἐν πλήθει. Quod ſequitur, ἀλλ' οὐχ ἑκόντα, poſſet quidem fortè meliùs legi ἀλλ' οὐκ ἐν παντὶ veruntamen res eodem recidit, ac vtrumque congruit, eſtque conſentaneum recitato mox ex Seneca loco, vbi hoc interiicitur, *Non eſt ergo, quòd te gloria publicandi ingenij producat in medium, vt recitare iſtis velis, aut diſputare; quod facere te vellem, ſi haberes iſti populo idoneam mentem.* Imitatum dicas Horatium, cùm ait:

1. Serm. ſat. 4. *Non recito cuiquam, niſi amicis; idque coactus,*
Non vbivis, coramve quibuſlibet.

Placita rata, & de quibus minimè hæreat, habiturum.

ỷ. 24. Δογματιεῖν τε, καὶ οὐκ ἀπορήσειν. Congruit hoc Effatum cum eo, quod ſuperiùs ex Plutarcho retulimus, ἀμεταπτώτως πεπεῖσθαι, *immobiliter perſuaderi*. Non quòd Epicurus etiam in aliquibus ſuſtinendum eſſe aſſenſum noluerit; inde enim eſt τὸ προσμενόμενον, *Exſpectabile*, de quo in Canonicis dictum; ſed quòd eſſe quædam de quibus dubitare non liceret, voluerit, cuiuſmodi ſunt illa placita, *ex nihilo nihil fieri, vniuerſum eſſe corpus, & inane*; vt iam obſeruatum circa præfationem Epiſtolæ ad Pythoclem eſt. Quia verò, tametſi eâ totâ Epiſtolâ cenſuerit non eſſe ratum habendum vllum ex ſpecialibus illis modis, quibus ſublimium cauſæ redduntur; nihilominus cenſuit vniuersè illud eſſe ratum habendum, quod nullus ſpeciatim modus ratus ſit; idcirco fit, vt Epicurus Dogmaticis potiùs, quàm Aporeticis, Scepticiſ-ve Philoſophis videatur eſſe accenſendus: atque id quidem vel volente Lucretio, qui cætera inter carpit Scepticos, quòd de ſenſuum fallacia incertitudinéque multa diſputantes, illorum fidem abrogent, ac *Nihil ſciri* profiteantur. *Effata de Sapiente varia.*

Denique nil Sciri ſi quis putat, id quoque neſcit, Lib. 4.
An ſciri poſſit, quum ſe nil ſcire fatetur.
Hanc igitur contra mittam contendere cauſam,
Qui capite ipſe ſuo inſiſtit veſtigia retrò.
Et tamē hunc quoque vbi concedā ſcire, at idipſum
Quæro; cùm in rebus verum nil viderit antè,
Vnde ſciat, quid ſit ſcire, & neſcire viciſſim.

Ac videretur quidem hoc loco quidpiam reponendum in Scepticorum gratiam: ſed quia res foret pluribus, quàm pati locus poſſit, dicenda; ideò adnotare ſufficiat, reſpondere illos ad iſtud Lucretij, argumentaque id genus alia, quæ ſolent vulgò obiici, Primùm, non dubitare ſe de eo, quod ex rebus apparet, ſed de eo, quod res ſecundum ſe ſunt. Scire enim ſe mel dulce apparere; at neſcire, reuera-ne in ſe potiùs dulce, quàm amarum ſit; cùm ſint rationes, quæ ſuadeant huiuſmodi potius ex diſpoſitione ſenſorij, quàm ex ipſa rei natura videri. Deinde, cùm dicunt nihil ſciri, non ignorare ſe, quid ſit ſcire, eo modo, quo dogmatici ſcire ſe & dicunt, & putant; ſed & profiteri ſe tale nihil ſcire, & ne ipſos quidem dogmaticos, vtcumque glorientur, tale quidpiam ſcire. Denique non eſſe, quamobrem vrgeantur, aut neſcire ſe, aut ſcire nihil ſciri; & ſi neſciant quidem, id temerè aſſerere; ſi ſciant, ergo aliquid ſciri: Quippe ſe id ſcire, ſed non eâ ſcientiâ, qualem deſcribunt dogmatici: cuius etiam notione ſuppoſitâ, idem dici poſſit de hac propoſitione *Nil ſciri*, quod de purgante pharmaco, vt hoc ſcilicet cum humoribus, quos expellit è corpore, vnà ſeipſum deiicit: ſic propoſitionem *Nihil ſciri*, dum euertit cæteras, euertere vnà ſeipſam.

In ſomnis non alium (ob mentem bene compoſitam) quàm vigilando, exſtiturum.

ỷ. 25. Καὶ καθ' ὕπνους ὅμοιον ἔσεσθαι. Addo interpretando, *ob mentem benè compoſitam*; quia niſi quis ſanas opiniones mente imbiberit, is nihilo ſeciùs ſomniando, quàm vigilando perturbabitur. Ex quo efficitur, vt Epicurus concludens ſequentem ad Menœceum Epiſtolam, polliceatur ipſi, fore, vt præcepta antè tradita meditatus, nullatenus οὐδ' ὕπαρ, οὔτ' ὄναρ, *neque vigilando, neque ſomniando perturbetur.* Videtur autem Epicurus eòdem omninò reſpexiſſe, quò apud Platonem Socrates, dum diſcrimen inſtituit inter voluptates cupiditateſque, quæ in ſomnis, prout quiſque fuerit incompoſitus, compoſituſve, excitantur. *Nam in illis quidem,* Lib. 9.
vbi pars Animæ, quæ rationis eſt particeps, conſo- de Rep.
pita eſt, inquit, *ferina illa, & agreſtis, quæ cibo,*

Tyſata de ſapiente variis. & potu repleta eſt, exſultat, tentátque excutere ſomnum, & iis, quibus eſt aſſuefacta libidinibus indulgere. Quippe nihil eſt, quod tunc non auſit vt omni verecundia, prudentiaque freno ſoluta; adeò vt pudori ſiue erga matrem, ſiue quemlibet non hominum modò, verùm etiam Deorum, belluarúmque non parcat: ſeſe quauis cæde cruentet; quouis ſe cibo ingurgitet; vt paucis dicam, nulli non ſe inſaniæ, impudentiæque dedat. At dum quis ſomno ſe comparat, rectè ſe ac temperatè habens, hoc eſt, parte ipſa rationis participe euigilante, bonis cogitationibus ſaturata, & pulcra contemplando in ſeipſam conuerſa; parte verò concupiſcente neque egente, neque affluente, vt quieſcat proinde, & eam, quæ optima eſt, neque lætitiâ, neque mœrore turbet, ſed eam per ſe ſolam, ac puram conſiderare, indagare, perſpicere ſinat, ſi quid rerum eſt præteritarum, præſentium, aut futurarum, quod ignoret; Similiter autem, & parte iraſcente ita ſedata, vt nulli infenſa quieſcat; atque adeò partibus duabus pacatis, & compoſitis; tertiáque motus non alios, quàm quos ſapientiam decet, abeunte; dum quiſpiam, inquam, hac ratione ad ſomnum ſeſe comparat; tunc is veritatem maximè attingit, neque ſe illi, quæ ſunt nefaria inſomniorum viſa obiiciunt.

Mortem pro amico, occaſione poſtulante, oppetiturum.

ỳ.16. Καὶ ὑπὲρ φίλυ ποτὲ τεθνήξεσθ. Coſentaneum eſt hoc Effatum relatis iam antè circa amicitiam, ac Placito illi, quod memorat Plutarchus, dum oſtenſurus Epicurum ſibi ipſi contradixiſſe, dicit illum, τῆ ἡδονῆς ἕνεκα τὼ φιλίαν αἱρέμενον, cùm ob voluptatem amicitiam expetat; nihilominùs ὑπὲρ τῶ φίλων τὰς μεγίστας ἀλγηδόνας ἀναδέχεσθ, dolores grauiſſimos pro amicis ſubire. Neque verò vlla propterea in Epicuro contradictio, cùm eſſe non poſſit voluptas, vt ſincerior, ſic maior illâ, quam experitur fidus amicus, dum ſeſe totum veluti effundit, quidvis adoriens, quidvis patiens, ac mortem etiam adiens in amici illius gratiam, quem quaſi alterum ſe habet; cui hærere ſe in viſceribus, medullíſque intimis ſentit; quem fuiſſe paria ſui causâ, ſi ſors tuliſſet, præſtiturum (& ſumma quidem cum animi alacritate) certus eſt; cuius in mente memoriam ſui non ſine ſenſu gratitudinis ſuauiſſimo perennaturam, penitùs prorſúmque confidit; ratus aliunde non poſſe ſe melius ſatisfacere ſibi ipſi, quàm hac ratione numeros omneis, vt veri, perfecti, conſtantis amici, ita viri boni, ſapientis, generoſique adimplendo. Hæc igitur voluptas eſt, cuius causâ amicus pro amico ſic moritur, vt ſe ipſum quoque tunc maximè amet. Quare &
9.Eth. 8. ad hunc locum ſpectat, quod fuit ex Ariſtotele inſinuatum; cùm loquens de viro honeſti amante, ac vt ſibi id vendicet, non modò aliis concedente pecuniam, honores, & cætera id genus bona, de quibus tanta contentio eſt; verùm etiam ſibi pro amico, aut patria moriendi gloriam eligente: *Præfert*, inquit, *breui, ſed magna, quàm longa, ſed breui voluptate frui: viuere annum vnum præclarè, quàm multos vulgariter; vnicum facinus illuſtre, & grande, quàm multa minuta, & puſilla patrare.* In pag. 81. 82.
Verùm cùm ſit quoque poſteriùs de hoc argumento dicendum; adnotari ſolùm heic debet, quod à Cicerone obſeruatum alibi iam retulimus, ipſum ſcilicet Epicurum *amicitias non oratione ſolùm, ſed multò magis vitâ, & factis, & moribus comprobauiſſe.* Ac vt intelligamus tam ipſum, quàm eius amicos non ſecus fuiſſe animatos, quàm raros illos qui celebrantur, quòd mortem pro ſe inuicem non dubitarint oppetere, ecce ille continuò ſubdit: *Quod quàm magnum ſit, ficta veterum fabula declarant; in quibus tam multis, tamque variis ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, vt ad Oreſtem peruenias, profectus à Theſeo. At Epicurus vna in domo, &c.* 1.De fin.

IN EPISTOLAM AD MENOECEVM.

Philoſophandum Iuueni, & Seni.

ỳ. 1. ΕΠΙ'ΚΟΥΡΟΣ Μενοικεῖ χαίρειν. Pag. 82. Alterum hoc eſt ex capitibus quatuor, in quæ redegiſſe Laërtium ea, quæ ad Moralem Epicuri pertinent, ſuperiùs obſeruauimus. Nimirùm cùm iſta ſit tertia, poſtremaque Epiſtolarum, quas ab vſque initio referendas ſuſceperat, viſus quidem fuit, ſtatim ac Moralem aggreſſus eſt partem, eam exhibiturus; ſed ſimul tamen occupauit tradenda priùs ea de Sapiente Effata, quæ recenſuimus hactenus. Continet porrò Epiſtolæ præfatio inſignem quandam Adhortationem, de cuius textu, vt priùs dicatur, lego ỳ.6. ὑγιαῖνον, quoniam videtur vtcumque meliùs, quàm ὑγιαῖνειν legi apud Clemétem Alexandrinum, qui Præfationem hanc tranſcripſit ad illud vſque, μέλλειν ἦν. Sic etiam aliquantò pòſt, ante πειρᾶται, meliùs ibidem legitur μήτε, quàm μὴ, cùm opponatur voci μηκέτι. Vti & ſtatim, poſt vocem ἦν, videtur non incongruè repeti vox τὼ ὥραν, quatenus reperita quoque in ſuperiore, contráque poſito membro fuit. Quod autem ſtatim pòſt legitur ibidem νεωτέρῳ pro νέῳ, nihil videtur fuit neceſſe immutare; quando neque pro γέροντι legitur γεραιτέρῳ, neque initio Epiſtolæ, cui hoc membrum reſpondet, legitur νεώτερ☉, ſed νέ☉. Præterea autem videri illeic deeſſe particulam ἢ, inter λέγων, & μήπω, ob conſequens membrum, vbi habetur ἢ μήπω, ἢ μηκέτι.

Sed

In pag. 82. Sed iſthæc vt mittam, & de re ipſa dicam; Eſt imprimis hæc Epicuri adhortatio ad Philoſophiam, vt ad animi medicinam; quoniam Philoſophia ex ipſamet voce eſt ſtudium ſapientiæ; & Sapientia eſt animo non ſolùm quaſi medicamentum, quo paretur, ac reparetur, conſeruetúrque ſanitas; ſed etiam quaſi ſanitas ipſa; ex quo fit, vt quæ eſt Sapientiæ inſipientia oppoſita, voce alia inſanitas, ſiue inſania nominetur. Certè, vt ſanitas corporis in congrua humorum, qualitatumque temperie conſiſtit; ita ſanitas animi ſita eſt in illa *μετριοπαθείᾳ affectuum contemperatione*, quam qui obtinet, vt animo ſanus, ita ſapiens eſt; qui non obtinet, vt inſanus, ita & inſipiens. Verùm rem præclariùs intelligere ex ipſo Ci-
3. Tuſc. cerone iuuat. *Quia nomen*, inquit, *Inſania ſignificat mentis ægrotationem, & morbum, id eſt, inſanitatem, & ægritudinem animi, quam appellant inſaniam; omneis autem perturbationes animi morbos Philoſophi appellant, negantque ſtultum quemquam his morbis vacare; qui autem in morbo ſunt, ſani non ſunt: omnes inſipientes igitur inſaniunt. Sanitatem enim animorum poſitam in tranquillitate quadam, conſtantiáque cenſebant: his rebus mentem vacuam appellarunt inſaniam, propterea quòd in perturbato animo, ſicut in corpore, ſanitas eſſe non poſſit. Nec minùs illud acutè, quòd animi affectionem lumine mentis carentem nominauerunt amentiam, eandemque dementiam: ex quo intelligendum eſt eos, qui hæc rebus nomina poſuerunt, ſenſiſſe hoc idem, quod à Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, Omneis inſipienteis eſſe non ſanos. Qui enim animus eſt in aliquo morbo (morbos autem hos perturbatos motus, vt modò dixi, Philoſophi appellant) non magis eſt ſanus, quàm id corpus, quod in morbo eſt. Ita fit, vt ſapientia ſanitas ſit animi; inſipientia autem, quaſi inſanitas quædam, quæ eſt inſania, eademque dementia.* Supponit porrò Epicurus nihil haberi vulgò pretioſius, aut carius, quàm ſanitatem corporis; exindè nimirùm inſinuat, quanto debeat pretio haberi ipſa ſanitas mentis. Quippe, cùm bona, maláque mentis maiora, grauioraque ſint bonis, maliſque corporis; vt inferiùs dicendum eſt; idcircò carius eſſe debet illius, quàm huius ſanitate frui. Et cùm, vt poſteà quoque dicetur, finis beatæ vitæ ſit ipſa cùm tranquillitas animi, tum indolentia corporis (quod vtrumque cum vtriuſquo ſanitate idem eſt) tantò illa maioris, quàm iſta debet fieri, quantò illa iſtam reſtituit, aut ſeruat; prout is, qui animo tranquillo, & ſecundum ſapientiam compoſito eſt, tuetur maximè temperantiam, qua nullum eſt ad corporis ſanitatem præſidium maius. Præclarè proinde, & ad mentem Epicuri Horatius:

Quæ lædunt oculos feſtinas demere; ſi quid
Epiſt. 2 *Eſt animum, differs curandi tempus in annum;*

Neque verò hoc modò loco cenſet Epicurus Philoſophiam eſſe veluti medicinam, quâ obtinere, tuerique animi ſanitatem liceat; verùm aliàs quoque, vt cùm eius verba apud Antonium, & Maximum ſunt, *οὐ προσποιεῖσθαι δεῖ φιλοσοφεῖν, ἀλλ᾽ ὄντως φιλοσοφεῖν· οὐ γὰρ προσδεόμεθα τοῦ δοκεῖν ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τοῦ κατ᾽ ἀλήθειαν ὑγιαίνειν. Philoſophandum nobis eſt, non ad ſpeciem, ſed ſeriò; neque enim opus eſt nobis, vt ſani videamur, ſed vt ſani reuerâ ſimus.* Philoſophandum iuueni, & ſeni. Sec. 134. Quod conſonat rursùs illi adhortationi, quâ Pythoclem monet, vt ſe non ad oſtentationem, ſed ſeriò Phyſiologiæ dedat, quòd non inanis gloria, ſed tranquillitas mentis, viam iuuet. Quinetiam, cùm hæc illius ſententia apud Senecam legitur, *Philoſophiæ ſeruias oportet, vt tibi contingat vera libertas*; eodem penitùs tendit adhortatio; quoniam ſicut in corpore ſanitas intelligitur, donec eſt ab omni prauorum humorum, qualitatúmque vitiatarum oppreſſione liberum, læſaſque actiones non habet; ſic in ipſo quoque animo intelligitur, dum nullis affectibus perturbatus ſuarum actionum dominus eſt, & quaſi in puro, ſerenóque degit. Epiſt. 8.

Deinde, adhortatio eſt tam ad iuuenes, quàm ad ſenes; quoniam intereſt vtrorumque, vt corpore ſanos; ſic animo eſſe; Epicuruſque adeò ſuadet agendum circa Philoſophiam, ſecus ac celebre eſt Thaletem egiſſe circa coniugium, quod cùm auerſaretur, reſpondit primùm matri ad nuptias hortanti, *tempus nondum eſſe*; ac poſtmodùm, *tempus ampliùs non eſſe.* Nimirùm ſi abſurdus ſit, qui dicat aut nondum adeſſe, aut iam præteriiſſe id tempus, quo curare debeat valetudinem corporis; næ is ſit, qui dicat aut nondum adeſſe, aut iam præteriiſſe, quo philoſophari debeat, hoc eſt, gerere curam valetudinis mentis. Et cum nihil ſit magis ſecundùm naturam, quàm beatum ſtatum appetere; næ is proinde ſit, qui dicat aut nondum adeſſe, aut iam præteriiſſe, quo ſibi eſſe beatum vacet. Huc proinde ſpectat, quod ille conqueritur, fluere ſibi tarda,

——ingratáque tempora, quæ ſpem, Horat 1.
Conſiliúmque morantur agendi gnauiter id, quod Epiſt. 1.
Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè;
Æquè neglectum pueris, ſenibúſque nocebit.

Eſt porrò hoc ſapientiæ ſtudium, de quo alius: Perſ. ſat 4.

——Petite hinc iuueneſque, ſeneſque
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

Vbi Viaticum dicitur imitatione quadam Biantis, Ariſtippi, Antiſthenis, Ariſtotelis, & aliorum Philoſophiam vocantium Viaticum Senectutis. Hinc ſuadet Epicurus Iuuenibus ſpeciatim; quoniam cùm nihil pulcriùs, laudatiúſque ſit, quàm à teneris benè aſſueſcere, & ad ipſum ætatis florentis decorem, addere dulcorem ſapientiæ, qui maturæ ætatis ampliſſimus eſt fructus: tum nihil eſſe iucundius poteſt, quàm ſibi & parare, & exſpectare poſſe ſenectutem, quæ præter proprios maturitatis fructus, effloreſcat adhuc iiſdemmet, quibus glorioſè claruerint in iuuentute virtutibus; & rerum præclarè actarum memoriâ, ſeu repetitâ quaſi præſentiâ indeſinenter iuueneſcat. Suadet & ſenſibus ſpeciatim, quoniam

Philoſophandum Iuueni, & Seni. Sapientia, vti germanum ſenectutis eſt ornamentum, & aduerſus incommoda imbecillæ ætatis ſingulare præſidium ſita & Senij neſcia, præſtat, vt ſenes pari vigore animentur, quo iuuenes; quatenus vt illi præ feruore ætatis fidentes ſunt, ac nihil timent; ſic ipſi ſapientiâ muniti, ſecuri degunt, ac imminentia, breuique futura (vt mortem) non timent. In Soph. Iuuat heic Senecam audire, poſtquam iam ſenex id præſtitit, quod imitatus poſteà magnus Imperator Antoninus eſt, dum, vt eſt apud Philoſtratum, ſolitus eſt, tametſi ſenex, & addiſcendi quidem cauſâ, Sextum Epiſt.76. Philoſophum conuenire. Ita igitur Seneca, *Philoſophum*, inquit, *audio, & quidem quintum iam diem habeo, ex quo in Scholam eo, & ab octaua diſputantem audio. Bona,* inquis, *ætate. Quidni bona? Quid autem ſtultius, quàm, quia diù non didiceris, non diſcere? Quid ergo? idem faciam, quod troſſuli, & iuuenes? Benè mecum agitur, ſi hoc vnum ſenectutem meam dedecet. Omnis ætatis homines hæc ſchola admittit; In hoc ſeneſcamus, vt iuueneſcamus. In theatrum ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit. Ad Philoſophum ire erubeſcam? Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias; & ſi prouerbio credimus, quamdiù viuas. Nec vlli hoc rei magis conuenit, quàm huic; tamdiù diſcendum eſt, quemadmodum viuas, quamdiu viuis.* Et poſteà: *Perge, Lucili, & propera, ne tibi accidat, quod mihi, vt ſenex diſcas. Imo ideò magis propera, quoniam id nunc aggreſſus es, quod perdiſcere vix ſenex poſſis. Quantum, inquis, proficiam? quantum tentaueris. Quid exſpectas? Nulli ſapere caſu obtigit. Pecunia veniet vltrò; honor offeretur; gratia, ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi; virtus in te non incidet; ne leui quidem operâ, aut paruo labore cognoſcitur; ſed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo.*

Denique adhortatio eò tendit, vt procraſtinatio præſertim fugiatur: hoc verò eſt, quod aliàs quoque Epicurus ſæpe inculcat. Videlicet apud Plutarchum, Stobæumque, eius 2. Adu. Col. ſerm. 16 verba ſunt: Γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς δ' οὐκ ἔστι γενέσθαι, δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι· σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος, ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν. Ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται, καὶ διὰ τοῦθ' ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει. *Semel nati ſumus; bis naſci non licet; ac deſinere ætatem oportet. Tu verò cùm craſtinum diem tua in poteſtate non habeas, cras te victurum reputans, te in horas venturas differs. Ecce interim omnium vita cunctando perit miſerè; exindeque eſt, vt noſtrum non-nemo inter occupationes moriatur.* Sic etiam apud Senecam Epicuri vox eſt, *Inter cætera mala hoc quoque habet ſtultitia;* Epiſt.13 *ſemper incipit viuere.* Et rurſus: *Moleſtum eſt* Epiſt.23. *ſemper vitam inchoare*: aut, ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi, inquit Seneca *Malè viuunt, qui ſemper viuere incipiunt.* Quæ eò ſanè ſpectant, ne cùm præſertim cœperimus, curſum abrumpamus, ſperantes fore, vt deinceps conſtantiùs curſum inſtauremus. Videlicet hoc quoque modo,

Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit. In pag. 82.

illéque iure ita obiurgat: Ouid. 1. de rem. am.

Cras viues? hodie iam viuere, Poſthume, ſerum eſt:
Ille ſapit, quiſquis, Poſthume, vixit heri. Mart. 5. Epigr.

Ac alius nequicquam non conqueritur: Manil. 4. aſtron.

Quid tam ſollicitis vitam conſumimus annis,
Torquemurque metu, cæcâque cupidine rerum,
Æterniſque ſenes curis, dum quærimus æuum,
Perdimus, & nullo votorum fine beati,
Victuros agimus ſemper, nec viuimus vnquam?

Dico autem, præſertim, quoniam vt Epicurus procraſtinationem in iuuene damnat, ita & in ſene damnat inconſtantiam, laſſitudinémque ſapiendi. Eodem proinde, quò Diogenes reſpexit, qui, cùm, vt apud Laërtium eſt, aliqui hortarentur, vt quia iam ſenuiſſet, aliquid de ſtudio, laboréque remitteret, *Quid*, inquit, *ſi currerem ſtadium; vbi propè iam ad finem veniſſem, remittere me, & non potiùs, magis contendere oporteret?* Congruè, opinor, heic memoretur conſtantia illa Canij, qui eſt ad vſque ipſummet mortis momentum philoſophatus. Non memoro tranquillitatem, quâ latrunculorum luſum, tum cùm ad ſupplicium eſt vocatus, dimiſit; quippe calculo numerato: *Vide*, inquit ſodali ſuo, *ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe*, & Centurioni: *teſtis eris vno me antecedere.* Excipio ſolùm cum Seneca: De tranq. an. 14. *Luſiſſe tu Canium illâ tabulâ putas? Illuſit. Triſtes erant amici, talem amiſſuri virum; Quid mæſti, inquit, eſtis? vos quæritis, an immortales animæ ſint: ego iam ſciam. Nec deſiit in ipſo veritatem fine ſcrutari. Proſequebatur illum Philoſophus ſuus, nec iam procul erat tumulus, in quo Cæſari Deo noſtro fiebat quotidianum ſacrum. Quid,* inquit, *Cani, nunc cogitas; aut quæ tibi mens eſt? Obſeruare,* inquit, *Canius, propoſui illo velociſſimo momento, an ſenſurus ſit animus exire ſe: promiſitque, ſi quid exploraſſet, circumiturum amicos, & indicaturum quis eſſet animorum ſtatus. Ecce in media tempeſtate tranquillitas: ecce animus æternitate dignus, qui fatum ſuum in argumentum veri vocat; qui in illo vltimo gradu poſitus, exeuntem animam percontatur; nec vſque ad mortem tantum, ſed aliquid etiam ex ipſa morte diſcit. Nemo diutiùs philoſophatus: ſed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus. Dabimus te in omnem memoriam, clariſſimum caput, Caianæ cladis magna portio.*

Quæ felicitatem faciunt, meditanda.

℣. 17. Μελετᾶν οὖν χρὴ τὰ ποιοῦντα τὴν εὐδαιμονίαν. Habens Epicurus pro abſurdo, dici tempus ad beatam vitam aut nondum veniſſe, aut iam præteriiſſe; ſuadet conſequenter ea meditari, quæ beatam vitam faciunt; ac tum ſubdit quædam huiuſce meditationis capita; ea nempe quæ ſunt ſentienda de Deo, de Morte, de Futuri exſpectatione, de Cupiditatibus; tum docet in quo beatam vitam, felicitatemve conſtitutam putet. Interim verò *Felicitatem*, τὴν εὐδαιμονίαν meritò commendat ex eo, quòd

In pag. 82. quòd ipſa præſente nihil non habeamus, abſente nihil non agamus, vt poſſimus eam conſequi: ſiquidem ex priore parte intelligi licet quemadmodum Felicitas idem cum Summo Bono ſit; ex poſteriore, quemadmodum idem ſit cum Fine bonorum. Nam videntur quidem imprimis Felicitas, & Summum Bonum res eſſe ita diſtinguendæ, vt Felicitas ſtatus ſit, quo experi melior non poſſit, vt in quo fruitio, aut qui ipſe fruitio ſummi Boni ſit; Summum verò Bonum, ſeu Summum Bonorum, *τ' ἀγαθὸν, ἄριστον, μέγιστον τῶν ἀγαθῶν*, non tam felicitas ſit, quàm ipſum obiectum, ſeu res, cuius fruitione reddimur felices. Verùm quia felicitas, ſtatoſ-ve, ſeu fruitio illa, ipſum ſummum bonum complectitur; heinc factum eſt, vt ipſa quoque appellata ſit Summum bonum. Et quia proinde felicitas tantum, tamque eximium bonum eſt, vt ſit felici inſtar omnium quæ oſtendi in mundo poſſunt, atque idcirco Summum ſit, quia nihil præterea experi poſſit; eam ob rem dicit Epicurus felicitate habitâ, nihil eſſe, quod non habeamus; ſeu habere nos omnia, quæ habere nos interſit, ac iuuet. Quo

In defin. 3. modo ipſi quoque Platoni Felicitas eſt *ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἀγαθῶν συγκείμενον, compoſitum bonum*

Conſol. proſ. 1. *ex omnibus bonis*; Ciceroni: *Bonorum omnium complexio*; Boëtio: *Status omnium bonorum, &c.* Deinde, cùm Felicitas duobus modis dicatur Finis, vno quidem, quatenus eſt apex, faſtigium, ac ſummum bonorum; quo ſenſu Ciceroni *τέλος* reddit non modò *finem*, verùm etiam *extremum*, atque *vltimum*; ac ſuos illos libros inſcribit *de Fine*, ſeu *de finibus* non modò *Bonorum*, ſed etiam *Malorum*: quòd vt in bonis, ita in malis aliquod extremum, ſeu vltimum ſit: Altero verò quatenus eſt id, *οὗ ἕνεκα*, *cuius gratia* cætera omnia ſic expetuntur, vt expetatur

1. Eth. 1. ipſum propter ſe: quippe cùm, vt docet Ariſtoteles, oporteat eſſe aliquid in expetendis vltimum, ne abeatur in infinitum: Ideò Epicurus ſupponens felicitatem priore ſenſu idem eſſe cum eo, quod Summum bonum dicitur, poſteriorem apertè innuit, dum Felicitatem eſſe docet id cuius gratiâ, ſeu quod adipiſci vt poſſimus, omnia agimus. Ex quo profectò clarum eſt Felicitatem dici Finem non modo *excellenter*, *κατ' ἐξοχὴν*, ſeu quòd omnium finium præſtantiſſimus ſit; ſed etiam quòd ſit finium omnium finis; ſeu quòd alij omnes ordinem quendam ad ipſum habeant; vt proinde iure dicatur ab aliquibus & vltimus finis, & Finis ſimpliciter vltimus; quaſi aliqua bona ſint, quæ viſa experi propter ſe ipſa, tamen adhuc ad Felicitatem relata, ob eam expetantur;

2. De Rep. cuiuſmodi eſſe Plato Sapientiam, viſum, ſanitatem, vult, & Ariſtoteles, honorem, voluptatem, bonam mentem, omnem virtutem, quæ cum videantur aliquando propter ſe experi, eſſéque *τέλεια perfecta*, deprehendantur tamen referri ad Felicitatem, quæ ſola, quia nunquam refertur ad aliud, ſit *τελείων τελειότατον*, *rerum perfectarum perfectiſſima* habenda. Heinc

porrò eſt cur Ariſtoteles concludat poſteà Felicitatem non eſſe *τῶν ἐπαινετῶν ex rebus laudabilibus*, cuiuſmodi ſunt virtutes, & præclarè geſta; ſed potiùs *τῶν τιμίων ex honorabilibus*, ſeu veneratione, & obſeruantia dignis, quibuſque adeò aliquid maius excellentiuſque laudatione congruit, vt cùm, inquit, *μακαρίζομεν, καὶ εὐδαιμονίζομεν*, *beatos ac felices prædicamus* Deos. Quæ felicitatem faciunt, meditanda.

Tametſi fuêre Pythagorei, vt apud Stobæum Ser. 101. Hippodamus Thurius, qui exiſtimarint Felicitatem *partim laudatione, partim beatitatis prædicatione*, *ἐπαίνῳ τε, καὶ μακαρισμῷ* perfici; quatenus, vt homo ſit bonus virtute, cuius laudatio propria eſt; ita felix bonâ fortunâ, cuius eſt propria beatio; vnde & ſit vt ſæpè ſynonyma habeantur Felicitas, & *Bona* ſiue proſpera, ſecundáve *fortuna*, *εὐτυχίαν*, & idem vulgo ſoleat dici felix, qui *fortunatus*, *εὐτυχής*.

Cæterùm, cùm Felicitas tantum bonum ſit, ac ideò expetatur ab omnibus hominibus (haud abs re enim innuit Plato ridiculum, In Euthyd. ſtultúmque eſſe, quærere, an ſit aliquis, qui *benè rem gerere εὐπράττειν*, *felixve eſſe* non appetat? Et D. Auguſtinus, poſtquam præmiſit ap- De Epic. & Stoic. cap. 1. petitionem beatæ vitæ, eſſe Chriſtianorum, Philoſophorúmque communem, tùm quaſi ſeſe corrigens, *debui dicere*, inquit, *omnium hominum: Si malos* enim *interrogare poſſem, vultis beati eſſe? nemo diceret, nolo.*) Videtur tamen res accipienda iuxta illam Felicitatis inter Effata traditam ab Epicuro diuiſionem. Nam verum quidem profectò eſt, Felicitatis nomine intelligi vulgò eum ſtatum, quo nullus poſſit melior, ſuauior, deſideratior excogitari; in quo nihil ſit mali quod timeas, nihil boni quod non habeas; nihil, quod agere libeat, ac non liceat; qui denique conſtantior ſit, quàm vt amitti vnquam poſſit. Verùm talis felicitas, donec mortalem viuimus vitam, in voto potiùs, quàm in re eſt; ac poteſt ad ſummum haberi vt Idea, ſiue exemplar, ad quod prout magis, vel minùs vitæ ſtatus acceſſerit, poſſit pro maiore, minoréve felicitate reputari. Dico autem mortalem vitam, vt præter iſtam eſſe aliam immortalem inſinuem, in qua ſacra Religio docet manere bonos felicitatem, quæ omnem captum infinitè excedat, fruitionem putà, ſeu claram viſionem, ineffabilémque dilectionem ſuper-ſummi illius, & ſuper-excellentiſſimi Boni, quod non aliud ſit quàm ipſemet ter-Maximus, ter-Optimus, ter-glorioſiſſimus DEVS. Certè Ethnici ipſi quoque deſperarunt poſſe in hac vita haberi illam adeò perfectam, abſolutámque felicitatem, ac Plato In Epinom. in primis, qui tamen aliunde futuram ſperauit: *Nam præclara*, inquit, *ſpes eſt, fore, vt poſt mortem conſequatur quis omnia, quorum deſiderio accenſus, inſtituerit, tranſegeritque quam optimè potuerit, vitam.* Quin-etiam videri quadamtenus poteſt ſubodoratus ſtatum illum futuræ beatitudinis; niſi quòd declinans Elyſiorum fabulas, incidit in illam de refuſione animorum noſtrorum in Animam Mundi, quam alio

Quæ Felicitat. in facimus, traditanda. nomine dixit Deum, vt intelligitur tùm ex iis, quæ dicta ſuperiùs circa animam ſunt; tùm ex iis, quæ babet ſpeciatim Plotinus, cùm ediſſerit animum tùm fore perfectè beatum: Enn. 6. l. 9. c. 10 *Cùm heinc emigrârit ad Deum, ac iam tanquam alius, & non ipſe vlteriùs, factus fuerit totus illius, ſeſe ipſi videlicet* ὥσπερ κέντρῳ κέντρον συνάψας, *tanquam centrum centro*, indiuiduè nempè, & abſque diſcrimine vllo *coniungens*. Enimverò, cùm heic agatur de huius vitæ felicitate, & non eâ quidem, quam ſacri Doctores ex profeſſo ediſſerunt, docentes nempè, quàm felix ſit, qui ſupernaturali adiutus auxilio, ſincero Dei cultui adhæret, ac fidei, ſpei, charitatis plenus, quicquid æui eſt, leniter traducit: ſed eâ, quæ dici poteſt naturalis, quaſi ipſis naturæ viribus comparabilis, & qualem poſſe obtineri Philoſophi non deſperârunt; Cùm de iſta, inquam, heic ſolùm agatur; ideò videtur poſſe dumtaxat Felicitatis nomine talis ſtatus intelligi, in quo, quantum licet, quàm optimè ſit; ſeu, in quo bonorum neceſſariorum quam-plurimùm, malorum quorumvis quam minimùm adſit; atque adeò in quo traducere vitam ſuauiter, tranquillè, permanenter detur, quantum quidem ipſa conditio regionis, ſocietatis, generis vitæ, conſtitutionis corporis, ætatis, & ſimilium circumſtantiarum permiſerit. Nempè hæc felicitas eſt, ad quam ſolam videntur poſſe homines ſecundum naturam iure adſpirare; cùm ſibi alioquin polliceri, affectaréque eximiam illam, ſit mortalitatis ſuæ obliuiſci, neque agnoſcere hominem ſe eſſe, hoc eſt animal imbecillum, & ex naturæ conditione innumeris malis, miſeriiſque obnoxium. Nec verò ideò parum hoc eſt, cùm homines omnes quadamtenus miſeri ſint, te in eo ſtatu collocare, in quo minimè omnium miſer ſis; vel inter varios miſeriæ gradus, quibus obnoxius natus es, ſis, quam-minimum eſſe potes, miſer. Quippe iſtud demum eſt eſſe felicem: cùm licet ſuperſit aliquid miſeriæ, quod felicitatem abſolutam turbet; tantum tamen ſuppetit boni, vt vel præ aliis, vel præ te ipſo (ſi in alio quidem, in quo eſſe potuiſti, ſtatu fores) cenſere poſſis te adeptum felicitatem comparatè acceptam, ac talem, cuius ſolius es, pro tuæ naturæ conditione, capax. Et vide, vt Cicero quoque id agnouerit: *Quamquam enim*, inquit, *ſint in quibuſdam malis; tamen hoc nomen beati longè, latéque patet. Nam, vt quæſtuoſa mercatura, fructuoſa aratio dicitur, non* 5. Tuſc. *ſi altera ſemper omni damno, altera omnis tempeſtatis calamitate ſemper vacet; ſed ſi multò maiori ex parte exſiſtet in vtraque felicitas: ſic vita non ſolùm, ſi vndique referta bonis eſt, ſed ſi multò maiore, & grauiore ex parte bona propendent, beata rectè dici poteſt.* Vtcumque ſit, talis profectò, non alia felicitas eſt, de qua, cùm Ariſtoteles dicat ambigi, doctrinâ-ne, & conſuetudine, exercitationéque paretur, an diuina ſorte contingat: *Profectò*, inquit, *ſi aliud quoddam munus eſt hominibus à Diis immortalibus datum; felicitatem datam par eſt, qua nihil eſt melius in rebus humanis. Et fortaſſis quidem hoc aliàs conſideratu ſit opportunius, interim tamen illud conſtat; tametſi non ſit felicitas res, quæ obtingat diuinitùs, ſed vel virtute, vel doctrina, vel exercitatione quæratur, nihil eâ poſſe eſſe diuinius.* In pag. 82. 1. Ethic.

Nunc; *cùm*, vt ait Seneca, *viuere omnes beatè velint, ſed ad peruidendum quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligent*; De be. vi. c. 1. adnotari poteſt, cùm tam variæ vulgò de Felicitate iactentur ſententiæ, eſſe tamen illas maxima ex parte non tam de ipſa felicitate, quàm de felicitatis cauſis, alio nomine appellatis Mediis; quæ & aliunde, cùm bona ſint, & inter bona vnum ſit, quod ſolùm, aut præcipuè felicitatem faciat, ac Summum ideò dicatur Bonum, ſenſu iam antè expoſito; ea propter videtur non tam controuerti, quid Felicitas ſit, quàm quod Summum Bonum, quo ſumus felices. Ita nimirùm cùm, v. g. dicuntur quidam in diuitiis felicitatem ponere; illi diuitias, non vt Felicitatem, ſed vt cauſam, vt Medium, vt ſummum Bonum, cuius poſſeſſione felicitatem obtineant, habent. Et cùm Democritus, exempli causâ, exiſtimauit Felicitatem nihil aliud eſſe quàm εὐθυμίαν, *tranquillitatem animi: Iſta animi tranquillitas*, inquit Cicero, 5. De fin. *ea ipſa eſt beata vita; quærimus autem, non quæ ſit, ſed vnde ſit*: ſeu quod ſummum bonum, quo ea comparetur. Sed ne ſcrupuloſiùs agamus; quòd tametſi voces vulgò confundantur, facile ſit tamen rem diſcernere, ideò obſeruãdũ eſt ſolùm, quaſdam huiuſmodi opinionum ſpectare magis ad ipſum ſtatum Felicitatis declarandũ, quaſdam magis ad declarandũ, quæ Felicitatis efficientia ſunt. Et quod ad ipſum quidem ſtatum felicitatis attinet, celebris cumprimis habetur, quæ eſt mox memorata εὐθυμία, Democriti, vtpote de qua non Democritus modò *volumen egregium*, vt Seneca habet, compoſuerit, ſed eius etiam imitatione & Hipparchus Pythagoricus, & Panætius Stoïcus, & Plutarchus quoque, & alij. Eſt verò Cicero interpretatus huiuſmodi vocem, vt iam inſinuauimus (& Seneca ipſe imitatus eſt) *tranquillitatem animi*, atque etiam *ſecuritatem*, quo nomine reddi etiam poteſt illa ἀθαμβίη, ſeu *immunitas à pauore*, quam Nauſiphanes apud Clemẽtem Democrito tribuit, & idem quod ſuam ἀκαταπληξίαν (ſic enim videtur, non κατάπληξιν) 2. Strom. eſſe dicit. Fuit porrò etiam alia Democriti vox εὐεστώ, *bonus*, ſiue *pacatus ſtatus*, quem Diotimus quoque ex eodem Clemente, vſurpauit. Pertinere eòdem videtur illa Heracliti εὐαρεστότης, *placabilitas*, ſeu *animi ſtatus benè, quietéque compoſitus* & Pyrrhonis ἀταραξία, quam Sextus eſt interpretatus ψυχῆς ἀοχλησίαν, καὶ γαληνότητα, 1. Pyrrhon. Hypotyp. 4. *ſtatum animi imperturbatum, & tranquillum.* Videri quoque proinde poſſet ſpectare illa ἀοχλησία, quæ non modò Hieronymo, ſed Diodoro etiam, Speuſippoque tribuitur; 2. De fin. verùm Cicero reddit *indolentiam*, ſiue *vacuitatem doloris*; vt potiùs proinde attineat

In pag. 82. neat ad corpus. An eodem verò referatur *ἀτυφία* Antiſthenis? Certè, ſi hac voce non modò intelligatur *priuatio faſtus*; ſed generaliùs etiam vacuitas cuiuſlibet quaſi procelloſæ commotionis pacem animi conturbantis. Quod ad ipſa verò Efficientia felicitatis attinet; cùm illa non ſint alia, quàm quæ animi, corporis, fortunæ bona diſtinguuntur; quidam ſunt, qui illa; nonnulli qui iſta; alij, qui omnia complectantur. Et qui bona quidem animi commendant, aut Cognitionem, aut Virtutem, aut Delectationem tuentur. Ex primis ſunt Anaxagoras, qui ad Felicitatem exegit rerum contemplationem, ac vnà ſubnatam ex ea libertatem; & Poſidonius, qui Contemplationem, ac vnà dominatum in irrationalem partem; & Herillus, qui vniuersè, ſimpliciterve ſcientiam; & Pythagoras, qui ſpeciatim ſcientiam perfectionis virtutum; & Plato, qui nunc ſcientiam Boni, & eam, quæ cum Deo, ſimilitudinem: nunc ſcientiam, ſeu ſapientiam, intellectúmque, & voluptatem; & Academici recentiores, qui cohibitionem aſſenſus à viſis. Ex ſuccedentibus celebrantur potiſſimùm Stoici, Zeno, Cleanthes, cæteri, qui ſolam virtutem ſic ſufficere ad beatam vitam autumârunt, vt Ariſto præ aliis cenſuerit, quod Pyrrhoni quoque imputatur, habita virtute, nihil intereſſe, an optimè valeas, an grauiſſimè ægrotes; cùm & vox omnium fuerit, beatè viuere nihil eſſe aliud, quàm viuere ſecundum virtutem, ſeu quod idem eſt ſecundum naturam. Ex poſtremis ſunt Apollodorus qui felicitatem cenſuit effici *τῇ ψυχαγωγίᾳ oblectatione animi*; & Lycus, qui vero gaudio animi; & Leucimus, qui delectatione ex rebus honeſtis. Qui bona Corporis præferant, ſunt potiſſimùm Voluptarij, ac in iis maximè Ariſtippus, & cum eo Cyrenaici, de quibus inferius, dum cum Epicuro comparabuntur, eſt fuſiùs dicendum. Adnoto ſolùm heic Annicerios, qui ad Cyrenaicorum ſucceſſiunem pertinent, ad nullum vitæ totius finem determinatum reſpexiſſe, ſed dumtaxat ad ſingularem cuiuſque actionis voluptatem; & Calliphontem de voluptate ita magnificè ſenſiſſe, vt cauſatus fuerit virtutem, quæ illi comparandæ initio ſolùm inſeruiret, eò deueniſſe venuſtatis, vt parem cum ea honorem fuerit aſſequuta. Qui denique bona fortunæ præ aliis magnifaciant, ij multi quidem è vulgo ſunt, dum alij opes, alij honores, alij cætera conſectantur. At ex Philoſophis non alij citantur, quàm qui cum ipſis, animi ſimul corporiſque bona requirunt. Porrò, qui ad felicitatem tria bonorum genera requiſierint, plurimos quidem, vel potiùs omneis commemorare in promptu foret (neque enim aliquis fuit, ſi Ariſtonem excipias, qui directè, indirectève non exegerit ſaltem ex corporeis integritatem, ac ſanitatem ex fortuitis, ſiue externis, ſaltem neceſſaria ad victum) verùm ſolet hac occaſione Ariſtoteles præſertim citari; qui cùm primas ſanè & contemplationi, & virtuti deferat; negat tamen dici eum poſſe felicem, qui in maximis doloribus calamitatibuſque verſetur, niſi fortè velit quis theſin, paradoxúmve defendere: & cùm congruere Felicitati putet, vt quis opibus, liberis, & amicis floreat; non improbat, quoſdam idem eſſe velle *τὴν εὐτυχίαν τῇ εὐδαιμονίᾳ*, *Felicitatem, & proſperam fortunam*. Taleis autem innuimus eſſe Pythagoreos aliquos, quibus & Poëtæ accinunt.

Qua Felicitatem faciunt, meditanda.

1. Eth. 5.

Ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν, εὐτυχεῖν δ' αἰτεῖν θεούς. Carcin. ap. Stob. ſer. 101.
Ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα, μακάριος θ' ἅμα
Κεκλημένος ζῇν, κἀγαθὸς δύνῃ ποτ').
Virtus colenda; ſors petenda à Diis bona.
Hæc quippe duo cui ſuppetunt, is viuere
Et vir beatus, & bonus ſimul poteſt.

Verùm notum eſt, quàm ſoleant Poëtæ efficientia felicitatis non ex vulgi modò, ſed etiam ex Philoſophorum ſententia appoſitè deſeribere. Quod enim Ariſtoteles, verbi causâ, ait homines vulgò reputare ea facere felicitatem quæ ſibi cùm deſint, admirantur in aliis, vt ignari ſcientiam, pauperes diuitias, ægroti ſanitatem, &c. En, vt paria in Satyris: 1. Eth. 2.

O fortunati mercatores! grauis annis Hor. 1. ſer. ſat. 1.
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà mercator, nauim iactantibus Auſtris,
Militia eſt potior! ——

Et

Agricolam laudat iuris, legúmque peritus,
Sub galli cantum, conſultor vbi oſtia pulſat;
Ille, datis vadibus qui rure extractus in vrbe eſt,
Solos felices viuenteis clamat in vrbe.

Sed & de admiratione, illiúſve defectu, idem habet tritum illud quidem, sed præclarum tamen,

Nil admirari propè res eſt vna, Numici, 1. Epi. 6.
Soláque, quæ poſſit facere, & ſeruare beatum.

Quo ex capite inſinuatur non modò tranquillitas illa, quam peperit ſibi, qui humanarum rerum inanitate perſpectâ, non miratur ampliùs, neque ideò affectat, ſed deſpicit potius ſplendorem illum potentiæ, honorum, opum, &c. quibus mortalium oculi vulgò perſtringuntur; ſed illa etiam, quam acquiſiuit, qui perſpectis rerum naturalium cauſis, non obſtupeſcit ampliùs, neque terretur inſtar vulgi. Ex quo ille alius:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas, Virg. 2. Georg.
Ille metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitúmque Acherontis auari.

Rurſùs & quod Ariſtoteles varia congerit genera bonorum; En, vt eadem non modò Græci:

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ,
Δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γενέσθαι, Scler ap. Stob. Ser. 101.
Τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως, εἶτα
Τέταρτον, ἡβᾷν μετὰ τῶν φίλων.
Fragili viro, optima res benè valere;
Atque indolem bonam eſſe ſortitum;
Tùm & poſſidere opes dolo haud partas;
Tandem & cum amicis exigere vitam.

Quæ Felicitatem faciunt, meditanda. Sed etiam Latini; ex quo illud eſt in ore omnium Epigramma:

Mart. lib 10. Epig.47.
Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt.
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis;
Lis nunquam, toga rara, mens quieta;
Vires ingenuæ, ſalubre corpus;
Prudens ſimplicitas, pares amici;
Conuictus facilis, ſine arte menſa;
Nox non ebria, ſed ſoluta curis;
Non triſtis thorus, attamen pudicus;
Somnus, qui faciat breueis tenebras;
Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

Loc cit. Et ne longum faciam; quòd otium commendatur ab omnibus; & Democritus ſpeciatim apud Stobæum admonet, non oportere eum, qui adſpirat ad ſuam illam εὐθυμίαν, *tranquillitatem animi*; multis agendis ſe immiſcere, nec priuatim, nec publicè; ac cætera inter celebratur oraculum illud Gygi tunc ampliſ- Lib.7. cap.46. ſimo, vt loquitur Plinius, terrarum Regi redditum, quo felicior eſt habitus ſenior ille Aglaus Pſophidius, qui in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo paruum, ſed annuis victibus largè ſufficiens prædium coluit, nunquam ex eo egreſſus eſt, & minimâ cupidine, eſt minimum mali in vita expertus; ideò illi vnà cum otio, immunitatéve à rebus gerendis, ſeu vacatione à negotiis commendare ſolent vitam ruſticam, quam & parum abeſt quin æquiparent cum aurea ætate. Alius nempe ſic exorditur:

Horat. epod.2.
Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fænore.
Neque excitatur claſſico miles truci;
Neque horret iratum mare.
Forúmque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Alius verò ita effatur;

Virg.2. Georg.
O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus:
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantûm totis vomit ædibus vndam;
Nec varios inhiant pulcrâ teſtudine poſteis,
Illuſaſque auro veſteis, Ephyreiaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Diues opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viuique lacus: at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt, &c.

Ad Epicurum vt redeam, is, vt fuſiùs poſteà dicetur; tùm Felicitatem, ſeu Finem conſtituit in Indolentia corporis, & Tranquillitate mentis; tùm Efficienteis illius cauſas eſſe edixit, non compotationes, comeſſationes, &c. ſed vnà cum virtutibus (à quibus inſeparabilis eſt) Rationem ſanam, quæ & ſpeculatur In pag. 82. & perſpicit cauſas cur quidque eligendum, fugiendúmve ſit; ac abigit ex animo vt prauas, ita effectrices perturbationis opiniones. Quare & de Felicitate, ſeu Fine deinceps dicturus, hortatur imprimis ad meditandum ea, quæ felicitatem efficiunt; & quia principem in iis locum tenet prauarum, & perturbationem ingenerantium opinionum depulſio; idcircò ſubinde, quaſi præiturus attingit tria, aut quatuor opinionum capita, ex quibus diſcuſſis putat vacuitatem perturbationis paratum iri. Contendit nimirum fore, vt ſi quis, vulgi opinionibus abiectis, de Diis ita ſentiat, vt nihil mali ſit ab ipſis metuendum; de Morte, vt poſt ipſam nihil quod nos attineat, aut vnde dolere poſſimus, ſuperſit; de futuro, vt id neque anxiè ſperemus, neque impatienter deſperemus; de Cupiditatibus, vt ſolis naturalibus, neceſſariiſque adhærentes, eas, quæ nec naturales ſunt, nec neceſſariæ, negligamus; is planiſſimam ſibi viam fecerit ad Felicitatem.

DE DEO VERA SENTIENDA.

ỳ.25. Πρῶτον μὲν τὸν θεὸν, ζῶον ἄφθαρτον, καὶ μακάριον. Iſtud primum caput eſt rerum, quarum meditationem ſuadet. Ac vt circa textum pauca adnotemus, præpono primùm Pag.83.ỳ.5. ipſi voci πολλοὶ particulam Pag.83. οἱ, vt intelligatur *populus*, ſiue vulgaris, vulgariúmve ingeniorum multitudo; quo ſenſu ſtatim aliquoties, non ſimpliciter πολλῶν, ſed τῶν πολλῶν legere licet. Deinde autem ỳ.13. lego καὶ μεγίστας, &c. ad vſque τῶν γὰρ, pro αἱ μέγισται βλάβαι αἰτίαι τοῖς κακοῖς ἐκ θεῶν ἐπάγονται, ἢ ὠφέλειαι. Quoniam retenta vox αἰτίαι ſententiam inducit non modò illi, quam eſſe conſtat Epicuri, contrariam; ſed ſcopo etiam ipſi, ad quem Epicurus heic loci collineat, aduerſam: & deeſſe vocem τοῖς ἀγαθοῖς, videtur ipſa contextus ſeries facere ſatis manifeſtum.

Ad rem quod ſpectat; videtur quidem iure Epicurus auſpicari ab ea, quæ de Deo eſt habenda notitia: quoniam qui de Deo rectè ſentit, ſanctéve opinatur, is ſimul & eius amore ſingulari accenditur; & ſic placere illi ſtudet, vt honeſtatem vnicè colat; & ita confidit ſe ipſum habere propitium, vt nihil boni ab eo non ſperans, quicquid vitæ eſt, pacatiſſimè, iucundiſſiméque traducat: Verùm cùm ille aliqua de Dei notitia laudabilia tradat; tùm aliqua etiam, quæ mentibus piis ſint intolerabilia, profert; vtcumque ipſe eos, qui pij, impiive habendi ſunt, ſuo ſenſu interpretetur. Nam & Deum exſiſtere; & eſſe Deum non animal quidem, ſed Ens tamen viuens; & eſſe prætereà beatum, immortalémque, veriſſimum eſt. Veriſſimum etiam, nihil Deo tribuendum, quod eius beatitudini, immortalitatique repugnet; & interim nihilominus multa quæ repugnent, à vulgo ipſi tribui, vt

ſunt

In pag. 83. ſunt præſertim quæ à Poëtis, ſuperſtitioſiſque ſinguntur. At credere tamen rerum prouidentiam ſtare cum ipſius beatitudine, immortalitatéque non poſſe; & cùm vulgus hominum peccet in cæteris quæ Deo tribuit, reputare tamen peccari ab eo quoque cùm Deo tribuit hominum curam, exiſtimátque debere ab ipſo bonos quidem bona, malos verò mala exſpectare; hoc demùm eſt, quod pietas vera, germanáque ferre non poteſt. Porrò, quia eſt ſuperiùs iam contra hanc eius impietatem diſputatum vberiùs; ideò ſeligenda heic ſolùm, ac non-nihil fuſiùs diſcutienda ſunt, quæ cùm ille veriſſimè vniuersè protulerit, ſpeciatim tamen, ſeu attendendo ad varias circumſtantias erroribus variis inter-maculauit.

De notitia exiſtentiæ Dei.

Exordiendum autem ab ipſa exſiſtentiæ Dei notitia videtur; quia licèt ille agat prius de felicitate, immortalitatéque diuinâ, quaſi exinde meliùs conſtet quid ſit id, cuius exſiſtentia deinceps quæritur: Solemne eſt tamen, vt, quaſi ſupponendo, Dei nomine eam naturam intelligi, quâ excogitari præſtantior non poſſit, præmittatur cæteris quæ de Deo ediſſeruntur, quæſtio illa: An Deus ſit? Quippe tametſi res non videatur eſſe vocanda in dubium, quæ ex ſeipſa loquitur, ſuique ipſius ipſa fidem facit; nihilominus, quòd impij non deſint, qui nullam eſſe rationem putent, quæ Deum eſſe perſuadeat; idcircò id moris obtinuit, vt diſputetur quæſtio, quæ ne mouenda quidem foret. Priuſquàm porrò peruideamus, quibus argumentis, ſeu rationibus exſiſtentia Dei ſuadeatur, & aduerſus quidem paucos illos Atheos, qui ex tota antiquitate vix numerantur alij, quàm Diagoras, Hippo, Protagoras, Critias, Prodicus, Theodorus, Euhemerus, Euripides, Callimachus, & ſi qui ſunt alij omnino non multi; quibuſque aliunde vt nationes totas, ſic ſpeciatim quaſi Senatum cæterorum Philoſophorum, Sapientúmque omnium opponere in promptu eſt. Age, cùm Epicurus quoque ſuum contulerit ſymbolum, & ſint tamen qui illum Atheis eſſe accenſendum autument; cognoſcamus paucis quo iure id fiat. Nam qualis quidem ſit Deus habendus, corporeúſne, an incorporeus; finitus, an infinitus; vnus an multiplex; prouidens, an negligens rerum; cæteráque huiuſmodi, heic loci non diſquiritur; ſed ſimpliciter an ſit aliquis? ſiue, vt ille loquitur: Sitne aliqua præſtantiſſima, & æterna, ac beata natura?

Cùm ille ergo talem eſſe, reipſâve exiſtere apertis verbis profeſſus ſit; En tamen quænam fuerit mentis illius interpretatio. *Mihi videtur Epicurus*, inquit Cotta Ciceronianus, *3. De Nat. Deor.* *de Diis immortalibus non magnoperè pugnare; tantum-modo negare Deos eſſe non audere, ne quid inuidiæ ſubeat, aut criminis. Cùm verò Deos nihil agere, nihil curare confirmat, membriſque humanis eſſe præditos, ſed eorum membrorum vſum nullum habere; ludere videtur, ſatiſque putare, ſi dixerit eſſe quandam beatam naturam, & æternam.* *De Deo vera ſententia.* Ac rurſùs: *Verius eſt nimirum illud, quod familiaris omnium noſtrum Poſidonius diſſeruit in libro quinto de natura Deorum, nullos eſſe Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, inuidiæ deteſtandæ gratiâ dixiſſe. Neque enim tam deſipiens fuiſſet, vt homunculis ſimilem Deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu ſolido: membris hominis præditum omnibus, vſu membrorum ne minimo quidem: exilem quendam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem; omnino nihil curantem, nihil agentem. Quæ natura primum nulla eſſe poteſt; idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit Deos.* *Lib. 1.* Et iterùm: *Negare Deos eſſe non audes* (Velleium nempe alloquitur) *ſapienter id quidem; etſi hoc loco non populum metuis, ſed ipſos Deos. Noui ego Epicureos omnia ſigilla venerantes; quamquam nonnullis videri Epicurum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reliquiſſe Deos, re ſuſtuliſſe.* Quibus conſentit illud Empirici, *1. Adu. phyſ.* *Epicurus iuxta nonnullos, quod attinet quidem ad vulgus, relinquit Deum; quod ſpectat verò ad rerum naturam, nequaquam.* Ex quibus minùs mirari par eſt cæterorum loquendi modum. Nam Epictetus: *Arripe*, inquit, *Epicuri contraria; Deos videlicet non eſſe; & ſi ſint, humana tamen non curare.* *Ap. Arrian. 2. c. 10. in Octau. 1. de Nat. Deor.* Minutius Felix: *Epicurus ille, qui Deos aut otioſos fingit, aut nullos.* Balbus ille apud Ciceronem: *Aut negandum eſt eſſe Deos, quod & Democritus Simulacra, & Epicurus Imagines inducens, quodam pacto negat, &c.* Gregorius Nazianzenus: *Impium Epicuri Numinis contemptum exagita:* *Orat 34. 1. & Strom.* Vt Clementem Alexandrinum, alioſque præteream, qui ſimilia habent. Quocirca ex his colligi videtur, Epicurum callidè egiſſe, imitatum nempe Apologi vulpem, quam aliena calamitas dicitur feciſſe cautiorem; quaſi ſcilicet minimè ignorârit illa Areopagi decreta aduerſus quoſdam antiquiores, ac nominatim Protagoram, qui, *cum*, referente præ aliis M. Tullio, *1 De Na. Deor.* *in principio libri ſui ſic poſuiſſet: De Diis, neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere: Athenienſium iuſſu, vrbe, atque agro eſt exterminatus, librique eius in concione combuſti. Ex quo equidem exiſtimo* (ſic pergit ille) *tardiores ad hanc ſententiam profitendam multos eſſe factos: quippe cùm pœnam ne dubitatio quidem effugere potuiſſet.*

Veruntamen re ſeriò ſpectatâ, videtur Epicuri mens alia penitùs exſtitiſſe; vti vel ex ipſo, qui eſt præ manibus contextu, intelligi licet. In eo ſcilicet tantum abeſt, vt gratificati populo voluerit, quin potiùs eſt ipſi maniſeſtiſſimè aduerſatus; profeſſus putà *Impium eſſe, non qui Populi Deos tollit, ſed qui Populi opiniones Diis impingat, quòd ſint non prænotiones veræ, ſed ſuſpiciones falſæ, quæ à populo de Diis*

De Deo vera ſentienda. *perhibentur.* Spectat huc quod Lucretius de
illo :

Lib. 1. *Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti*
Murmure compreſſit cælum.

Epiſt 29. Itemque quod Seneca refert profeſſum fuiſſe
Epicurum, *ſe nunquam voluiſſe populo placere* :
vt minùs ſit mirum, ſi cùm apud populum Iu-
piter, Mars & alij fabularum Dij crederen-
tur, ipſe taleis reiecerit, alioſque eſſe docue-
rit, qnibus rixæ, adulteria, & quæ cætera
de prioribus euulgarentur, non conuenirent.
Addo debuiſſe quoque illum paria commiriſ-
ci, atque fingere circa Prouidentiam, atque
Inferos, qui in tanta quoque apud populum
perſuaſione erant ; & mentem tamen non
diſſimulauit, ac ne agendum quidem id cen-
1. Plac. 7. ſuit, quod ſcribit Plutarchus de Euripide,
qui cùm palam profiteri non auderet Deos
non eſſe, Areopagum reueritus, introduxit
Siſyphum, à quo res ipſa diceretur. Nempe,
vt ille varias perſonas induxit in Tragœdiam ;
ita ipſe varias induxit in Sympoſium (notus
autem mos Dialogorum eſt) & nihil tamen
tale ſomniauit ; ſed enunciauit nudè, quod
ſenſit. Inde eſt admiratio illa D. Auguſtini,
18. Ciu. 41. cuius aliàs meminimus ; *Nam, miror*, inquit,
cur Anaxagoras reus factus ſit, quia Solem dixerit
lapidem ardentem, negans vtique eſſe Deum ;
cùm in eadem ciuitate gloriâ floruerit Epicurus,
vixeritque ſecurus, non Solem, vel vllum Siderum
Deum eſſe non credens, ſed nec Iouem, nec vllum
Deorum omninò in Mundo habitare contendens,
ad quem preces hominum, ſupplicationeſque per-
ueniant. Non ergo, vt vides, ea dixit, quæ
placitura populo eſſent, ſed quæ ſibi potiùs
reipsâ ſunt viſa ; tametſi aliunde ea fuit ſeu
eius fortuna, ſeu diſſeminata apud populum
de bonitate viri opinio (nam & *quæ ſcribebat,*
vanibant probitate eius, ac moribus, quod vidi-
mus aliàs à Cicerone obſeruatum) vt ne in
tanto quidem Stoïcorum odio, tantiſque ca-
lumniis, vlla fuerit aduerſus ipſum crimina-
tio inſtituta. Atque exinde quidem eſt, qua-
re Lactantius, qui tam ſæpè, tamque acriter
in Epicurum inuehitur, hac tamen in parte
neque Ciceroni, neque Poſidonio (quem
conſtat aliunde Stoïcorum genio fuiſſe ani-
matum erga Epicurum) conſentiat. Verba
Lib. de ira Dei, cap 4. eius ſunt : *M. Tullius à Poſidonio dictum refert, id*
Epicurum ſenſiſſe : Nullos Deos eſſe ; ſed ea, quæ de
Diis loquutus ſit ; depellendæ inuidiæ causâ dixiſ-
ſe. Itaque verbis illum Deos relinquere, re autem
ipſa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit
officium. Quod ſi ita eſt ; quid eo fallacius ? quod
à ſapienti, & graui viro debet eſſe alienum. Hic
verò, ſi aliud ſenſit, aliud loquutus eſt ; quid
aliud appellandus eſt, quàm deceptor, bilinguis,
malus, & propterea ſtultus? Sed non erat tam ver-
ſutus Epicurus, vt fallendi ſtudio ita loqueretur,
cùm hæc ſcriptis ad æternam memoriam conſigna-
ret ; ſed ignorantiâ veritatis errauit. Dicendum
proinde ; licet Epicurus in ipſa naturæ diuinæ
deſcriptione errauerit ; videri illum non mali-
tiâ, ſed ignorantiâ lapſum fuiſſe. Commune *In pag.*
ipſi peccatum fuit cum Philoſophis cæteris, 83.
qui vera luce deſtituti à tramite recto variè
deflexerunt ; adeò, vt ſi interpretatio aduer-
ſus Epicurum valeat, valitura ſimiliter ad-
uerſus omneis alios ſit ; neque vllus futurus
ſit, quem non accenſeas Atheis, quòd ſuo
quiſque modo peccârit. Stoïcos præ aliis ci-
tarem, propter Poſidonium, Balbum, Epicte-
tum ; ſed res partim ex aliàs dictis intelligitur ;
partim progrediendo fiet manifeſta.

Ad Rationes vt accedamus, non eſt, cur
omneis conſectemur, quarum ſunt plena vo-
lumina : duas ſufficiet attingere, ad quas
poſſint cæteræ quoque non incommodè re-
uocari Vna ex Anticipatione generali dedu-
citur ; Altera ex rerum naturæ accurata con-
templatione. Illam priore loco pono, tùm
quia Epicuri eſt, tùm quia eſt eiuſmodi, vt
etiam poſteriorem virtute contineat ; excu-
ſanduſque Epicurus non ſit, qui illam admit-
tens, iſtam repudiârit. Vt igitur primùm de
Priore dicamus, ecce vt ipſam Velleius apud
Ciceronem deducat : *Vidit Epicurus eſſe Deos,* 1. De Na. Deor.
quòd in omnium animis eorum notionem impreſſiſ-
ſet ipſa natura. Quæ eſt enim gens, aut quod ge-
nus hominum, quod non habeat ſine doctrina an-
ticipationem quandam Deorum, quam appellat
πρόληψιν Epicurus ? Et ſtatim pòſt : *Cùm enim*
non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio
conſtituta, maneátque ad vnum omnium firma
conſenſio ; intelligi neceſſe eſt, eſſe Deos ; quoniam
inſitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones ha-
bemus. De quo autem omnium natura conſentit,
id verum eſſe neceſſe eſt. Quibus in verbis id
quidem peccatur, quòd ille Deos dicat, non
Deum, ſed hoc interim ſatis eſt, quòd natu-
ra quædam diuina ex anticipatione illa gene-
rali omnium gentium intelligatur. Id mirum,
quorſum Cicero ſub perſona Cottæ iſta ele-
uet, dicens Velleij argumentum eſſe cùm le-
ue per ſe, tùm etiam falſum. Nam, ſi leue,
cur hæc aliàs eſt Ciceronis ipſius ſententia ?
Firmiſſimum hoc afferri detur, cur Deos eſſe creda- 1. Tuſc.
mus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam
ſit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum
opinio. Si falſum ; Cur hæc alibi : *De homini-*
bus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque
tam ferrea, quæ non, etiam ſi ignoret, qualem
Deum habere deceat, tamen habendum ſciat ?
Itemque ; *Multi de Diis praua ſentiunt, id enim* 1. De leg.
vitioſo more effici ſolet ; omnes tamen eſſe vim & 1. Tuſc.
naturam diuinam arbitrantur. Ac adiicit quidem
ſub eadem perſona : *Arbitrari ſe multas eſſe*
genteis ſic immanitate efferatas, vt apud eas nulla
ſuſpicio Deorum ſit. Verùm vtcumque id con-
cedatur : quippe & temporibus illis quidam
populi perhibentur Dei cognitione caruiſſe,
vt in Hiſpania, ac Æthiopia, quod à Stra-
bone memoratur : & in detecto nuper orbe
nationes quædam inuentæ ſunt, apud quas
nulla de Deo opinio vigere obſeruata ſit :
quod primæ quidem Relationes de Meridio-
nali

Digitized by Google

In pag. 83. nali parte; nuperæ etiam de Septentrionali, in qua noſtri ſunt, atteſtantur. Vt concedatur etiam non modò paucos homines illos à Cicerone enumeratos, Diagoram, Protagoram, Theodorum; ſed pluréis etiam alios 10. De leg. fuiſſe Atheos (quippe & Platoni ſemper aliqui, licet nunc plures, nunc pauciores) ac poſſe ipſis acceñſeri, quos ille accenſet, ſacrilegos, impios, periuros, quibus Deus curæ non eſt: Attamen reſponderi poteſt hoſce omneis comparatos ad vniuerſitatem generis humani tantillum eſſe numerum, vt pro monſtro habendum ſit, quòd illi cæterorum omnium multitudini non conſentiant. Certè enim, vt quantumcunque aliqui hominum mutili naſcantur, aut fiant, hoc non obſtat quin homines dicantur habere ab ipſa natura ſuorum membrorum integritatem; ita quantumvis aliqui aut naſcantur, aut fiant Athei; non obſtat hoc tamen, quin homines habeant ab ipſa natura impreſſam quandam notitiam Dei. Siquidem, vt illæ ſunt veluti quædam aberrationes à regia via, quæ non idcircò aut aboletur, aut minùs trita redditur; ſic impiæ iſtæ opiniones ſunt veluti quædam ſemitæ deflexæ à generali tramite, qui non idcirco euaneſcit, aut minùs frequens efficitur. Itaque paucorum exceptio propoſitionem non vitiat; neque opinio aliquorum Deum non agnoſcentium magis facit, vt anticipatio, quæ de Deo habetur, naturalis non ſit, quàm cæcitas aliquorum lucem non videntium, vt quæ videndæ lucis facultas habetur, non ſit naturalis. Ex quo proinde inferre licet, quemadmodum conſtat eſſe lucem, quatenus omnes homines, ſi paucos cæcos exceperis, pro ea, quam habent, facultate lucem & percipiunt, & eſſe pronunciant: Ita conſtat ſanè Deum eſſe, quatenus omnes homines, ſi paucos Atheos exceperis, pro ea, quam habent, Anticipatione, Deum eſſe agnoſcunt, atque profitentur.

10. De leg. 1. cæli 3. Ep. 117. in amator. Haud abs re proinde & Plato, & Ariſtoteles, & Seneca, & Plutarchus, & cæteri, quotquot Sapientes habentur, hac, vt firmiſſima ratione probant Deum exſiſtere, ὅτι πάντες Ἕλληνές τε, καὶ βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι θεούς. *Quod homines omnes tam Græci, quàm Barbari Deos eſſe exiſtiment*: Siquidem manifeſtum eſt, quæcumque opiniones aut falſæ, aut arbitrariæ ſunt, eas neque eſſe vniuerſaleis, neque diù perſeuerare, opinionem verò de Dei exiſtentia eam eſſe, quæ non modò diffuſa ſit vbique terrarum, ſed ab omni etiam æuo exſtiterit, neque poſſit vllum perhiberi tempus, ex quo homines fuiſſe memorantur, in quo non perinde apud illos viguerit. *Hominum commenta delet dies*, inquit Cicero, *naturæ iudicia confirmat*: cùm verò dies, hoc eſt, ſeries omnium omninò ſæculorum opinionem hanc non deleuerit, ſed potiùs confirmauerit, confirmaréque etiam-num pergat: eſt-ne cur commentum hominum dicatur, non verò ipſius naturæ iudicium? Neque obiicias non eandem ſemper, aut vbique gentium opinionem de Deo haberi, nam id potiùs probat, quod intendimus, ſcilicet exſiſtere Deum. *De Deo vera ſen- tienda.* Siquidem, quòd variæ de Deo opiniones & fuerint, & ſint; hoc arguit plerumque & interueniſſe, & interuenire hominum commenta; at quòd omnes interim, quicumque de Deo varia ſentiunt, in eo conſentiant, quòd Deus ſit, ipſa opinio, quòd Deus ſit, naturæ iudicium declaratur. Idem nempè eſt, ac ſi requiratur: Sit-ne Sol in mundo, annon? Quippe quantumvis variæ fuerint, ac ſint de Sole opiniones; dum aliqui faciunt lapidem ardentem, aliqui ſcapham lucis plenam, nonnulli facem, quæ manè accendatur, exſtinguatur veſperi, ſexcentáque ſimilia; cùm in eo tamen omnes conſentiant, quòd Sol ſit; illa opinionum varietas Solis exſiſtentiam non tollit; Pari prorſùs modo intelligitur, poſſe quidem pleraſque illas, quæ de Deo ſunt opiniones, ab inſtitutis, moribus, inſomniis hominum pendere; at quòd interim Deus ſit, fuiſſe præclarè ab Epicuro dictum: *Non eſſe opinionem aut inſtituto aliquo, aut more, aut lege conſtitutam.*

Ac videas quidem eſſe nonnullos, quales *Loc. cit.* Plato redarguit (& cuiuſmodi exſtitiſſe Euripidem meminit Plutarchus, Empiricus Critiam) qui dicant, vt verbis Ciceronis vtar, Totam de Diis immortalibus opinionem confictam eſſe ab hominibus ſapientibus Reipublicæ causâ, vt quos ratio non poſſet, eos ad officium Religio duceret. Attamen neque Critias, neque Euripides, neque quicumque hoc ſunt commenti, illis fuêre temporibus, ad quæ commentum retulerunt. Nam Minos quidem, & alij Legum-latores memorantur, qui multa de Diis à ſeſe conficta introduxerint; at nemo fuit eorum, quo non fuerit opinio de Diis antiquior, quique proinde aut opinionem de Deo exſiſtente introduxerit, & non potiùs ſpecialem cultum, prout magis conducere fuit arbitratus, inuexerit. Vnde, & fuit quidem pro Legum-latorum votis, vt homines perſuaderentur, eſſe vim quandam, & naturam Diuinam, quæ omnia peruadens, & omnibus præſens, etiam ſecretiora ſcelera cognoſceret, eorúmque pœnas exigeret; nempe, ne clàm etiam illa agerent, ob quæ ignota hominibus, ipſis hominum legibus, ac pœnis obnoxij non forent; verùm vt talem perſuaſionem inducerent, opus non fuit, quippe quæ priùs exſtiterat, ſed fouendam ſolùm cenſuerunt, tùm fabuloſis plerumque narrationibus, tùm ritibus ſuperſtitioſis.

Videas quoque eſſe, qui dicant cum Euhemero, non alios primùm Deos innotuiſſe, quàm potentiores, callidioreſque inter homines, qui tyrannidem primùm vſurparint, vt Iupiter, & alij; quod eſt apud Empiricum. Verùm iſti quoque ea dicunt, quæ probare haud

De Deo vera ſentienda. haud-quaquam poſſunt. Neque enim, qui illi fuerint potentiores, atque tyranni in annalibus, aut hiſtoriis habent. Quod ſpectat verò ad fabulas, patet qua fide habendum ſit, quod iuxta illas traditur; & vtcumque homines fuerint, qui Dij haberi voluerint, neceſſe eſt, præceſſerit de exſiſtentia Deorum opinio, quibus conſcribi affectarint. Siquidem hæc aliàs opinio non veniſſet ipſis in mentem, & non induiſſet eam populus, niſi præhabuiſſet, ad quam collinearet. Heinc, quod factum eſt circa Apotheoſes Imperatorum Romanorum, idem reputandum eſt factum circa Apotheoſes Iouis, Oſiridis, & cæterorum, quibus voluêre homines deferre honores diuinos; nempè, vt Dij ſupponerentur, priuſquàm illi Dij fierent, qui ob egregia merita immortalitate digni viderentur. Quòd Iupiter autem temporis progreſſu fuerit Rex Deorum habitus, non tam fuit collatio Diuinitatis ſummæ in Iouem, qui homuncio fuerat, cuiuſque ſepulcrum, ex eodem Euhemero monſtrabatur in Cretâ; quàm fuit tranſlatio nominis Iouis in ſummam ipſam Diuinitatem, de qua opinio exſtiterat apud homines, ante natum Iouem.

Videas rurſus eſſe, qui dicant cum Prodico, non alios primùm habitos Deos, quàm res vitæ vtileis, vt Solem, Lunámque imprimis, θεοὺς, ἀπὸ τοῦ θεῖν, *Deos à currendo* (quod Plato notauit) per æthera, dictos; itemque terram, mare, fluuios; ſimilitérque Cererem, Bacchum, Herculem, alios, à quibus boni quidpiam inductum, aut mali quidpiam abductum fuerit; quod citatus Empiricus, Ciceróque, & alij habent. Sed hæ quoque meræ coniecturæ ſunt; neque primorum temporum, quibus hæ res contigerint, vlla apud ipſos exſtant monumenta. Etenim, licet Timæus docens primos Deorum emerſiſſe Oceanum, Salaciam, &c. eredendum velit hac de re priſcis illis hominibus, qui ſeſe progeniem Deorum dicerent, ſuos progenitores noſſent, & de rebus ſibi notis loquerentur; vt & Plato ſcripſit, & Cicero interpretatus eſt: nihilominus id eſt fabuloſius, quàm vt refutationem mereatur; cùm & ipſi Diis geniti nullam ſui fidem fecerint, aut reliquerint; & exſtiterint alij, qui ſe oppoſita vidiſſe, accepiſſéque fuerint commenti. Heinc, cùm nihil ſit dicendum de Baccho, Cerere, & cæteris Diis, qui poſteriùs longè vixerunt, & de quibus conſtat idem eſſe, quod de ipſo Ioue dicendum: Addiderim ſolùm, ob res naturaleis, potuiſſe quidem homines aliquas ipſarum habere in Diis, quòd eſſent vitæ vtiles; ſed nempè ob illam anticipationem, quòd natura quædam diuina exſiſteret, quæ bona cùm eſſet, prodeſſet; ac exinde eſſe, vt vnuſquiſque illud maximè habuerit in Diis, quod reputauit maximè bonum. Neque verò, tametſi Sol fuerit Deus dictus, ſiue ἀπὸ τοῦ θεῖν, quod eſt *currere*, ſiue ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod eſt *videre*; non idcircò fuit, ante id nomen inſtitutum, credita natura, cui id deinceps tributum ſit; eo modo, quo dictum eſt de nomine Iouis, τοῦ Ζηνὸς, quod & Latinis *à iuuando*, & Græcè ἀπὸ τοῦ ζῆν, *à viuendo* deductum conſtat. *In pag. 83.* Addo autem, cùm ipſe Sol tam ſit, quàm homines antiquus, fieri potuiſſe vt non parum ad anticipationem contulerit, & vtcumque Deus ab initio vſque reputatus non fuerit; heinc ſaltem haberi, quòd ipſa de Diuinitate opinio, ſit omni hominum inſtituto, & more, ac lege vetuſtior.

Videas poſtremò eſſe, qui illud cum Pontano in ore habeant: *Pontan. de ſtell.*

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cùm caderent.

Aut illud etiam accinentis alterius:

Inuenit metus ipſe Iouem, cui fulmina dextra
Aſſignant, ac tela nigris humentia nimbis,
Et cælo reſonante, leueis per inania currus;
Has iras Iouis eſſe canit longæuus Haruſpex.

Verùm iſta denique mera, ac inutilia figmenta ſunt. Quippe non huiuſmodi timor opinionem de Deo fecit; ſed opinio præhabita, quòd Deus eſſet, timorem incuſſit. Nunc etiam, cùm multos ad fulmen, tonitrúque paueneis, Deúmque innocenteis vides, pitáſne id faciunt, quòd fulminis metus primam de Deo notitiam mentibus eorum ſuggerat, & non potiùs velut admoneat, vt Deum, cuius habent notitiam, implorent, rati ipſum poſſe aut non inducere, aut auertere, quod impendet malum; idque interdum facere, dum vota admittit, preceſque exaudit? Quid-ni ergo potiùs ita ſemper factum? Maneat igitur eſſe in hominibus inſitam quandam, ſeu anticipatam de Deo notitiam; ipſamque idoneum eſſe argumentum quo exſiſtere Deum comprobetur.

Dicendum ſolum heic ſupereſt quanam ratione ingeneretur huiuſmodi Anticipatio: Ac primùm quidem, dici poteſt tùm ingenerari, cùm mens generatur, ſeu fit; quatenus eſt capacitas, ſiue aptitudo in mente, vt prima quaque occaſione ad agnoſcendum Deum, ſiue exſiſtentiam naturæ diuinæ feratur. Quo loco, non Ariſtoteles modò, & alij, qui volunt mentem eſſe tabulam raſam, occaſione quadam eſſe opus cenſet, vt Dei notio excitetur; ſed Plato quoque, & alij, qui volunt mentem ita eſſe diuinæ particulam auræ, vt tametſi omnia eſſe diuina nouerit, obliuionem tamen, dum in corpus demergitur, contrahat; neque, niſi variis occaſionibus, reminiſcentiam adipiſcatur. Nos etiam, qui fatemur Deum ſignaſſe lumen vultus ſui ſuper nos, dum nos ad ſui imaginem, & ſimilitudinem fecit, ſimul fatemur, ad hoc, vt liceat talem vultum agnoſcere, occaſione nos indigere. Deinde dici propriè poteſt ingeneratio tùm fieri, cùm primùm occaſione ſeſe offerente, efformatur in mente ſpecies quædam, ſeu imago ſupremæ cuiuſdam

In pag. 83. iuſdam, & immortalis, beatæque naturæ, quam cenſeamus exſiſtere. Scilicet talis eſt πρόληψις, *Anticipatio*, ſeu *Prænotio*, ad quam deinceps reſpectamus, vt declaratum ſuo loco eſt, ſeu de Criteriis cùm ageretur. Vt de occaſione verò dicamus; repetendum eſt, omnem Anticipationem ortum habere à ſenſibus, ἢ περιληπτῶς, ἢ ἀναλόγως τοῖς περιληπτοῖς, *ſeu comprehenſione, ſeu comparatione ad res comprehenſas*. Videlicet comprehenſione gignitur, ac inhæret menti ſpecies Equi, qui in viſum incidit, ſeu comprehenſus à viſu eſt; comparatione verò ſpecies Equi inſtar montis concepti; quem nempè licet viſus non comprehenderit, mens tamen ipſa intelligit, dum Equi cumprehenſi amplificat ſpeciem, & ſeruatâ quidem proportione partium, ac referendo caput ad caput, pedes ad pedes, &c. Et ad Anticipationem quidem, quæ comprehenſione fit, ratio non exigitur; ipſa enim ſponte, & directè creatur. Ad illam verò, quæ comparatione, ratiocinatio quædam interuenit; quippe ea eſt propriè, quam gigni Epicurus dicit συμβαλλομένου τι καὶ τοῦ λογισμοῦ, *conferente quidpiam ratiocinatione*. Cùm Epicurus porrò dicit θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, *Deos ratione*, ſen mente *cerni*, eſſéve *contemplabileis*; declarare ſatis videtur Anticipationem naturæ Diuinæ non comprehenſione per ſenſum, ſed comparatione ex iis, quæ fuerint per ſenſum comprehenſa, çreari.

Iam verò iſta, quæ per ſenſus comprehenduntur, occaſiones ſunt, quæ nos ad formandum de Deo Anticipationem inducunt. Cùm ſit autem duplex potiſſimùm ſenſus, auditus ſcilicet, ac viſus, inſeruiens ad id muneris; Perſpicuum eſt Primò, notitiam de Deo haberi poſſe ex Auditu, quatenus quopiam deſcribente, pronunciantéque eſſe Deum, is qui audit, format conceptum in mente, prout deſcribi Deum percipit, & aſſentitur pronuncianti, quem fide dignum arbitratur. Vbi Notandum, debere quidem Auditorem habere anticipationem rerum vocibus ſubiectarum, vt cùm alius dicit Mundi Principem, Conditorem cœli, & terræ, Ens ſupremum, &c. nôrit quid ſit princeps, quid mundus, quid conditor, quid cœlum, quid alia per ſenſum comprehenſa; ſed orationem tamen dicentis, quatenus per aurem comprehenditur, eſſe proximam occaſionem, qua Mens inducitur vt formet notionem cuiuſdam naturæ, quæ in Mundo ſit, vt Princeps in regno; quæ cœlum, & terram condiderit, vt artifex domum, & ſimilia. Notandum rurſus, tùm primùm quidem perſuaderi auditorem talem Naturam, ſeu Deum, eſſe; ſed facere id tamen, ex quadam anticipatione, qua præiudicauit & viro graui fidem habendam, & illum, qui dicit, eſſe virum grauem. Perſpicuum

Secundò, notitiam de Deo haberi poſſe ex Viſu; quatenus etiam nullo munente, poteſt mens ex iis, quæ ſunt per viſum comprehenſa, conceptum de Deo formare, ſeu tanquam Principe, quo non poſſit magis Mundus, quàm Reſpublica carere; ſeu tanquam Imperatore, quo, vt exercitus, ſic Mundus indigeat; ſeu tanquam Gubernatore, qui Mundum, velut nauim regat; ſeu tanquam Chorago, qui parteis Mundi, vt chori moderetur, &c. Vbi etiam Notandum, debere quidem mentem eſſe omnium quoque huiuſmodi rerum anticipationibus informatam, ſed conſiderationem tamen, reflexámve notitiam perfectionis Mundi, partiúmque ipſius, eſſe proximam occaſionem, qua mens excitatur, vt Mundi cum aliis rebus comparationem inſtituens, notitiam efformet cuiuſdam naturæ, quæ ſit Mundi præſes, vt cæterarum præſides ſunt. Notandumque ſimiliter, tùm primùm quidem ſubire illam cogitationem, quòd Deus ſit; ſed ſubire tamen iuxta prænotiones, quibus præiudicatum habet, non eſſe ordinem ſine ordinante, aut ſimile aliud effatum, ex quo vim habet ratiocinatio, qua Deum eſſe argumentatur. *De Deo vera ſentienda.*

Habes exinde duplicem, ipſamque generalem viam, qua ad cognitionem Dei peruenitur. Altera dici poteſt Fides, altera verò Ratio. Non quòd in priore non poſſit ea ſaltem ratio interuenire, quòd inferamus Deum eſſe, quia is, qui dicit, fidem meretur; & in poſteriore non poſſit etiam vir grauis interuenire, qui nos rationis admoneat; ſed quòd in priore, id, quod nos propriè ad aſſenſionem inducit, ſola dicentis authoritas ſit, in poſteriore ſola ratio. Cæterùm, cùm duplex Authoritas ſit; alia diuina, alia humana; gratiæ Deo habendæ ſunt, quòd ſit dignatus ipſemet ſui-ipſius facere fidem, tùm Parentes primos, ac deinceps alios interdum proprio alloquio inſtituens; tùm afflatu ſuo Prophetas, qui aut per ſeipſos, aut per propagatam à ſe doctrinam nos docerent, erudiens; tùm inſpiratione in menteis ſpeciali ſui ipſius notitiam imprimens, reparans, aut fouens: his ſcilicet modis reuelari voluit, ex quo eſt diuina, ſeu reuelata authoritas. Ad humanam quod attinet; ea quidem etiam donum eſt Dei, ſed generalius, & cuius voluit participes fieri omneis homines, quatenus nulla natio eſt, apud quam ob Dei mentionem paſſim inter homines factam, non liceat ſtatim addiſcere Deum, ſeu naturam diuinam eſſe. Ac putant quidem Ethnici habere ſe etiam diuinam, quatenus & ipſi Deorum colloquia, Sibyllarum oracula, afflatus in ſomnis, aliaque prætendunt: Verùm ea non debet re- ipſâ

De Deo vera ſententia. ipſâ pluſquàm humana exiſtimari, quòd colloquia fabulæ ſint, oracula imposturæ, afflatus deliria; &, vates vniuersè omnes fuerint dumtaxat homines, ac paucis exceptis, qui eſſe inſani, ſimpliceſ-ve potuerint, & de Deo iuxta habitas prænotiones loquuti fuerint, nihil aliud, quàm callidè ſuas, de quibus infrà dicetur, imposturas conſarcinârint; illas nimirùm Dei notitiæ, quam & ipſi habebant, & eſſe apud populum receptam nôrant, accommodantes. Vtcumque ſit duos quoque modos agnoſcens Ariſtoteles, vnde homines, Dei notitiam habuerint, videtur poſteriorem eundem cum Ratione ſic facere, vt prior non alius, quàm Authoritas ſit, ſiue eam diuinam ſiue humanam dicas. Videlicet verba Empirici ſunt; *Dicebat Ariſtoteles Deorum notitiam apud homines ex duplici capite eſſe; nempe & ex iis, quæ in anima eueniunt, & ex rebus ſublimibus. Et ex iis quidem, quæ in anima eueniunt, propter diuinos in ſomnis afflatus, & diuinationes. Quando enim*, inquit, *anima in ſomnis per ſeipſam fuerit, tunc propriâ receptâ naturâ & diuinat, & futura prædicit. Talis verò etiam eſt, dum in morte à corporibus ſeparatur. Admittit autem & Poëtam Homerum, vt qui id obſeruauerit. Fecit enim Patroclum quidem prædicentem mortem Hectoris, & Hectorem rursùs Achillis. Ex his ergo*, inquit, *ſuſpicati ſunt homines Deum eſſe aliquid, quod ex ſe animæ ſimile, rerum omnium ſcientiſſimum ſit. Ex rebus autem ſublimibus, quoniam homines contemplati, interdiù quidem Solem, noctu verò tam benè inſtitutum cæterorum ſiderum motum, exiſtimârunt Deum eſſe quendam, qui motus, atque ordinis huiuſcemodi cauſa foret.* [1. Adu. Phyſ.]

Videri poſſet Epicurus habere quidpiam ſimile; ſed circa ea quidem, quæ eueniunt in anima, non ad diuinationem, ſed ad quaſdam magnas, continuóque affluenteis imagines recurrit; & circa ſublimia, eam, quam par fuit, ac operæ pretium, conſequutionem non deduxit. Et quod ad Imagines quidem ſpectat, illa heic prætereo, quæ habet Velleius, cùm de earum conditione, & affluxu loquens, docet *in eas intentam mentem, infixamque intelligentiam capere quæ ſit beata natura, & æterna*; quippe illa erunt referenda inferiùs circa appendicem ad primam ex Ratis ſententiis, vbi Laërtius citat Epicuri locum ex quo ea videntur à Velleio deſumpta. [Ibid.] Satis illud eſto, quod Empiricus ex Epicuri ſententia habet: Ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν τοὺς ἀνθρώπους ἔννοιαν ἐσπακέναι θεοῦ. Μεγάλων γὰρ εἰδώλων, φησί, καὶ ἀνθρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους προσπιπτόντων ὑπέλαβον, καὶ τῇ ἀληθείᾳ, ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους θεοὺς ἀνθρωπομόρφους. *Homines ex ſomniorum viſis hauſiſſe Dei notitiam. Magnis enim*, inquit, *& humanâ formâ imaginibus per ſomnium incurrentibus, exiſtimârunt eſſe reuerâ aliquos huiuſcemodi Deos humanâ formâ præditos.* Sic verò & Lucretius de hominibus primis loquens: [In pag. 83. Lib. 5.]

> *Quippe etenim iam tùm Diuûm mortalia ſecla*
> *Egregias animo facies vigilante videbant,*
> *Et magis in ſomnis mirando corporis auctu.*

Quo loco, cùm duo quæri poſſent; vnum, taleſ-ne Facies ſimulacra Deorum eſſent; alterum, quomodo ex illis Dij eſſe intelligerentur: Conſtat circa prius, neque Epicurum, neque Lucretium dixiſſe vnquam ſeu facies, ſeu ſimulacra eſſe Deorum, qui ſi dixiſſent, pugnaſſent ſanè cùm Deorum immortalitate; quod à Cicerone, Beato Auguſtino (dum ita & putant, & interpretantur) obiicitur: Nempè, cùm talia ſimulacra auulare à Diis deberent, quaſi tenues membranulæ, non poſſet infinito æuo non exhauriri tandem ſubſtantia, è qua volebant Deos conſtare. [1. De Na. Deor. Epiſt. 56. ad Dioſc.] Cenſuère ergo potiùs eſſe hominum ſimulacra, ſeu ea ex hominum quorundam giganteorum, procerorúmve corporibus derepta forent, ſeu caſu aliquo formata prout ſuo loco declarauimus. Eiuſmodi quoque poſſunt videri exſtitiſſe illa ſimulacra; quæ à Democrito aſſerta apud Ciceronem, & Empiricum obſeruantur, ſed immorandum in hoc non eſt. Circa poſterius, hoc ſolùm dico, exiſtimaſſe Epicurum, potuiſſe primos homines non tam in ſomnis, quàm cùm inter vigilandum meminiſſent, apparuiſſe ſibi in ſomnis præclaras illas imagines, adeò grandeis, adeò tenueis, adeò cohærenteis; potuiſſe, inquam, intelligere, nihil repugnare, imò oportere, vt exſtarent alicubi conſimiles ipſis naturæ, quæ, & ſenſus, ſeu intelligentiæ capaces forent:

> *His igitur ſenſum tribuebant, propterea quòd*
> *Membra mouere videbantur, voceſque ſuperbas*
> *Mittere, pro facie præclara, & viribus amplis.*

Et immortales eſſent:

> *Æternamque dabant vitam, quia ſemper eorum*
> *Suppeditabatur facies, & forma manebat*
> *(Et manet omninò) & quòd tantis viribus auctos*
> *Non temerè vlla vi conuinci poſſe putabant.*

Et beatitudine fruerentur:

> *Fortuniſque ideò longè præſtare putabant,*
> *Quòd mortis timor haud quemquam vexaret eorum;*
> *Et ſimul in ſomnis quia multa, & mira videbant*
> *Efficere, & nullam capere ipſos inde laborem.*

Commentitium porrò eſt quidem deductam fuiſſe primam notitiam anticipationémve naturæ diuinæ ex huiuſmodi ſimulacris; ſed interim tamen duo tenenda ſunt, vnum, quomodocumque tandem Anticipatio habita fuerit, habitam fuiſſe aliquam; alterum, vndecumque tandem illa attributa intelligentiæ, immortalitatis, beatitudiniſque eruantur; ea nihilominùs, vera eſſe.

Iam aliud Ariſtotelis caput, quod *res ſublimeis* attinet, eſt propriè illa altera via, quæ

præter

In pag. 83. præter Authoritatem ſupereſt; atque idcircò non aliud eſt, quàm Ratio illa altera, quam initio ſic diximus ab Anticipatione diſtingui, vt reuocari ad ipſam poſſit. Non fuiſſe porrò hanc rationem ipſi Epicuro ignotam, intelligi licet ex ipſo Lucretio, qui præter modum iam recitatum quæſitæ Dei, notitiæ, ſubdit:

Præterea cœli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti;
Nec poterant, quibus id fieret cognoſcere cauſis.
Ergo perfugium ſibi habebant omnia Diuis
Tradere, & ipſorum nutu facere omnia flecti:
In cœlóque Deûm ſedeis, & templa locârunt,
Per cœlum volui quia Sol, & Luna videtur,
Luna, dies, & nox, & noctis ſigna ſerena,
Noctiuagæque faces cœli, flammæque volantes,
Nubila, nox, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.

At verò peccatum grauiſſimum fuit, non agnoſcere cauſam hanc Anticipationis, germaniorem fuiſſe; neque ſpectatâ hâc rerum facie, inde perueniri ad Deum agnoſcendum, qui fuerit productor, & prouiſor Mundi. Res eſt iam vberiùs deducta in Epiſtolam ad Herodotum. Dico heic ſolùm non paruiſſe Epicurum ſuis legibus, cùm eam, quam oportuit, ex conſideratione Mundi conſequutionem non deduxit. Quippe principium argumentandi ex aliàs dictis ipſi fuit, ἰσονομία, *æquilibritas*, ſeu *æqualis tributio*, iuxta quam vno contrariorum, aut relatorum, poſito, poni alterum ſit neceſſe. Ecce enim, negari non poteſt, quin mirificus ſit ordo in Mundo: conuerſiones Siderum, viciſſitudines tempeſtatum, ſucceſſiones generationum, diſpoſitiones, & vſus partium; omnia, vno verbo, quæ in Mundo ſunt, clamant ordinem, declarántque Mundum eſſe ordinatiſſimam compagem. Quæſo igitur, cùm ſit Ordinatum, non-ne debet quoque eſſe Ordinans? Et, niſi heic ἰσονομία valeat, vbinam tandem habebit locum? Aſſerere certè Caſum, Fortunámve cauſam eſſe ordinatricem, eſt ipſum principium, ſeu ἰσονομίαν euertere. Caſus enim, ſiue Fortuna, tùm nihil eſt; tùm ſi quidpiam dici mereatur, res eſt cæca, expers conſilij, ordinis non intelligens, ac potiùs confuſionis parens. An ergo erit ἰσονομία, niſi talis cauſa eſſe colligatur ex effectu ineleganti, temerario, incompoſito, & confuſo? An verò talis Mundus eſt, aut agnoſci poteſt, niſi ab eo, qui ſit cæcior ipſâ Fortunâ? Valet porrò principium, & deducta ex illo Ratio, non modò aduerſus Epicurum, qui ſaltem aliunde & Deum eſſe docuit, & Mundum factum voluit; verùm etiam aduerſus illos, qui & Deum negant, & Mundum eſſe infectum putant. Quaſi cogitare quis debeat, cùm tanta in Mundo diſpoſitio ſit, qui diſpoſuerit, neminem fuiſſe? Qui diſpoſitorem certè profitetur, argumento habet, vt ſuprà innuimus, hanc ipſam, quam obſeruat, diſpoſitionem: at qui inficiatur, argumento caret; cùm quicquid demùm aſſumpſerit, ipſa ſemper obſtet, ac præponderet diſpoſitio. Excogitabit Mundum habere diſpoſitionem à ſeipſo? Sed nimirum excogitabit; non rem, quam norit, conſtituet; & aſſertioni, cuius ſit manifeſta probatio, opponet figmentum, quod probari non poſſit. Quomodo enim quis vnquam probet aut eſſe, aut habere Mundum diſpoſitionem à ſeipſo? An qui id dicet, ſemper fuit, aut accepit ab aliquo, qui ab æterno cùm fuerit, potuerit eſſe teſtis idoneus, cui dicenti Mundum talem ſemper fuiſſe credatur? At nemo etiam eſt, inquiet, qui poſſit fuiſſe olim factum, ſiue diſpoſitum teſtari. Id eſto: at ſaltem non eſt, quod ad teſteis ſpectat, facta cauſa potior; & cùm quærenda ſuperſit ratio, is, qui eſſe Mundi factorem, diſpoſitorémque tuetur, argumento habet innumeras res, quæ omnes concinnam diſpoſitionem obtineant, & nullam tamen à ſeipſa, ſed ab authore aliquo ſapientiſſimo habeant: Qui verò negat, nihil tale habet, & ad ſummum, proferre id, de quo eſt controuerſia, poteſt. Dicet aliud eſſe agere de toto, aliud verò de partibus? Sed inde quoque ipſi ruina. Quippe alteri argumento erit, quòd ſit eadem ratio totius, quæ partium, vt nimirum colligat; Si quæ diſpoſitio in partibus eſt, ab alio eſt; debere quoque ipſum totum illam, quam habet diſpoſitionem habere ab alio. Ipſi autem nullum argumentum ſuppetet, niſi rurſùs illud, quod quæritur, ſumat. *De Deo vera ſententia.*

Vt paucis dicam, cùm omnis diſpoſitio ſit opus rationis, & conſilij; debet neceſſariò res diſpoſita eſſe quid diſtinctum ab eo cuius conſilium, & ratio eſt. Quoniam quod ratione, & conſilio fit, nondum eſt, & quod nondum eſt id conſilio, & ratione agere non poteſt. Exigitur ergo, vt ſit aliud quid, quod rem diſpoſitam præcedat, & conſilio, ac ratione polleat, qua ipſam diſponat. Itaque, quoniam, eſt in mundo diſpoſitio, ſeu opus rationis, & conſilij, neceſſe eſt, præter mundum, ſit aliquid, in quo conſilium, & ratio ſit, quodque mundo eam, quam habet, diſpoſitionem præbuerit. Igitur ipſum potiùs à ſeipſo eſt, ac proinde etiam neceſſariò eſt; quippe, cùm ſemper eſſe debuerit, neque factum eſſe potuerit; vt eſſet, à quo pararetur Mundus. Non eſt igitur à ſe mundus, neque quicquid in mundo eſt; ſed ab illo vno quem dicimus Deum, quique proinde dici poſſit & Cauſa prima, & Primus Motor, & Fons totius Eſſe, & Origo omnis perfectionis, & Summum Ens, & Princeps Mundi, &c. quæ deducerentur heic fuſiùs, niſi forent ſuperiùs ſatis, ſuperque inculcata. Maneat iam ſolùm tam neceſſariò intelligi exſiſtere Deum, quàm neceſſarium eſt Mundi ordinem fieri attendenti perſpicuum; *Neque iis* Sap. 13. *debere ignoſci*, vt Sapientis verbis id dicam,

De Deo vera ſententia. *qui cùm tantum potuerint ſcire vt poſſint æſtimare ſæculum, non huius Dominum faciliùs inuenerunt :* quippe, *à magnitudine ſpeciei, & creatura poterat cognoſcibiliter creator horum videri.* Et

Lib. 1. cap. 2. Lactantius meritò docet : *Neminem eſſe tam rudem, tam feris moribus, quin oculos ſuos in cælum tollens, tametſi neſciat cuius prouidentiâ regatur hoc omne, quod cernitur ; non aliquem tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulcritudine, temperatione ; nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio maiori aliquo ſit inſtructum.* Sed plura ad hanc rem, vt iam innui, vbi ſuperiùs de Deo Auctore, & Rectore Mundi eſt actum, ac reſponſum ſimul ad eas, quæ heic excitari poſſent obiectiones.

De forma, quâ noſcitur Deus.

CONSEQVITVR iam, vt quia Epicurus Formam Dei quaſi deſcribens, ac Ariſtotelem, Platonem, cæteroſque imitatus, eſſe dixit *Animal,* idque *immortale, & beatum*, ζῶον ἄφθαρτον, ϗ μακάριον, quidpiam ſubiiciamus de forma qua Deus apprehenditur. Quippe tametſi hactenus conſtet, tanquam indubium, quòd Deus ſit ; minimè tamen conſtat quid ſit, ſeu qua ſit forma, ſiue natura. Sic, cùm progrediens animal, aut florentem plantam videmus, nulli quidem dubitamus, quin ſit interiùs aliquod vegetationis principium, quod appelletur Anima ; at quid, aut cuius naturæ ſit principium huiuſcemodi, ne aſſequimur quidem coniecturâ : Et cùm perſonatum hominem videmus, haud hæremus quidem, quin aliquis vultus ſub perſona, ſeu larua lateat ; Et cùm cæcus ex vmbra, aut frigido loco apricatum in Solem prodit, certus quidem eſt eſſe aliquid, à quo incaleſcat ; at diuinare tamen non poteſt, qua facie illud præditum ſit. Huiuſmodi ſunt innumera alia pari ratione obſeruanda : vt mirum non fiat, poſſe exſiſtentiæ Dei certitudinem cum ignoratione naturæ, formæve illius conſtare. Heinc non quærimus, quâ formâ ſit Deus ; ſed quâ formâ apprehendatur, quoties de ipſo loquimur. Nam quâ quidem ſit idcircò & Plato, & alij Sapientes quæri non debere cenſuerunt, quòd nefas eſſe putauerint ſperare, vt tanta Maieſtas in menſuram, aut modulum humanæ mentis cadere poſſit. Ex eoque fit, vt vi-

Cic. 1. de Nat. Deor. deas paſſim commendari Simonidem : *De quo cùm Tyrannus Hiero quæſiuiſſet, quidnam, aut qualis eſſet Deus, vnum ſibi diem poſtulauit : Cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petiit : & cùm ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero, cur ita faceret : Quia, quantò, inquit, diutiùs conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior.* Dicetes ipſum eò reſpexiſſe, quod Scriptura ait : *Poſuiſſe Deum tenebras latibulum ſuum* ; &, *habitare lucem* quidem, ſed *inacceſſibilem* tamen. Nempè Deus quidem eſt totus in luce, ſiue potius ipſe lux eſt ; ſed eiuſmodi tamen In pag. 83.

lux, ad quam Ariſtoteles agnouit ſic caligare homines, vt oculos noctuæ ad meridianum Solem. Et quàm certè eſſet inualidus ſplendor, ſi tantula acies, quantula eſt humani ingenioli ferre illam poſſet ? Quàm eſſet Deus parum ſublimis, ſi homuncionis obtutus illius magnitudinem, præſtantiámque aſſequeretur ? An non quicquid ſummum humana mens capit, id limitatum, corporeum, confuſum, imperfectum eſt ? Quonam verò modo Deus eſſet Deus, niſi ipſi præcelleret inſuperabilibus interuallis ? Nihil obuerſari menti experimur, quod non obueletur ſpecie aliquâ rerum ſenſibus obiectarum. Quàm verò longè abeſt Deus, vt vel in ſenſum cadere, vel ſenſibili ſpecie repræſentari vnquam poſſit ? Meritò ſanè Doctores ſacri tutiùs putant de Deo negare, quàm affirmare aliquid ; cùm Deus nihil ſit eorum, quæ cogitare homini licet ; & ſit aliquid interim, quod cogitare prorsùs non licet. Omnium nomine D. Auguſtinus : *Terram*, inquit, In pſ. 85.

cogitas ? Non eſt hoc Deus. Mare cogitas ? non eſt hoc Deus. Omnia, quæ ſunt in mari, quæ volant per aërem ? non eſt hoc Deus. Quicquid lucet in cælo, ſtella, Sol, & Luna ? Non eſt hoc Deus, Angelos cogitas ? Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes ? Non eſt hoc Deus. Et quid eſt ? Hoc ſolùm dicere potui, quod non ſit. Quæris quid ſit ? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.

Enimverò, cùm ſciri non poſſit, quid ſit, & ſciatur potiùs quid non ſit ; Quî fit tamen, vt quoties de Deo cogitamus, aut loquimur, obuerſetur menti ſpecies aliqua, in quam attendens, eliciat conformem ipſi cogitationem ? Sed nempè hæc eſt imbecillitas noſtra, vt cùm agnoſcamus non poſſe nos Deum intelligere qualis eſt, non poſſimus tamen de eo cogitare, niſi affingendo ipſi ſpeciem, qualis reuerâ non competit : & cùm profiteamur non eſſe Deum talem, qualis à nobis concipitur, pergamus tamen concipere talem ; ac tametſi voluerimus, intelligere alium, alióve modo non poſſimus. Vna cautio eſt, vt quia illa ſpecies, ſub qua Deum concipimus, mera negatio eſſe non poteſt, ſed eſt aliquid poſitiuum, quod mens cogitando de Deo aſſerit, nunquam id ita aſſeramus, vt non agnoſcamus Deum eſſe alium ; hoc eſt, quia illud eſſe debet id, quod apprehendere perfectiſſimum poſſumus ; eſſe adhuc reipsâ Deum incomparabiliter, & incomprehenſibiliter perfectiorem : Hac ratione, cùm nihil poſſimus cogitare ita perfectum, vt non adnexum plurimum imperfectionis habeat ; tùm perfectionem Deo attribuemus, imperfectione omni detracta ; tùm attribuentes teſtabimur, quicquid perfectionis id eſt, infinitè infra diuinam perfectionem conſiſtere. Sic cùm de Deo loqui non liceat, quin eius nomen efferatur, deſcriptióque aliqua fiat ; non deſinemus

Digitized by Google

In pag. 83. mus tamen habero reuerâ ineffabilem, atque indefinibilem; quatenus mente tenebimus nullum eſſe nomen, quod ex perſpecta intima ipſius natura impoſitum ſit, aut imponi valeat; nullam deſcriptionem, aut definitionem, quâ, quid ſit, declarari poſſit. Quamvis autem Philoſophi iſtud aſſequnti vndequaque non ſint, proximè tamen ij acceſſerunt, qui admonuerunt, quod iam diximus, non eſſe formam Dei quærendam, quemadmodum Plato; aut Deum dixere ἀνώνυμον *abſque nomine*, quemadmodum Triſmegiſtus apud Lactantium. Lib. 1. cap. 5. Cæteri, vtcumque remotiùs, propiúſve collineauerint, omnes tamen conati ſunt euebere mentem ſupra captum vulgi, Poëtarúmque fabulas; qnas aliqui etiam ita interpretati ſunt, vt Poëtas quoque reſpexiſſe ad quidpiam ſnblimius penè demonſtrârint.

Ac primùm quidem nihil eſt humanius, quàm, vt Deum cogitantes, humanam formam imaginemur. Id autem eſſe ex eo videtur, quòd communiſſima de Deo notio intelligentem exhibeat, & eò nos noſtra imbecillitas ferat, vt ſi concipiamus intelligere aliquid, intelligentiam eius concipiamus ex comparatione ad noſtram: adeò vt, qualeis nos eſſe, dum intelligimus, obſeruamus, tale quoque eſſe debere, ſi quid præter nos intellexerit, opinemur. Et ratiocinando quidem eò euehimur, vt cenſeamus eſſe intelligens aliquid, quod bominis membra, aut faciem bumanam externam non habeat; ſed illud tamen concipimus vel tanquam mentem, vel tanquam habens mentem, quæ bumanæ ſimilis ſit, quæ bumano modo intelligat, quæ idonea ſit degere in corpore, cuiuſmodi bumanum eſt: ac vim babeat, qua nos andire, videre, & alloqui poſſit per analogum aliquid auribus, oculis, aliiſque partibus bumanis. Heinc certè eſt, cur omnes gentes aut hnmanâ formâ Deum pingant, aut ſi aliquâ aliâ repræſentent; intelligant tamen ſub ea contineri mentem bumanæ ſimilem, & quæ, ſi ea forma cum humana commutaretur, commodiùs in ea degeret, poſſétque audire, videre, affari commodiùs: Sie dum Ægyptius Crocodilum, aut Apim adorat, ipſum profectò non affatur, niſi quatenus intra eius caput imaginatur quandam mentem, quæ inſtar humanæ audiat, cognoſcat, deliberet, decernat, flectatur. Sic dum Perſæ Solem, aut Ignem; ſic dum alij alia; etiam Cœlum, Aëra, Lucem. Nimirùm ex quo homo habet cum re aliqua, tanquam intelligente, commercium, mentem in illa apprehendit eiuſdem naturæ, ſiue conditionis cum ſua. Cæterùm nemo penè fuit Philoſophorum omnium, qui non adnixus fuerit aliquid de Deo dignius cogitare, quàm vt formam ipſi humanam tribueret, aut admitteret in eo aliquid imperfectionum humanarum. Profectò, ne Epicurus quidem, non eſt eonatus aliquid; quoniam tametſi ex Plutarcho, *De Deo vera ſententia.* Empirico, Laërtio, Euſebio, Stobæo, & aliis fecerit Deos ἀνθρωπομόρφους, & ἀνθρωποειδεῖς, humanâ formâ, ac ſpecie; abdicauit tamen ab illis omnem concretionem, & quicquid opinatus eſt repugnare immortalitati, ac felicitati diuinæ. Contextus profectò eirea quem verſamur, manifeſtus eſt; in quo licèt adhuc Denm *Animal* dixit, errore tamen communi fecit: *Quo & vulgus*, inquit Empiricus, *& Poëta,* 1 Adu. phyſ. *& præſtantiſſimorum Philoſophoram caterua atteſtatur Deum eſſe Animal.* Dubium certè eſt, an Anaxagoras quoque habnerit Mentem illam ſuam, quaſi quoddam Animal, vt apud Ciceronem eſt: 1.De Na. Deor. De Platone verò, & Ariſtotele non eſt dubium, quin dixerint Deum eſſe In Tim. Animal ſempiternum, ac optimum; & Por- 12. Metaph. pbyrius ex recepta Philoſophorum opinione, 4.Topic. Animal Rationale diſtinxit in immortale, & Iſag.c. mortale; ac immortale dixit Deum, mortale verò bominem. Quod interim verò Epicurus omnem à Deo concretionem, qualis eſſe poteſt corruptionis cauſa, ſeponendam voluerit, ex eo fit perſpicuum, quod dixit: 1.De Na. Deor. *Deorum eſſe non corpus, ſed quaſi corpus, non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem*; vt ex Cicerone paulò pòſt dicetur.

Ex cæteris Philoſophis, & qui Deum præſertim habuerint vt formam mundi aliquam (cæteros enim prætereo, ac nominatim Democritum, qui à ſuis illis imaginibus, ſeu ſimulacris non receſſit.) Ex cæteris, inquam, videtur peſſimè omnium ſenſiſſe Strato Pbyſieus, dum omnem diuinam vim in natura ſitam opinatus, ſic illam cenſuit babere cauſas gignendi, augendi, minuendi, vt eareat omni non modò figura, verùm etiam *ſenſu*, vt Cicero babet; & animo, vt D. Auguſtinus. 1.De Na. Deor. 6. Ciuit. Quomodo enim eſſe ſine ſenſu, & animo, ſiue intelligentiâ valeat, quod tantâ ſolertiâ, ac ſapientiâ tot admirabilia exſequitur opera, & ad quod preces, vota, ſacrificia, exterique actus Religionis diriguntur? Idem penè dicendum de Empedocle, dum quatuor naturas Elementorum diuinas fecit, & non explicuit, per Litem-ne, & Amicitiam intelligeret ſapientem aliquam naturam. Idem quoque de Anaximene, & Diogene Apolloniate, dum Aërem Deum dixerunt; niſi quòd addentes infinitum, agnouêre ſaltem perfectionis diuinæ eſſe, vt illimitatam naturam obtineat & vſurpantes Aërem, qui nobis inuiſibilis, impalpabiliſque eſt, agnouiſſe videntur craſſitudinem, molémque corpoream eſſe quid alienum ab eadem natura: Idem rurſùs de Parmenide, dum Deum dixit quidpiam ſimile coronæ (vnde & Stephanen appellauit) continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum; niſi quòd luce perfectionem, ſitu maieſtatem, continentia vim directricem totius Mundi innuiſſe videtur. Ex aliis, non parùm peccârunt, qui Mundum, qui Cœlum, qui Solem, qui Lunam, qui Stellas, qui Elementa,

De Deo vera ſentienda. qui Homines, qui Corpora alia habuêre in Diis; quemadmodum Stoïci, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, alij: itemque Alcmæou Crotoniates, qui ſaltem Sideribus diuinitatem tribuit; & Thales etiam, qui ſaltem Aquæ. Etenim quantumcunque illi agnouerint eſſe præterea mentem quandam omnia permeantem corpora, quæ ſit potiſſimùm diuina, perperam tamen exiſtimârunt eſſe in Deo partem corpoream, ſeu Mundum, parteiſque ipſius, eſſe corpus, ac membra Dei; quaſi aut Deus corpore egeat, vt vulgares Animæ; aut corpus quodlibet non ſit effectus potiùs, quàm pars Dei. Addo, quod Velleius obiicit ſpeciatim aduerſus Pythagoram, quodque vrgeri vniuersè aduerſus Mundanæ Animæ aſſertores poteſt, dum eam eſſe Deum ſenſerunt, ex quo animi noſtri carperentur. Nam; *Non vidit*, inquit, *diſtractione humanorum animorum diſcerpi, & dilacerari Deum; & cùm miſeri animi eſſent, contingeret tamen Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt.*

Præclariùs opinati ſunt, qui pro Deo habuêre Mentem *ἀμιγῆ non commiſtam* materiæ, ſed illi præſidentem, ipſamque formantem, non item informantem. Talis autem fuit Anaxagoras, qui primus non modò retulit ad Mentem deſcriptionem rerum, ſed Mentem quoque infinitam dixit, neque partem rerum deſcriptarum fecit. Quæ eadem laus tribueretur Xenophani, niſi Mentem profeſſus: Omne præterea, quod eſſet infinitum, dixiſſet Deum. Denique illi videntur omnium digniſſimè de Deo ſenſiſſe, qui Deum incorporeum manifeſtè dixerunt. Tales fuêre potiſſimùm Plato, & Ariſtoteles. Ille quidem, quia licet interdum Deum dixerit Mundum; itemque Cœlum, Aſtra, Terram, Animos, & eos Homines, quos maiorum inſtitutis accepimus; aliunde tamen agnouit Mentem, & apertè dixit Deum *ἀσώματον, corporis expertem.* Hic verò; quia licet & ipſe Mundum aliquando Deum dixerit, ſimiliterque Ardorem cœli; aliàs tamen & omnem Menti diuinitatem tribuit, & Motorem primum agnouit, qui infinita pollens vi, omnis idcircò magnitudinis, corporeæve molis ſit expers. Dico porrò iſtos de Deo digniſſimè omnium ſenſiſſe; quoniam & Sacra Fides docet eſſe Deum incorporeum; & Ratio aliunde ſatis innuit non poſſe naturam omnium præſtantiſſimam conditionis eſſe corporeæ, ob limitationem, compoſitionem, diuiſionem, alterationem, paſſionem, & ſimilia, quibus eſt omne corpus obnoxium. Neque obſtat, quod Epicurus aut quilibet alius capere non poſſit, quomodo valeat præter Inane eſſe aliquid incorporeum; Nam ecce magni fuêre viri, qui id optimè capere potuerunt: Hocque ipſum valere poteſt aduerſus eos, qui arbitrantur naturæ lucem fugere, vt vlla ſubſtantia incorporea ſit; cùm habeamus Philoſophos ſolo Naturæ lumine doctos, quos id nequaquam fugerit. Attexere autem M. Tullium iuuat, cuius hæc fuiſſe verba in Conſolatione Lactantius teſtatur: *Nec verò*, inquit, *Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi Mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, omnia mouens.* *In pag. 83.* *Lib. 1. cap. 5.*

Atqui, inquiunt iſti, quantumvis nitamur, quantumvis contendamus Mentem, vt ſubſtantiam aliquam, ac Diuinam potiſſimùm, incorpoream intelligamus, experimur ſemper nobis obuerſari ſpeciem, ſiue imaginem aliquam corporeitatis. Nam quia gradatio ad concipiendum aliquid incorporeum eſt extenuatio rerum craſſiorum; ideò habemus quidem aquam verbi gratia incorpoream reſpectu terræ; aërem reſpectu aquæ; & cùm aër ſit adhuc reuerâ corporeus, aſſequi conamur quidpiam magis tenue; & rursùs magis, atque magis, vt ſit ſemper aliquid, quod potiore iure habeatur incorporeum; Verùm non ea eſt perſpicacitas noſtra, vt quod poſtremum concipimus, nihil omnino habeat corporeitatis. Quippe, quod remanet vlteriùs (nimirum præter ſpeciem limpidiſſimi; &, ſi velis, lucidiſſimi ſeu aëris, ſeu ætheris) id videtur Nihil, Inanéve eſſe. Enimverò, dum ita faciunt, non aduertunt fallaciam, quâ imaginationem, ſeu, vt ita loquar, intuitiuam intelligentiam cum ratione, ſeu conſequutiua intelligentia confundunt. Quia enim mens noſtra quamdiu eſt illigata corpori, haurit per ſenſus rerum notiones, ſeu quas habet imagines; ex quo effatum vulgare eſt; *Nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit priùs in ſenſu*; exinde fit, vt quicquid mens veluti intuetur, & quaſi directa, ac intenta acie reſpicit, id intueatur, ac reſpiciat per imaginem ex ſenſibus hauſtam; vnde & dixi hanc intuitionem, ſeu intuitiuam intelligentiam idem eſſe cum imaginatione, ſiue cognitione, quæ ad imaginem terminatur, ſeu quâ obiectum non ſine quadam imagine percipitur. At præter hanc intelligentiam eſt in nobis alia, quâ, non intuitione, ſed conſequutione percipimus aliquid; vnde & non tam percipimus quid ſit (quandoquidem non intuemur) quàm veluti ſuſpicamur quòd ſit, & ex argumenti neceſſitate iudicamus, quòd eſſe debeat. Hanc proinde intelligentiam idem eſſe dixi cum Ratione, ſeu mauis ratiocinatione, quâ quod non intuemur, exſiſtere colligimus, intelligimúſve ſubeſſe. Vt rudi exemplo rem dicam: cùm hominem laruatum videmus, intuemur laruam; & cùm vultum ſub ea latentem non intueamur, neque dicere poſſimus qualis ſit; ex eo tamen quòd motus varij à laruato editi demonſtrant ipſum hominem, neceſſariò colligimus vultum aliquem latere ſub larua. Dedoximus etiam cùm animam eſſe incorpoream oſtendimus, exemplum illud de Magnitudine Solis, quam capere tantam,

In pag. 83. tam, quantam Mathematici demonſtrant, non imaginatione, ſed ſolâ ratiocinatione capere fas eſt: repetere verò nihil eſt neceſſe.

Ad rem, vt veniam, iſti qui putant non eſſe ſubſtantiam vllam incorpoream, quatenus nihil, niſi ſub ſpecie, aut imagine corporeâ concipiunt; in eo falluntur, quòd non agnoſcant eſſe ſpeciem intelligentiæ, quæ imaginatio non ſit; eam nempè, qua ex conſequutione, intelligimus eſſe aliquid, præter id, quod in imaginationem cadit. Heinc enim fit, vt quemadmodum præter pedalem v. g. Solis magnitudinem, quam quoties de Sole philoſophamur, concipimus, intelligimus eſſe aliam, quam mens noſtra aſſequi, quantumvis intenta non poſſit: ita præter ſpeciem corpoream, ſub qua Deum concipimus, quoties de illo cogitamus, intelligi omnino poſſit eſſe aliquid, ſiue aliquam ſubſtantiam incorpoream, quam mens noſtra, niſu quantumvis magno comprehendere, ſeu quaſi intuendo intelligere nunquam valeat. Adeo proinde, vt ſpectatâ notione, quam de Subſtantia vulgò habemus, illi eximiè loquuti ſint, qui Deum eſſe non ſubſtantiam, ſed ſuper-ſubſtantiam; non ſubſtantialem, ſed ſuper-ſubſtantialem dixerunt. At quânam, inquies, conſequutione intelligi id poterit? Nempe illâ, quam inſinuaui; ex eo, quod Diuinæ perfectioni repugnet, vt ſit aliquid limitatum, compoſitum, &c. cuiuſmodi eſt omne corpus; quodque ſit aliunde temeritas in homine nimia, Deum humano captui ſic ſubiicere, vt eſſe aliud quid non valeat, quàm quod aſſequi humana mens poſſit. Et obiicit quidem Velleius Platonem, Ariſtotelémque, cùm Deum faciunt incorporeum, priuare illum ſenſu, prudentiâ, voluptate, adde, &, ſi velis, actione; quòd mens noſtra non capiat, quomodo id, quod corpus non eſt, videre, ſapere, lætari, moliri quidquam valeat. Verùm id ita obiiciunt, qui expoſito modo non diſtinguunt; neque aduertunt ſubſtantiam, qualem imaginari non licet, præditam eſſe poſſe eâ cognitione, quæ ſit omni ſenſu perfectior; eâ prudentiâ, quam nihil lateat; eâ voluptate, quâ purior non ſit; eâ operatione, quâ non ſit validior. Et quid poterat aliud ſeu Velleius, ſeu Epicurus reſpondere, ſi obiectum ſuiſſet priuari ab ipſo Deum ſenſu, prudentia, voluptate, dum in eo aſſerebat non corpus eſſe; ſed quaſi corpus; quoniam in iſto *quaſi-corpore* poſſet quidem eſſe quaſi ſenſus, ſed non tamen ſenſus; quaſi prudentia, ſed non prudentia; quaſi voluptas, ſed non voluptas? Quid poterat, inquam, aliud dicere, quàm eſſe ſpeciem quandam ſenſus, prudentiæ, atque voluptatis, qualem non concipimus, ſiue præter eam, quam imaginamur in homine, aut animali, quod corpus eſt craſſum, & morti, miſeriæque obnoxium.

Vt porrò habeatur expreſſiùs quæ fuerit circa Dei formam Epicuri ſententia, quidque præclarè aduerſus illam Ciceronianus Cotta obiiciat (præclarè, inquam, quod ad rem ſpectat; nam quod attinet ad conſequutionem, alia quæſtio eſt) en imprimis Velleij verba: *Ac de forma quidem*, inquit, *partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam à natura habemus omnes omnium gentium ſpeciem nullam aliam, niſi humanam Deorum. Quæ enim vlla alia occurrit vnquam, aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed ne omnia reuocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipſa declarat. Nam cùm præſtantiſſimam naturam, vel quia beata eſt, vel quia ſempiterna, conuenire videatur eandem eſſe pulcherrimam; quæ compoſitio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ ſpecies humanâ poteſt eſſe pulcrior.* Et ſtatim: *Quòd ſi omnium animantium formam vincit hominis figura; Deus autem animans eſt; eâ figurâ profectò eſt, quæ pulcherrima ſit omnium. Quoniamque Deos beatiſſimos eſſe conſtat; beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt, nec virtus ſine ratione conſtare, nec ratio vſquam ineſſe, niſi in hominis figura; hominis ſpecie Deos eſſe confitendum eſt. Nec tamen ea ſpecies corpus eſt, ſed quaſi corpus; nec habet ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem.* Ita Velleius: Iam verò Cotta ab eo exorſus, quod poſtremo loco propoſitum eſt, & quod nos iam attigeramus, ſic aggreditur: *Hoc perſæpè facitis, vt cùm aliquid non veriſimile dicatis, & effugere reprehenſionem velitis, afferatis aliquid, quod ne fieri quidem poſſit: vt ſatiùs fuerit idipſum, de quo ambigebatur, concedere, quàm tam impudenter reſiſtere.* Et poſteà: *Mirabile videtur, quòd non rideat Haruſpex cùm Haruſpicem viderit: hoc mirabilius, quòd vos inter vos riſum tenere poſſitis. Non eſt corpus, ſed quaſi corpus: hoc intelligerem quale eſſet, ſi id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris. In Deo quid ſit quaſi corpus, aut quaſi ſanguis intelligere non poſſum. Ne tu quidem, Vellei, ſed non vis fateri.* Et rurſùs: *Nunc iſtud, quaſi corpus, & quaſi ſanguinem quid intelligis? Ego enim ſcire te iſta meliùs, quàm me, non fateor ſolùm, ſed etiam facilè patior. Cùm quidem ſemel dicta ſunt; quid eſt, quod Velleius intelligere poſſit, Cotta non poſſit? Itaque corpus quid ſit, ſanguis quid ſit, intelligo; quaſi corpus, & quaſi ſanguis quid ſit, nullo prorſus modo intelligo. Nec tu me celas; vt Pythagoras alienos.* Ac ſtatim: *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa. Corpus illud non eſt, ſed ſimile Corpori; nec ille fuſus, & candore miſtus rubor ſanguis eſt; ſed quædam ſanguinis ſimilitudo: Sit in Epicureo Deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe. Fac id, quod ne intelligi quidem poteſt, mihi eſſe perſuaſum; cedo mihi iſtorum adumbratorum Deorum lineamenta, atque formas?* De Deo vera ſentienda. De Na. Deor.

Hæc Cotta præclarè; niſi quòd eius argumentatio non eſt præterea extendenda ad quamcunque rem non imaginatio, ſed intelligentia ex conſequutione, attingit. Quippe, vt noſ-met explicemus, ſimilia ſæpè dicimus; &

De Deo vera ſentienda. cùm verba non ſuppetant ; ſufficit , modò aliud eſſe , quàm quod noſtræ imaginationi ſubiicitur, intelligamus. Ita perſæpè dicimus eſſe in Deo , non *Paſſiones* ſed *quaſi Paſſiones*, vel vna voce, *Pro-paſſiones* ; neque eſt , cur Cotta quiſpiam cauilletur , *Paſſio quid ſit , intelligo , Quaſi-paſſio , vel Pro-paſſio quid ſit , nullo prorsùs modò intelligo*. Scilicet hac voce ſolùm vtimur, vt ſignificemus intelligere nos, eſſe quidem in Deo aliquid paſſionibus noſtris reſpondens , ob effectus quoſdam iis ſimileis, quos per paſſiones exſcrimus; ſed illud tamen commune nihil , præter ipſum nomen paſſionis habere, eſſéque potiùs in Deo perfectionem , qualem mens noſtra non capiat. Cùm 1. Ethic. Ariſtoteles porrò doceat : *Hominis eſſe probè inſtituti eatenus explicationem in vnoquoque genere exquiſitam requirere , quatenus rei patitur natura ; & nihil differre vtrùm Mathematicum probabilibus dumtaxat argumentis vtentem feras; an demonſtrationes ab Oratore poſtules* : quantò eſt conſentaneum magis , vt dum loquimur de rebus diuinis, non ea verba exigantur,quæ ipſas , quales ſunt , declarent ; quippe qualeis non nouimus ; ſed quæ id ſubiiciant , quod imaginamur , & præter quod , eſſe quidpiam aliud omni imaginatione ſublimius intelligi- In Tim. mus ? Egregiè Plato : *Authorem*, inquit,*& quaſi Parentem huiuſce Vniuerſi , inuenire difficile ; & cùm inueneris , impoſſibile , vt cuiquam declares.* Et poſteà : *Si*, inquit , *cùm multi multa de Deorum notura, & Vniuerſi ortu dixerint, id nos modò explicare inſtituentes, hoc (quod habemus animo) conſequimur, vt totà dilucidè,& planè oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat , ne ſanè mirum videatur ; contentique eſſe debebitis , ſi probabilia dicentur. Æquum eſt enim meminiſſe & me , qui diſſeram , & vos , qui meorum ſermonum iudices eſtis , humanâ eſſe naturâ;vt ſi probabilia quidem dicentur,nihil ſit vltrà inueſtigandum.*

Ex quibus dico etiam Epicurum tolerari potuiſſe , niſi retinuiſſet in Deo & formam humanam, & alia, quæ ferri non poſſunt; dixiſſet verò ſolùm eſſe Dei non *corpus*, ſed *quaſi corpus*; hoc eſt , quatenus mente concipi per intelligentiam intuitiuam poteſt. Quin etiam 10. De gen. ad lit. vlt. pari cenſu videri eum Tertulliano ipſo potuiſſet, qui *timens* , vt ait iam antè citatus in ſimili re D. Auguſtinus , *Ne Deus nihil eſſet , ſi corpus non eſſet* , Corpus qnidem Deum eſſe cenſuit, ſed corpus tamen eſſe dixit ſui generis , quò indicaret,non tale eſſe,qnalia hæc omnia,quæ ſenſibus patent ; verùm quodpiam aliud ſubtiliſſimum, puriſſimum, lncidiſſimum, &c. *Nam & dexteram* , inquit, *& oculos, & pedes Dei legimus;nec ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur. Quanta erit diuerſitas diuini corporis , & humani , ſub eiſdem nominibus membrorum,tanta erit,&c.*Potuiſſet, inquam videri Epicurus pari cenſu eſſe,quatenus dicens Dei eſſe non *corpus*, ſed *quaſi-corpus*,intellexiſſet corpus ſui generis,hoc eſt,non qualia ſunt denſa craſſáque , ſed eiuſmodi poteſt ſolâ In pag. 83. mente percipi;quippè & propterea Deos λόγῳ θεωρητὸν,*mēte contemplabileis* dixit,vt ſuprà quoque retulimus ; & eam deſcripſit ſpeciem diuinam : *Qua*,vel Cotta non diffitente,*nihil concreti habeat,nihil ſolidi, nihil eminentis ; ſitque pura,tenuis,& pellucida*;vt proinde Balbus arri- 1. De Nat. Deor. pnerit anſam iocandi , quod Epicurus fuiſſet *Monogrammos Deos* commentus. Quo loco notum eſt *Monogrammos* dici inſtar hominum macie extenuatiſſimorum, & metaphorâ à picturis ductâ , quæ priuſquàm coloribus quaſi corporentur , lineis quibuſdam adumbrantur conficientibus eam picturæ ſpeciem , quam priſci Latini dixerunt ſubleſtam , vt & ſubleſtum , languidúmqne , quod eſt dilutiſſimnm vinum. Vno verbo ; vt ſi quis perſuaſurus plebeio eſſe aërem ſubſtantiam corpoream,quod tametſi corpus non ſit palpabile,adſpectabiléque, vt lapis , aut mons ; ſit nihilominùs quaſi corpus, ſeu quidpiam tenue, fluidum , ac ſuo modo habens longitudinem , latitudinem , & profunditatem ; ita Epicurus potuiſſet concipere diuinam naturam , vt ſubſtantiam quandam, non quæ eſſet corpus viſibile,aut in ſenſum cadens ; ſed quæ eſſet quaſi corpus , hoc eſt ſimpliciſſima quidem , ac tenuiſſima , ſed habens ſimul adiuncta quædam ſimilia corporibus. Quippe & nos quoque , vt eſt antè dictum, cùm illam Dei maieſtatem,diuinamque eius , & infinitam ſubſtantiam, imaginari, ſiue quaſi intuitiuè intelligere volumus , non alio modo concipimus,quàm exhibente ſeſe nobis, ſeu obuerſante noſtræ menti aëre quodam puriſſimo , luciditſſimo , incircumſcriptéque diffuſo.

Pergit conſequenter Cotta impugnare quas Rationes Velleius verbis recitatis propoſuit. Adnotat enim eas eſſe treis : *Primam*, quòd ita ſit informatum,anticipatúmque mentibus noſtris , vt homini , cùm de Deo cogitet, forma occurrat humana : *Secundam* , vt quoniam rebus omnibns excellat Natura diuina , formâ quoque eſſe pulcherrimâ debeat,nec eſſe humanâ vllam pulcriorem: *Tertiam*,quòd nulla in alia figura domicilium mentis eſſe poſſit ; ac tùm aduerſus Primam ſic inſtat : *Arripere mihi* 1. De Na. Deor. *videmini quaſi veſtro iure rem nullo modo probabilem. Quis tam cacus in contemplandis rebus vnquam fuit,vt non videret ſpecies iſtas hominum collatas in Deos , aut conſilio quodam Sapientum , quò faciliùs animos imperitorum ad Deorum cultum à vita prauitate conuerterent: aut ſuperſtitione, vt eſſent ſimulacra,qua venerantes, Deos ipſos ſe adire crederent ? Auxerunt autem hac eadem Poëta , Pictores, opifices. Erat autem non facile agenteis aliquid , & molienteis Deos in aliarum formarum imitatione ſeruare.* Et infrà: *Quid ſi etiam,Vellei,falſum illud omnino eſt,nullam aliam nobis de Deo cogitantibus ſpeciem niſi hominis , occurrere ; tamen-ne iſta tam abſurda defendes ? Nobis fortaſſe,ſi occurrit, vt dicis, Iouem Iunonem, Mineruam, Neptunum,Vulcanum, Apollinem , reliquos Deos, eâ facie nouimus , quâ pictores,*

fictoréſque

Digitized by Google

In pag. 83. *fictareſque voluerunt; neque ſolùm facie, ſed etiam ornatu, ætate, atque veſtitu. At non Ægyptij, nec Syri, nec ferè cuncta Barbaries. Firmiores enim videas apud eas opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quàm apud nos de ſanctiſſimis templis, & ſimulacris Deorum. Etenim fana multa exſpoliata, & ſimulacra Deorum de locis ſanctiſſimis ablata videmus à noſtris; at verò, ne fando quidem auditum eſt, Crocodilum, aut Ibin, aut Felem violatum ab Ægyptio. Quid igitur cenſes? Apim, illum ſanctum Ægyptiorum bouem, nonne Deum videri Ægyptiis? Tam hercle, quàm tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu nunquam, ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutalo, cum calceolis repandis. At non eſt talis Argiua, nec Romana Iuno. Ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis, alia Romanis, alia Lanuinis. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Iouis. Non pudet igitur Phyſicum, ideſt, ſpeculatorem, venatorémque naturæ, ab animis conſuetudine imbutis petere teſtimonium veritatis? Iſto enim modo dicere licebit Iouem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, cæſios oculos Mineruæ, cæruleos eſſe Neptuni. Et quidem Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo ſtante, atque veſtito leuiter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de Vulcano ſic accepimus. Age, & his vocabulis Deos eſſe facimus, quibus à nobis nominantur. At primùm, quot hominum linguæ, tot nomina Deorum. Non enim, vt tu Velleius, quocumque veneris, ſic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hiſpania. Deinde, nominum non magnus numerus, ne in Pontificiis quidem noſtris; Deorum autem innumerabilis. An ſine nominibus ſunt? Iſtud quidem ita vobis dicere neceſſe eſt. Quid enim attinet, cùm vna facies ſit, plura eſſe nomina? Quàm bellum erat, Vellei, confiteri potiùs neſcire, quod neſcias, quàm hæc effutientem nauſeare, & ipſum tibi diſplicere? An tu mei ſimilem putas eſſe, aut tui Deum?* Et poſteà: *Nec verò intelligo, cur maluerit Epicurus Deos hominum ſimileis dicere, quàm homines Deorum. Quæres, quid interſit? Si enim hoc illi ſimile ſit, eſſe illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram perueniſſe ad Deos; Dij enim ſemper fuerunt, & nati nunquam ſunt, ſi quidem æterni ſunt futuri: at homines nati. Antè igitur humana forma, quàm homines, eâ quâ erant formâ Dij immortales. Non ergo illorum humana forma, ſed noſtra diuina dicenda eſt. Verùm hæc quidem, vt voletis; illud quæro; Quæ fuerit tanta fortuna? Nihil enim in rerum natura ratione factum eſſe vultis; ſed tamen quis iſte tantus caſus? Vnde tam felix concurſus Atomorum, vt repentè homines Deorum formâ naſcerentur? Semina Deorum decidiſſe de cœlo in terras putamus, & ſic homines patrum ſimileis exſtitiſſe? Vellem diceretis: Deorum cognationem agnoſcerem non inuitus. Nihil tale dicitis; ſed caſu eſſe factum, vt Deorum ſimiles eſſemus. Et nunc argumenta quærenda ſunt, quibus hoc refellatur.*

Hæc verò quoque præclarè Cotta; Niſi quòd rurſus eius inſtantia extendi non debet, Imprimis ad hoc, vt negetur vniuersè eſſe aliquam hominis ſimilitudinem cum Deo. Siquidem, cùm Literæ ſacræ teſtentur, *Deum feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, quæpiam haud dubiè eſt inter Deum, ac homines ſimilitudo. Ac non eſt ea quidem corporis reſpectu, niſi fortè ex analogia, quâ, exempli causâ, vt erecta hominis facies ad imperandum comparata eſt; ita Deus ter-maximus eſt Dominus vniuerſorum; aut ex metaphora, quâ vt homo oculis, manibus, membriſve aliis peragit varia; ita Deus ea peragit, ob quæ eadem membra metaphoricῶs ipſi attribuuntur. Metaphoricῶs, inquam, & non verè; ex quo damnati meritò Anthropomorphitæ, & Monachi illi Ægyptij, qui acceſsère ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, interfecturi, niſi Origenis libros diris deuonens, corporeum; & humanâ formâ Deum profiteretur; quod memoratur à Socrate in Eccleſiaſtica hiſtoria. Verùm agnoſci aliqua poteſt ſimilitudo reſpectu mentis, quatenus eſt & Subſtantia quædam incorporea, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, & ſuapte natura intelligens; quæ proprietas quidem competit cum-primis naturæ diuinæ. Tametſi enim quæ in homine eſt intelligentia, minima, debiliſſima, ac imperfectiſſima ſit; aliquantula tamen ſemper eſt, idémque nominis cum diuina habet; vti habet guttula aquæ eamdem qualitatem, denominationémque humoris cum toto Oceano; & flammula lucernulæ eamdem lucis cum ipſo Sole. Hoc certè ipſo commendari mens poteſt, quòd ſuâ intelligentiâ aſſequatur Deum & eſſe, & intelligentem eſſe; ac per ipſam obtineat aliquod cum Deo commercium. Heic non arringo profundiora Religionis ſacræ myſteria, vt adorandæ Trinitatis, ſeu diuinarum trium Perſonarum, quas Sacri Doctores ad totidem mentis facultates referunt; vt adorandæ Incarnationis, ob quam non modò Deus dicitur in ſimilitudinem hominum factus; ſed etiam Deus dicitur homo, homo Deus, &c. Commemoro ſolùm id, quod propiùs ad naturale lumen accedit, vt eſt vniuersè quædam hominis ſimilitudo, quam & Philoſophi agnouerunt, vt Platonici, Stoïcique; & Poëtæ etiam celebrarunt; heinc enim eſt illud:

De Deo vera ſententia.
Gen. 1.
Trip. l. 10. c. 7.

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum. 1. Met.

Non debet rurſùs quod ait Cotta extendi ad hoc, vt anticipatio Dei vniuersè euertatur. Nam licèt anticipatio non ſit de intima ipſa natura diuina, quoniam ignoratur quid ſit; eſt tamen ſaltem anticipatio de eius exſiſtentia, quoniam cognoſcitur, quòd ſit. Et quamuis anticipatio de humana forma, non arguat Deum eâ formâ eſſe; arguit nihilominus eſſe; quemadmodum anticipatio de vultu ſub larua latente, non demonſtrat quidem qualis vultus ſit, ſed demonſtrat tamen quòd aliquis ſit. Vnde eſt quidem imperfectio in ipſa anticipatione, quod ad naturam attinet, non verò quod ad exſiſtentiam; quoniam ad intelligendum

De Deo vera forma.

qualis ſit naturâ, imbecilles ſumus, noſtráque imbecillitas eò nos adigit, vt humano modo, & humanum quid concipiamus: ad intelligendum verò exſiſtentiam, ſumus magis idonei, quatenus effectum noſſe ſufficit, vt exſiſtere cauſam certi ſimus. Quod Cotta verò obiicit de conſilio Sapientum, de varietate picturarum, & ſimilibus, idipſum probat præhabitam, ac deinceps ſolùm exeultam, adauctam, variatam anticipationem; cùm aliqua ſemper vniuerſim fuerit. Et quod interſeritur de Ægyptiis, tum ad anticipationem generalem eſt ſatis; tum ne deſtruit quidem anticipationem de forma humana, quatenus, vt iam dictum eſt, intellexêre illi mentem, etiam in obſcœnis animalibus, quæ humanæ ſimilis foret, cuique, ſi ſeparata conciperetur, oporteret humanitatis lineamenta tribuere.

Aduerſus ſecundam rationem hæc habet: *Non vides, quàm blanda, conciliatrix, & quaſi ſui ſit lena natura? An putas vllam eſſe terra, marique belluam, qua non ſui generis bellua maximè delectetur? Quod ni ita eſſet, Cur non geſtiret Taurus equæ contrectatione, aut equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum vllam anteferre cenſes figuram ſuæ? Quid igitur mirum, ſi hoc eodem modo homini natura præſcripſit, vt nihil pulchrius, quàm hominem putaret, eam eſſe cauſam, cur Deos hominum ſimiles putaremus? Quid cenſes, ſi ratio eſſet in belluis, non ſuo quaſque generi plurimum tributuras fore? At mehercle ego (dicam enim vt ſentio) quamuis amem ipſe me, tamen non audeo dicere pulcriorem eſſe me, quàm ille fuit Taurus, qui vexit Europam. Non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus noſtris, ſed de ſpecie, figuráque quæritur. Quòd ſi fingere nobis, & iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton fingitur, natantibus inuehens belluis, adiunctis humano corpori, nolis eſſe? Difficili in loco verſor: Eſt enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit, niſi homini ſimilis eſſe. Et quidem formica formicæ. Sed tamen cuius hominis? Quotus enim quiſque formoſus eſt? Athenis cùm eſſem, è gregibus Ephebotum, vix ſinguli reperiebantur. Video quid arriſeris; ſed tamen ita ſe res habet. Deinde nobis, qui concedentibus Philoſophis antiquis, adoleſcentibus delectamur, etiam vitia ſæpè iucunda ſunt. Naeuus in articulo pueri delectat Alcæum; at eſt corporis macula næuus; illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus huius collega, & familiaris noſtri pater, dilexit municipem tuum Roſcium, in quem etiam illud eſt eius:*

Conſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans.
Cùm ſubitò à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat, Cæleſtes, dicere veſtra,
Mortalis viſu'ſt pulcrior eſſe Deo.

Huic pulcrior Deo: at erat, ſicut hodie eſt, peruerſiſſimis oculis. Quid refert, ſi hoc ipſum ſalſum, & venuſtum illi videbatur. Redeo ad Deos. Ecquos, ſi non tam ſtrabones, & pætulos eſſe arbitramur? Ecquos næuum habere? ecquos ſilos, flaccos, frontones, capitones, quæ ſunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num etiam eſt vna omnium facies? Nam ſi plures, aliam eſſe aliâ pulcriorem neceſſe eſt. Igitur aliquis non pulcherrimus Deus. Si vna omnium facies eſt, florere in cælo Academiam neceſſe eſt. Si enim nihil inter Deum, & Deum differt, nulla eſt apud Deos cognitio, nulla perceptio. In pag. 83.

Hæc præclarè iterùm Cotta, niſi quod illius obiectio, dum φιλαυτίαν meritò damnat, non ita extendenda eſt, vt quæ in homine perfectio ſupra reliquas animanteis eſt, aut deiiciatur, aut ambigua fiat. Siquidem, cùm noſtri amorem, quantum licebit exuerimus, apparebit ſemper ſupereſſe aliquid, vnde non prorsùs immeritò ſupra cætera euehamur. Quippe nullum nobis animal occurret, quod perinde ratiocinetur, quod, non dico, loquatur, ſed ſaltem ſcribat, tranſmittátque poſteris notitiam rerum præteritarum; quod ita obſeruet naturam, conſignétque, & monumentis committat obſeruata cæleſtia; quod tot opera elaboret ſic affabrè facta, & (ne caput prætercam) quod habeat notitiam Dei, cultúmque ipſi exhibeat. Quæ ſanè, ſi ita ſe habeant; ſi inquam, antecellat homo animantibus cæteris, propter haſce doteis, & pleraſque alias; cur non præcellat etiam ratione ſtructuræ, formæque, quâ præditus eſt. Cùm ſit enim recipientis ad receptum proportio, vt effatum vulgare eſt; ſanè vt anima humana cæteris prælucet, ſic corpus illam excipiens præfulgere cæteris debet conformatione, & venuſtate. Vt cætera verò reticeam, quid cenſendum putas de erecta illa ſoli homini conceſſa figura, de qua eſt paulò antè dictum? Cùm cætera enim animalia terram prona ſpectent, Natura, ſeu potiùs ille Opifex rerum

Os homini ſublime dedit, cælúmque tueri
Iuſſit. ——

Sic proinde conformauit, vt mentis altæ capacior

—— *dominari in cætera poſſet.*

Hæc eò pertinent, vt intelligas, ſi forma humana pulcherrima ſit omnium; videri, quod eſt antè dictum, non poſſe Deum ſub alia, quàm humana concipi forma, quatenus natura diuina ea eſt, quâ nihil poteſt eſſe formoſius. Hæc certè cauſa eſſe videtur, cur ab omni antiquitate dictus Deus fuerit *Parens hominum*; cur homines dicti fuerint *Genus Deorum*. Etſi verò vnumquodque animal delectetur maximè iis, quæ ſui ſunt generis, vt argumento maximo ſit, quòd exiſtimet genus ſuum eſſe omnium pulcherrimum; non propterea dicendum eſt omnia eſſe æquè pulcra, niſi & dicamus omnia æqualia eſſe in omnibus. Quòd ſi ſemel admiſeris pulcritudinum diſcrimina varia, tum erunt alia aliis pulcriora, & aliquid pulcherrimũ. Hoc autem quale eſſe poſſit præter hominẽ, quâ aſſequêre coniecturâ? At difficultas ſupereſt, in quo conſiſtat hæc pulcritudo; & vrget Cotta id maximè propter næuos, qui lumina quędam pleriſque videntur; verùm vt variis varia placent,

&

Digitized by Google

In pag. 83. & vnuſquiſque pro ſuo affectu quidpiam decorum iudicat; ita vniuersè dici poteſt eam formam videri pulcram, cui ad integritatem, & conformationem nihil deeſt. Quod in aliquo enim nævus, aut peruerſitas membrorum delectet, id ex aſſuetudine fit: ſed da aſſuetudinem eamdem cum perfectiore conformatione, erit haud dubiè delectatio maior. Prætereo & mores quidpiam facere; ſed rem proſequi non eſt huius loci.

Quod ad Tertiam ſpectat, quamplurima habet. Vt decerpamus verò duntaxat, & verbis tamen eius dicamus: *Adiungis*, inquit, *nec rationem eſſe, niſi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Nunquam vidi*, inquis, *animam rationis, conſilijque participem in vlla alia, niſi humana figura. Quid? Solis numquid-nam, aut Lunæ, aut quinque Errantium Siderum ſimile vidiſti? Ne ſint igitur ne Sol, ne Luna, ne ſtella; quoniam nihil eſſe poteſt niſi quod attigimus, aut vidimus. Quid, Mundum, præter hunc, vnquam-ne vidiſti? Negabis. Cur igitur non ſexcenta millia eſſe Mundorum, ſed innumerabilia auſus es dicere? Quid Deum ipſum, num-nam vidiſti? Cur igitur credis eſſe? Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, cùm præſtantiſſima natura quæratur, eaque beata, & æterna, vt immortalitate vincimur ab ea, ſic animi præſtantiâ vinci; atque vt animi, ita corporis? Cur igitur cùm cæteris rebus inferiores ſimus, formâ pares ſumus? Ad ſimilitudinem enim Dei propiùs accedebat humana virtus, quàm figura. Ipſa verò, quàm nihil ad rem pertinet ſimilitudo? Quid canis, nonne ſimilis lupo? atque, vt Ennius,*

Simia quàm ſimilis, turpiſſima beſtia, nobis?

At mores in vtroque diſpares. Quid inter ipſos homines? Nonne & diſſimillimis formis diſpares mores, & moribus conſimilibus figura diſſimilis? Quæ ſunt tantæ animi anguſtiæ, vt ſi Seriphi natus eſſes, nec vnquam egreſſus ex inſula, in qua lepuſculos, vulpeculaſque ſæpe vidiſſes, non crederes Leones, & Pantheras eſſe, cùm tibi, quales eſſent, diceretur? Si verò de Elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares. An quicquam tam puerile dici poteſt, quàm ſi ea genera belluarum quæ in rubro mari, Indiave gignantur, negemus eſſe, quia nunquam vidimus? Tollamus ergo omnia, quæ aut hiſtoria nobis, aut nona ratio affert. Ita ſit, vt ſi mediterranei mare eſſe non credant. Attendo quò ſerpat genus argumenti. Tu enim ſumebas, niſi in hominis figura rationem ineſſe non poſſe; ſumet alius, niſi in terreſtri; niſi in eo, qui natus ſit; niſi in eo, qui adoleuerit; niſi in eo, qui animo conſtet, & corpore caduco, & infirmo; poſtremò niſi in mortali. Non ſentitis quam-multa vobis ſuſcipienda ſint, ſi impetraueritis, vt concedamus eandem eſſe hominum, & Deorum figuram? Omnis cultus, & curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quæ adhibetur homini; ingreſſus, curſus, accubatio, inclinatio, ſeſſio, comprehenſio; ad extremum etiam Sermo, & Oratio. Nam quòd & mares Deos, & fæminas dicitis, quid ſequatur, videtis. Niſi fortè ne hoc quidem attendis, non modò in homine, ſed etiam in arbore quicquid ſuperuacaneum ſit, aut vſum non habeat, obſtare. Quam-moleſtum eſt vno digito plus habere? Quid ita: quia nec ſpeciem, nec vſum alium quinque deſiderant. Tuus autem Deus non digito vno redundat, ſed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, femoribus, cruribus. Omneſ-ne tibi delirare viſi ſunt, qui ſine manibus, & pedibus conſtare Deum poſſe decreuerunt? Ne hoc quidem vos mouet, conſiderantes, quæ ſit vtilitas, quæque opportunitas in homine membrorum, vt iudicetis membris humanis Deos non egere. Quid enim pedibus opus eſt, ſine ingreſſu? Quid manibus, ſi nihil comprehendatur? Quid reliqua deſcriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil ſine cauſa, nihil ſuperuacaneum eſt? Habebit igitur linguam Deus, & non loquetur? denteis, palatum, fauceis; nullum ad vſum? Quæque procreationis causâ corpori natura affixit, ea fruſtrà habebit Deus? Nec externa magis, quàm interiora, cor, pulmones, iecur, cætera, quæ, detracta vtilitate, quid habent venuſtatis?

De Deo vera ſentienda.

Hæc denique præclarè Cotta; niſi quod eius argumentatio non videtur euertere, quod eſt de ratiocinatione in humana forma prædictum; neque extendi debet ad tollendum vſum membrorum, quæ noſtris ſimilia cùm ſint, parem cum ipſis vſum non habent. Videlicet hoc aduerſatur iis, quæ profitemur de glorioſis corporibus poſt reſurrectionem in cœlo futuris. Homines quippe in illo ſtatu habebunt quidem eadem membra; at neque edent, neque bibent, neque nubent, &c. vt Seruator loquutus eſt. At, inquies, nonne & in ipſis dici poterunt membra inutilia? Reſpondeo, nequaquam; ſed vt illa erunt incomparabiliter perfectiora noſtris; ita & vſus habitura ſunt incomparabiliter perfectiores. Sicuti enim Ruſticus alium vſum manuum capere non poteſt, quàm vt palpent, corripiant, repellant, arent, fodiant, &c. neque ſibi poteſt in mentem inducere tot mirabileis illos vſus, quos manus habet in citharœdis, pictoribus, aurificibus, opificibuſque cæteris; ita & nos, cùm non alios vſus membrorum noſtrorum agnouerimus, quàm quos obſeruamus in iſta mortali, & quaſi ruſticana vita; non capimus, quos eàdem membra in vita illa immortali, ac cæleſti habere poſſint. Quamobrem, vt erit Ruſticus ineptus, ſi iis vſibus, quos perfectos habet, ſecluſis, inutilem iudicet manum, quaſi habere alios non valeat; ſic nos inepti, ſi iudicemus corporum glorioſorum membra idcircò fore inutilia, quòd perſpectis nobis vſibus caritura ſint, quaſi habere alios longè præſtantiores non poſſint.

De perfectionibus Dei.

Supereſt iam, vt propter illas, quas Epicurus Deo tribuit, Immortalitatis, ac Beatitudinis perfectiones, quidpiam tum de his, tum etiam de aliis, quæ quadamtenus ex illius mente attribui poſſunt, ſubtexamus. Nempe, cùm ex hactenus dictis habeamus Deum

De Deo vera ſententia. eſſe ſubſtantiam quamdam incorpoream, nullâque formâ præditam, qualem, cùm de Deo cogitamus, imaginari bumanum eſt: cooſeotaneum eſt dici aliquid de buiuſce Subſtantiæ veluti Coniunctis, Proprietatibuſve, quæ & attributa dici paſſim ſolent, & heic à oobis nomine Perfectionum intelliguntur. Cùm verò, vt ex iis, quæ primo loco ſunt diſputata, videri poſſit factum ſatis ad quæſtionem, An Deus ſit; ex iis, quæ deinceps, ad quæſtionem, Quid ſit: ita videatur factum iri ex iis, quæ ſubiicienda ſunt, ad quæſtiooem, Qualis ſit: Repetendum profectò eſt, dici nihil poſſe à nobis, qood Deum, qualis in ſe eſt, repræſentare animo poſſit. Scilicet Dei perfectiones cognoſcere non poſſumus oiſi ex quadam analogia, ſeu comparatione ad eas, quæ ſunt obſeruatæ io cæteris rebus; Quare & longè abeſſe nos, vt taleis vel intelligamus, vel Deo tribuamus, quales in eo ſunt; & non potiùs qualeis imbecilla mens ſummo ſuo conatu attingere poteſt. Sufficit intereà, vt propriam agnoſcentes infirmitatem, & teſtemur eſſe prætereà io Deo perfectiooes alias, quas ne ſubodoremur quidem; & profiteamur iſtas, quas ipſi tribuimus, tantá io eo eſſe eminentiâ, vt quicquid præclarum de iis capimus, ſit longè, quàm vel atomus ad vniuerſum comparata, minus. Ita profectò intelligemus & quicquid perfectioois obſeruamus in rebns, poſſe Deo attribui; & interim tamen detrahi debere, vt iam quoqne attigimus, quicquid vmbram, ſuſpicionemve imperfectionis inuehere poteſt. Siqnidem neque poteſt ſatis perfectioois illi attribui, qui inexhauſtum eſt pelagus, à quo perfectio omois dimanat; neque ſatis imperfectionis illi adimi, aut de eo negari, io quo oulla eſt imperfectio.

Cæterùm, ne velle videamur congerere huc illa omnia, quæ dici de Dei attributis poſſuot, illa Theologis ſic relinqoimus, vt delibemus ea duntaxat, quæ Philoſophos, & ne ipſum quidem Epicurum, planè latueruot. Ac de Æternitate quidem, ac felicitate amplam fidem faciunt tum præſeos cootextus, tum Epiſtola ad Herodotum, tum Ratæ ſententiæ, tum loca paſſim alia, quibus accedit illud Velleij, dum, *quæ natnra*, inquit, *nobis informationem Deorum ipſorum dedit, eadem inſculpſit in mentibus, vt eos æternos, & beatos haberemns*; itemque illud Lucrerij:

Lib.1. *Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe'ſt*
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur.

Et quamvis nonnulli affectauerint Epicuri mentem prauè interpretari; audi oibilominùs Cottam, qui relata illa ex Ratis ſententiis, *Quod beatum, & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium*, ſubiungit: *In hac ita expoſita ſententia ſunt qui exiſtiment quod ille inſcientia planè loqnendi fecerit, feciſſe conſultò. De homine minimè vafro malè exiſtimant. Dubium eſt enim vtrùm aliquid dicat iſte beatum, & immortale; an ſi quid ſit beatum, id eſſe immortale. Non animaduertunt heic eum ambiguè loqnutum eſſe: ſed multis aliis locis & illum, & Metrodorum tam apertè, quàm paulò ante te* (Velleium alloquitur) *Ille verò Deos eſſe putat.* Quamquam & cedò, oum ſeoteotia ita ambiguè propoſita ſit, vt refereoda etiam videatur, ad loqueodi inſcientiam; ac num Cotta ſibi ipſe conſtet, qui ſuperiùs cootenderit Epicurum Deos ſuſtuliſſe? Quod attinet verò ad alia quæ Epicurus etiam competere Deo ex aoticipatione agnouit, & de quibus priore loeo dicendum nobis aliquid eſt, innuimus iam illum (aut Velleium mavis) Platoni obiicere, eſſe neceſſe ex eius meote, *careat Deus ſenſu, careat prudentia, careat voluptate; quæ omnia*, ioquit, *vnà cum Deorum notione comprehendimus.* Ex quo fit, vt quicquid ſit de ſenſu (qui voiuersè pro cognitiooe, aut ſcientia poteſt accipi) ſaltem in Deo, ex Epicuro admittatur Prudentia, ſeu (vt aliàs vocat, Sapientia, & virtus, atque adeò Intelligentia; ſitqne proinde Deus Subſtantia; naturave, vt prudeos, ſic lotelligens. Innuimus quoque Epicurum aliquam in Deo, naturave Diuina ioſinitatem agnouiſſe, iuxta *ἰσονομίαν*, ſeo *æquilibritatem*, ex qua *illud efficitur*, inquit Velleius, *ſi mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem; &, ſi quæ interimant, innumerabilia ſunt, ea, quæ conſeruent, infinita eſſe debere.* Vnde elicitur, peccaſſe qnidem Epicurum, cùm diuinam infioitatem ad multitudinem potiùs, quàm ad magnitudinem retulit; ſed ioterim tamen ipſum aliquam agnouiſſe ioſinitatem. Quo præterea loco notabilis eſt vox illa, *conſeruent*: ſiquidem poteſt ex illa argui, ſpectare quoque ad notionem, ſeu anticipationem Dei, tum rerum Prouideotiam, tum Potentiam, ſeu vim agendi. Vtcumque ſit; videmur nos ſaltem poſſe Deum cooſiderare; tum quatenus Subſtantia eſt, tum quatenns Intelligens eſt. Et quatenus quidem Subſtantia eſt, videtur poſſe, & provt in ſe, & provt io loco, & provt in tempore (quantum capimus) cohæret, ſpectari. Ex hoc nempe fit, vt iotelligatur, quomodo cohærens per ſe, ſeu ratione ſui, non poſſit eſſe niſi Vnus; ratione loci, niſi Immeoſus; ratiooe temporis, niſi Æternus. Quatenus verò Iotelligens eſt, videtur poſſe attendi & ratione eorum, quæ voiuersè intelligit; & ratione eorum, quæ intellecta facere poteſt; & ratione modi, quo intelligendo facit; & ratione voluptatis, quæ ex intelligentia conſequitur. Ex his quippe, fit vt primùm Omoiſcius, tum Omnipotens; ad-hæc Optimus, Liberrimus, Sapientiſſimus; tandem & Beatiſſimus concipiatur. *In pag. 83.*

Non eſſe porrò Deum niſi Voom, ex eo probatur, qood ſi diuina ſubſtantia multiplicaretur, moltiplex-ve eſſet io multis iodiuiduis; hoc ipſum in ea maximum imperfectionis argumentum foret. Quippe indiuiduorum multitudo oon reperitur, niſi in rebus, quæ ſunt corruptioni obnoxiæ, quæque reipsâ intereuot,

In pag. 83. intereunt, & partem ſui quamdam, hoc eſt ſemen, priùs amittunt, vt fiat propagatio, genuſque ipſum conſtare poſſit. Aliunde verò indiuidua, ob indigentiam multam ſunt multa; ſocietaſque omnis eò tendit, vt quod vni deeſt, conferatur à cæteris. Ac prætereà, tametſi omnia æqualia eſſe dederimus, non poteſt non eſſe vnumquodque ſingulare imbecillum, vt pote cui deſit quicquid vitium repetitur in cæteris; & tantò magis, ſi illa fuerint innumera, aut infinita; quoniam quò plurium aggeries fit, eò exceſſus magis excreſcit. Cæterùm repugnat communi notitiæ, vt vel in Deum cadat corruptio, in quem non cadit etiam generatio, quicquid habeatur in fabulis; vel Deus vlla re indigeat, qui ſufficientiſſimus ſibi eſſe debeat; vel imbecillitate laboret, cuius vi non poſſit vlla maior excogitari. Quamobrem Vnus ſit oportet, neque ſocios habeat, quos ſi habeat, Deus non ſit. Idque poteſt, vel eo præſertim argumento *12. Metaph. vlt. Iliad. β* confirmari, quo Ariſtoteles adductus laudauit illud Homericum,

Haud benè præfuerint multi: Rex vnicus eſto.

Videlicet Mundus, qui ex antè dictis ſine vi regente non eſt, moderatores non patitur plureis; vt neque exercitus plureis Imperatores patitur: Et cùm manifeſta experientia ſit omnium ſupremam poteſtatem eſſe conſortis impatientem; docet aliunde ratio omnem legitimum ordinem aut ab vno eſſe, aut ad vnum referri. Confirmatur rurſùs ex conſenſu omnium communiſſimo, ac potiſſimùm virorum ſapientum. Nam vt Sibyllas prætercam, ex quibus ſunt quædam apud Lactantium, εἷς *Lib. 1.* θεὸς, ὃς μόνος ἐστι, *Vnus, qui Solus Deus eſt*, &c. Itemque Poëtas, vt Orpheum, apud Clemen- *In protrept.* tem Alexandrinum, & Sophoclem, cuius eſt illud,

Vnus profectò verus eſt vnus Deus:

Ecce ipſi Philoſophi, tametſi perſæpè abrepti populari loquendi modo Deos dixerunt; vnicum tamen Deum agnouerunt. Ac imprimis Pythagoras, omneſque eius Sectatores, qui propterea Deum deſignârunt Vnitatis nomine, veluti Binarij nomine materiam, vt aliàs memorauimus. Itemque Plato, omneſque Platonici, ac Plotinus imprimis, qui cùm plureis Deos poſuerunt, miniſtros ſolùm intellexerunt, quorum vnicus eſſet Princeps, aliorumque Author, hoc eſt verus Deus. Ac rurſus Ariſtoteles, & cum illo omnes Peripatetici, quorum de vno primo Motore, ſeu Principe Deo argumentatio celebris eſt. Zeno præterea, Stoïcique, quibus ſolemne maximè fuit ad vnum Iouem omnia referre. Denique Cicero, Plutarchus, omneſque alij magni viri, *4. Ciuit. 9. & al.* qui, licet, vt ait Varro apud D. Auguſtinum, nominârunt Deos, Deaſque plureis, omneis tamen in vno Ioue comprehenſos eſſe voluerunt, cuius illi, illæque, facultates, & muneta eſſent. Huc ſpectat, quod Iuſtinus Martyr, & Macrobius, citantes illud ex Orpheo,

Iupiter, & Pluto, Phœbus, Dionyſius, vnum eſt; *De Deo vera ſentienda.*
oſtendunt Ethnicos ſub nominibus Deorum variis, vnicum Numen intellexiſſe. Vnde eſt *In Parænet 1. Saturn. 17.*
& illud ex Sorano decantatum:

Iupiter omnipotens, Regum Rex ipſe, Deuſque,
Progenitor, Genitrixque Deũ, Deus vnus, & omnes.

Neque obſtat, quòd Epicurus viſus ſit non poſſe intelligere quomodo ſumma beatitudo conſiſtere poſſet cum ſolitudine maxima: cauſa enim fuit, quia Deum non habuit vt Oceanum bonorum omnium inexhauſtum; cùm homines tamen habuerit quaſi riuulos, qui areſcant facilè, niſi fluuio conſocientur. Ea propter enim homines ſolitudinem impatienter ferunt, quòd bonis externis indigeant; ſed Deus ſecùs, qui habet in ſe quicquid bonorum expeti poteſt; ac eſt aliunde ipſe ſibi non inſtar duorum, non plurium, ſed infinitorum; cùm ſit infinitus.

Non poſſe porrò eſſe Deum, niſi Infinitum, prorſúſque immenſum, ex eo probatur, quòd ſi diuina Subſtantia limites aliquos haberet, eo ipſo imperfecta eſſet; quoniam quantumuis ingens foret, finibus tamen concluderetur; haberi poſſet pro nihilo, comparatione infinitatis; infinita foret varietas locorum, in quibus agere nihil poſſet; in quibus quid vel ageretur, vel non ageretur, neſciret; cohiberetur quaſi vi quadam, ne ſeſe vltrà protenderet, cùm etſi vellet, non tamen poſſet. Et ſi hanc quidem neceſſitatem cum limitatione accepiſſet ab alio, eo caſu non ipſe accipiens, ſed ipſum imponens neceſſitatem, foret Deus: Sin à ſeipſo, aut impotens fuiſſet, tanquam ſibi dare non valens maius aliquid; aut ineptus, tanquam non dans id, quod per eum ſtaret, quò minus haberet. Itaque cùm iſta repugnent, neceſſe eſt Deum & limitatione carere, & eſſe proinde Immenſum, atque Infinitum. Nam & quod Epicurus viſus eſt non potuiſſe capere quomodo actio vlla competat infinitæ Subſtantiæ, quòd omnis actio cum motu fit, & quod eſt infinitum moueri non poſſit; cauſa fuit, quia non concepit Deum, vt puram mentem, quæ agere poſſet immota; & cùm vbique fuerit, poſſit vbivis quidpiam moliri. Ac ſolet quidem Immenſitas, ſiue Infinitudo Dei concipi à nobis ex comparatione ad locum, qui ſit ipſe quoque ſuo modo immenſus; ſed intelligendum eſt tamen ipſam diuinam Subſtantiam, ſiue, vt loquuntur, Eſſentiam, ſpecialis eſſe immenſitatis, ſine relatione ad locum. Nempe vt albedo, dulcedo, & ſimilia non menſurantur ratione loci, in quo ſunt, ſed ratione graduum ex quibus conſtant; ita diuina Subſtantia immenſa eſt, non ratione loci, qui immenſus ſit, ſed ratione graduum veluti quorumdam (ſi fari ſic liceat) qui ſint infiniti. Ex quo fit, vt tametſi Deus dicatur eſſe Vbique, ſeu in omni loco dicatur tamen magis propriè eſſe in ſeipſo; cùm illa veluti diffuſio, quâ omni loco præſens ſit, ſit tantum quidpiam conſequens ad illam velut diffuſio-

 nem,

De Deo vt ſe ſentienda.

nem, quam habet priùs in ſeipſo. Heine laudari ſolent illa carmina:

Dic vbi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet;
Tunc, vbi nunc; in ſe; quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Cùm porrò, ex alibi dictis, videatur locus nihil eſſe aliud, quàm ſpatium, quod ſi occupatum quidem à corpore ſit, dicatur plenum; ſi inoccupatum, dicatur Inane; & Deus poſſit quidpiam moliri non modò in pleno, vt iam intra Mundum, ſed etiam in Vacuo, vt ſi alium Mundum extra iſtum condat; aut poſt euacuatam intra Mundum regionem elementarem, Terram denuò in illa creet; non apparet cauſa, quare quidam negent eſſe Deum in ſpatiis illis vltra Mundum, aut futurum in eo Inani, quod intra Mundum fecerit. Quippe mens non capit agere Deum, vbi non ſit, aut eſſe vbique; ſi monſtrari poſſit quoddam interſtitium, in quo non eſſe perhibeatur, vt caſu expoſito foret, quod eſſet inter cælum, terramque relictum inane. Dicere enim Vbi, aut Vbique intelligi ſolùm de loco reali, aut pleno, præter communem notionem eſt; quandò eodem caſu, & ante reſtitutam terram quæri poſſet, ac demonſtrari vbi terra præexſtitiſſet; concipiturque poſſe etiam-num aliquid vbique per illa Vltramundana ſpatia creari. Non capit mens rursùs, qua ratione Deus ſic dicatur magnus, vt magnitudinis eius non ſit finis, ſi vel ſit duntaxat in cælo, vt viſum eſt aliquibus; ita enim limitaretur non modò extrorsùm, ſed etiam introrsùm; poſſetque quædam cauitas, aut inanitas in eo concipi: vel ſit etiam in toto quidem Mundo, ſed non tamen exteriùs, vt eſſe cenſuerunt, qui dixerunt eſſe Mundi formam, ſeu animam; ita enim foret quaſi conglobatus, & circumquaque velut reſectus, ac (vt viſum eſt obiici) efficeretur rotundus Deus. Non capit demùm, ſi Deus extra Mundum non ſit, & non concipiatur proinde tamquam maior Mundo, quî fieri poſſit, vt dicatur id, quo excogitari maius nihil poſſit; cùm poſſit nempe aliquid maius cogitari, quàm Mundus; ſpatium ſcilicet, quod eſt extra Mundum. Quanquam & non tam dicendum videtur, eſſe Deum aliquid, quo cogitari maius nihil poteſt; quàm eſſe maius aliquid quàm cogitari vnquam poſſit, iuxta id quod Poëta præclarè, (Ouid.)

Nil ita ſublime eſt, ſupráque pericula tendit,
Non ſit vt inferius, ſuppoſitumque Deo.

Apparet proinde ex his Epicurum tantò feciſſe abſurdiùs, quantò Deum humanâ formâ circumſcribens, fecit proinde limitationem. Quòd ſi requiras, vbi-nam Deos illos ſuos conſtitutos putauerit? Reſpondet Alexander, (Lib. de fato.) feciſſe ἐκτὸς τῶν κόσμων ὄντας, *extra Mundum degenteis*, vt ſcilicet foret, quod Lucretius ait, Natura diuina

(Lib. 1.) *Semota à noſtris rebus, ſeiunctáque longè:*

idque ad degendum beatiùs. Quaſi verò, ſi agnouiſſet naturam diuinam eſſe mentem puram, agniturus non fuiſſet poſſe illam abſque moleſtia toti rerum Summæ præeſſe, quòd ſuo iam loco oſtenſum eſt? Addit Lucretius (In Pag. 83.) aliam rationem, quòd ſcilicet Mundus ſit nimis corporeus, atque idcirco incapax, qui præclaram adeò naturam contineat:

(Lib. 5.)
Illud item non eſt, vt poſſis credere ſedeis,
Eſſe Deûm ſanctas in mundi partibus vllis.
Tenuis enim Natura Deûm, longéque remota
Senſibus à noſtris, animi vix mente videtur:
Quæ quoniam manuum tactum ſuffugit, & ictum,
Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet:
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſum.
Quare etiam ſedes quoque noſtris ſedibus eſſe
Diſſimiles debent; tenues pro corpore eorum.

Quaſi verò, ſi agnouiſſet naturam diuinam eſſe omninò incorpoream, agniturus quoque non fuiſſet poſſe eam perinde degere cum corporibus, ac ſi corpora nulla eſſent? Prætereo autem, quod fuit Epicuro quaſi iocando obiectum, quòd Deos extra Mundum ablegans, collocaret in Intermundiis, vt ſuperiùs retulimus; tametſi ille nihil de loco definiens, talem dumtaxat habuit, in quo nihil poſſet eſſe turbatum; vt & dicetur paulò pòſt.

Intereà, cùm iſta improbanda ſint; id ſaltem laudandum, quod Deum, non niſi Immortalem, Æternumque, ſeu expertem ortus, interituſque intellexit. Profectò, eadem non fuit partim oratio, partim ratio cæterorum Philoſophorum. Siquidem, vt illos prætercam, qui Poëtarum Deos admiſerunt (ecquis autem eos non citauit, qui apud Homerum, Heſiodum, cæteroſque deſcripti extant?) cùm tamen & Euhemerus, & qui ipſum eſt interpretatus Ennius, illorum omnium nataleis, coniugia, progenies, imperia, res geſtas, obitus, ſepulturas, ſimulacra demonſtrauerint, vt à Cicerone, Lactantio, aliiſque proditum eſt: (3. de Nat. Deor. de ira Dei. 11. Euſeb. 2. præp.) Et Atlantij apud Diodorum, alijque etiam populi, gloriari non erubuerint fuiſſe Deos apud ſe natos. Vt illos proinde, qui ſequuti vulgus, non repudiauerunt Deos ex hominibus aſſumptos; ſeu illi vrbium conditores, ac Reges quidam optimi fuerint; ſeu inuentis ſuis, aut alia ratione hominibus benefecerint. Quippe, *hic eſt vetuſtiſſimus*, vt loquitur Plinius, *referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales Numinibus adſcribantur.* (Lib. 2. c. 7) Vt illos rurſum, quorum opinio eſt (hanc Anaximandro apud Ciceronem Velleius attribuit) *Natiuos eſſe Deos, longis interuallis orienteis, occidenteiſque*: (1. de Nat. Deor.) Quod & accepiſſe Stoïci videntur, cùm fecêre apud Plutarchum Deos vt naſcenteis, ſic morienteis cum ipſo Mundo; (De orac. def. & ad Stoic. loc. cit.) ne illud Plinij commemorem, quod cauſatur quoſdam *ouo genitos, & alternis diebus viuenteis, occidenteiſque.* Vt illos demùm, qui cùm fecerint vnum Deum Principem, ſeriem quoque admiſerunt minorum Deorum, qui geniti ab illo fuerint, veluti Plato, dum comprobare Heſiodicam, & à (In Tim.) Lino vſque cœptam θεογονίαν videtur. Vt illos, inquam omneis prætercam, ecce, qui ſanctiſſimè omnium philoſophati fuiſſe videntur,

cùm

Digitized by Google

In pag. 83. cùm eò perueniſſent, vt vnum Deum admitterent, illum quidem ab alio, ſed non à ſeipſo infectum voluerunt. Videtur ab hac opinione non receſſiſſe Lactantius, cuius verba ſunt: *Lib.1.c.7* *Cùm ad illum* (Parentem Deum) *mentis humanæ intentio, & acumen, & memoria peruenerit, quaſi ſubductis, & conſumptis omnibus viis, ſubſiſtit, hæret, deficit, nec eſt aliquid vlteriùs, quo progredi poſſit. Verùm quia fieri non poteſt, quin id quod ſit, aliquando eſſe cœperit, conſequens eſt, vt quandò nihil ante illum fuit, ipſe ante omnia ex ſeipſo ſit procreatus.* Citat proinde Apollinem, à quo Deus αὐτοφυὴς, *ex ſe natus*, & Sibyllam, à qua αὐτογενὴς, *ex ſe genitus* dictus *Cap. 5.* fuerit (citarat anteà Orpheum, qui πρωτόγονον *primogenitum* appellatat Deum.) Citat & acutum virum Senecam, qui in Exhortationibus, *Nos*, inquit, *aliunde pendemus: itaque ad aliquem reſpicimus, cui quod eſt optimum in nobis, animam debeamus. Alius nos edidit,* *Enn. 6. lib. 8. cap. 15. Orat. 1.* *alius inſtruxit; Deus ipſe ſe fecit.* Citare verò & nos poſſemus Plotinum, nonnulloſque alios; verumtamen vnus Ariſtides ſufficiat; dum oratione, aliàs eleganti, rem in hunc modum ediſſerit: *Iupiter fecit omnia, & à Ioue facta ſunt omnia; fluuij, Terra, Mare, & Cælum, & quæcumque vel inter hæc, vel ſupra, vel infra eadem exſiſtunt; & Dij, & homines, & quæcumque animata ſunt, quæque vel viſu, vel intellectu percipiuntur. Primus autem ipſe ſe creauit; nec in odoratis Cretæ antris fuit educatus; neque illum vel deuorare voluit Saturnus, vel pro ipſo lapidem deglutiit; neque vnquam vel periclitatus eſt Iupiter, vel periclitabitur; neque eſt quidpiam Ioue antiquius; ſicut nec filij parentes, nec opera opifices poſſunt ætate præcedere; ſed ipſe primus eſt, & antiquiſſimus, & omnium Princeps, ipſe ex ſe factus. Quando autem creatus fuerit, nemo poteſt dicere; cùm & fuerit ab initio, & ſemper in poſterum ſit futurus; ipſe ſibi pater, & maior, quàm vt ab alio creari potuerit. Sicut enim Mineruam ex capite ſuo procreauit, nec ad id nuptiis opus ei fuit; ſic dudum antè ipſe ſe ex ſe creauerat, alterius operâ non indigens, vt fieret; ſed contrà ab ipſo omnia fieri, & eſſe cœperunt; nec licet ab iis tempus ipſum excipere, cùm tunc nondum fuerit, nec dum aliud quidquam. Nullum enim poteſt authore ſuo opus eſſe antiquius.* Hæc ille. Quæ commemoro, vt intelligas, ne hanc quidem ex ſeipſo Dei procreationem ab Epicuro probatam fuiſſe.

Probauit ergo potiùs ex ipſa anticipatione Deum ita eſſe æternum, vt quemadmodum nunquam deſinet, ſic neque vnquam cœperit; & quemadmodum neque ab alio, neque à ſeipſo interimetur; ſic neque ab alio, neque à ſeipſo fuerit genitus. Et, ſi ab alio certè foret, ab eo dependeret; ſieque non ipſe, ſed Author potiùs exiſtimandus eſſet Deus. A ſeipſo autem quî fieri potuerit? cùm vt fieret, deberet non fuiſſe; vt faceret, deberet fuiſſe, quæ manifeſtè pugnantia ſunt. Dicere autem non tam factum fuiſſe, quàm ſponte quaſi quâdam prodüſſe, videtur nimis incongruum; *De Deo vera ſententia.* cùm neque dici poſſit vnde, aut ex quonam emerſerit, vti obiectum Heſiodo eſt ab Epicuro circa ipſum chaos; neque poſſit concipi quomodo hæc emerſio, ac veluti natiuitas non ſit referenda ad caſum; neque caueri, quin admittatur fuiſſe aliquid & ex nihilo, & à nulla cauſa. Itaque repugnat quacumque ratione, vt Deus ortum habuerit, éſtque id conforme notioni Immenſitatis, ſeu infinitatis ipſius; ratione cuius cùm Immutabilis ſit, abeſt profectò, vt mutari, hoc eſt, tranſire vllo modo ex non-eſſe, vt aiunt, ad eſſe; vt neque ab eſſe, ad non-eſſe poſſit. Ex quo fit, vt ipſe ſit ſibi ſua exſiſteudi neceſſitas; & quemadmodum iam neceſſariò eſt, ita neceſſariò ſemper fuerit, & neceſſariò ſemper ſit futurus. Dici exinde ſolet Actus purus, quatenus actu ſemper fuit, neque vllum vnquam fuit tempus, in quo poteſtate ſolùm fuerit, quaſi non reipsâ exſiſtens, ſed exſiſtere ſolùm valens; & quatenus actu iam eſt, actûque ſemper futurus eſt; neque poteſtatem vllam in ſe habet, quâ aliquando actu non ſit. Neque id modò, ſed & quæcumque perfectio in eo vnquam fuit, ea iam actu perſeuerat, ac inceſſanter perſeuerabit; & quæcumque in eo vnquam erit, ea actu iam eſt, & nunquam non fuit; & quæcumque iam eſt, ea actu ſemper fuit, & actu ſemper erit. Vnde & quia neque de diuina Subſtaotia, neque de vlla eius perfectione dici poteſt, quòd fuerit, quaſi iam ampliùs non ſit, aut futura ſit, quaſi nondum ſit; patet, quàm magis congrua, appoſitáque loquutio ſit, vt dicatur E S T, quatenus ſemper eadem, inuariatáque perſeuerat. Sed hac de re ſuperiùs plura; vbi & declarauimus quemadmodum cùm Æternitas definitur poſſeſſio vitæ interminabilis, quæ ſit perfecta, & *Tota ſimul*, extrema iſthæc particula eſſe videatur intelligenda, non tam de duratione abſtractè ſpectata, quàm de ipſa re æternùm durante, diuinâ ſcilicet Subſtantiâ, quæ ſucceſſiuè nihil habeat, nihilve acquirat, aut amittat procedente tempore, ſed quôvis tempore ſimul habeat quicquid quovis alio aut habuit, aut eſt habitura.

Dubium ſolùm hoc loco eſt, quomodo ex Epicuri mente Diuina ſubſtantia eſſe poſſit immortalis, incorruptibilis, ac æterna. Ecce enim Cotta, *Deorum natura quæritur*, inquit, *1.de Nat. Deor.* *Sint ſanè ex atomis; non igitur æterni. Quod enim ex atomis ſit, id natum aliquando ſit; neceſſe eſt. Si nati; nulli Dij, antequàm nati. Et, ſi ortus eſt Deorum, interitus ſit neceſſe eſt.* Ac ſtatim: *Vbi igitur veſtrum illud beatum, & æternum?* Veruntamen propter illud eiuſdem Cottæ: *Dum indiuiduorum corporum concretionem fugit* (Epicurus) *ne interitus, & diſſipatio conſequatur, negat eſſe corpus Deorum, ſed tanquam corpus; nec ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem*: Propter id, inquam, videtur prorsùs Epicurus cenſuiſſe Deorum eſſe

De Deo vera ſententia.

eſſe corpus ſui generis, aliud videlicet ab iis, quæ ſunt ex atomis concreta, & quale potuit Tertullianus, de quo iam antè, imaginari; Suadet tum quòd præter atomos hæc Deorum natura incorrupta aſſerta eſt, tum quòd Velleij fuit interrogatio, *Quæ eſt coagmentatio non diſſolubilis?* tum quod Lactantius expreſsè,

De Ira Dei c.10.

Deos, inquit, *aiunt incorruptos, æternos, beatos eſſe; ſoliſque dant immunitatem, ne concurſu atomorum concreti eſſe videantur. Si enim Deos quoque ex illis conſtituiſſent, diſſipabiles fierent, ſeminibus aliquando reſolutis, atque in naturam ſuam reuertentibus.* Et videntur quidem nonnulli, vt citatus Tertullianus, aſſerere, Deum ex Epicuri ſententia conſtare ex Atomis: exempli gratiâ, cùm ille ait: *Alij incorporalem aſſeruerunt, alij*

Adu. gent cap 47.

corporalem; vt tum Platonici, quàm Stoici. Alij ex atomis, alij ex numeris; ſicut Epicurus: & Pythagoras; Alij ex igne, qualiter Heraclito viſum eſt. Verùm hæc illis inſedit opinio, ex eo, quòd, cùm Epicurus conſtare omnia ex atomis voluit, potuerunt non ſatis animaduertere ipſum ea ſolùm intellexiſſe, quæ concreta, & nata eſſent. Dices, Nonne Lucretius inductione

Lib.3.

probans animos noſtros eſſe mortaleis, aſſumit tria eſſe dumtaxat æterna; Atomos, Inane, & Totum, ſiue Vniuerſum? Reſponderi poteſt, Lucretium non dixiſſe tria ſolùm eſſe æterna; ſed quicquid æternum ſit, vel eſſe propter ſoliditatem, indiſſolubilitatemque, vt *atomos*; vel quod tangi nequeat, plagamque accipere, vt *Inane*; vel quod locum non habeat, in quem effluat, vt *Vniuerſum*. Quamobrem hæc tria memoraſſe, vt ſingularia exempla ſingulorum generum, non recuſantem quin eſſe poſſent, quæ ex pluribus participarent, veluti *Naturam diuinam*, quæ Atomi inſtar inexſolubilis eſt, & inſtar Inanis accipere plagam, quæ continuitatem abrumpat, non poteſt. Idque fit tantò probabilius, quantò Lucretius præter illa tria, Deos fecerit æternos, atque immortaleis; ac loquens aliunde ſpeciatim de atomis, tanquam rerum generabilium, corruptibiliumque principiis, videtur perſpicuè à compoſitione ex ipſis excepiſſe naturam Diuinam. Siquidem, præmiſſis illis verſibus,

Lib.1.

Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, & ſemina rerum
Appellare ſuemus, & hæc eadem vſurpare
Corpora prima, quod ex illis ſint omnia primis:

Tum conſequenter, ne videatur in rebus, quæ ex illis ſunt, Deos comprehendere, ſubdit recitatos paulò antè verſus:

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur.

1.plac.7. Confirmatur verò ex eo, quod Plutarchus, poſtquàm dixit Epicurum feciſſe Deos *ratione contemplabileis*, &c. ſubiicit ipſum poſuiſſe *alioquin* (putârim enim ἄλλως; pro ἄλλας legendum) τέσσαρας φύσεις κατὰ γένος ἀφθάρτους, *quatuor genera naturarum incorruptibilium*, Nam licet ipſas enumerando, poſtquàm recenſuit τὰ ἄτομα, τὸ κενὸν, τὸ ἄπειρον, *Atomos*, *Inane*, *Infinitum*, ſubiiciat pro quarta τὰς ὁμοιότητας, *Similitudines*; Et videtur tamen Plutarchus, aut quiſquis Placita collegit, abs re confudiſſe quod Anaxagoreum ſit, cum eo, quod Epicureum (ſi quidem vocem explicans ſubdit, αὗται δὲ λέγονται ὁμοιομέρειαι, καὶ στοιχεῖα, *ipſa verò Homœomerea, ac Elementa appellantur*, cùm conſtet homœomera fuiſſe Anaxagoræ propria, & ab Epicuro improbata, vt ex ſupradictis manifeſtum eſt) Et fortè Epicurus dixit non ὁμοιότητας, *ſimilitudines*, ὡσεὶ σώματα, *Quaſi-corpora*, quomodo Velleius fuiſſe ab illo dicit appellata diuina; vtcumque deinceps vox corrupta fuerit (niſi etiam putes ὁμοιότητας, *ſimilitudines*, dici poſſe naturas, quæ ſint non corpora, ſed *quaſi corpora*, ſeu *ſimilia corporibus*) ac interpretatio illa de homœomeris, fuerit gloſſographi commentum: Et vtcumque ſit, hoc ſaltem habetur, Epicurum præter illa tria, de quibus non eſt controuerſia, aſſeruiſſe quartam naturam, quæ incorrupta perinde ſit, neque ex eius mente intelligi alia, quàm diuina poſſit.

In Pag. 83.

Vt pergamus, non eſt, quòd multis Deus probetur Intelligens; quoniam omnem fugit notionem vt eſſe non-intelligens poſſit. Et certè, cùm nomine Dei concipiant omnes aliquid eximium, ſeu ſummè excellens; & inter omneis rerum gradus emineat gradus intelligentium; ecquis eſt, qui poſſit concipere Deum infra eiuſcemodi gradum? Annon potiùs neceſſe eſt Deum intelligentem ſic concipere, vt quantò illius ſubſtantia, ſeu mens eſt omni alia purior, tantò perfectiùs intelligat; ſicque, cùm v.c. nos multa offuſi caligine nihil ſincerè perſpiciamus, ſed gradatim vnum poſt aliud, ac deducendo varia per varias conſequutiones cognoſcamus; ipſe intuitu ſimplici, & nihil ratiocinatione indigens, intelligat omnia? Ita ſanè, qui Deum fecère Animam, ſiue Mentem Mundi, ideò fecère ipſum præſentem partibus Mundi omnibus, quòd peruiderint hac ratione non modò fouere Deum omnia, ſed cognoſcere etiam omnia; ac proinde eum nihil latere, quod toto orbe fieret. Quam præclarè verò animaduerterunt debere Deum eſſe Omniſcium; cùm, ſi inſtar noſtri, quædam ſciret, quædam neſciret, inquietus foret; deberet vnum noſſe poſt aliud; penderet à rebus, occaſionibuſque; & cùm res ſiue præſentes, ſiue præteritæ, ſiue futuræ, ſiue poſſibiles infinitæ ſint; nunquam tot poſſet addiſcere, & ſic perfici, quin infinita ſemper addiſcenda reſtarent; vnde & remaneret ſemper imperfectus; quod cogitare nefas eſt. Itaque neceſſarium eſt, vt diuina ſcientia non ſit vllâ planè ratione coërcita, ac limitata; ſed extendatur planè ad omnia, quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ erunt, imò & quæ eſſe potuerunt, neque fuerunt tamen; quæ eſſe iam poſſent, & tamen non ſunt; quæ eſſe poſſent in poſterum,

&

Digitized by Google

In pag. 83. & tamen non erunt. Neque eſt, quòd quis arbitretur iſtud rationem fugere. Nam primò, cùm diuina Mens, vti & Subſtantia, infinita ſit, non poteſt eius intelligentia habere obiectum finitum; ex eoque fit, vt cùm nos, ob limitationem, impuritatémque facultatis intellectricis multitudine rerum conturbemur, & plura ſimul cognoſcere, niſi confusè non poſſimus; Deus ex oppoſito, ob virtutem intelligendi infinitam, puriſſimámque, multitudine illa rerum infinita non offendatur; neque minùs clarè, diſtinctéque (imò infinitè clariùs, diſtinctiúſque) infinita intelligat, quàm nos vnam rem ſingularem. Deinde, poſſumus vtcumque id concipere, quatenus & Deus fuit præſens præteritis omnibus rebus, vt quales fuerint, non ignoret; & ita eſt præſens rebus omnibus, vt non illas modò id quod ſunt, cognoſcat; ſed vireis quoque earum perſpiciens, perſpiciat ſimul tùm concurſus, quos habituræ inter ſe ſunt, tùm ſequuturos effectus omneis, cum circumſtantiis omnibus; ſicque futurorum nihil ipſum lateat, ob continentem illam ſeriem, concatenationémve effectuum cum cauſis. Neque id modò; ſed etiam cùm nôrit quicquid in cauſarum poteſtate eſt, neque tamen exſeritur; ideò ſequitur, vt ſint ipſi quoque poſſibilia omnia perſpecta; idque, ſeu attendas præteritum tempus, quo eſſe potuerunt; ſeu præſens, futurúmque, quo eſſe cùm poſſent, neque tamen ſunt, neque erunt vnquam. Quinetiam, cùm præter res ipſas, quæ fuerunt, ſunt, erunt, nôrit Deus quaſcumque poteſt, præter illas, producere; hoc eſt, perſpectam diſtinctè habeat ſuæ virtutis fœcunditatem; haud-dubium eſt ſanè, quin infinitatem poſſibilium diſtinctè nôrit.

Cæterùm, non eſt etiam opus, vt multis probetur Deum eſſe Potentem, habere-ve potentiam ad agendum aliquid; quippe hoc quoque notionem fugit, vt Impotens intelligatur. Sunt certè res omnes tantò perfectiores, commendatioréſque, quantò efficaciores ſunt, ſeu vi agendi maiore pollent. An igitur concipere licet Deum imperfectiorem, illaudatiorémque rebus omnibus, quarum nulla eſt, quæ non agere quidpiam poſſit? An-non potiùs, cùm præcellat rebus omnibus, præpollere quoque omnibus ſic debet, vt intelligamus nihil eſſe, quod eius virtuti non cedat; ac tantò magis, quantò id eſt etiam apud Ethnicos Catenâ illâ Homericâ intellectum, adumbratúmque. Quid, quòd Ethnici quoque agnouêre, poſſe Deum omnia, ſiue infinitam eius eſſe vim, cùm ipſum παντοκράτορα Omnipotentem eſſe dixerunt, ac Lelegi, animo, anniſque maturo tribuerunt, vt id profiteretur, dum

8. Metã. *Sic ait: Immenſa eſt finémque Potentia cæli*
Non habet, & quicquid Superi voluére, peractũ eſt.

Notum eſt & illud Poëtæ Lini, quod apud Stobæum: — *De Deo vera ſententia. Ser. 119.*

Ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.
Quidq; Deo factu facile eſt; quod nõ queat, eſt nil.

Itemque illud Callimachi:

Εἰ θεὸν οἶδας, ἴσθι ὅτι καὶ δαίμονι ῥέξαι
πᾶν δυνατόν.
Eſſe Deum ſi nôris, & hoc te ſcire neceſſe eſt,
Nil non poſſe Deum.

Vt proinde intelligamus eiuſdem eſſe communis notionis, tùm Quòd Deus ſit, tùm Quòd facere quidvis poſſit. Quod & probat ſatis tacitus conſenſus, quo Nationes omnes Deo preces fundunt, orántque ea faciat, quæ omnino facere, niſi qui omnipotens ſit, non poſſit. Meritò verò id præconceptum, & quaſi defixum in hominum mentibus eſt; cùm omnis agendi facultas eam proportionem cum natura habeat, vt, ſi natura quidem limitata ſit, facultas quoque ſit limitata; ſin natura immenſa ſit, facultas ſit quoque immenſa. Et videri quidem poteſt agendi potentia cum immutabilitate pugnare; ſed cùm id ſit verum in corporibus, quæ ſine motu nihil agunt; ſecùs tamen contingere in incorporeis rebus poteſt, vt Ariſtoteles agnouit, cùm agnoſcens Motorem primum debere eſſe immobilem, agnouit talem eſſe poſſe, ſi incorporeus concederetur. Videri quoque poſſent eſſe alicuius ponderis, quæ inſultationes ſunt apud Plutarchum, & quibus Plinius ſetiò eſt vſus: *Si poteſt Deus facere omnia; faciat igitur, vt nigra nix ſit; ignis frigidus; qui ſedet, ſit rectus; quod præterit, non præterierit, vt bis dena non ſint viginti; ipſe non ſit, &c.* — 1. Plac. 7; l. 2. c. 7. — Verùm, qui talia poſtulant, non aduertunt ſe contradicere ſibi ipſis; ſeu poſtulare, vt id non fiat, quod fieri tamen poſtulant. Nam, cùm vniuersè nulla ſit res, quam Deus non poſſit destruere; nulla, quam non producere; nulla, quam non variis, etiam oppoſitis qualitaribus immutare; nihil horum iſti depoſcunt, ſed ſolummodò, vt res aliqua, dum talis manet, talis non ſit: Scilicet, vt talis non ſit, qualem ipſimet eſſe volunt; quo quid eſt, quod poſſint facere abſurdius? Poſcant, vt Deus ex nihilo creet niuem, ignem, & alia: vt ea in nihilum redigat; vt niuem, ſeu ſubſtantiam niuis nigram faciat; ignem, ſeu ſubſtantiam ignis faciat frigidam; tùm ſibi ipſis non contradicent. At dum volunt, vt nix manens alba, nigra ſit, hoc eſt, non alba maneat; & ignis manens calidus, frigidus ſit, hoc eſt, non maneat calidus; iubendi ſunt ſanè, vt priùs intelligant, quod dicunt, ſibique ipſis conſentiant, neque inepti haberi velint. Quod idem dico, dum exigunt, vt qui ſedet erectus ſit, aut qui vixit non vixerit. Nam, ſi petant, vt qui ſedet, etiam paralyticus, claudúſque, à Deo erigatur, rectúſque incedat; & qui mortuus eſt, exciteretur, aut ex ſene iuuenis fiat; nihil petent incon-

De Deo vera ſentiendo.

grunm; at velle, vt aliquis ſedeat, & nihilominùs rectus ſit, hoc eſt, vt ſedens non ſedeat; nihil eſſe magis incongruum poteſt. Idem, dum petunt, vt bis dena non ſint viginti, hoc eſt, vt bis dena bis dena non ſint. Nam & quod poſtulant, vt Dens mortem ſibi ipſe conſciſcat; conſtat nimis clarè idem eſſe, ac exigere, vt qui eſt Deus, Deus non ſit, ſeu, vt ſit mortalis, qui eſt immortalis. Vt taceam potentiam agendi, qualis heic exigitur, non eam eſſe, quâ aliquid ſeipſum faciat, aut deſtruat: ſed quâ id, quod eſt, poſſit facere, aut deſtruere aliud. Exigere enim, vt quidpiam ſe faciat, eſt ſupponere id non eſſe, quod eſſe tamen ſupponitur; &, ſi id, quod eſt, tale ſupponatur vt deſtrui non valeat; exigere, vt deſtruat ſe, eſt ſupponere tale eſſe, vt deſtrui valeat. Addo proinde, cùm potentia ſit reſpectu alterius, eam poſſe in aliquo ſic intelligi, vt vel ex nihilo faciat aliquid: vel ex aliquo nihil; vel ex aliquo aliquid; vel ex nihilo nihil: conſtare quartum iſtum modum nulli potentiæ obiici, ſed tria priora dumtaxat. Cùm verò iſti poſtulant, vt qnidpiam ſimul ſit, & non ſit; quatenus quidem poſtulant, vt ſit, poſſe id intelligi vel primo modo, vel tertio; at quatenus petunt, vt ſimul non ſit, non poſſe id intelligi ſecundo modo fieri, quatenus id quod eſt, in nihilum non abit, ſed remanere ſupponitur; intelligi igitur quarto; hoc eſt, ipſos exigere, vt ex non-ente fiat nonens; quod nullius eſt potentiæ obiectum. Quare &, cùm inſtant, ſaltem Deum facere non poſſe, vt idem ſimul ſit, & non ſit; vel ſit ſimul, & non ſit tale, atque idcircò eſſe imbecillum; conſequutionem nullam eſſe; quoniam nihil, ſiue non-ens, quod ex nonente volunt fieri, non eſt numerandum inter omnia, hoc eſt, inter entia, ſeu res veras, eirea qnas potentia verſatur. Ex hoc autem fit, vt tametſi admittatur, non poſſe Deum facere dno contradictoria, ſiue ex non-ente non-ens; non exinde tamen poſſit magis argui imbecillitas aliqua in Deo, quàm arguatur in oculo, ex eo, quod non poſſit conſpicere tenebras; vel in aure, ex eo, quòd non poſſit audire ſilentium. Quamquam Religioſum eſt ſanè non admittere, quod plerumque faciunt, vt Deus dicatur facere aliquid non poſſe, cùm dicendum ſit potiùs, non poſſe quidpiam fieri, quod pij Doctores obſeruant: vt repugnantia intelligatur non ex parte Dei, ſed ex parte rei ſolummodò eſſe. Quin videtur etiam non minùs Religioſum, ac pinm eſſe, non definire temerè ea, quæ contradictionem inuoluere, implicaréve, vt aiunt, videntur, eoque inducunt, vt cenſeatur non poſſe à Deo quidpiam fieri: ſiquidem, cùm Dei potentia infinita ſit, ne hoc qnidem poſſumus ſcire, an illius potentiam fugiat, vt duo contradictoria faciat. Nos certè id non capimus; at præſumendúmne nobis eſt, nihil poſſe Deum ſupra noſtrum captum? Et cenſeamur hebetes eſſe, ſi dixerimus facere Denm poſſe, vt quidpiam ſimul ſit, & non ſit: videri ſanè hebetes, quàm eſſe temerarios præſtat; ac in argumento præſertim, in quo Deo nihil nimium tribui, nihil non nimium detrahi poteſt. *In pag. 83.*

Ad hæc, multis opus non eſt, vt Deus cùm Bonus, tùm Liber, & Sapiens probetur. Bonus, inquam, quoniam hoc quoque præter notionem eſt, vt liuore vllo tangatur, & bonus non ſit. Cùm enim tam multa & intelligat, & producere etiam poſſit; non poteſt ſanè expers eſſe propenſionis, ſeu Voluntatis, quæ comes eſt intelligentiæ, ac ne potentia fruſtrà ſit, præſtat. Velle autem eſſe aliquid præter ſe, res eſt à liuore aliena, ac bonitatis propria: id quippe nihil aliud eſt, quàm ſeſe velut effundere, & ex iis, quæ ſunt in intelligentia, ac poteſtate, communicare. Ex quo fit, vt cùm Deus intelligat, ac facere poſſit infinita; ideò concipiatur veluti theſaurus, ac Oceanus inexhauſtus; ſitque proinde infinitè bonus (ſiue dicere malis, optimus) qui poſſit infinitè ſe effundere, ſeu inexhauribiliter, vt ita loquar, communicare. Et verò Liber etiam eſt; quia notionem pariter fugit, vt vel cogi ab alio poſſit, vel ſibi ipſe legem imponat, quam prætergredi, ſi libeat, non liceat. Carere certè libertate, eſt voluntate etiam carere, & conſequenter bonitate, quæ tùm demùm agnoſcitur, cùm qnis bonum vult, quod poſſet non velle. Deus itaque, vt eſt ſummè bonus, ita & ſummè liber eſt; neque adſtringitur, vt velit quicquid intelligit, ac poteſt. Nempè ſatis eſt, vt id velit, & ſubinde faciat, quod eſſe meliùs facere, quàm non facere, intelligit. Ex quo denique ſummè Sapiens, Prudénſve eſſe comprobatur. Quippe Sapientia, ſiue Prudentia eſt in earum rerum delectu, quæ præ oppoſitis expediunt; neque ea non poteſt in Deo eſſe ſumma, ſeu infinita; cui cùm nihil perſpectum non ſit, quicquam, quod ſit melius, magiſve expediat, latere ipſum haudquaquam poſſit. Et varia ſunt quidem, quæ obiici poſſunt; ſed ea tamen ſunt ex iis, quæ ſuperius deduximns, intelligenda. Vnum heic minimè videtur reticendum propter Platonem, qui cùm treis diſtinguit impietatis ſpecies; vnam negantem eſſe Deos; alteram negantium eorum prouidentiam; tertiam opinantium precibus eos flecti; videtur ob hanc tertiam non agnoſcere eſſe in Deo libertatem, quaſi ea repugnet conſtantiæ, ſeu immutabilitati diuinæ, ſi concedatur flexibilis. Sed vno verbo, cùm Deum precamur, id agimus, quod ipſe inſtituit; & cùm precibus flecti dicitur, modus loquendi vulgaris eſt, neque ſenſus eſt Deum ſtatuiſſe vnum, & velle oppoſitum; *10. De leg.*

ſed

Digitized by Google

In pag. 83. ſed ſolùm dare eum precibus, quod conſtituit ſe precibus daturum. Hinc non eſt, cur debeat haberi inconſtans, aut mutabilis; qui etiam, cùm videtur nolle aliquid, quod antè voluerit; aut velle, quod noluerit; caligo ſolùm noſtra eſt, quæ ſuſpicionem nobis eam facit. Quandoquidem poteſt conſtanter, atque immutabiliter velle, vt quidpiam mutabile ſit; & cenſendus ſit non tam nolle, quòd voluerit, quàm conſtanter velle, vt id deſinat, quod eâ lege voluit, vt deſineret; & non tam velle quod noluerit; quàm velle, vt quidpiam tunc ſit, quod con- *Diſſer. 1.* ſtanter voluit, vt priùs non eſſet. Inſtat Maximus Tyrius, Non eſſe, cur Deum ſeu boni precentur, ſeu mali, quòd Deus ſit bonis congrua largiturus, etiam-ſi non petierint; malis verò, ne petentibus quidem. Sed contrà, eſt potiùs, cur boni precentur, quos precari Deus voluerit, vt tantò magis & indigentiam, & beneficentiam agnoſcerent. Eſt etiam cur mali, vt de prauitate cum virtute commutanda cogitent, ipſéque bonam largiatur mentem. Verùm iſta aliàs copioſiùs; cùm factura huc etiam ſint, quæ circa Fatum ſunt deducenda, declarando videlicet, quemadmodum Dei decretum poſſit cum humana libertate conſtare. Notandum iam ſolùm, nullam precationem poſſe ſanctiorem inſtitui, quàm eam, quâ iubemur, vt Dei voluntas fiat, poſtulare. Quippe vt vnum id contingit, quod pro voluntate eſt Dei; ita idipſum eſt, quod Deus dare poſtulanti conſtituit.

Postremò, neque eſt neceſſe, vt multis probetur Deum eſſe Beatum. Quippe & hæc demùm eſt communis notio, vt Deus non modò beatus, ſed beatiſſimus etiam reputetur. Cùm nihil ſit enim aliud beatitudo, quàm iucunda quædam, & conſtans bonorum poſſeſſio, cum excluſione moleſtiæ; non poteſt profectò Deus non beatiſſimus concipi, qui cùm bonorum omnium fons ſit, carere nullo bono poſſit. Qui ſuorum bonorum, ſuæque conditionis intelligentiſſimus, non poſſit exinde non ſummopere delectari; Qui æternus, immortaliſque, non poſſit non eſſe ſecurus conſtantiæ; Qui malorum expers, non poſſit non eſſe ab omni moleſtia alienus. Hæc certè, vel ipſe Epicurus nouit; qui cùm in eo peccauerit, quòd diuinam felicitatem à Mundi adminiſtratione ſeiunctam eſſe putauerit; in eo tamen verè ſenſit, quòd exiſtimauit Deum ſic debere eſſe felicem, vt illius felicitati nihil neque adiici, neque adimi valeat; vt iam inter ipſa Effata eſt viſum. Id ſenſit nimirùm, poſtquàm intellexit ex iis, quæ de Diis vulgò credebantur, non aliam naturæ diuinæ notionem poſſe elici, quàm quòd valde miſera eſſet. Exſecuit Cœlum Saturnus; expulit Saturnum Iupiter; Ioui inſidiæ ſtructæ à ſuis, qui ipſi pœnas dederint. Ex cæteris alij ſuſpenſi, alij è cœlo in terram detruſi, alij diuinitate ſpoliati, alij ab hominibus cæſi; ne memorem omnium, vel certè complurium adulteria, zelotypias, furta, odia, rixas, prælia, cæteraſque id genus laudes. Quam-obrem cum ex ante dictis impium eſſe exiſtimaret tale quidpiam Deo tribuere; & aliunde non caperet, poſſe Deum eſſe beatum, ſi rerum Mundi, ac humanarum ſollicitudine teneretur, quam videbat benè multorum Philoſophorum ſententiam; idcirco ipſe eò exceſſit, vnde Velleius iſta deduxit: *Et quærere à nobis, Balbe, ſoletis, quæ vita Deorum ſit, quæque ab iis degatur ætas? Ea videlicet, quâ nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari poteſt. Nihil enim agit; nullis occupationibus eſt implicatus; nulla opera molitur; ſua ſapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore ſe ſemper cùm in maximis, tùm in æternis voluptatibus. Hunc Deum ritè beatum dixerimus; veſtrum verò laborioſiſſimum. Siue enim Deus ipſe Mundus eſt; quid poteſt eſſe minùs quietum, quàm nullo puncto temporis intermiſſo verſari circum axem cœli admirabili celeritate? Niſi quietum autem, nihil beatum eſt. Siue in ipſo Mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſeruet, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tueatur: ne ille eſt implicatus moleſtis negotiis, & operoſis. Nos autem beatam vitam in animi ſecuritate, & in omni vacatione munerum ponimus.* *De Deo vera ſentienda.*

In qua expoſita ſententia, cùm illud ſit verùm: *Hanc eſſe Dei vitam, quâ nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari poteſt.* Itemque illud: *Sua ſapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore ſe ſemper cùm in maximis, tùm in æternis voluptatibus*: Tùm quod adbibetur: *Nihil enim agit, nullis occupationibus implicatur, nulla opera molitur*; Et, *Nos autem beatam vitam in animi ſecuritate, & in omni vacatione munerum ponimus*: Poſſet id quidem admitti, ſi intelligeretur non debere Deum laborioſè quidquam agere; occupationibus moleſtis implicare; opera aliqua eum difficultate moliri; vitam ob caſus ſuperandos non ſecuram degere; non vacare à muneribus aut ab alio præſcriptis, aut quoquo modo operoſis. At quia id dictum eſt ſpeciatim ob ipſum Mundi regimen, quaſi id Deus ſine labore, moleſtia, difficultate, incertitudine, ſudore, obire non poſſit; idcirco explodendum eſt. Siquidem non tam facilè quis digitum videt, aut mouet, quàm Deus & intelligit, & dirigit quicquid eſt rerum. Nam, ſi eius quidem cognitio, ac virtus comparatione tantæ molis limitata eſſet, aut exigua, apparere res probabilis poſſet; at cùm vtraque infinita ſit, nihil penitùs eſt, quod ipſi faceſſere negotium poſſit; ſed omnia ſimul intelligit, agitque infinitè faciliùs, quàm nos minimum quicquid libet. Verùm quia hæc dicta ſuo loco

De Deo vero ſentiendo. loco copioſiùs, adnotare heic ſufficit, quid Velleio Cotta obiiciat: *Videamus*, ioquit, *nunc de Beato. Niſi virtute certè, nullo modo. Virtus autem actuoſa, & Deus veſter nihil agens. Igitur ne beatus quidem.* Dixerat anteà: *Nihil habet*, inquit, *negotij. Profectò Epicurus, quaſi pueri delicati, nihil ceſſatione melius exiſtimat. At ipſi tamen pueri, etiam cùm ceſſant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: Deum ſic feriatum volumus ceſſatione torpere, vt ſi ſe commouerit, vereamur, ne beatus eſſe non poſſit? Hac oratio non modò Deos ſpoliat motu, & actione diuina; ſed etiam homines inerteis efficit; ſi quidem agens aliquid, ne Deus quidem eſſe beatus poteſt.* Pergit poſteà: *Qua ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interuentu. Quorum tandem bonorum? Voluptatum credo, nempè ad corpus pertinentium; nullam enim nouiſtis, niſi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus, animi voluptatem.* Et paulò pòſt: *Quem cibum igitur, aut quas potiones, & florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebitis ad Deos, vt eos perfundatis voluptatibus? Ac Poëta quidem Nectar, & Ambroſiam epulas comparant, & aut Iuuentutem, aut Ganymedem pocula miniſtrantem. Tu autem, Epicure, quid facis? Neque enim vnde habeat iſta Deus tuus video, nec quomodo vtatur. Locupletior igitur hominum natura ad beatè viuendum eſt, quàm Deorum, quòd pluribus generibus fruitur voluptatum.* Et rursùs ioſtrà: *Neque nunc reprehendo, quòd ad voluptatem omnia referantur: alia eſt quaſtio: ſed doceo Deos veſtros eſſe voluptatis expertes: ita veſtro iudicio ne beatos quidem. At dolore vacant: Satin' eſt id ad illam abundantem bonis vitam beatiſſimum? Cogitant, inquit, aſſiduè beatos eſſe ſe; habent enim nihil aliud, quod cogitent, in mente. Comprehende igitur animo, & propone ante oculos Deum nihil aliud in omni aeternitate, niſi, Mihi pulcrè eſt; &, Ego beatus ſum, cogitantem. Nec tamen video, quomodo ſibi videatur eſſe Deus iſte beatus; cùm ſine vlla intermiſſione pulſetur, agitetúrque incurſione atomorum: cumque ex ipſo imagines ſemper effluant.* Coocludit: *Ita nec beatus eſt veſter Deus, nec aeternus.*

Sic præclarè Cotta; niſi quòd illud: *Propone ante oculos Deum nihil aliud in omni æternitate, niſi, Mihi pulcrè eſt; &, Ego beatus ſum cogitantem*; ferèodom noo eſt, quatenus noo differt ab eo, quod etiam-num quidam obiiciuot, capi ooo poſſe, quænam illa Dei felicitas ſit, ſeipſum tota æteroitate indeſinenter cootemplari; aut quæ beatarum mentium, deſtinatas eſſe ad idem obiectum in omne æuum conſiderandum. Siquidem iſti non attendunt actionem, ex qua eſt voluptas, tunc ſolùm debere variari, vt voluptas continens ſit, cùm ipſa facultas ſatiatur, neque contiouò afficitur; vt conſtat ex eſu, & potu, in quibus ſatietas ioteruenieos voluptatis ceſſationem facit; quæ non fieret, neque lùbenter actiones intermitterentur, ſi edeodi, bibendique facultas ſatietatis incapax foret. Cæterùm ipſum Iotellectum facultatem eſſe ex oatura ſua ſatietatis incapacem, & cui obiectum iofinitum io omne æuum ſufficere intelligeodo, percipieodoque voluptatem continuam valeat. *In pag. 83.* Neque eſt, cur putes, cùm dico Iotellectum eſſe ſatietatis incapacem, angi eum propterea, dum obiectum infinitum contemplatur; quippe ſatietatis defectus tùm ſolùm cum angore eſt, cùm obiecto ſuo facultas priuatur; at cùm reipsâ eo fruitur, tunc moleſtia ceſſat, & tamdiù voluptas eſt, quamdiù eſt fruitio ſioe ſatietate. Non quod aſſequutio ipſius obiecti non poſſit vocari ſatietas, vt & reipsâ vulgò vocatur, ſed quòd vbi plena ſatietas eſt, facultas ampliùs oon afficiatur, neque ampliùs quicquam voluptatis percipiat; vt neque vas plenum aliquid liquoris. Sed de his plura aliàs; cùm heic ſufficiat æternam hanc ſui ipſius contemplationem diuinæ Naturæ conſentaneam ne latuiſſe quidem Ariſtotelem, vt ex Metaphyſicis conſtat. *Lib. 12. cap. 9.* Prætereo autem quod habet Cotta de voluptatibus corporeis, ſugillatiooem immeritam eſſe, vt deinceps perſpicuum fiet; etiam quod ſpectat ad ipſos Deos; quaſi aut Epicurus dixerit corporeos, aut oon alias ipſis, quàm corporeas eſſe cenſuerit voluptates: aut non ipſe Cotta iam antè Epicurum carpſerit, quòd eſſe Deos voluerit humanis membris præditos, & eſſe eorum tamen vſum oullum putârit? Prætereo quoque id, quod habet de effluxione imaginum ex aote-dictis vanum eſſe; vt etiam, quod de incurſione, impulſionéque atomorum, quam timere ea natura oon poſſit, quæ eſt corporeâ longe ſubtilior, & tactum, ictumque ſuffugiens, vt ex Lucretio retulimus:

Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet;
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſũ.

Idque, oe attingam eum locum fuiſſe ab Epicuro Diis attributum, qui à Lucretio deſcribitur, dum quaſi Homerum imitatus illis verſibus quorum quatuor priores recitantur etiam ab Authore libri de Mundo: *Cap. 6.*

Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ *Od. ζ.*
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.
Τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

In hunc modum canit:

Apparet Diuûm numen, ſedeſque quieta, *Lib. 3.*
Quas neque concutiunt venti, neq; nubila nimbis
Adſpergunt; neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat; ſempérque innubilus ather
Integit, & largè diffuſo lumine ridet:
Omnia ſuppeditat porrò natura, nec vllu
Res animi pacem delibrat tempore in vllo.

MORTEM MALVM NON reputandam.

ỷ. 20. Συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν. Alterum hoc eſt meditatioois caput, quod ipſum quoque eſt maximi ad felicitatem momeoti; quatenus

In pag. 83. quatenus nulla poteſt in eo eſſe vitæ tranquillitas, cui cùm moriendi neceſſitas ſit, mortem quaſi rem malam exhorreſcit. Vult proinde Epicurus, vt mortis meditationi aſſueſcamus,
In Phæd. quò diſcamus metum illius excutere; Platonem hac in re imitatus, cùm docet rectè philoſophanteis huic meditationi ſic incumbere, vt Mors illis præ reliquis hominibus ἥκιστα φοβερὸν, *res minimùm timenda* euadat. Nimirùm ſupponit Epicurus quod Ariſtoteles obſeruauit, haberi vulgò mortem τὸ φρικωδέστατον τῶν κακῶν, *malorum omnium maximè horrendum*, quatenus nulli non impendet, eſtque ineuitabi-
Ser. 155. lis. Siquidem ſeu ipſe apud Monachos, ſeu
Ser. 117. Metrodorus apud Stobæum: Πρὸς μὲν τ᾽ ἄλλα, inquit, δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν. *Fieri quidem poſſe, vt aduerſus cætera ſecuritatem nanciſcamur; ſed quod ad mortem attinet, inhabitari ciuitatem ab omnibus hominibus, maris, præſidiiſque planè deſtitutam:* idque ſuccinente Lucretio:

Lib. 3. *Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,*
Nec deuitari letum pote quin obeamus.

Cùm & ideò fuerit pridem adnotatum ſolam inter Deos Mortem non diligere munera; neminem illi ſacrificare, neminem libare in templis; carere eam aris, carere hymnis; Suadelam procul ab ea abſtare. Quamobrem illius metui depellendo adnixus Epicurus eſt eam inducere perſuaſionem, vt Mors non modò omnium malorum maximè horrendum non ſit, ſed ne vllum quidem ſit malum. Perſuaſio autem ſimplex eſt, & ex eo petita, quòd Mors nihil ad nos pertineat; quippe, ſi nihil ad nos pertineat, habenda nobis malum non eſt; cùm quicquid ſeu boni, ſeu mali ad nos pertinet, id cum ſenſu ſit, Mors autem priuatio ſit ſenſus. Quo loco, admittendum quidem, eſſe mortem ſenſus externi, propriéve dicti Priuationem, eatenuſque rectè Epicurus argumentatur, quatenus nihil eſt in morte timendum, quod deinceps viſum, auditum, olfactum, guſtatum, aut tactum ingratè afficiat; cùm ſine corpore hæc non ſint, corpus autem ſit diſſolutum. Verùm id improbandum eſt, quòd non tam hoc loco, quàm aliàs tuetur, eſſe mortem quoque priuationem, exſtinctionémve animi, ſeu mentis, quæ internus eſt, ac ſuo modo ſenſus; ex quo, qui Mentem ſupereſſe, etiam ſupereſſe ſenſum profitentur. Quod Epicurus nempe hoc loco non ita apertè coniungit, coniungit apertè Lucretius, dum Effato illo præmiſſo,

Lib. 3. *Nil igitur mors eſt, ad nos neque pertinet hilum;*

Subiicit continuò:

Quandoquidem natura animi mortalis habetur:

& deductâ comparatione futuri poſt obitum ſtatus, cum eo, qui fuit ante natalem, concludit demùm:

Scire licet nobis nihil eſſe in morte timendum,
Nec miſerum fieri, qui non eſt, poſſe, neque hilum
Differre, an nullo fuerit iam tempore natus,
Mortalem vitam mors quùi immortalis ademit.

Enimverò cùm impietas hæc fuerit ſuperiùs fusè repreſſa; tùm ſcilicet, cùm pro Animorum immortalitate diſputauimus, ideò, ne actum denuò agamus, attingenda heic ſolùm ſunt, quæ ad contextum faciunt, & quæ præſertim cohærere cum germana ſententia poſſunt. Eſſe autem Primùm huiuſmodi poteſt, quòd ſpectata quidem Mors ex ſua natura, mali nihil ſit; cùm ex ſe nihil aliud, quàm priuatio ſit, & ſenſûs quidem, atque adeò priuatio omnis mali, quod cum ipſo eſt ſenſu. Nam cæteræ quidem priuationes, quæ conſtante ſenſu contingunt, haberi incommodæ poſſunt; at quæ priuatio ſenſus eſt, ſenſum ipſum tollit, quo incommoda reputetur. Heinc proinde eſt, quod Plutarchus ſcribit eleganter dictum ab Arceſila: *Mortem,* Conſol. ad Apol.
quæ malum dicitur, id peculiare ex omnibus, quæ reputantur mala, habere, quòd neminem vnquam moleſtiâ ſui præſentiâ affecerit; ſolamque eſſe animi abiectionem, calumniaſque in mortem fuſas, quæ abſentem faciant formidabilem, præſtántque vt etiam aliqui Mortem oppetant, ne moriantur. Indeque eſt etiam, quod apud Stobæum Anaxagoras ait: *Doceri nos poſſe quid id rei ſit,* Ser. 119.
ex antegenitali tempore, & ex ſomno. Scilicet, vt nihil graue fuit nihil ſentire nos antequam ſenſum accepiſſemus; ſic neque eſſe poteſt graue, poſtquàm ſenſum amiſimus; & vt non ægrè ferimus, donec ſomnus eſt, quòd non vigilemus; ſic neque poſſumus, donec mortui ſumus, ægrè ferre quod non viuamus. Atque id quidem præter rationem, quam apud eundem Hermachus Epicuri ſucceſſor reddit, Ser. 117.
dum illi habetur εὐκαταφρόνητος θάνατος, *contemptu perfacilis mors*; Ἄπρακτον γὰρ, inquit, τὸ ποιοῦν, τοῦ πάσχοντος ἀνῃρημένου, *quoniam irritum agens eſt, vbi patiens eſt è medio ſublatum.* Ex quo minùs mirabere, quod ab Antonino Philoſopho eſt obſeruatum: *Nihil eſſe quod magis* Lib. 12.
ad mortis contemptum excitare debeat, quàm quòd οἱ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν, καὶ τὸν πόνον κακὸν κρίνοντες, ὅμως τούτου κατεφρόνησαν, *illi, qui voluptatem bonum, & dolorem malum eſſe iudicant, ipſam nihilominùs contemnunt.*

Mortem malum non reputandum.

℣.27. OΥ'Κ ἄπειρον προσδεῖται χρόνου. Eſſe hoc aliud poteſt non modò ferendum, ſed commendandum etiam, quòd ex recta mortis notitia addiſcamus reſcindere ſtultum id, quod mentem diuexat, nunquam moriendi deſiderium. Nam quod præmittit quidem Epicurus præſtare hanc notitiam, vt quo bono licet in vita mortali fruamur, reſpexiſſe poteſt ad procul agendum Acheruntis metum, quaſi is

——Vitam turbet ab imo
Omnia ſuffundens mortis nigrore, nec vllam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquat.

aduerſus quem tamen ſuo loco abundè diſputauimus: Verùm, quod ſpectat ad reprimen-

Mortem malum non reputandam. dam vitæ in immenſum producendæ cupiditatem, præclara admonitio eſt, vt conditionis memores, non plus affectemus, quàm per ipſam licet; ac interim ſine querela munere hoc vitæ fruamur, quale, quantumque conceditur. Ipſo certè ſine iniuria non donari potuimus; vnde & ſunt gratiæ largitori habendæ, & lucro mero deputandum, quicquid in diem quamque ex eo ducimus. Gratificata eſt nobis natura, cùm ad certum tempus vſuram ſpectaculorum ſuorum conceſſit; ne ſimus inſenſi, quòd tempore exacto diſcedendum ſit, tanquam non alia lege admiſſi, quàm vt locum cedamus aliis, quo pacto alij ceſſerunt nobis. Meminerimus nos ſortitos obnoxium interitui corpus, & ex conditione naſcendi neceſſariam factam conditionem moriendi; vt ſi delectat nos fuiſſe natos, denaſci moleſtum non ſit. Et ſi contrà quidem nitendo liceret hilum proficere, probandus forſan conatus foret; nunc verò non licet, niſi fruſtrà obniti, & dum nos fruſtrà diuexamus, nihil aliud, quàm malum malo addere. Sua cuique dies ſic ſtat, vt irreparabile vitæ tempus fluat; ac ſtadium ſic decurrimus, vt, velimus, nolimus, ad metam demum perueniamus. Videlicet quantum in dies viuimus, tantumdem vitæ, quam natura nobis præſcripſit, detrahitur; adeò vt cùm mors ſit priuatio vitæ, tantumdem moriamur quantum viuimus; & morte non vnâ veniente, tametſi quæ vltima venit, dumtaxat appelletur mors, ſic ab origine finis pendeat, vt neceſſe ſit nos denique mortem quaſi integram aſſequi, cuius quaſi parteis indeſinenter cumulamus. Quamobrem temperandum eſt naturæ deſiderium iuxta ipſum naturæ præſcriptum; & quæ flecti fata non poſſunt, nolenteiſque alioquin trahunt, aſſenſione lenienda ſunt, & voluntatis ſponte adeunda. Non aliud profectò ſuppetit remedium, vt poſſimus quicquid eſt vitæ ſine anxietudine degere, quàm vt naturæ nos commodantes, nihil velimus, quod ipſa nolit; quàm vt ſpatium vitæ extremum inter munera illius ponamus; quàm vt noſmet ita comparemus, vt morte appetente liceat dicere,

Vixi, & quem dederas curſum, Natura, peregi.

Vocas me; ecce vltrò aduenio. Depoſitum poſcis; volens refero. Mori iubes me; morior non inuitus. Iuuabit ad hoc conſilium audire, increpationémque Lucretij:

Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis,
Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alij multi Reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis, qui gentibus imperitârunt.
Ille quoq; ipſe, viã qui quondam per mare magnũ
Strauit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuper ire lacunas;
Et contempſit, aquis inſultans, murmura ponti,
Lumine adempto, animã moribundo corpore fudit.
Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror, In pag. 83.
Oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum:
Adde Heliconiadũ comites, quorũ vnus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitu' quiete'ſt
Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte ſua leto caput obuius obtulit ipſe.
Ipſe Epicurus obit, decurſo lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omneis
Præſtinxit, ſtellas exortus vti ætherius Sol.
Tu verò dubitabis, & indignabere obire,
Mortua quoi vita'ſt propè iam viuo, atque videnti:
Qui ſomno partem maiorem conteris æui?
Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas,
Sollicitamque geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid ſit tibi ſæpè mali, cùm
Ebrius vrgeris multis miſer vndique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?

§. 31. ὭΣΤΕ μάταιος ὁ λέγων. Meritò habet heic Epicurus ineptum illum, qui profeſſus nihil eſſe mali in morte, donec præſens eſt, diſcruciatur tamen ob venturæ metum; nempè quaſi ſit vel vmbra rationis, vt res diuexare, dum abſens eſt, debeat, quæ præſens vbi fuerit, nihil erit contriſtatura. Meritò, inquam, ſi attendatur præcisè mors, vt mors eſt, ac vt præſens eſt; cùm videatur aliunde poſſe timeri non iniuriâ mors, quatenus poteſt coniuncta quædam, quæ aut antecedant, aut conſequantur mala, habere. Hanc Lib. 3. cap. 17. certè ob cauſam Lactantius, ea quæ Epicurus heic habet, impugnans, ſic inuehitur: *Quàm argutè nos fefellit; quaſi verò tranſacta mors timeatur, quia iam ſenſus ereptus eſt; ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur. Eſt enim tempus aliquod, quo & nos iam ſumus, & mors tamen nondum eſt; idque ipſum videtur miſerum eſſe, cùm & mors eſſe incipit, & nos eſſe deſinimus. Nec fruſtra dictum eſt; Mors miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer; hoc eſt, morbo tabeſcere; ictum perpeti; ferrum corpore excipere; ardere igni; dentibus beſtiarum laniari. Hæc ſunt, quæ timentur; non quia mortem afferant, ſed quia dolorem magnum: quæ res potiùs efficit, vt dolor malum ſit. Omnium,* inquit, *malorum maximum eſt: Qui ergo poſſum non timere, ſi id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum eſt: Quid, quod totum illud argumentum falſum eſt? quia non intereunt animæ, &c.* Sic complura etiam congerit Seneca, Epiſt. 51. ob quæ mors niſi prorsùs ſit malum, eam tamen habet mali ſpeciem, vt idcircò non ſit habenda quovis modo indifferens: *Non enim ſic mors indifferens eſt,* inquit, *quomodo vtrùm capillos pareis habeas, nec ne. Mors inter illa eſt, quæ mala quidem non ſunt; tamen habent mali ſpeciem. Sui amor eſt, & permanendique conſeruandiq; ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis: quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac, cui aſſueuimus, rerum copia educere. Illa quoque res morti nos alienat, quòd hæc iam nouimus; illa, ad quæ tranſituri ſumus, neſcimus qualia ſint, & horremus*

Digitized by Google

In pag. 83. *remus ignota. Naturalis prætereà tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamſi indifferens mors; non tamen inter ea eſt, quæ facilè negligi poſſint. Magnâ exercitatione durandus eſt animus, vt conſpectum eius, acceſſumque patiatur. Mors contemni debet magis, quàm ſolet; multa enim de illa credimus; multorum ingeniis certatum eſt ad augendam eius infamiam. Deſcriptus eſt carcer infernus, & perpetua nocte oppreſſa regio, in qua ingens ianitor Orci,*

Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento,
Æternùm latrans exſangueis territat vmbras.

Sed etiam cùm perſuaſeris iſta fabulas eſſe, nec quidquam defunctis ſupereſſe, quod timeant, ſubit alius metus: Æquè enim timent, ne apud inferos ſint, quàm ne nuſquam. Hæc ille, vbi adnotandum, id, quod vocat *infamiam*, videri idem
Ser. 117. eſſe cum eo, quod Æſchines dicit apud Stobæum ὕβριν, dum hanc eſſe, non verò ipſam per ſe mortem horrendam ait: Itemque idem eſſe cum eo, cuius licet multi ſe excuſſiſſe timorem iactent, oſtendit tamen Lucretius, eam eſſe duntaxat inanem iactantiam:

Nā quod ſæpè homines morbos magis eſſe timēdos,
Infamemque ferunt vitam, quàm tartara leti;
Et ſe ſcire animi naturam ſanguinis eſſe,
Nec noſtrâ quicquam prorſùm rationis egere:
Heinc licet aduertas animum, magis omnia laudis,
(Aut etiam venti, ſi fert ita fortè voluntas)
Iactari causâ, quàm quod res ipſa probetur.
Extorres iidem patriâ longéque fugati
Conſpectu ex hominum, fœdati crimine turpi
Omnibus ærumnis affecti denique viuunt:
Et quocumque tamen miſeri venêre parentant;
Et nigras mactant pecudes, ac manibu' diuis
Inferias mittunt:

Et ſtatim:

Quò magis in dubiis hominem ſpectare periclis
Conuenit, aduerſiſque in rebus noſcere quis ſit:
Nam veræ voces tùm demùm pectore ab imo
Eiiciuntur, & eripitur perſona, manet res.

Verùm hæc vt mittam; & de inani mortis, quatenus præſens nihil contriſtat, timore, verbulum adiiciam: liceret quidem cum Epi-
In Enchirid. cteto afferre Socratis exemplum, vt qui mortem non modò futuram, exſpectatámque non timuerit, ſed præſentem quoque leniter ſpectârit, ac vt rem timendam non habuerit: At præſtat afferre quæ de Baſſo Aufidio Epi-
Epiſt. 30. cureo Seneca habet. Longiuſcula Epiſtola eſt, quâ, quo ille modo aduersùs inſtantem iam mortem fuerit comparatus, declarat, ac ſuo calculo comprobat, verùm non pigebit ea excerpere, quæ potiſſimùm attinent ad virum. Itaque, *Baſſum*, inquit, *Aufidium virum optimum vidi; quaſſum, ætati obluctantem; ſed iam plus illum degrauat, quàm quòd poſſit attolli. Magno ſenectus, & vniuerſo pondere incubuit. Scis illum ſemper infirmi corporis, & exhauſti fuiſſe; diù illud continuit, &, vt veriùs dicam, concinnauit.* Et ſtatim: *Baſſus tamen noſter alacer animo eſt: hoc Philoſophia præſtat.* Et allato exemplo magni gubernatoris, qui & ſciſſo nauigat velo, &, ſi exarmauit, tamen reliquias nauigij aptat ad curſum: *Hoc*, inquit, *facit Baſſus noſter, & eo animo, vultúque finem ſuum ſpectat, quo alienum ſpectare, nimis ſecurum eſſe putares.* Et poſteà: *Baſſus noſter videtur mihi proſequi ſe, & componere, & viuere tanquam ſuperſtes ſibi, & ſapienter ferre diſceſſum ſui. Nam de morte multa loquitur, & id agit ſedulò, vt nobis perſuadeat, ſi quid incommodi, aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis; nec magis in ipſa quicquam eſſe moleſtiæ, quam poſt ipſam.* Et mox: *Ergo*, inquit, *mors adeò extra omne malum eſt, vt ſit extra omnem malorum metum.* Pergit: *Hæc ego ſcio & ſæpè dicta, & ſæpè dicenda; ſed neque cùm legerem æquè mihi profuerunt; neque, cùm audirem, his dicentibus, qui negabant timenda, à quorum metu aberant. Hic verò plurimùm authoritatis habuit, cùm loqueretur de morte vicina.* Et breui pòſt: *Libentiſſimè itaque illum audiebam, quaſi ferentem de morte ſententiam, & qualis eſſet eius natura, velut propiùs inſpecta indicantem. Plus, vt puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, ſi quis reuixiſſet, & in morte nihil mali eſſe narraret expertus. Acceſſus mortis, quam perturbationem afferat, optimè hi tibi dicent, qui ſecundùm illam ſteterunt, qui venientem & viderunt, & receperunt. Inter hos Baſſum licet numeres, qui nos decipi noluit. Is ait, tam ſtultum eſſe, qui mortem timeat, quàm qui ſenectutem; nam quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem.* Et interpoſitis pluſculis: *Fatear ergo ad hominem mihi carum ex pluribus me cauſis frequentiùs veniſſe; vt ſcirem, an illum toties eundem inuenirem; numquid cum corporis viribus imminueretur animi vigor, qui ſic creſcebat illi, quomodo manifeſtior notari ſolet agitatorum lætitia, cùm ſeptimo ſpatio palmæ appropinquant. Dicebat quidem ille Epicuri præceptis obſequens, primum ſperare ſe nullum dolorem eſſe in illo extremo anhelitu; ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa breuitate ſolatij. Nullum enim dolorem longum eſſe, qui magnus eſt. Cæterùm ſuccurſurum ſibi etiam in ipſa diſtractione animæ, corporiſque, ſi cum cruciatu id fieret, poſt illum dolorem ſe dolere non poſſe. Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, nec magnâ vi diſtraheretur à corpore.* Ac tandem: *Illud quidem aiebat, tormentum noſtrâ nos ſentire operâ, quòd tunc trepidamus, cùm propè à nobis eſſe credimus mortem. A quo enim non eſt parata omnibus locis, omnibuſque momentis. Sed conſideremus*, inquit, *tunc, cùm aliqua cauſa moriendi videtur accedere, quantò aliæ propiores ſint, quæ non timentur. Hoſtis alicui mortem minabatur; hanc cruditas occupauit. Si diſtinguere voluerimus cauſas metus noſtri; inueniemus alias eſſe, alias videri. Non mortem timemus, ſed cogitationem mortis; ab ipſa enim ſemper tantundem abſumus. Ita, ſi timenda mors eſt, ſemper timenda eſt; quod enim tempus morti exemptum eſt?*

Mortem malum non reputandam.

ỿ. 9. τοὺς μὲν, pro οὓς μὲν. Siquidem partitio heic fit, cuius membrum alterum non rela- PAG. 84

tiuè,

Mors, in malum non reputandam. tiuè, ſed indicatiuè ſtatim ſubiicitur, οἱ δὲ. Videtur autem Cicero ad huiuſmodi locum reſpexiſſe, cùm: *Natura*, inquit, *ſic ſe habet, vt* 1. Tuſc. *quo modo initium nobis rerum omnium ortus noſter afferat, ſic exitum Mors; quæ vt nihil pertinuit ad nos ante ortum, ſic nihil poſt mortem pertinebit. In quo quid poteſt eſſe mali; cùm mors nec ad viuos pertineat, nec ad mortuos. Alteri nulli ſunt, alteros non attingit.* Cùm porrò procliuius nihil ſit, quàm totam iſtam concluſionem ſic accipere, vt nullatenùs cohærere cum germana ſententia poſſit; haud abs re enim D. Ambroſius etiam primum id Antecedens, ex quo deducitur, ſuggillans, hiſce verbis exagitat: *Epicurei dicunt aſſerteres voluptatis, quia mors nihil ad nos. Quod enim diſſoluitur, inſenſibile eſt; quod autem inſenſibile, nihil ad nos. Quo demonſtrant corpore ſe tantum, non mente viuere; nec animæ fungi, ſed carnis ſolius munere; qui ſeceſſione animæ, corporiſque diſſolutione munus ſuæ vitæ omne exiſtimant perire, merita virtutum, atque animæ omnem vigorem; totos ſe deficere cum corporis ſenſu; nihil reliquiarum ſupereſſe animæ; cùm ipſum corpus non ſtatim reſoluatur. Priùs ergo diſſoluitur anima, quàm corpus; cùm ſecundùm ſuam opinionem, vel carnem, & oſſa conſiderare debeant, quæ poſt mortem ſuperſunt.* Cùm, inquam, procliuius nihil ſit; Nihilominus Socrates, poſtquam in eo dialogo, qui apud Platonem Axiochus inſcribitur, retulit eadem ex Prodico, quæ ab Epicuro heic inferuntur; deducere ea cohærenter non deſinit, quæ ad germanam (de animæ nempè immortalitate) opinionem attineant. Quippe quaſi mors ſit priuatio ſenſus doloris, ac voluptatis, cuiuſmodi quidem in hac vita percipitur, hoc eſt vnà cum corpore; & hac ratione mors neque ad viuos pertineat, quia priuati ſenſu non ſunt; neque ad mortuos, quia priuati ſunt; at non ſit priuatio alterius ſpeciei ſenſus, qui animæ ſoli, ac ſine corpore degenti competere poſſit. Scilicet, quoniam vt Socrates priuſquàm illud referat, habet: *Ipſi anima ſumus, immortale animal munimento mortali concluſum.* En verò ipſum locum: Ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος, ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας. Α. Πῶς φῄς, ὦ Σώκρατες; Σ. Ὅτι περὶ μὲν τοὺς ζῶντας οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν. ὥστε οὔτε περὶ σὲ νῦν ἐστιν (οὐ γὰρ τέθνηκας) οὔτε, ἄν τι πάθῃς, ἔσται περὶ σέ, σὺ γὰρ οὐκ ἔσῃ. Μάταιος οὖν ἡ λύπη περὶ τοῦ μήτε ὄντος, μήτε ἐσομένου περὶ Ἀξίοχον, Ἀξίοχον ὀδύρεσθαι, καὶ ὅμοιον, ὡς εἰ περὶ τῆς Σκύλλης, ἢ τοῦ Κενταύρου τις ὀδύροιτο, τῶν μήτε ὄντων, μήτε ὕστερον, περὶ τὴν τελευτήν ἐσομένων. Τὸ γὰρ φοβερὸν τοῖς οὖσιν ἐστι, τοῖς δ' οὐκ οὖσι πῶς ἂν εἴη; *Audiui etiam aliquando ediſſerentem Prodicum, Mortem neque ad viuos, neque ad mortuos pertinere. A. Quomodo verò, ô Socrates? S. Quoniam penes viuos quidem non eſt; qui verò mortui ſunt, non ſunt: adeò vt neque penes te iam ſit (ſcilicet mortuus nondum es) neque ſi patiaris quid humanitùs, penes te erit; tunc quippe non eris. Quamobrem ſtultus dolor eſt, torqueri mente Axiochum ob id, quod penes Axiochum neque iam ſit, neque ſit deinceps futurum. Similéque eſt, ac ſi quis ob Scyllam, Centaurúmve angatur, quorum nulla neque eſt iam, neque futura eſt deinceps ad mortem vſque exſiſtentia. Nimirum in iis, quæ exſiſtunt, cauſa metus eſt; in iis, quæ non exſiſtunt, quomodo eſſe poſſit?* Tùm autem, pòſtquam Axiochus ratiocinationem contempſit; *ſe enim triſtem, ob bonorum, quæ in vita ſunt, amiſſionem, reddi*; Repetit primùm Socrates, quòd iam antè dixerat: *Imprudenter, Axioche, connectis, dum ſenſum bonorum, malorumque ſubſtituis, oblitus, quòd tunc nullus ſis futurus.* Et ſtatim: *Niſi enim ab initio vnum quempiam cum morte ſenſum per imprudentiam componeres, mortem haudquaquam metueres; nunc autem te ipſe euertis, metuens ne animâ priueris, & ſenſum fore exiſtimans, quo te carere ſenſu comprehendas.* Tùm autem nonnullis interpoſitis, pergit: *Tranſis ergo, Axioche, non in mortem, ſed in immortalitatem; neque bonorum iacturam pateris, ſed fruitione eris longè ſinceriore: ac voluptates adipiſceris non quidpiam commiſti habenteis cum mortali corpore; ſed ab omni prorſus moleſtia ſecretas. Illûc nimirum proficiſceris, ex hoc ſolutus carcere, vbi omnia doloris, luctus, ſeniique expertia; & tranquillam illeic, immunémque à malis vitam peragens, rerum naturam placida quiete contemplabere; ac iam philoſophabere, non quaſi ad turbam, aut theatrum, ſed ad germanam veritatem.* Atque hæc quidem refero, vt intelligamus, & poſſe reputari mortem eſſe omnis ſenſus exſtinctionem, quatenus organis deſtructis non poteſt ampliùs neque viſio, neque auditio, neque olfactio, neque vlla alia ſenſio elici; & poſſe nihilominùs ſupereſſe ſtatum, in quo Anima feliciter degat, propter alias videlicet ab his organicis facultates, quarum vſus illi tunc ſit. Quamobrem & poſſe, conſtante aliunde germana ſententia, illum abſolutè reprehendi, qui mali id eſſe in morte exiſtimat, quòd mors ſit exſtinctio, ac priuatio ſenſus.

Lib. 3. epiſt. 25. In pag. 84.

℣. 13. Ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν. *Ceſſationem* interpretor, non malorum, quibus in vita obnoxij ſumus, vt pronum videtur intelligere (tametſi ceſſatio à malis res optanda potiùs, quàm fugienda ſit,) ſed potiùs, *rerum omnium, quibus in vita fruimur, & actionum, quibus fungimur*, quoniam his priuari vulgò habetur malum; ac idipſum eſt, quod exprobratur à Lucretio, dum vulgaria refert lamenta, quibus proſequi mortuos ſolent, quaſi illi hæc quæ moriendo dimiſerunt, deſiderent.

At iam non domus accipiet te læta, neque vxor
Optima, nec dulces occurrent oſcula nati
Præripere, & tacitu pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis tibi fortibus eſſe, tuiſque
Præſidio. Miſer, ô miſer! aiunt: omnia ademit

Vna

In pag. 84. *Vna dies infeſtu tibi tot præmia vitæ.*

Illud in his rebus non addunt; nec tibi earum
Iam deſiderium rerum ſuperinſidet vnà.

Et ſtatim pòſt:

Hoc etiam faciunt, vbi diſcubuere, tenéntque
Pocula ſæpè homines & inumbrant ora coronis,
Ex animo vt dicant, breuis eſt hic fructus homillis;
Iam fuerit, neque pòſt vnquam reuocare licebit.
Tanquã in morte mali cum-primis hoc ſit eorũ,
Quòd ſitis exurat miſeros, atque arida terra;
Aut alia, quoius deſiderium inſideat res.

Interiicit autem:

Quod benè ſi videant animo, dictiſque ſequantur,
Diſſoluant animi magno ſe angore, metúque.
Tu quidem vt es leto ſopitus, ſic eris, aui
Quod ſupereſt, priuatu' doloribus ægris:
At nos horrifico cinefactum te propè buſto.
Inſatiabiliter deflebimus, æternumque
Nulla dies nobis mærorem è pectore demet.

3.Eth. 9. Porrò hæc eadem ceſſatio eſt, ob quam Ariſtoteles ait nihil eſſe *horribilius morte*, φοβερώτατον δ᾽ ὁ θάνατος: *Eſt enim*, inquit, *Terminus*, ſeu mera deſitio, *nihilque videtur mortuo reliquum neque boni, neque mali eſſe.* Neque verò eſt mirandum, quod ait, horrere etiam homines mortem, quòd terminus malorum ſit: Quippe eſſe videas non paucos, qui nullam quantumvis iniquam recuſaturi ſint conditionem, ſi quacumque demum ratione declinare mortem potuerint; imitatos ſcilicet illum, qui apud Homerum miſeram quamque ſeruitutem ſeruire longè præferat,

Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.
Quàm vitâ functis dominarier omnibus vnum.

aut Mecœnatem, qui turpiſſimo voto (ſic
Ep. 101. enim loquitur Seneca) & debilitatem non recenſat, & deformitatem, & nouiſſimè acutam crucem, dummodo inter hæc mala ſpiritus prorogetur. Ipſius nimirum ſunt illa:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa, &c.

Quibus recitatis, pergit Seneca: *Quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur; & tanquam vita, petitur ſupplicij mora. Contemptiſſimum putarem, ſi viuere vellet vſque ad Crucem. Tu verò*, inquit, *me debilites licet, dum ſpiritus in corpore fracto & inutili maneat: depraues licet, dum monſtroſo, & diſtorto temporis aliquid accedat: ſuffigas licet, & acutam ſeſſuro Crucem ſubdas; eſt tanti, vulnus ſuum premere, & patibulo pendere deſtrictum, dum differat id, quod eſt in malis vltimum, ſupplicij finem.* Et vide, quid etiam de aliis ſtatim pòſt ſubiiciat: *Inuenitur, qui velit adactus ad illud infelix lignum, iam debilis, iam prauus, & in fœdum ſcapularum, ac pectoris tuber eliſus; cui multæ moriendi cauſa etiam citra Crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam. Nega nunc magnum beneficium eſſe naturæ, quòd neceſſe eſt mori. Multi peiora paciſci adhuc parati ſunt: etiam amicum prodere, vt diutiùs viuant; & liberos ad ſtuprum manu ſua tradere, vt contingat lucem videre tot conſciam ſcelerum.* Dicas penè iſtud ex Lucretio ſumptum, qui præter mala cætera ex timore mortis profecta, in eos inuehitur, qui ſint — *Mortem malum non reputandam.*

Obliti fontem curarum hunc eſſe timorem:
Hunc vexare pudorem; hunc vincula amicitiaĩ
Rumpere: & in ſumma pietatem euertere fundo.
Nam iam ſæpè homines patriam, charoſq; parẽtes
Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes.

¶.14. Μάταιον δ᾽, &c. ad vſque ἐκεῖνος ζῆν, pro οὔτε φοβεῖται τὸ μὴ ζῆν, οὔτε γὰρ αὐτῷ προσίσταται τὸ ζῆν, οὔτε δοξάζεται κακὸν εἶναι τὸ μὴ ζῆν. Quippe ex iſtis aut non cohærens, aut etiam repugnans elicitur ſenſus. Videtur autem ſenſus is eſſe, iuxta quem eſt illud Lucretij, quod alio loco innuimus:

Proinde, vbi ſe videas hominem indignarier ipſũ,
Poſt mortem fore, vt aut putreſcat corpore poſto,
Aut flammis interfiat, malíſve ferarum:
Scire licet, non ſincerum ſonere, atque ſubeſſe
Cæcum aliquẽ cordi ſtimulũ; quamvis neget ipſe
Credere ſe quemquã ſibi ſenſum in morte futurũ.
Non, vt opinor, enim dat, quod promittit, abunde;
Nec radicitùs è vita ſe tollit, & eicit;
Sed facit eſſe ſui quiddam ſuper inſcius ipſe.

Itemque quod ſequitur:

Viuus enim ſibi quom proponit quiſque, futurum;
Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque;
Ipſe ſui miſeret; neque enim ſe vindicat hilum
Nec remouet ſatis à proiecto corpore; & illud
Se fingit, ſenſúque ſuo contaminat adſtans.
Hinc indignatur ſe mortalem eſſe creatum;
Nec videt in vera nullum fore morte alium ſe,
Qui poſſit viuus ſibi ſe lugere peremptum,
Stanſque iacentem; nec lacerari, vríve dolore.

Reſpexiſſe autem videtur ad tritum illud antè inſinuatum de Diogene, qui & rogatus quemadmodum curari vellet, mortuus cùm foret, proiici ſe inhumatum iuſſit; & cauſantibus, quòd à feris, volucribuſque laniaretur, apponi ad manum iuſſit baculum, quo poſſet illas abigere: & excipientibus, quòd non poſſet, ſcilicet vt ſenſu, ſic motu priuatus; *Quid igitur*, inquit, *ſi ſenſu caruero, meâ intererit, quomodocumque mecum agatur?* Spectare huc poſſet relata Socratis increpatio: verùm ſufficit illud Senecæ: *Mors nullum habet incommodum; eſſe enim debet aliquid, cuius ſit incommodum.* Et: *Mors nec bonum, nec malum eſt. Id enim poteſt aut bonum, aut malum eſſe, quod aliquid eſt; quod verò ipſum nihil eſt, & in nihilum nos redigit, nulli nos fortunæ tradit. Mala enim, bonáque circa aliquam verſantur materiam. Non poteſt id fortuna tenere, quod Natura dimiſit; nec poteſt miſer eſſe, qui nullus eſt.* Quod idem poſſet ex Plutarcho, aliiſque, non ſecùs dici. Prætereo facere huc quoque quod Lucretius declarat pœnas Tantali, Tityj, Siſyphi, Danaïdum, alias, quas pati mortuos vulgare fuit, non mortuis, ſed viuis hominibus competere: — Epiſt. 30. conſol. ad Marc. 19. — Conſol. ad Apollon.

Atque ea nimirum, quæcumq; Acherunte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis, &c.

Digitized by Google

Mortem malum non reputandam. Verùm rem iam deduximus, de Inferis cùm ageremus.

ÿ.18. Ὥσπερ ὁ χρόνος, οὐχ ὁ μήκιστος, ἀλλ' ὁ ἥδιστος, pro χρόνον οὐ τὸν μήκιστον, ἀλλὰ τὸν ἥδιστον. Manifeſtè enim apparet caſus in caſum facta mutatio; niſi modum mutatum putes, ac legendum καρπίζεσθαι, quod tamen erit minus congruum. Quamquam & fortè magis cougruerit, ſi mutetur ſimul particula καὶ, in voculam δεῖ, ſed perinde eſt. Adnotare præſtat congruere hanc ſententiam cum eo, quod Plutarchus ait: *Loc. cit.* εἰς οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος. *Vitam, non quæ longiſſima, ſed quæ virtute maximè adminiſtratur, optimam eſſe.* Quippe Epicurus ex infrà dicendis pro eodem habet *ſuauiter*, & *ex virtute viuere*; quòd vitæ ſuauitas, ac virtus ſeparari à ſe inuicem non poſſint. Quare & huic loco quadrare, quod ab illo ſubiicitur: *Non qui plurimùm fidibus cecinit, aut perorauit, aut nauem rexit, ſed qui benè, eum commendari; quoniam decorem reponere non in longitudine temporis, ſed in virtute, & opportuna moderatione oporteat. Heinc Poëtas nobis repræſentare eximios quoſque inter Heroas, Deorúmque filios ante ſenectutem obiiſſe; ſicque & plantarum eas eſſe præcipuas, quarum plurimus breui tempore eſt prouentus; & ex animalibus ea, ex quibus tempore non multo plurimum ad vitam vtilitatis percipimus.* Ex quibus, aliiſque concludit, μέτρον τοῦ βίου τὸ καλόν, οὐ τὸ τοῦ χρόνου μῆκος. *Non temporis longinquitatem, ſed honeſtatem, vitæ eſſe menſuram.* Admonet hic locus interim illius, quo *Sap.4.* Sapiens loquutus de viro, qui Deo placens, dilectúſque, raptus in flore ætatis fuit: Τελειωθεὶς, inquit, ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνους μακρούς, *compleuit paucis tempora longa. Ne id memorem, quod præmittitur, canitiem hominibus ipſam eſſe Sapientiam; & ſenectutem non diuturnitate neque annorum numero menſurari.* Vt verò adhibeam *Ep.74.* ex Seneca locum, qui in eandem ſententiam ſit: *Summum*, inquit, *bonum nec infringitur, nec augetur; in ſuo modo permanet. Vtcumque fortuna ſe geſſit, ſiue illi ſenectus longa contigit, ſiue citra ſenectutem finitus eſt, eadem menſura ſummi boni eſt, quamuis ætatis diuerſa ſit. Vtrùm maiorem, an minorem circulum ſcribas, ad ſpatium eius pertinet, non ad formam. Licèt alter diu manſerit, alterum ſtatim obduxeris, & in eum, quo ſcriptus eſt, puluerem ſolueris; in eadem vterque forma fuit. Quod rectum eſt, nec magnitudine æſtimatur, nec numero, nec tempore; non magis produci, quàm contrahi poteſt. Honeſtam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, & in vnum diem coge: æquè honeſta eſt.* An verò occaſione horum poſtremorum verborum licebit heic adtexere quod ratiocinium nos ſæpè ſubiit, & apud Plutarchum etiam obſeruatur. Cùm nobis vita reputetur quàm longiſſima, quæ ad centum vſque extenditur annos; ſi ea quidem nobis non vno die maior contigiſſet, vt contingit illis animalibus, quæ in Ponto naſci apud Ariſtotelem proditur; adeò vt nobis, perinde ac illis, adoleſcentia fuiſſet matutino tempore, vigor meridiano, ſenium veſpertino; fuiſſe nos eo caſu reputaturos tam beatum, viuere poſſe in veſperam, quàm iam viuere in centeſimum annum; veluti ſi ex oppoſito contigiſſet vitam in mille annos prorogari, vt propemodum contigit primis illis hominibus; tùm fuiſſe futurum tam graue ſexcenteſimo anno mori, ac iam eſt mori ſexageſimo. An & ſubiicienda illa cogitatio; Si qui fuerunt hominum primi, in hunc vſque diem vitam produxiſſent, tam illis fuiſſe futurum graue, quàm nobis eſt, amittere vitam; vt ex hoc proinde addiſcamus, qualiſcumque nobis vita obtigit, illam non longitudine, ſed honeſtate, ſuauitatéque, quâ traducere eam licet, metiri. Appoſita ſanè præ cæteris eſt allata illa à Seneca ſimilitudo circuli, cuius perfectio non in magnitudine, ſed in rotunditate conſiſtit; quæque admonet eius ratiocinij, vt quemadmodum totus terræ circuitus punctum eſt reſpectu circuitus cœli, aut ſi malis Mundi; ac Mundus ipſe, imò & complexio centies mille myriadum, & plurium, pluriúmque innumerabilium homini mundorũ, nihil aliud quàm punctum eſt, ad vniuerſi, ſpatiorúmve infinitatem comparata; ſic prælongam hominis vitam, vt quam vulgò definiunt octaëteridibus duodecim, ſeu annis nonaginta ſex, eſſe quaſi punctũ quoddam, ſeu momentum reſpectu vitæ Hamadryadum, quam nongentorum triginta trium millium, & centum, ac viginti annorum eſſe fabulantur; & rurſus iſtam pari modo, aliamque rurſus, & aliam in infinitum multipliciorem, nihil aliud eſſe quàm momentum, ſi cum æternitate, ſiue temporis infinitudine comparetur. Quamobrem &, vt cum Seneca dicam: *In hoc punctum coniectus es, quod vt extendas, quovſque extendes?* Præclarè Lucretius totum illud tempus, quod à morte noſtra ſuperfuturum eſt, non minus fore diuturnum ait, quàm quod ſuperfuturum fuit à morte illorum, qui longè ante nos mortui ſunt. Quippe poſtquam illud præmiſit, *Epiſt.77.*

Nec prorsùm, vitam ducendo demimus hilum *Lib.3.*
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quò minus eſſe diù poſſimus, morte perempti;

Tùm ſubiicit:

Proinde licet quot vis viuendo condere ſæcla,
Mors æterna tamen nihilo minùs illa manebit.
Nec minùs ille diù iam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitai fecit, & ille
Menſibus, atque annis qui multis occidit antè.

In pag. 84.

ÿ.20. Ὁ δὲ παραγγέλλων. Videri poteſt primâ fronte perperam ille improbari, qui iuuenem monet, vt honeſtè viuat; ſenem, vt honeſtè moriatur; quatenus illi vita longior ſupereſt, iſti mors impendet. Attamen, vt conſtat ex ea ratione, quæ apponitur, non meditationem honeſtè viuendi,

non

In pag. 84. non item honeſtè moriendi Epicurus improbat ; ſed improbat ſolùm iſta ſeiugari, vt ſi iuuenis deberet ſolùm de honeſtè viuendo, ſenex de honeſtè moriendo ſolùm cogitare ; quaſi non poſſet mors iuueni immatura contingere, aut poſſet nihil ſeni ſupereſſe vitæ, & qui actus poſtremus eſt, pars quædam fabulæ non foret. Docet itaque hæc non ſeiungenda ; ſed & ſeni & iuueni meditationem honeſtè viuendi, & meditationem honeſtè moriendi, copulandas eſſe. Atque id quidem cohærenter cum eo, quod mox dicebatur ; vt nempè quacumque ætate mors contigerit, reperiatur vitæ circulus perfectus, neque poſſit quis conqueri, deeſſe aliquid ad eius menſuram. Heine verò haud abs re eſt illa Epicuri querela apud Senecam : *Nemo non ita exit è vita, quaſi modò intrauerit.* Nam, vt ille proſequitur : *Quemcumque vis, occupa ; adoleſcentem, ſenem, medium ; inuenies æquè timidum mortis, æquè inſcium vitæ. Nemo quicquam habet facti ; in futurum enim noſtra diſtulimus.*

Epiſt. 22. Pergit verò adhuc idem Seneca : *Nihil me magis in iſta voce delectat, quàm quod exprobratur ſenibus infantia. Nemo*, inquit, *aliter, quàm quomodo natus eſt, exit è vita. Falſum eſt ; peiores morimur, quàm naſcimur. Noſtrum iſtud, non naturæ vitium eſt : illa de nobis conqueri debet, & dicere : Quid hoc eſt ? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, cæteriſque peſtibus : Quales intraſtis, exite.* Enimverò, quod ſpectat ad Naturæ querelam, audienda eſt expoſtulatio, quam inſtituit apud Lucretium :

Lib. 3.
Denique, ſi vocem rerum natura repentè
Mittat, & hoc aliquoi noſtrum ſic increpet ipſa :

Et vniuersè, quidem tam aduersùs iuuenes, quàm aduersùs ſenes, ſed aduersùs iſtos præſertim :

Quid tibi tantoperè'ſt, mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges ? quid mortem congemis, ac fles ?
Nam ſi grata fuit tibi vita ante acta, priorque,
Et non omnia, pertuſum congeſta quaſi in vas,
Commoda perfluxêre, atque ingrata interiêre ;
Cur non, vt plenus vitæ conuiua, recedis,
Æquo animóque capis ſecuram, ſtulte, quietem ?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periêre profuſa,
Vitaque in offenſu'eſt : cur amplius addere quæris,
Rurſum quod pereat malè, & ingratū occidat omne :
Nec potiùs vitæ finem facis, atque laboris ?
Nam tibi prætereà quod machiner, inueniamque,
Quod placeat, nihil eſt : eadem ſunt omnia ſemper.
Si tibi non annis corpus iam marcet, & artus
Confecti languent ; eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas viuendo vincere ſæcla ;
Aut etiam potiùs, ſi nunquam ſis moriturus.

Ac ſtatim pòſt :

Grandior hic verò ſi iam, ſeniórque queratur :
Aufer ab hinc lacrymas barathro, & cōpeſce querelas
Omnia perfructus vitaï præmia, marces :
Sed quia ſemper aues, quod abeſt, præſentia temnis :
Imperfecta tibi elapſa'ſt, ingrataque vita,
Et nec opinanti mors ad caput adſtitit antè,
Quàm ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte ;
Æquo animóq; agedū, iam aliis concede : neceſſe'ſt.

Mortem malum non reputandam.

Prætereo autem, quod Lucretius concludit :

Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam, & veram verbis exponere cauſam ?

Et :

Iure, vt opinor, agat, iure increpet, incilétque.

Adnoto ſolùm illud : *Cur non, vt plenus vitæ conuiua, &c.* Videri occaſionem feciſſe Horatio, vt ipſe conſimiliter conqueratur his verſibus :

Lib. 1. ſat. 1.
Inde fit, vt rarò, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ,
Cedat, vti conuiua ſatur, reperire queamus.

Ser. 115. Ac videri eodem reſpexiſſe Metrodorum, cùm apub Stobæum ait : οὐ μακαριστέον τὸν γέροντα καθ' ὃν γηράσκων πλουτᾷ, ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται. *Ne felicem reputes ſenem, quòd ſeneſcens diem obeat ; ſed ſi bonorum quidem ſit ſatur, ac plenus.* Illud autem : *Eadem ſunt omnia ſemper :* &, *eadem tamen omnia reſtant*, attingi poſteà iterum ab eodem Lucretio, cùm ait :

Prætereà verſamur ibidem, atq; inſumus vſque :
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.

Ac idipſum eſſe, vnde, morte imminente, exiſtimare poſſit Sapiens compleuiſſe ſe circulum perfectum, & qui, niſi ſit cum æternitate, at ſaltem cum Mundi duratione comparandus. Nam quod ſpectat quidem ad rerum naturam contemplatus eſt ſæpiùs cœlum, ſæpiùs terram, & quæ in ipſis. Vidit Siderum ortus, & occaſus, Eclipſeis, phænomena alia ; Viciſſitudines etiam tempeſtatum, varios exortus, interitúſque, varias tranſmûtationes rerum. Quod verò ad res hominum ; niſi vidit, at legit ſaltem, fandóve accepit quicquid ab initio rerum contigit ; pacem, & bellum ; fidem, & perfidiam ; vrbanitatem, & barbariem ; leges latas, abrogataſque ; Reſpublicas conditas, & euerſas, ac vniuersè cætera, quæ perinde nouit, ac ſi iis ipſis temporibus, quibus ea euenêre, adfuiſſet ; vt reputare proinde debeat pertinere ad ſe totum id, quod præceſſit tempus, ſicque vitam ſuam vnà cùm ipſis rebus cœpiſſe. Et quia ex rebus præteritis coniiciendum ſit de futuris ; reputare quoque debeat totum tempus, quod conſequuturum eſt, pertinere ad ſe, quatenus prouidet in eo nihil aliud futurum, quàm quod fuit hactenus ; quippe circumſtantias dumtaxat variari ; at ſeriem vniuerſam rerum ſuo ſemper ire tenore, ac eadem conſtanter generatim exhibere. Sicque Sacrum Concionatorem iure edixiſſe : *Nihil aliud futurum, quàm idipſum, quod fuit ; nihil faciendum, niſi quod factum eſt ; nihilque eſſe ſub Sole nouum, nec poſſe quemquam dicere, Ecce hoc recens eſt.* Vnde & concludi poteſt : Non debere virum ſapientem exiſtimare vitam ſuam breuem, qui illam partim recordatione, partim prouidentiâ, red-

Digitized by Google

dere tantam, quanta eſt totius Mundi duratio, poteſt.

Mortem malum non reputandam. ÿ.23. ΟΥ μόνον δεῖ τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστόν. Cùm verba hæc fuerint ſuperiori ſententiæ, quaſi quædam ſpecies probationis inſerta (& fortè quidem tranſpoſita ex ea, quæ conſequitur, vt illi probandæ accommodatiora) non emoui tamen, quòd ſenſus eius admonitionis, quam Epicurus reprehendit, is eſſe potuerit, vt, qui ſenex eſt, cuique adeò nihil, præter mala incommodaque innumera toleranda, supereſt, is diem honeſtè ſpontanea morte præueniat, potiuſquàm ſe trahendæ vitæ miſeriarum plenæ ſubmittat. Nempè Epicurus huic ſenſui haud abs re oppoſuerit τὸ τῆς ζωῆς ἀσπαστόν, *id, quod amabile eſt in vita.* Videtur porrò heic Epicurus eam ſententiam corrigere, quæ ipſi aliàs placuerit, vt vel ex vno Seneca conſtat. Heinc nimirùm eſt illud apud ipſum (Epiſt. 12.): *Malum eſt in neceſſitate viuere; ſed in neceſſitate viuere, neceſſitas nulla eſt.* Nimirùm, quia, vt ille exeipit: *Patent vndique ad libertatem viæ, multæ, breues, faciles; agnmus Deo gratias, quòd nemo in vita teneri poteſt. Quocumque reſpexeris*, inquit alibi, *ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum; illàc ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, vides illud flumen, illum puteum: libertas* (3 De ira. cap. 15.) *illeic in imo ſedes. Vides illam arborem, breuem, retorridam, infelicem: pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum: effugia ſeruitutis ſunt. Nimis mihi operoſos exitus monſtras, & multum animi, ac roboris exigenteis. Quæris, quod ſit ad libertatem iter? qualibet in corpore* (Epi. 70.) *tuo vena.* Et rursùs: *Nil melius æterna lex fecit, quàm quòd vnum introitum nobis ad vitam dedit,* (Sen. in Theb.) *exitus multos.* Quod imitatus Tragicus:

Vbique mors eſt: optimè hoc cauit Deus:
Eripere vitam nemo non homini poteſt:
At nemo mortem; mille ad hanc exitus patent.

(Ap. Arrian. l. 1. cap. 14.) Neque Epictetus ſecùs: *Quod caput eſt, memineris eſſe apertam ianuam. Ne ſis timidior pueris; ſed vt illi, dum aliquid diſplicere incipit, dicunt, non ampliùs ludam; ſic cùm aliquid tale videbitur, dic, non ampliùs; & ſimul abſiſte.* Rurſus (Epiſt. 26.) Epicuri eſt illud: *Meditare, vtrùm commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam.* Nempè, *hic patet ſenſus*, inquit Seneca, *Egregia res eſt, mortem condiſcere. Superuacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? Hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, ſeruire dedidicit: ſupra omnem potentiam eſt; certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & cuſtodia, & clauſtra? liberum oſtium habet. Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ; qui vt non eſt abiiciendus, ita minuendus eſt, vt ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quò minùs parati ſimus quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.*

(Epiſt. 22.) Denique eſt & illud, quod poſtquàm idem Seneca Author fuit Lucilio, vt quod malè implicuiſſet, ſolueret, aut, ſi alia ſoluendi ratio non eſſet, vel abrumperet, quia, *Nemo*, inquit, *tam timidus eſt, vt malit ſemper pendere, quàm ſemel cadere, &c.* ſubdit: *Nunquid offenderis, ſi in conſilium non venio tantùm, ſed aduoco, & quidem prudentiores, quàm ipſe ſum, ad quos ſoleo referre, ſi quid delibero. Epicuri Epiſtolam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo, quæ ſcribitur; quem rogat, vt quantum poteſt, fugiat, & properet, antequàm aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen ſubiicit, nihil eſſe tentandum, niſi cùm aptè poterit, tempeſtiuéque tentari; ſed cùm illud tempus diu captatum venerit, exſiliendum ait: Dormitare de fuga cogitantem vetat, & ſperat etiam ex difficillimis, ſalutarem exitum, ſi nec properemus ante tempus, nec ceſſemus in tempore.* (In pag. 84.) Quod quidem alibi proſequutus: *Itaque*, inquit, *Sapiens viuit, quantum debet, non quantum poteſt. Videbit vbi victurus ſit; cum quibus; quomodo; quid acturus. Cogitat ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Si multa occurrunt moleſta, & tranquillitatem turbantia, emittit ſe; nec hoc tantum in neceſſitate vltima facit, ſed cùm primùm illi cœperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, nunquid illo die deſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem, an accipiat; tardius fiat, an citiùs, non tanquam de magno detrimento timet.* (Epiſt. 70.) Ac paulò pòſt: *Aliquando tamen, etiam ſi certa mors inſtabit, & deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non commodabit pœnæ ſua manum. Stultitia eſt timore mortis mori. Venit, qui occidat: exſpecta, quid occupas, quare ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrùm inuides carnifici tuo, an parcis? Socrates potuit abſtinentiâ finire vitam, & inediâ potius, quàm veneno mori; triginta tamen dies in carcere, & in exſpectatione mortis exegit: non hoc animo, tanquam omnia fieri poſſent; tanquam multas ſpes tam longum tempus reciperet: ſed vt præberet ſe legibus, vt fruendum amicis extremum Socratem daret.* Poſteà verò: *Non poſſis itaque de re in vniuerſum pronunciare, cùm mortem vis externa denunciat, occupanda ſit, an exſpectanda. Multa enim ſunt, quæ in vtramque partem trahere poſſunt. Si altera mors cum tormento, altera ſimplex, & facilis eſt: quid-ni huic iniicienda ſit manus?*

Atque hæc quidem ſententia eſt, quam alioquin abs ſe defenſam, Epicurus iam improbare videtur: Neque verò hoc modò loco; ſed & apud eundem etiam Senecam, cuius imprimis verba hæc ſunt (Epiſt. 24.): *Obiurgat Epicurus, non minùs eos, qui mortem concupiſcunt, quàm eos, qui timent, & ait: Ridiculum eſt currere ad mortem tædio vitæ: cùm genere vitæ, vt currendum eſſet ad mortem, effeceris. Item alio loco dicit: Quid tam ridiculum, quàm appetere mortem; cùm vitam tibi inquietam feceris, metu mortis. His adiicias & illud eiuſdem notæ licet. Tantam hominum imprudentiam eſſe, imò dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem.* Dicas hoc ipſum eſſe, ex quo deſumptum illud Lucretij:

Et

Digitized by Google

In pag. 84. Lib. 3. *Et ſæpè vſque adeo mortis formidine, vitæ*
Percipit ingratos odium, lucíſque videndæ;
Vt ſibi conſciſcant mœrenti pectore letum.

Sunt verò alio etiam loco verba eiuſdem Se- De vi. beat. cap. 19. necæ: *Diodorum Epicureum Philoſophum, qui intra paucos dies finem vitæ ſuæ manu ſua impoſuit, negant ex decreto Epicuri feciſſe, quòd ſibi gulam præſecuit. Alij dementiam videri volunt factum hoc eius; alij temeritatem.* Et quamuis Seneca ſubinde factum excuſet commendétque, illud ſubiiciens: *Ille interim beatus, ac plenus bona conſcientia, reddidit ſibi teſtimonium vitâ excedens, laudauitque ætatis in portu, & ad ancoram actæ quietem, & dixit, quod vos inuiti audiſtis, quaſi vobis quoque faciendum ſit:*

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.

At ſaltem notandum, quod negatum ſit, illum, cùm, ſibi mortem conſciuit, ex Epicuri decreto feciſſe. Et certè pugnat cum facto hoc, tùm quod iam antè dictum eſt, de ſapiente etiam in tormentis beato; tùm quod inferiùs de dolore tolerando dicendum eſt; tùm quod ipſemet Epicurus, cruciatus licet iis viſcerum, veſicæque doloribus, ad quorum magnitudinem nihil poſſet accedere, non ideò ſibi mortem acciuit, ſed conſtanter eam exſpectauit. Non eſt porrò quorſum conemur, Epicurum circa priorem illam ſententiam excuſare, quaſi peccatum peccauerit non modò eum Hieronymo; quem ipſi 5. Tuſc. l. 1. c. 63. Cicero copulat, cúmque omnibus Stoïcis, vt vel ex citatis intelligi poteſt; ac prætereà cum aliis, ipſóque nominatim Plinio dum Terram matrem ideò commendat, quòd *noſtri miſerta, venena inſtituerit*; ſed etiam cum In Scip. Maj. ipſo Platone; ex cuius mente licet Cicero dicat: *Retinendum eſſe animum in cuſtodia corporis, nec iniuſſu eius, à quo ille eſt datus, ex hominum vita migrandum eſſe; ne munus humanum aſſi-* Lib. 9. *gnatum à Deo defugiſſe videamur*: in libris tamen de legibus eatenus dumtaxat damnandum eum cenſet, qui ſeipſum interficit: *Si neque ex decreto ciuitatis fecerit, neque vllo fortunæ caſu intolerabili, ineuitabilique coactus; neque obrutus vllâ pauperis, miſeræque vitæ ignominia*: Idque, ne quidpiam etiam de Cicerone ipſo adiiciam, qui cum alicubi efferat, In Cat. Maj. 1. Tuſc. quod Pythagoras *vetat, iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de præſidio, & ſtatione vitæ diſcedere*: alibi tamen verba eius hæc ſunt; *Vt ſi cui nauiganti, quem prædones inſequantur, Deus quis dixerit: Eiice te de naui: præſto eſt, qui excipiat, vel delphinus, vt Arionem Methymnæum; vel equi Pelopis illi Neptunij, qui per vndas currus ſuſpenſos rapuiſſe dicuntur, excipient te, & quò velis perferent, omnem omittat timorem: ſic vrgentibus aſperis, & odioſis doloribus, ſi tanti ſint, vt ferendi non ſint, quò ſit confugiendum vides.* Sic alio quoque loco docet, *eam in vita ſeruandam legem, quæ in Græcorum conuiuiis obtinetur. Aut bibat aut abeat: Quoniam vt oportet aliquis fruatur pariter cum aliis voluptate potandi; aut ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat, antè diſcedat; ſic iniurias fortunæ quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.* Non eſt, in- Mortem malum non reputandum. 5. Tuſc. quam, quorsùm conemur Epicurum circa priorem excuſare ſententiam; cùm redarguendus potiùs ſit, quòd non hæſerit ſatis conſtanter in poſteriore: Quippe non modò Sacra Religio huic ſuffragatur, illam damnat (niſi quòd diuino inſtinctu paucos ſibi manus intuliſſe non improbat, vt in lege veteri Samſonem, & Raziam, in noua Sophroniam, & Pelagiam) ſed natura etiam, & quæ recta eſt ratio. Scilicet natura inſeuit omni generi animantium ſuæ vitæ amorem; ac nullum, præterquam hominum, genus eſt, quod quantiſcumque opprimatur malis, non adhuc quantum in ſe eſt, vitam tueatur, & mortem refugiat; Quare & argumento eſt, hominem, qui ſolus prauis opinionibus, ſi quid præclarè à natura inſtitutum eſt, corrumpere ſolet, ſi interdum vitæ vſuram abiiciat, mortémque ſibi inferat, id facere ſolùm ex inducta quadam in naturam peruerſitate. Quippe rectus naturæ ſtatus in ipſa animantium vniuerſitate attendendus eſt; non in perpaucis aliquibus vnius dumtaxat generis indiuiduis, quæ ſeſe ante inſtitutum à natura tempus diſſoluunt, ac perdunt. Ex quo fit, vt cenſeri poſſint aduerſus naturam eiuſque Authorem iniurij, qui ad certam metam deſtinati contendere, in medio ſtadio curſum abrumpunt; & quod illi dicebant, in præſidio, ſtationéque collocati, non exſpectato tempore, iniuſſique inde diſcedunt. Aliunde verò, quæ generatim ſæuire aduersùs innocentem, nihilque de nobis malè meritum ratio prohibet, eadem profectò prohibet maximè aduerſus ſeipſum, à quo nemo eſt vnquam odium, ſed potius amorem, & plerumque nimium expertus. Quòd ſi virtuti locus eſt vllus: quânam occaſione magis eniteſcat, quàm in tolerandis generosè malis, quæ fors quæpiam dura neceſſaria fecerit? quânam magis obſcuretur, quàm eorum tolerantiam adeò molliter refugiendo, vt deinceps vel minimo tolerando via præcludatur; Præclarè ſanè in hanc ſententiam Ariſtoteles: *Mori*, inquit, *ob* 3. Eth. 11. *inopiam, amorem, aut aliud moleſtum, non fortis viri, ſed timidi eſt: molitiei nimirum eſt ea defugere, quæ perpeſſu ſunt difficilia.* Præclarè & Curtius: *Fortium*, inquit, *virorum eſt, magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam. Sæpè tædio laborum ad vtilitatem ſui compelluntur ignaui: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltima omnium mors eſt, ad quam non pigrè ire ſatis eſt.* Sed ne plura conſecter, & ne ad Anticipationem illud Poëtæ referam:

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum 6. Æneid.
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Proiecere animas: Quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores?

Illud ſatis eſt, quod habet Lactantius: Nempè poſtquàm illud præmiſit: *Multi ergo ex iis, quia* L. 3 c. 18. *æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in*

Mortem malum non repræſentandam. *cælum migraturi eſſent, ſibi ipſis manus intulerunt, vt Cleanthes, vt Chryſippus, vt Zenon, vt Empedocles, qui ſe in ardentis Ætnæ ſpecum intempeſta nocte deiecit, vt cùm repentè non apparuiſſet, abiiſſe ad Deos crederetur: & ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua vita* Stoïcæ *vanitatis imitator* (lego porrò Stoïcæ, pro Socraticæ cùm ob alia, tùm maximè ob id, quod aliquantò pòſt ſequitur: Nam Cato videtur mihi cauſam quæſiiſſe moriendi, non tam vt Cæſarem fugeret, quàm vt Stoïcorum decretis obtemperaret, qoos ſectabatur, noménque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret) *Nam Democritus in alia fuit perſuaſione; ſed tamen*

Sponte ſuâ leto caput obuius obtulit ipſe.

Tùm pergit: *Quo nihil ſceleratius fieri poteſt. Nam, ſi homicida nefarius eſt, quia hominis exſtinctor eſt; eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Imò verò maius eſſe id facinus exiſtimandum eſt, cuius vltio Deo ſoli ſubiacet. Nam ſicut in hanc vitam non noſtrâ ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, eiuſdem iuſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti: Et, ſi vis aliqua inferatur, æquâ mente id ferendum eſt; cùm exſtincta innocentis anima inulta eſſe non poſſit, habeamuſque vindicem magnum, cui ſoli vindicta integra ſemper eſt.* Prætereo autem, quod proſequitur: *Homicidæ igitur omnes illi Philoſophi, & ipſe Romanæ ſapientiæ princeps Cato, qui antequàm ſe occideret, perlegiſſe Platonis librum dicitur, qui eſt ſcriptus de æternitate animarum, & ad ſummum nefas Philoſophi authoritate compulſus eſt. Et hic tamen aliquam moriendi cauſam videtur habuiſſe, odium ſeruitutis. Quid Ambraciotes ille* (Cleombrotus videlicet) *qui cùm eundem librum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd Platoni credidit. Execrabilis prorsùs, ac fugienda doctrina, ſi abigit homines è vita, &c.*

ỷ.26. Πολὺ ϛ̓ χεῖρον ἐστὶ ὁ λέγων. Quæ heic habetur percelebris ſententiæ impognatio, eiuſdem eſt, cum mox ſelectis ſuperioribus verbis argumenti. Contendit quippe Epicurus, tametſi non tanti facienda ſit vita, vt qoacumque demùm conditione redemptam velimus; & cùm aut natura, aut occaſio tulerit, mori fortiter recuſemus; attamen non eſſe eam quoque tam parui ducendam, vt quod ex illa vſoi datur, temerè reiiciendum, & profundendum ſit, ac non potiùs gratè ſumendum, & quàm licet honeſtè, ac ſuauiter traducendum, producendúmque. Videlicet; quaſi indigni ſint vita, qui ita ſunt in naturam ingrati, vt non agnoſcant, quàm præclarum ab ipſa munus acceperint, ac ipſum flocci-facere, diffamaréque verbis non ceſſent. Et, poſſe quidem, quæ ſunt in vita toleranda mala ſic exaggerari, vt appetente moriendi occaſione, vitæ amiſſio grauis non ſit, & mors habeatur quaſi portus, in quo fieri tutum ab hiſce miſeriis, & calamitatibus, tanquam tempeſtatibus liceat; ac ſint naturæ habendæ gratiæ, quòd laboribus hanc metam poſuerit; neque immortalem vitam fecerit, cùm ſi feciſſet, tùm reipsâ contingeret, quod Poëtæ fingunt: In pag. 84.

——Iuturna reclamat, Auſ. Eidyl. 7.
Quò vitam dedit æternam? Cur mortis adempta eſt
Conditio? Sic Caucaſea ſub rupe Prometheus
Teſtatur Saturnigenam, nec nomine ceſſat
Incuſare Iouem, data ſit, quòd vita perennis.

At, non ideò eſſe ita declamandum, vt eiuſmodi vitæ odium ſubeat, quo de ea quamprimùm dimittenda cogitetur; quemadmodum contigit Cyrenaïco Hegeſiæ, à quo ſic copioſè res fuit diſputata, vt is à Rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere, quòd multi, his auditis, mortem ſibi ipſi conciſcerent; vt à Cicerone, aliiſque refertur. 1. Tuſc. Quod ſpectat porrò ad improbatam Epicuro ſententiam: φύντα δ' ὅπως, &c. exſtat apud Theognidem verſus, & tertius quidem Tetraſtichi, quo illam totam complexus eſt.

Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον
Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι,
Καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.
Non naſci, res eſt mortalibus optima longè,
Nec Solis radiis acre videre iubar.
Aut natum, Ditis quam-primum limen adire,
Magna & ſub terra mole iacere ſitum.

Vt taceam autem tam apud Stobæum, quàm Ser. 119. apud Sextum in Pyrrhoniis hypotypoſibus loco vocis Πάντων, haberi Ἀρχὴν, & eſſe apud poſteriorem quædam prætereà reſtituenda. l. 3. c. 24. Adnoto ſolùm, quod Cicero in prima Tuſculana habet, dom: *Fertur*, inquit, *de Sileno fabella quadam, qui cùm à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur; docuiſſe Regem: Non naſci homini longè optimum eſſe; proximum autem, quam-primùm mori.* Citat Lactantius paulò aliter ex libro de Conſolatione; Lib. 3. c. 18. in conſol. ad Apollon. Plutarchus autem totam fabellam ex libro Ariſtotelis inſcripto Eudemo, ſeu de Anima, recitat, ac ſententiam quoqne paolò copioſiùs habet. Quin-etiam refert celebria illa Cleobis, & Bitonis, Trophonij, & Agamedis, Pindari ipſius, aliorúmque exempla, quibus Dij rogati, vt in pietatis præmium, quod foret optimum, largirentur, id largiti ſunt, vt morerentur quam-primùm. Cùm aliunde porrò citet Cicero in eandem ſententiam Senarios quoſdam Euripidis, quibus videtur mos innui Cauſianorum, & Thracum lugentium naſcenteis, gratulantium morientibus: 1. Tuſc. Cùm eoſdem quoque citet Plutarchus, ac præterea illum Menandri: Lib. de aud. po. Conſol. ad Apollon.

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.
Quem diligunt Dij, iuuenis ipſus interit.

Cùm Athenæus illos Alexidis: Lib. 3.

Τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιστόν ἐστ' ἀεί,

Ἐπὰν

In pag. 83. *Ἐπὴν γένηται δ' ὡς τάχιστ' εἶν τέλος.*

Hoc ſemper eſt potiſſimum, non naſcier:

Aut natus vbi ſis, illicò finirier.

Cùm alij demùm alios: adeò vt in citato illo ex Ariſtotele fragmento verè legatur, Sententiam eſſe adeò vetuſtam, vt Author, & initium illius prorsùs ignoretur; & tùm Plinius, enumeratis vitæ incommodis ſubiiciat: *Multos exſtitiſſe, qui non naſci optimum cenſuerint, aut quàm ocyſſimè aboleri*; tùm Auſonius conſimili enumeratione factâ egregium Eidyllium concludat: (Præfat. in lib. 7.) (Eid. 7.)

——Ergo

Optima Graiorum ſententia: quippe homini aiunt,

Non naſci eſſe bonum; aut natum, citò morte perire.

Cùm id, inquam, ita ſe habeat; tùm poteſt quidem ille verſus, ſed non ipſa ſententia ad Theognidem ſolùm referri; tùm, quantumcunque ea decantata, commendatáque fuerit: videtur tamen Epicurus poſſe, Authorem illius haud iniuriâ carpſiſſe. Conſtat ſcilicet reſponderi dilemmati inſtituto non poſſe: & cùm Author non ſit dicturus ſe in re tam ſeria iocari, ac rem, quam non putet eſſe veram, deprædicare; fore, vt aliunde ſimilem ſe præbeat Æſopico ſeni, qui morti, tametſi innocatæ, nuncium remiſit; aut illi, qui abnuit oblatum præſtò gladium, quo, eùm fuiſſet liberatorem ab ærumnis deprecatus, ſe ab illis eximeret. Sed nempè habet ſemper vita, quod Epicurus antè aiebat, quidpiam per ſe amabile, quo, quiſquis talia dixerit, allici ſe, ac teneri perſentiet. Ac, ſi ita quidem efferretur ſententia, vt ſenſus foret, optimum eſſe iis, qui tota vita miſerrimi ſunt futuri, non naſci; aut natos, & priuſquàm miſeriis immergantur, mori; res foret tolerabilis: at ſic eam efferre, quaſi res ad omneis homines perinde attineat; hoc eſt tùm iniuriam ipſi naturæ facere, in cuius arbitrio vita, & mors eſt, quæque, vt cæterarum rerum, ſie noſtri exortum, & interitum ad vniuerſi perfectionem inſtituit; tùm mendaeij argui, niſi ab omnibus, at à maxima ſaltem parte hominum, quibus vita non diſplicet, quique eam tueri quam-maximè curant; non ſubſcripturi neque illi, neque alij etiam conſonanti ſententiæ: *Vitam nemo acciperet, ſi daretur ſcientibus*; quippè cùm ita ſint comparati, vt ſint, ſi illa denuò detur, propagetúrve, accepturi. Profectò ille etiam ludit, qui viuere, & mori rem eſſe indifferentem dicit; & obiicienti, cur non igitur moreris? reſpondet, quia res eſt indifferens: cùm, ſi diſtricto gladio ad optionem fuerit adactus, ſit vitam haud-dubiè ipſi morti prahabiturus. Ingenuè verò præſertim ille, qui eùm taxaretur, quòd profeſſus ſapientiam, ad periculum tamen expalleſceret: *Iure*, inquit, *tu nihil times, quaſi pro nullius pretij anima; at ego pro anima Ariſtippi timeo*. Itemque alius, cui iam ſeni, cùm exprobraretur, quod foret vitæ cupidus: *Sapientiam*, inquit, *ſerò adeptus, tempus exopto, quo illâ fruar; vt qui ſerò contrahunt nuptias, longam optant vitam, qua educent prolem*. (Agell.) (Ibid.)

Sed cætera inter id commemorandum, quod de Leontino Gorgia refert Cicero. Is centum, & ſeptem compleuit annos, neque vnquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſauit. Et cùm ex eo quæreretur, cur tamdiù vellet eſſe in vita: *Nihil habeo*, inquit, *quo incuſem ſenectutem*. Ad ſententiam vt redeam; Non modò in ea improbanda adſtipulatus eſt Mettodorus, qui concludente in Anthologia, & apud Stobæum ſiue Poſidippo, ſiue Cratcti Cynico, Epigramma de variis vitæ in quacumque demùm conditione incommodis, hocce diſticho: (Mortem malum non reputandum.) (In Cat. Maj.) (Lib. 1. Sec. 96.)

Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι

Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Altera nunc rerum ſupereſt optanda duarum;

Non naſci, aut natum, morte perire, breui.

Epigramma oppoſitum de commodis vitæ in quacumque demùm conditione ita concludit:

Οὐκ ἄρα τῶν δισσῶν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι

Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν, πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίῳ.

Non ergo ambiguum, an naſci, an morte perire

Præſtet; cùm vita ſit genus omne bonum.

Sed maximè etiam Lactantius deprehenditur ab Epicuri partibus ſtare, qui & huiuſmodi ſententiam *vaniſſimum dictum* appellat, & ex eius refutatione anſam accipit reprehendendi aliam in Platone; cùm nimirùm dixit *ſe gratias agere naturæ, quòd homo natus eſſet, potiuſquàm mutum animal; deinde, quòd maſculus, potiuſquàm fœmina; quòd Græcus, quàm Barbarus; Poſtremò, quòd Athenienſis, & quòd temporibus Socratis: Quo*, inquit Lactantius, *ego planè contenderim nunquam quicquam dictum eſſe in rebus humanis delirius; Quaſi verò, ſi aut barbarus, aut mulier, aut aſinus denique natus eſſet; idem ipſe Plato eſſet, ac non ipſum illud, quod natum fuiſſet.* (Loc. cit.)

A futuri ſpe non pendendum.

§. 1. **M***νημονευτέον δὲ ὡς τὸ μέλλον.* Tertium hoc eſt, ad quod Epicurus attendendum eſſe meditando vult; vt aſſueſcamus videlicet indifferentem animum circa futura reddere, neque lactari inani ſpe, ab eo, quod non eſt, neque fortè eſt futurum, pendeamus. Quippe ob inſignem fortunæ varietatem, & inconſtantiam, nihil, in quod dominium habeat, ita certum proſpicitur, vt non proſpicientem, exſpectantémque plerumque deludat. Adeò proinde, vt nihil ſit tutius, quàm non quidem prorsùs de eo, quod proſpicitur, deſperare; ſed neque id tamen; tanquam haud-dubiè ſibi futurum polliceri: ac ſe interim ad vtrumvis euentum ita comparare, vt vtrumlibet accidat, nihil ideò abeſſe, aut adeſſe, quod ſit abſolutè neceſſarium exiſtimetur. Sententia penè eadem eſt cum illa, quâ iubemur *μὴ σφόδρα θαρρεῖν, μηδὲ ἀπελπίζειν ἀγάν*, (Pag. 85.)

A Futuri ſpe non pendendum.

ἀγὰν, *nec nimis ſperare, nec deſperare etiam nimis*; cauſâ reddita, τὸ μὲν γὰρ ἐκλύει, τὸ δὲ ἀνατρέπει, *quod hoc quidem exſoluat; illud peruertat animum*; quatenus nimia deſperatio quaſi deiiciendo elidit; ſpes nimis ſecura quaſi efferendo, abalienat: ſitque adeò, vt in quem neuter affectus nimium dominatur, animus illi præclarè conſtet, neque cogatur exclamare:

Ὦ Ζεῦ, πολυτίμηθ᾽, οἷον ἐστ᾽ ἐλπὶς κακόν;

O Iupiter venerande, quale ſpes malum eſt!

Sed textui vt hæream, conforme eſt ipſi, Lib. 2. quod alio loco Laërtius, de Cyrenaicis cùm loquitur, ſcribit: Placet enim illis, ait: οὐ γὰρ μνήμην τῶν ἀγαθῶν, ἢ προσδοκίαν, ἡδονὴν ἀποτελεῖσθαι, ὅπερ ἤρεσκεν Ἐπικούρῳ. *Neque ex bonorum præteritorum memoria, neque ex futurorum exſpectatione voluptatem fieri; quod tamen placet Epicuro.* Videtur autem idipſum eſſe, quod Torquatus 1. De fin. exprimit, dum apud Ciceronem ait: *Exſpectare quidem Sapientem futura*; quaſi ſcilicet euenire poſſit, vt contingant; *& ab iis tamen non pendere*; quaſi euenire, vt non contingant, poſſit; interim autem, *& potiri præſentibus, animaduertendo, quanta ſint ea, quamque iucunda; & præterita gratè meminiſſe.* Cumque hoc Sapienti conueniat, vide quid ſtulto ab Epicuro tribuatur apud Senecam: *Stulti*, inquit, *vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur.* Vocat Seneca iſtud Epicuri inſigne præceptum, Epiſt. 15. & addit: *Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? Babæ, & Ixionis? Non ita eſt. Noſtra dicitur, quos cæca cupiditas in nocitura, certè nunquam ſatiatura præcipitat; quibus ſi quid ſatis eſſe poſſet, fuiſſet. Qui non cogitamus, quàm iucundum ſit, nihil poſcere: quàm magnificum ſit, plenum eſſe, nec ex fortuna pendere.* Et alibi: *Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis; Omneis horas complectere. Sic fiet, vt nunquam ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum inieci as. Dum differtur vita, tranſcurrit.* Vidimus ad hæc, iam antè Epicurum, dum ad philoſophandum hortatur, expoſtulare, quòd hominum vita incaſſum tota abeat, τῷ μελλησμῷ ipſa cunctatione, ſeu dependentia à futuro: addendum Lib. de tranq. heic verò, quod apud Plutarchum, vbi Epicuri verba ſunt, ὁ τῆς αὔριον ἥκιστα δεόμενος, ἥδιστα πρόσεισι πρὸς τὴν αὔριον. *Is ad craſtinum ſuauiſſimè accedit; qui minimùm egens, appetenſque craſtini eſt.* Subnotat nimirùm debere Sapientem ſic rationes ſubducere, vt vnumquemque ſuæ vitæ diem quaſi poſtremum reputet, quo eius circulus ſit complendus. Quippe & hac ratione illius ſuauitatem craſtini ſpe non differet; &, ſi ad craſtinum venerit, is efficietur tantò gratior quantò inexſpectatior occurret, ac veluti cumulo ſuperadditus, próque fœnore habitus, mero veluti deputabitur lucro. Hùc certè ſpectant illa Horatiana:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum;
Grata ſuperueniet, quæ non ſperabitur hora.

Et,

——Carpe diem, quàm minimùm credula poſtero.

Et, In pag. 85.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere, &
Quem ſors dierum cumque ferat, lucro Appone.

Illud autem in eandem ſententiam,

Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam,
Gratâ ſume manu, nec dulcia differ in annum.

cohæret cum eo, quod alius:

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit.

Videlicet, quaſi in dies ad vitæ fæcem accedatur, & quæ puriores, ſinceriorêſque delectationes differuntur, recuperabiles deinceps non ſint; & quæ conſequuntur, non valeant eum præcedentibus comparari. Hinc ſunt frequentes illæ querelæ de horis malè collocatis:

O, mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!

Neque intereà aduertimus, enitimúrque id, quod eſt temporis præſentis, ſic tranſigere, vt, ſi id, quod adhuc futurum præſtolamur, acceſſerit, dicere poſſimus, non videre nos, ſi præteritum Deus referat, quî poſſimus illud tranſigere meliùs. Non aduertimus, inquam, aut duplici certè deinceps laboramus vitio; Vno, quòd nunquam ſufficit quodcumque nobis temporis ad benè viuendum ſuppetiit:

Sed dũ abeſt, quod auemus, id exſuperare videtur
Cætera: poſt aliud, cùm contigit illud, auemus:
Et ſitis æqua tenet vitaï ſemper hianteis;
Poſteráq; in dubio'ſt, fortunam quam vehat ætas,
Quidve ferat nobis caſus, quidve exitus inſtet;

Vt à Lucretio obiicitur. Altero, quòd pro nihilo quicquid tranſactum eſt, ducimus; quaſi priuſquàm tranſigeretur, nihili fuerimus habituri poſſe illud tranſigere; aut quaſi poſtquàm tranſactum eſt, id gratè habendum non ſit, ac ſimul lætandum, quòd ſit collocatum veluti in tuto; maximè verò cùm videamus eſſe, qui fortunam parem expetant, & plerumque tamen ab eo exeidant, quod nos ſumus iam conſequuti. Appoſitè proinde ſuccurrit, quod de Epicuro habet Seneca, dum: *Hoc loco*, inquit, *reddendum eſt Epicuro* Lib. 3. de Ben. c. 4. *teſtimonium, qui aſſiduè queritur, quòd aduerſus præterita ſimus ingrati; quòd quæcumque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter voluptates numeremus; cùm certior nulla ſit voluptas, quàm quæ iam eripi non poteſt. Præſentia bona nondum tota in ſolido ſunt; poteſt illa caſus aliquis incidere: futura pendent, & incerta ſunt: quod præteriit, inter tuta ſepoſitum eſt.* Facit huc, 2. Adu. Colot. quod Plutarchus habet, cùm dicere Epicurum ait: τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν ἐξ αὐτῆς τῆς φυγῆς τοῦ κακοῦ, καὶ τῆς μνήμης, καὶ ἐπιλογίσεως καὶ χάριτος, ὅτι τοῦτο συμβέβηκεν αὐτῷ. *Boni naturam ex ipſa mali deuitatione exſiſtere; ac ſimul ex recordatione, reputatione, gratulatione, quod res ita euenerit.* Verùm de iſtis plura inferiùs.

Inter

In pag. 85.

Inter Cupiditates diſcrimen ſtatuendum.

℣. 6. Ἀνελογιστέον δ', ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν. Poſtremum hoc eſt ex præcipuis Meditationis Capitibus, quæ Epicurus dicendis mox de beatæ vitæ fine præmittit. Lego autem, ὡς αἱ πρὸς, pro αἱ δὲ πρὸς, quandoquidem ἡ ἀοχλησία, τῆς εὐδαιμονίας pars eſt, non membrum ab ipſa diſtinctum; vt propterea debeat ad exemplum potiùs quàm ad diuiſionis integritatem ſpectare. Quod addo verò ad interpretationem, eò facit, ne illud membrum, πρὸς τὸ ζῆν, eſſe videatur incongruum, quando etiam cupiditates, quæ ad ipſum attinent, ad indolentiam, ſiue ad id, quod dolet, eximendum tendunt. Cæterùm licet complura ſint circa Ratas ſententias de cupiditatibus dicenda, adnotare tamen heic præſtat Ciceronem ita improbare diuiſionem cupiditatum, quatenus illeic traditur, vt quem diuiſionis modum fuiſſe tradendum ſubiicit, ille ipſe ſit, qui hoc loco habetur. Ecce enim:

2. De fin. *Quomodo*, inquit, *Philoſophus loquitur? Tria genera Cupiditatum; Naturaleis, & neceſſarias: naturaleis, non neceſſarias; nec naturaleis, nec neceſſarias. Primùm, diuiſit ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria; hoc eſt non diuidere, ſed frangere rem.* Sequitur: *Qui ſi diceret, Cupiditatum eſſe duo genera, naturaleis, & inaneis: Naturalium quoque item duo, neceſſarias, & non neceſſarias, confecta res eſſet.* Atqui Epicurus heic loci iſto planè modo diuiſit: & in Ratis ſententiis, nihil aliud, quàm argutiem, quæ plerumque eſt importuna, ſubdiuidendi, declinauit; cùm alioquin ſubdiuidendo, tria eadem genera habeantur. Quod ſupereſt, tanti Epicurus facit Cupiditatum diſcrimen noſſe, & ſuos cuique fineis, ſicut par eſt, præſcribere, vt & proptereà Phyſiologiam eſſe neceſſariam contendat, ad diſcernendum videlicet, quænam reuerâ naturales, neceſſariæque dicendæ ſint, quænam inanes, ac ſupernacaneæ; & poſſe putet tùm ſolùm vitam feliciter tranſigi, cùm ſolis naturalibus, neceſſariiſque retentis, inaneis, & ſuperuacaneas procul amandauerimus. Quoniam verò, vt innui mox, plura hac de re ſunt dicenda circa Ratas ſententias, & deinceps quoque plura interiicienda; ideò nihil neceſſe eſt hoc loco ſuper-addere.

VITAM BEATAM IN VOLVPTATE, hoc eſt, Tranquillitate mentis, & Indolentia corporis, ſitam eſſe.

℣. 14. ΤΟΥΤΩΝ γὰρ ἀπλανὴς θεωρία. Deducit heic iam Epicurus; quemadmodum ad Beatam Vitam rerum ſuperiorum meditatio tendat: Declarat autem primùm Finem beatæ vitæ eſſe Tranquillitatem mentis, & Indolentiam corporis, ac ſubinde, quia huic vtrique Voluptatis nomen attribuit, declarat quemadmodum finis beatæ vitæ Voluptas ſit. Quo tamen loco notandum eſt, τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν, *finem beatæ vitæ*, ſeu vt habet Empiricus, τέλος εὐδαιμονίας, *finem beatitudinis*, dici periphraſticῶs pro *beata vita*. Neque enim aut Tranquillitas mentis, & Indolentia corporis, aut ipſa voluptas, eſt finis, ob quem beata vita expetenda ſit: cùm ipſa quoque ſit vltimus finis; ac cætera bona ob ipſam; ipſa ſui ſolùm cauſâ expetatur. Nempe eadem Periphraſi vtitur hoc loco Epicurus, qua vſum Homerum obſeruat Euſtathius, cùm dixit τέλος γάμοιο *finem nuptiarum*, pro Nuptiis, & τέλος θανάτου *finem mortis* pro *morte*. Quo modo ſunt etiam aliæ ſimiles, ἲς Ὀδυσσῆος *vis Vlyſſis*, pro *Vlyſſe*; βίη Ἡρακληείη, *robur Herculis*, pro *Hercule*, μένος Αἰακίδαο, *Impetus Æacidæ*, pro *Æacida*, ſeu Achille, &c. Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. Adu. Ethic.

Notandum etiam, quòd ℣. 24. lego πρὸς τι ὡς ἐνδέον βαδίζειν, pro βαδίζειν, ὡς πρὸς ἐνδέον τι, ideo fieri, quòd niſi voces ita tranſponantur, vel certè eo modo, vt vox ἐνδέον (aut, ſi mavis, ἐνδεὲς) intelligi de animali, potiuſquàm de eo, ad quod animal ſe conferat, poſſit; præpoſterum planè fieri ſenſum conſtet. Addo autem ad interpretationem, *beatitudinis capax* animal, vt vox pertinere intelligatur ad hominem, cùm ſolus homo eatenus dicatur propriè eſſe beatus, quatenus ipſe ſolus eſt, qui ſe putare beatum poteſt. Quippe & Seneca, vbi Epicureum illud retulit: *Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius Mundi dominus ſit, tamen miſer eſt*; ſubiicit illud Comici: Epiſt. 9.

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.

Notandum rursùs, quod ℣. 29. Addo has voces, ὅταν δὲ μὴ ἀλγῶμεν, idcirco eſſe, quòd perſpicuè deficiant. Et poterat quidem lacuna ſuppleri ex Stobæo, apud quem verba hæc leguntur, ὅταν δὲ τοῦτο μὴ πάσχωμεν, ἐν αἰσθήσει καθεστῶτες: *Quando verò in actu ſentiendi conſtituti id non patimur*, hoc eſt, *non dolemus*: verùm, quia vtcumque antecedentes voces parùm ab illis diſcrepent, quæ leguntur apud Laërtium, ſequentes tamen τότε ἐνδεία χρείας τῆς ἡδονῆς, idem licet ſignificantes, diſcrepant ab illis, οὐκέτι τῆς ἡδονῆς δεόμεθα, quas retinere præſtitit: idcircò, ob factam in his mutationem, viſum eſt potuiſſe in illis quoque fieri; cùm procliuius alioquin fuerit, ſententiam eo modo, quo eſt reſtituta, conſcribere. Res tamen videri indifferens poteſt. Illud potiùs eſt obſeruandum; ſeu Stobæus aliunde corrogauerit, ſeu ex hoc loco, quod iam deficiat (tametſi non ſatis appareat) deſcribere perrexerit, exſtare apud ipſum continenter hæc verba: οὐ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τὴν ἀδικίαν ποιεῖ ἔξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας. *Neque enim voluptas, quæ ſecundum naturam eſt, cauſa eſt, vt alij patiuntur iniuriam; ſed cupiditas, quæ ex vanis opinionibus effrenis creatur.* Cuius quidem ſententiæ is Serm. 17.

(*Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.*) videtur ſenſus ; Cùm natura , exempli gratiâ , fruges , & aquam fecerit res paratu facillimas , non eam voluptatem , quæ ex ipſis , famem , ſitimque expectando , maxima percipitur , cauſam eſſe latrociniorum , cæterarumque iniuriarum , quas vulgò patrant homines ; ſed inanem cupiditatem veſcendi lautiùs , opulentiúſque , atque idcircò diteſcendi , vt ſit , quod in ſumptus ſufficiat. Quod idem dicendum de iis , qui ſimplici veſte , ſimplici domo , ſimplici coniugio , ſimilibuſque , præ ambitione , libidine , aliiſque paſſionibus non contenti , plura appetunt , quàm quibus Natura , indigeat. Quod ſupereſt , illud , τότε ἡδονῆς χρείαν ἔχομεν , &c. ſupponit poſſe duplex genus voluptatum appeti ; vnum earum , quæ percipiuntur , tùm , cùm dolor ob indigentiam creatus detrahitur , vt dum famelici comedimus , aut ſitibundi bibimus ; alterum earum , quæ requiruntur , vbi dolor detractus eſt , vti dum poſt famem , ſitimque exemptam , proſequimur cibi , potúſque cupedias : adeò proinde , vt ſenſus ſit : Eſſe quidem nobis voluptates priores neceſſarias , poſteriores verò nequaquam.

Enimverò , quia heic eſt locus dicendi fuſius de voluptate , propter ſententiam celebrem , ex qua factum , vt Epicurus tantâ infamiâ obrutus ſit ; eapropter videtur nonnihil hoc in argumento hærendum , ac diſpiciendum , ille-ne iure , an iniuriâ fuerit infamatus. Ac primùm quidem mirum eſt , potuiſſe ipſum τῆς ἡδονῆς *Voluptatis* nomen , quaſi ipſius ſententiæ frontem , facere locum fabulæ , vt à Seneca obſeruatur : cùm hoc nomine comprehendantur non modò quæ obſcœnæ ſunt , verùm quæ honeſtæ etiam voluptates. Certè enim Plato , Ariſtoteles , aliique ſic ſolent τὰς ἡδονάς , *Voluptates* diſtinguere , vt alias puras , alias impuras ; alias animi , alias corporis ; alias veras , alias (In Philebo.) falſas , &c. dicant : Et cùm Socrates apud Platonem exigat ad felicitatem , ſiue rationem τἀγαθοῦ , *Summi Boni* , non Sapientiam ſolam , non Voluptatem ſolam , ſed *cum Vo-* (Ser. 101.) *luptate Sapientiam* ; tùm rogatus apud Stobæum , τί εὐδαιμονία , *quidnam eſſet felicitas* , ἡδονὴ ἀμεταμέλητος , *Voluptas ſine pœnitentia* , (10. Ethi. 7.) inquit : Ariſtoteles verò in eandem ſententiam : οἰόμεθά τε δεῖν , inquit , ἡδονὴν παραμεμίχθαι τῇ εὐδαιμονίᾳ , ἡδίστη δὲ τῶν κατ' ἀρετὴν ἐνεργειῶν , ἡ περὶ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστί. δοκεῖ γοῦν ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαρειότητι καὶ τῷ βεβαίῳ. *Oportere exiſtimamus eſſe Voluptatem cum Felicitate commiſtam ; & cùm in confeſſo ſit , ex operationibus , quæ ſecundum virtutem ſunt , illam , quæ ex ſapientia eſt , eſſe longè ſuauiſſimam , idcirco videtur ſapientia admirabiles tùm ſinceritate , tùm ſtabilitate voluptates continere.* Sic ipſa quoque Latina vox haud abſimiliter pro honeſto ſpectantéque ad animum genere vſurpari ſolet. Nam Cicero , exempli gratiâ : (In pag. 85.) *Indagatio ipſa rerum tùm maximarum , tùm etiam* (4. Acad.) *occultiſſimarum habet oblectationem ; ſi verò aliquid occurrit , quod veriſimile videatur , humaniſſima completur animus voluptate.* Et rursùs : *Ineſt in eadem explicatione naturæ inſatiabilis quædam è cognoſcendis rebus voluptas.* Ac iterùm : (4. De fin.) *Quid verò ? qui ingenuis ſtudiis , atque artibus* (5. De fin.) *delectantur , nonne videmus eos nec valetudinis , nec rei familiaris habere rationem ; omniaque perpeti ipſa cognitione , & ſcientia captos ; & cum maximis curis , & laboribus compenſare eam , quam ex diſcendo capiant voluptatem ?* Quin-etiam in literis Sacris , tametſi οἱ φιλήδονοι , *Amatores voluptatis* , & φιλόθεοι , *amato-* (2. Ad Timoth. 3.) *res Dei* aliquando opponantur ; ac inter illos , (Luc. 8.) qui diuinum verbum annunciatum ſuffocant , memorentur Sectatores vt curarum , diuitiarúmque , ſic ἡδονῶν τοῦ βίου , *Voluptatum vitæ* : aliunde tamen legitur Deus plantaſſe ab initio [gan ʿeden, in Hebrew] *Paradiſum voluptatis* ; & Regius Pſal- (Geneſ. 2.) tes alloquens Deum , à quo beandi ſint homines : *Inebriabuntur* , inquit , *ab vbertate domus tuæ* , וְנַחַל עֲדָנֶיךָ תַשְׁקֵם׃ , *& de torrente vo-* (Pſal. 36. Hebr.) *luptatis tuæ potabis eos* (ſed nempè alio ebrietatis , & voluptatis genere , quàm intelligere potuit Orpheus , cùm , Plutarcho referen- (In Compar. Cim. & Luc.) te , pollicitus eſt iis , qui benè vixerint , ebrietatem perpetuam.) Vbi notandum vocem עֵדֶן *Heden* , itemque ex eadem radice [ʿedna, in Hebrew] *Hedna* , qua vtraque ſignificatur *Voluptas* , apparere eiuſmodi , ex qua eſſe potuerit Græca vox ἡδονή , *Hedone* , deſumpta : vtcumque Septuaginta hanc vocem non reddiderint voce ἡδονῆς , ſed τρυφῆς potiùs , qua voce tamen familiarius eſt *luxum* , *mollitiem* , *delitias* , aut quid ſimile , quod Literæ Sacræ non perinde probent , intelligi. Quæ commemoro ſolùm propter illos , qui exiſtimant non poſſe , aut debere Voluptatis nomen , niſi in malam accipi partem , ex quo effectum eſt , vt Voluptates corporeæ illud *quaſi iure hæreditario vſurparint* (quod eſt ab Ariſtotele obſeruatum) (7. Ethic. 14.) quique proinde Voluptati vniuersè accommodant quædam huiuſmodi loca : *Diuinus Plato eſcam malorum Voluptatem appellat , quod eâ videlicet homines capiantur , vt hamo Piſces.* Et , *Architas Tarentinus nullam capitaliorem peſtem , quàm corporis voluptatem homini dicebat à Natura datam.* Et , *Cùm homini ſiue Natura , ſiue quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet ; huic diuino muneri , ac dono nihil eſſe tam inimicum , quàm voluptatem* ; quæ , & plura vel apud (In Cat. Maj.) vnum Ciceronem leguntur. Vnde & iidem arbitrantur , cùm Epicurus finem eſſe Voluptatem ait , non poſſe , aut debere illum , niſi de corporea , obſcœna , damnatáque intelligi ; & cùm audiant fuiſſe Philoſophos ἡδονικούς , (Ammon. præfat. in Categ.) *Voluptarios* appellitatos , ipſum quaſi illorum Coryphæum , & Principem habent.

Sed de re ipſa vt dicamus , exordiamúrque ab inſtituta in Epicurum accuſatione ; Age , quoniam ex illis quoque , qui Voluptates

alias ,

In pag. 85. alias, quàm corporis dici admittunt, tam multi velint Epicurum niſi de corporeis non intelligi, age, inquam, paucos quoſdam ſeligamus. Et ne Stoïcos heic quidquam moremur, tanquam ex condicto Epicuro infeſtus, delecti ſunto Cicero, & Athenæus potiſſimùm, propter locum illum ex Libro de Fine, quem ex iſto retulimus ſub Animadverſionum initium; & ex illo ſumus, in ipſo contextu Laërtiano interpretati. En ergo primùm, vt Cicero interpretaturus locum,

3. Tuſc. inuehatur: *Quid tergiuerſamur*, inquit, *Epicure, nec fatemur eam nos dicere Voluptatem, quam tu idem, cùm os perfricuiſti, ſoles dicere? Sunt hæc tua verba, néc-ne? In eo quidem libro, qui continet omnem diſciplinam tuam (fungar enim iam Interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc: Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur; detrahens eas etiam, quæ auditu, & cantibus; detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaues motiones; ſiue quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è ſenſu. Nec verò ita dici poteſt, mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis: lætantem enim mentem ita noui, ſpe eorum omnium, quæ ſuprà dixi, fore vt natura iis potiens, dolore careat. Atque hæc quidem his verbis quivis vt intelligat; quam voluptatem nôrit Epicurus.* Pergit Cicero: *Deinde paulò infrà: Quæſiui*, inquit, *ex iis, qui appellantur Sapientes, quid haberent, quod in bonis relinquerent, ſi illa detraxiſſent, niſi vellent voces inaneis fundere. Nihil ab his potui cognoſcere; qui ſi virtutes ebullire volent, & ſapientias, nihil aliud dicent, niſi eam vim, qua efficiantur eæ voluptates, quas ſuprà dixi. Quæ ſequuntur in eadem ſententia ſunt; totuſque liber, qui eſt de Summo Bono, refertus & ſententiis, & verbis talibus eſt.* Pergit adhuc: *Ad hanc-cine igitur vitam Telamonem illum reuocabis, vt leues ægritudinem? &, ſi quem tuorum afflictum mærore videris, huic acipenſerem potiùs, quàm aliquem Socraticum libellum dabis? Hydraulam hortabere vt audiat voces potiùs, quàm Platonis? Expones, quæ ſpectet florida, & varia? faſciculum ad nareis admouebis; incendes odores? ſericis redimiri iubebis, & roſa? Si verò aliquid etiam, tùm planè luctum omnem abſterſeris? Hæc Epicuro confitenda ſunt; aut ea, quæ modò expreſſa ad verbum dixi, tollenda de libro; vel totus ille liber potiùs abiiciendus; eſt enim confertus voluptatibus.* Et aliquantò pòſt: *Quamvis voluptates ſpernat eas, quas modò laudauit; ego tamen meminero, quod videatur ei ſummum bonum. Non enim verbo ſolùm poſuit voluptatem, ſed explanauit, quid diceret. Saporem*, inquit, *& corporum complexum, & ludos, atque cantus, & formas eas quibus oculi iucundè moueantur. Num fingo? Num mentior? cupio refelli: Quid enim laboro, niſi vt veritas in omni quæſtione explicetur?*

2. De fin. Eodem autem ſpectat & illud, quod aliàs idem Cicero: *Has ſuaueis, & quaſi dulceis voluptates interdum ita extenuat*, nempè Epicurus, *vt M. Curium putes loqui: interdum ita laudat, vt quid prætereà ſit bonum, neget ſe poſſe ne ſuſpicari quidem. Quæ iam oratio non à Philoſopho aliquo, ſed à Cenſore opprimenda eſt. Non eſt enim vitium in oratione ſolùm; ſed etiam in moribus.* Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. Spectat illud quoque; *Siue Zenonem ſequare, magnum eſt efficere, vt quis intelligat, quod ſit illud verum, & ſimplex bonum, quod non poſſit ab honeſtate ſeiungi. Quod bonum quale ſit, negat omnino Epicurus, ſine voluptatibus ſenſum mouentibus nec ſuſpicari.* 1. Acad. Spectat rursùs illud, quod Cotta ad Velleium, vbi de bonorum ſuppeditatione, ex quibus Deorum beata vita ſit: *Quorum tandem*, inquit, *bonorum? Voluptatum Credo: nempe ad corpus pertinentium; nullam enim nouiſtis, niſi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum, quos non pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille teſtatur ſe ne intelligere quidem vllum bonum, quod ſit ſeiunctum à delicatis, & obſcænis voluptatibus, quas quidem non erubeſceas, perſequitur omneis nominatim.* 1. De Nat. Deor. Et mox: *Quouſque ludis? Nam Philo etiam noſter ferre non poterat aſpernari Epicureos molleis, & delicatas voluptates. Summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri ſententias, iis ipſis verbis, quibus erant ſcriptæ. Metrodori verò, qui eſt Epicuri collega Sapientia, multa impudentiora recitabat. Accuſat enim Timocratem fratrem ſuum Metrodorus, quòd dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri: neque id ſemel dicit, ſed ſæpiùs. Annuere te video; nota enim tibi ſunt: Proferrem libros, ſi negares.* Verùm, ne plura ex Cicerone, & quæ Librum illum de Fine præſertim attineant, conſecter: Addo ſolùm, cùm Cicero ſic L. Piſonem pluribus in locis deſcribat, vt *nihil libidinoſius, nihil impurius, nihil intemperantius, nihil denique ſceleſtius cogitari poſſet*; tùm Epicuri Sectatores, diſciplinamque ſubnotat, qua ille imbutus hos induerit mores: *Habet*, inquit, *Magiſtros, non ex iſtis ineptis, qui dies totos de officio, ac de virtute diſſerant; qui ad laborem, ad induſtriam, ad pericula pro patria ſubeunda cohortantur; ſed eos, qui diſputant horam nullam vacuam voluptate eſſe debere: in omni parte corporis ſemper oportere aliquod gaudium delectationémque verſari. His vtitur quaſi præfectis libidinum ſuarum: hi voluptates omneis veſtigant, atque odorantur. Hi ſunt conditores, inſtructoreſque conuiuii, iidemque expendunt, atque æſtimant voluptatibus; ſententiamque dicunt, & iudicant, quantum cuique libidini tribuendum eſſe videatur. Horum ille artibus eruditus, &c.* Orat. poſt red. in Sen. Et alibi: *Laudabat homo doctus* (videlicet Piſo) *Philoſophos neſcio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere, ſed eos tamen laudabat maximè, qui dicuntur præter cæteros, eſſe authores, & laudatores voluptatis.* Orat. pro Sext. Ac ſtatim: *Eoſdemque præclarè dicere aiebat Sapientem omnia ſui causâ facere, &c.* Et rursùs loco alio, Philoſophos iſtos apertiùs Epicureos eſſe declarans, atque nominans, citat Græcum illum, cuius facta mentio in Apologia eſt: quemque ex Aſconio Pediano manifeſtum eſt Philodemum fuiſſe. Orat. in Piſ.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. Lib. 12. Deinde, vt ex ipſo quoque Athenæo quidpiam adiiciam; is locum memoratum citat, poſtquàm docuit, & Epicurum eam voluptatem, quæ eſt in motu, perinde amplexari, atque Ariſtippum; & illius eſſe has voces, κατηγισμοὺς, ἐπιθρόμματα, γαργαλισμοὺς, νύγματα, *impetus, inſultus, titillationes, ſtimulationes*, ac ſubiicit poſteà eſſe eius hoc quoque; Ἀρχὴ, καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ, ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονὴ, καὶ τὰ σοφὰ καὶ περιττὰ ἐπὶ ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. *Omnis boni principium, radixque eſt voluptas ventris; & quæ eximia ſunt ſapientiæ præcepta, ad hanc referuntur.* Subiicit & alia, ac ſimul adnectit, quod alibi retulimus de exactis Epicureis ab Vrbe Roma, & aliis δι' ἃς εἰσηγοῦντο ἡδονὰς, *ob eas voluptates, quarum erant ſuaſores.* Docet quin-etiam Athenæus, cùm Vlyſſes ſtatuerit τρυφὴν, καὶ λαγνείαν τέλος τοῦ βίου: *Vitæ finem eſſe delicias, & laſciuiam*; fuiſſe illum Epicuro ducem τῆς πολυθρυλήτου ἡδονῆς, *decantatiſſimæ voluptatis*; idque ſubiectis verſibus, qui perinde incipiunt, ac ille Epicuri locus:

Odyſſ. 1.
οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη, &c.
Haud mihi enim finis reputatur gratior vllus,
Quàm dum lætitia eſt, &c.

Ad-hæc; poſtquàm id recitauit ex Damoxeno, quod alibi retulimus de Coquo, qui ab Epicuro edoctus ſuam artem fuerit:

Lib 3.
——Ἐπικούρου δέ με
ὁρᾷς μαθητὴν ὄντα τοῦ σοφοῦ.——
——Sapientis Epicuri vides,
Diſcipulus, vt fuerim.——

Recitat ſubinde ex Platone Comico, inſtitutam à quodam Patre aduerſus Pædagogum querelam, quòd aſſuetudine compotandi adoleſcentem perdiderit; ac Pædagogi excuſationem, cuius illud eſt, inter cætera:

ὁ γοῦν Ἐπίκουρος φησὶν εἶναι τἀγαθὸν
Τὴν ἡδονὴν δήπουθεν· οὐκ ἔστιν δ' ἔχειν
Ταύτην ἑτέρωθεν, ἐκ δὲ τοῦ ζῆν δ' εὖ καλῶς.
Epicurus ergo eſſe autumat ſummum bonum
Ipſam voluptatem: aſt habere illam haud licet
Aliunde, quàm ſi ſplendidè quis vixerit.

Prætereo autem, vt aliàs iſtud idem repetens, illud ex Hegeſippo ſubiungat:

Lib.7.
Ἐπίκουρος ὁ σοφὸς ἀξιώσαντός τινος,
Εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν, ὅ, τι ποτ' ἐστὶ τἀγαθὸν,
Ὃ διὰ τέλους ζητοῦσιν, εἶπεν ἡδονήν.
Εὖ γ' ὦ κράτιστ' ἄνθρωπε, καὶ σοφώτατε,
Τοῦ γὰρ μασᾶσθαι κρεῖττον οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἓν,
Ἀγαθὸν πρόσεστιν, ἡδονὴ γὰρ τἀγαθόν.
Sapiens rogatus ab aliquo Epicurus, ſibi
Vt explicaret, quod foret ſummum bonum,
Quod petitur, vt Finis: Voluptatem eſſe ait.
Euge, ô homo ſapientiſſime, idémque optime;
Nil igitur eſt, quàm mandere, melius; neque eſt
Bonum inſuper, ſummum eſt voluptas ſi bonum.

2 Aduer. Col. Ad cæteros, quod attinet, tacendus ſpeciatim Plutarchus non eſt, obiiciens paſſim Epicurum, illiuſque Sectatores aſſerere περὶ γαστέρα τἀγαθὸν εἶναι, καὶ τοὺς ἄλλους πόρους τῆς σαρκὸς ἅπαντας, δι' ὧν ἡδονὴ, καὶ μὴ ἀλγηδὼν ἐπεισέρχεται, καὶ πάντα καλὰ, καὶ σοφὰ ἐξευρήματα τῆς περὶ γαστέρα ἡδονῆς γεγονέναι, καὶ τῆς ὑπὲρ ταύτης ἐλπίδος ἀγαθῆς. *Eſſe ſummum bonum circa ventrem, omneiſque alios carnis meatus, per quos ſe voluptas, non dolor inſinuat; ac omnia præclara, ſapienterque inuenta ad voluptatem, quæ circa ventrem, bonámque de ea non deſituræ ſpem, pertinere.* Quæ ex Metrodoro quidem nominatim repetit; vt & illud, quod ex eodem alibi quoque retulimus: Οὐδὲν δεῖ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, οὐδ' ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνων παρ' αὐτῶν τυγχάνειν, ἀλλ' ἐσθίειν, καὶ πίνειν οἶνον, Τιμόκρατες, ἀβλαβῶς τῇ γαστρὶ, καὶ κεχαρισμένως. *Nihil attinet, ô Timocrates, Græcos ſeruare, & ſapientiæ ergò coronas ab iis reportare; ſed comedere, ac potare vinum, quantum & non noceat, & gratum ſit ventri.* Et, ὡς καὶ ἐχάρην, καὶ ἐθρασυνάμην, ὅτι ἔμαθον παρὰ Ἐπικούρου ὀρθῶς γαστρὶ χαρίζεσθαι. *Quàm gaudens, fidénſque eraſi, quòd ventri ritè gratificari ab Epicuro didici.* Et, Καὶ περὶ γαστέρα γὰρ, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, τὸ ἀγαθόν. *O naturæ indagator Timocrates, circa ventrem eſt ipſum bonum.* Memorat & alia Plutarchus, ſpeciatim verò τὴν ὑμνουμένην σαρκὸς εὐστάθειαν, *decantatum illum carnis*, corporiſve *bonum, conſtantémque habitum*, quem & aliis verbis dicit, κατάστημα εὐσταθὲς σαρκὸς, *firmam corporis benè affecti conſtitutionem.* Ipſa hæc porrò eadem ſunt verba, quibus Agellius ſcribit definiri ab Epicuro eam voluptatem, quam ſummum bonum ponit, ac cætera inter, iſta Hieroclis verba ſubiicit: Ἡδονὴ τέλος πόρνης δόγμα· ἀπέστω πορνεία, οὐδὲν πόρνης δόγμα: *Voluptas finis, dogma eſt meretricis. Tolle Venerem, nullum ampliùs meretricis decretum erit.* B. verò Clemens, cùm dicat putare Epicurum πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς ἐπὶ προπεπονθυίᾳ τῇ σαρκὶ γίνεσθαι. *Omnem lætitiam animi ex carne primò affecta gigni*; Metrodorum fuiſſe ſcribit, qui in libro illo: *Quòd maior cauſa felicitatis penes nos, quàm in rebus ſit*, verba illa extulerit: ſic nimirum rogans: Ἀγαθὸν ψυχῆς, τί ἄλλο, ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα; *Bonum animæ, quodnam aliud eſt, quàm ſtabilis corporis benè affecti habitus, & ſpes non infida, quòd perſeueraturus ſit?* (Cicero ſic reddit, vt dicat *Metrodorum eum perfectè beatum putare, cui corpus benè conſtitutum ſit, & exploratum ita ſemper fore.*) Illud interim, quod legis *de carne, corporéve primùm affecto*, à Plutarcho etiam attingitur; cùm, *Iſti*, inquit, *initio facto à corpore, in quo primùm ortus voluptatis conſpicitur; inde tranſitum ad animam faciunt, inque ipſa negotium abſoluunt.* Statim autem pòſt: *Cùm verò audias*, inquit, *ipſos conteſtari, ac vociferari*, ὡς ἐπ' οὐδενὶ ψυχὴ τῶν ὄντων πέφυκε χαίρειν, καὶ γαληνίζειν, πλὴν ἐπὶ σώματος ἡδοναῖς παρούσαις, ἢ προσδοκωμέναις, καὶ τοῦτο αὐτῆς τὸ ἀγαθὸν ἐστιν. *Sic eſſe animam comparatam, vt nulla re gaudeat, tranquillitatémque obtineat, præter corporis voluptates, aut præſenteis, aut expectatas; hocque ipſum eſſe proprium eius bonum, nonne eſt, quod putes ipſis animam quaſi corporis colum eſſe; dum Voluptatem quaſi vinum ex vitiato,*

Right margin notes: In pag. 85. — In præc. ſan. — 2. Aduer. Col. — Lib. 9. cap. 5. — 2. Aduer. Col.

tiato,

In pag. 85. *tiato, & perfluente vaſe per ipſam transfundunt,*
& longæuam faciunt, reputantes eam hac ratio-
ne venerabiliorem, honoréque digniorem fore.
1. Adu. Col. Quòd verò Plutarchus præterea Epicureis
exprobrat, μήτε συῶν ἀπολείπεσθαι, μήτε προβάτων
εὐδαιμονίαν, τὸ τῇ σαρκὶ, καὶ τῇ ψυχῇ περὶ τῆς σαρκὸς
ἱκανῶς ἔχειν μακαρίαν τιθεμένους. *Non cedere eos por-*
cis, ouibuſque felicitatem; dum nimirum ſtatuunt
ad felicitatem id ſufficere, vt & carni, & anima
Ibid. *circa carnem occupata benè ſit.* Ac rurſùs: Ἐοίκασι
δὲ συῶν, καὶ τράγων κνησμοῖς ἐοικέ, &c. *Hac verò*
ſuum, hircorúmque pruritibus ſunt perſimilia Hoc
Loc. cit. ipſum eſt, quod videtur quoque B. Clemens
imitatus, cùm Epicurus apud ipſum ſic de
felicitate ſtatuiſſe coarguitur, ὥσπερ ὑῶν σκατο-
φάγων, καὶ οὐχὶ τῶν λογικῶν, καὶ φιλοσόφων τὴν μακα-
ρίαν νίκην δογματίζων, *quaſi porcorum ſtercorivoro-*
rum, non quaſi ratione vtentium, philoſophan-
tiúmque animalium beatam victoriam decernen-
do. Prætereo heic autem illam σαρκὸς εὐστάθειαν,
bonam carnis conſtitutionem, ſic videri fuiſſe à
Serm. 51. in Cant. D. Bernardo acceptam, vt ſententiam diui-
ſerit. *Nam Epicurus*, inquit, *atque Hippocrates,*
corporis alter voluptatem, alter bonam habitudi-
nem præfert; ſcilicet pro indubio habens ſta-
tuere Epicurum pro ſummo bono voluptatem
corporis; & Medicorum Principes Hippo-
cratem, atque Galenum (nam huius quoque
meminit) id, quod fuit finis, ſummúmque in
ipſorum arte.

Nunquam finis eſſet, ſi forent cæteri tam
ſacri, quàm prophani Authores, qui Epicu-
ro tribuunt eandem ſententiam, accenſendi.
Quare vniuersè ſufficiat, alios eſſe, qui ma-
nifeſtè voluptatem corpoream Epicuro ad-
ſcribant; alios, qui generatim voluptatem ad-
ſcribentes, non aliam, quam corpoream vi-
deantur intelligere; alios, qui variis loquen-
di formis eandem non obſcurè inſinuent.
Nempè, vt hac ratione paucos attingamus;
Ex Primis quidem nihil eſt neceſſe memorare,
quid velit Petronius Epigramma concludens
illo diſticho, quod ſub Animaduerſionum ini-
tium reſtitutum retulimus:

In Satyr. *Ipſe Pater verè doctis Epicurus in hortis*
Iuſſit, & hoc vitam dixit habere τέλος.

Quippe, cùm illud aliud præcedat;

Nā quis concubitus Veneris, quis gaudia neſcit, &c.

Nihil item, quod habet Plotinus, dum *du-*
plicem ſectam circa Finem diſtinguens, *alteram*
quæ in Voluptate corporis finem collocet; alteram,
quæ collocet potiùs in honeſtate, atque virtute;
En. 2. l. 9. cap 15. *refert Epicurum, cùm prouidentiam ſuſtuliſſet,*
quod reliquum fuit, voluptatem, & voluptariam
vitam proſequi iuſſiſſe. Nihil rurſùs, quod Hi-
merius, dum occaſione quoque negatæ ab
Ap. Pho. illo prouidentiæ, requirit: *Qui conueniat, com-*
miſceatúrque laboribus Voluptas; fortitudo deli-
ciis; Academia lupanaribus: Philoſophia compota-
tionibus; temperantium vita cum impudicis ado-
leſcentibus, &c. Satis ſunto, Origenes, dum
3. Con. Celſ. aduerſus Celſum Epicureum ſcribens: *Niſi*
fortè, inquit, *Celſus, cum ſuis Epicureis vanam*
negabit ſpem, quæ bonorum ſummam in perpetua Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.
corporis voluptate ponit? Et alibi: *Dum Epicurus*
ſummum bonum voluptatem prædicat; num talis
homo tibi videtur capite barbáque immundus?
Itemque Euſebius, cùm de Iudæis loquens: Hom. 8. in 11. & 13. c. Leuit. 13. præp l. 9. cap. 17.
Exiſtimabant, inquit, *finem non voluptate cor-*
porum, iuxta Epicurum obtineri. Et Lactantius;
cùm de Epicuri opinione circa animæ interi-
tum agens; *Verum ille*, inquit, *fortaſſe impuni-*
tatem vitiis ſuis ſpopondit; fuit enim turpiſſima
voluptatis aſſertor, cuius capienda cauſâ naſci ho-
minem putauit. Et B. Ambroſius, dum quærit, Lib 3. Epiſt. 25. lib. 2 de Abrah. c. 1. & 12.
quæ Schola Epicureos iſtos miſerit: *Qui volu-*
ptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam
nulli vſui eſſe dicant? queritúrque adeò *Epicuri*
Scholam dirumpi delectatione corporis; & Epicu-
reos eſſe voluptatem ſummum bonum aſſerenteis,
æſtimare magis illam inquinamento corporis, quàm
ſobrietate mentis. Et B. Hieronymus, dum *Epi-* In c. 13. Ezech.
cureos, & Pyrrhonios, vti & Iouinianum, ac Eu-
nomium, ex iis eſſe ſcribit, *qui voluptatum, li-*
bidiniſque doctores, *dicuntur* (apud Ezechie- In cap 9. Eccleſ.
lem) *conſuere puluillos, & ponere ſub omni cubi-*
to manus; quique dicunt, Manducemus, & biba-
mus; cras enim moriemur: ac præterea *Epicu-*
rum, Ariſtippum, Cyrenaicos, cæteros, pecudes
vocat Philoſophorum. Et D. Auguſtinus, dum Lib. de Epic. & Sto. c. 4.
Epicureos cum Stoïcis comparans: *Tota igi-*
tur, inquit, *quæſtio eſt, quid faciat beatam vi-*
tam. Quid dicitis Epicurei? Reſpondent; Voluptas
corporis: Quid dicitis Stoici? Reſpondent; Virtus
animi. Quod idem poſteà repetit, dolétque Cap. 7.
quoſdam e numero Chriſtianorum elegiſſe ſenten-
tiam Epicureorum, non hominum, ſed porcorum,
&c. Ac rurſùs Boëtius, dum Porphyrium Lib. 1. in Porphyr.
enucleans: *Vt in multis*, inquit, *euenit Epicu-*
ro, qui atomis Mundum conſtare putat, & hone-
ſtum, corporis voluptate metitur. Et Iſidorus Hiſ- Lib. 8. cap. 6.
palenſis, dum in Originibus: *Voluptatem cor-*
poris, inquit, *ſummam bonum aſſeruit Epicurus.*
Et D. Thomas, dum aduerſus Genteis diſpu- Lib. 3. cap 27.
tans: *Per hoc autem*, inquit, *excluditur error Epi-*
cureorum, in his voluptatibus (corporis) *finem*
hominis ponentium, ex quorum perſona dicit Sa-
lomon Eccleſiaſtes quinto: Hoc itaque viſum eſt
mihi bonum; vt comedat quis, & bibat, & frua-
tur lætitia ex labore ſuo: & hæc pars illius. Ex
Secundis verò eſſe poſſunt, tùm B. Grego- Orat. 14. 3. Adu. hæreſ.
rius Nazianzenus, apud quem ἀφιλόσοφος
ἡδονὴ *aliena à Philoſopho voluptas exagitanda* præ-
cipitur. Tùm S. Epiphanius, apud quem Epi-
curus φιλήδονον βίον μετῆλθε. *vitam voluptariam*
proſequutus eſt. Tùm Theodoretus apud quem Therap. Serm. 11.
Epicurus τὸ ἡδέως ζῆν ὁρίζει τέλος. *Finem eſſe*
definiit, iucundiſſime viuere; & τέλειον ἀγαθὸν
μόνην ἡγεῖτο τὴν ἡδονὴν, *perfectum*, hoc eſt ſum-
mum, *bonum voluptatem ſolam eſſe reputauit.*
Quo loco Nota obiter; cùm ſubditur *Demo-*
critum Placitorum Epicuri Patrem dicere ἀντὶ τῆς
ἡδονῆς τὴν ἐπιθυμίαν, legendum videri εὐθυ-
μίαν, vt ex antè dictis de felicitate intelligere
promptum eſt. Tùm D. Damaſcenus, apud De hæret.
quem Epicurei dicuntur *beatam vitam in vo-*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. *luptate conſtituiſſe* Tùm Euſtratius, apud quem facta mentione Calliclis Platonici, omnia eſſe agenda ob voluptatem aſſerentis, ſubdit *Epicurum ſtatuiſſe in voluptate ſummum bonum.* In 1. Eth. diſſer. 31. Ex Poſtremis autem, ne aliquid dicam de Maximo Tyrio, qui *Epicuri Philoſophiam cum Prætoria naui Regis Ætæ*, comparat; in qua nempe conſpicui erant inſtrati lectis thalami, cœnacula, & cætera ad genera omnia voluptatum comparata. Lib. 2. Neque item de Martiano Capella, qui Philologiæ nuptias referens: *Epicurus verò*, inquit, *miſtas violis roſas, & totas apportabat illecebras voluptatum*: Recenſeri poſſunt & Iſidorus Peluſiota, qui ad Martinianum ſcribens: Lib 2. Ep 460. *Epicurus*, inquit, *ὁ ποιμὴν τῆς ἀγέλης σου armenti tui paſtor.* Et Demetrius Cydonius Orat. de contemn. mort. (referunt alij ad Nemeſium) qui ſermonem de Epicuri commilitonibus inſtituens, homines notat ἐκλελυμένους, ἐκνενευρισμένους, βλακεύοντας, *&c. fatiſcenteis, enerueis, ſocordeis.* Et Epiſt 9. Sidonius Apollinaris, qui ſingulis Philoſophis characteres adhibens, vt Zenonem, exempli cauſa, deſcribit *fronte contractâ*, ſic Epicurum *cute diſtentâ* (quaſi nempe alludens ad Horatianum illud, *Pinguem, & nitidum benè curata cute*) ac in ipſos Epicureos (ſeu In Epithal. mavis, vt ille cauſatur, Epicuri de grege porcos) hoc, quod aliàs quoque retulimus, habet:

Aſt Epicureos eliminat vndique virtus.

Nvnc, cùm dicendum de germana Epicuri ſententia ſit, videtur vel ſolus contextus, quo de agitur, ſufficere poſſe. Scilicet quicquid de ipſa alij vel ſenſerint, vel ſcripſerint; Authorem habemus, qui diſertis verbis mentem ſuam exprimat; &, quam Voluptatem eſſe putet Finem, Summumve Bonum, apertè declaret: Profitetur quippe beatæ vitæ Finem, non alium eſſe, quàm τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν, καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν: *Sanitatem corporis, & Tranquillitatem mentis*: & cauſam ſubiiciens, cur hic Fipis ſit: τούτου γὰρ χάριν, inquit, ἅπαντα πράττομεν, ὅπως μήτε ἀλγῶμεν, μήτε ταρβῶμεν: *Etenim quicquid agimus, eò denique ſpectat, vt neque doleamus, neque perturbemur.* Et quia, quòd huiuſmodi Finem Voluptatis nomine donaſſet, arrepta eſt ab aliquibus anſa calumniandi ipſum, quòd Voluptatem corpoream, obſcœnamque intelligeret; ideò Apologiam paulò pòſt ipſemet inſtituit, & ſeſe ab hac labe purgans, manifeſtiùs adhuc, diſtinctione factâ, quam voluptatem intelligat, quam non intelligat, declarat. Nimirùm poſtquàm vitam ſobriam, & cibis ſimpliciſſimis, parabiliſſimiſque contentam mirum in modum commendauit; tùm ea ſubiicit, quæ ex textu præoccupare, hucque inſerere, non poteſt eſſe importunum: *Quando Voluptatem*, inquit, *Finem dicimus, non eas voluptates, quæ ſunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus ſpectantur in ipſa actione fruendi, quæ nimirùm ſenſus iucundè, dulcitérque afficitur, intelligimus: veluti quidam rem ignorantes, aut à nobis diſſentientes, aut alioquin aduerſum nos malè affecti interpretantur; ſed illud dumtaxat intelligimus*, μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν: *Non dolere corpore, ac Animo non perturbari. Siquidem non compotationes, comeſſationeſque perpetuæ; non ipſa cum pueris, mulieribuſque conſuetudo; non piſcium deliciæ, aut quæcumque alia menſæ lautioris ſupediæ iucundam vitam pariunt; ſed quæ cum ſobrietate, ſerenóque adeò animo eſt ratio, cauſas cur quidque eligendum, fugiendúmque ſit inueſtigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima menteis occupat perturbatio.* In pag. 85. Adderem alia, quæ aut antecedunt, quale eſt v. c. illud: *Non iri captum amore Sapientem*; Et, *Venereorum vſum nunquam prodeſſe, præclaréque agi, niſi etiam noceat*; aut ex iis, quæ conſequentur, promptum erit deduccere; Sed vel hæc vna conteſtantis confeſſoria veluti actio euadit omni criminatione, cauillationéque ſuperior. Adnotanda ſolùm diſtinctio, ac veluti Antitheſis, quam deinceps Laërtius inter Epicurum, Ariſtippúmque deducit. Quippe, cùm Epicurus non aliam voluptatem eſſe finem cenſuerit, quàm eam, quæ conſiſtit in ſtabilitate, & quaſi quiete Indolentiam putà, & Tranquillitatem; ac ipſe Ariſtippus fuerit, qui Finem eſſe dixerit voluptatem corpoream, & eam quidem, quæ eſt in motu, ſeu qua ſenſus actu mouetur, réque ipsâ afficitur; conſtat Epicuri ſententiam fuiſſe interpretatione ſiniſtra eandem habitam cum Ariſtippea; imò & quæcumque obiici, ac velut effundi in Ariſtippum probra debuerant, fuiſſe, eo penè ſoſpite, incolumique præteruecto, in Epicurum exonerata.

Suppar porrò ipſi contextui eſſe poteſt illa Torquati, quæ apud Ciceronem exſtat conteſtatio. Vtcumque enim Cicero, dum ipſam ex libris Epicuri contexuit, videatur quidpiam interſeruiſſe præter Epicuri ſententiam, quale eſt illud: *Non hanc ſolam ſequimur, &c.* (nempe reſpexiſſe poteſt Cicero ad locum illum Libri de Fine, quem exagitatum ab eo vidimus) committere tamen non potuit, quin ſaltem primas dederit illi Voluptati, cui ipſe Epicurus in contextu totas attribuit, niſi quod Tranquillitas mentis nun ſatis diſertè heic exprimitur, ſed amotione, priuationéque, & vacuitate doloris, ac moleſtiæ (quo nomine perturbationem comprehendere licet) eſt intelligenda. Itaque, inter cætera 1. De fin. huiuſcemodi ſunt Torquati verba; *Nunc autem explicabo, Voluptas ipſa quæ, qualiſque ſit; vt tollatur error omnis imperitorum, intelligatúrque ea, quæ voluptaria, delicata, mollis habeatur diſciplina, quàm grauis, quàm continens, quàm ſeuera ſit. Non enim hanc ſolam ſequimur, quæ ſuauitate aliqua naturam ipſam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur ſenſibus: ſed maximam illam Voluptatem habemus, quæ percipitur, omni dolore detracto. Nam quoniam, cùm*

priuamur

Digitized by Google

In pag. 85. *priuamar dolore, ipſa liberatione, & vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas eſt, vt omne id, quo offendimur, dolor; doloris omnis priuatio rectè nominata eſt Voluptas. Vt enim cùm cibo, & potione fames, ſitiſque depulſa eſt, ipſa detractio moleſtiæ conſequutionem affert voluptatis: ſic in omni re doloris amotio ſucceſſionem efficit voluptatis. Itaque non placuit Epicuro, medium eſſe quiddam inter Dolorem, & Voluptatem. Illud enim ipſum, quod quibaſdam medium videtur, Omni dolore carere, non modò voluptatem eſſe, verùm etiam ſummam Voluptatem. Quiſquis enim ſentit quemadmodum ſit affectus, eum neceſſe eſt, aut in voluptate eſſe, aut in dolore: omnis autem priuatione doloris putat Epicurus terminari ſummam Voluptatem; vt poſteà variari voluptas, diſtinguique poſſit; augeri, amplificarique non poſſit. At etiam Athenis, vt à Patre audiebam facete & vrbanè Stoicos irridente, ſtatua eſt in Ceramico Chryſippi ſedentis, porrecta manu; quæ manus ſignificet illum hac eſſe rogatiuncula delectatum: Nunquid-nam manus tua ſic affecta, quemadmodum affecta nunc eſt, deſiderat? Nihil ſanè: At ſi voluptas eſſet bonum, deſideraret? Ita credo: Non eſt igitur voluptas bonum. Hoc ne ſtatuam quidem dicturam Pater aiebat, ſi loqui poſſet. Concluſum eſt enim contra Cyrenaicos ſatis acutè; nihil ad Epicurum. Nam, ſi ea ſola voluptas eſſet, quæ quaſi titillaret ſenſus, vt ita dicam, & ad eos cum ſuauitate afflueret, & illaberetur; nec manus eſſe contenta poſſet vlla vacuitate doloris, ſine iucundo motu Voluptatis. Sin autem ſumma voluptas eſt, vt Epicuro placet, nihil dolere: primum tibi rectè, Chryſippe, conceſſum eſt, nihil deſiderare manum, cùm ita eſſet affecta: ſecundum non rectè, ſi voluptas eſſet bonum, fuiſſe deſideraturam. Idcirco enim non deſideraret; quia quod dolore caret, in voluptate eſt.* Hactenus Torquatus.

Vt verò etiam teſteis aliquot adhibeam: Audiendus imprimis Seneca videtur, vt cui fides ſit cum-primis habenda, tanquam & viro grauiſſimo, ſanctitatiſque morum incorrupto Patrono, & ex ea Secta, quæ Epicuro præcipuam ex praua ſententiæ interpretatione conflauit inuidiam. Is igitur pri-
Epiſt. 66. mùm in Epiſtolis ita ſcribit: *Apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus illud Summum beatúmque componitur: Vt Corpus ſine dolore ſit, Animus ſine perturbatione. Hæc bona non creſcunt, ſi plena ſunt: quo enim creſcet, quod plenum eſt? Dolore Corpus caret; quid accedere ad hanc indolentiam poteſt? Animus conſtat ſibi, & placidus eſt: quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas cæli non recipit maiorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata; ſic hominis, corpus, animúmque curantis, & bonum ſuum ex vtroque nectentis, perfectus eſt ſtatus, & ſummam voti ſui inuenit, ſi nec æſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extrà blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed, vt ita dicam, condiunt, & oblectant: abſolutum enim illud humanæ naturæ Bonum, corporis, & animi pace contentum eſt.* Vides, vt Seneca hoc loco perſpicuis verbis exprimat ipſam Epicuri ſententiam, quatenus in textu habetur; cum inſuper ipſam declaret ex iis, quæ poſteà habentur in Ratis ſententiis. Deinde verò, quòd Epicurus hoc ſuum Summum Bonum, ſeu Indolentiam corporis, & animi Tranquillitatem, Voluptatis ſummæ nomine donaſſet; & voluptarij homines ſolo voluptatis nomine arrepto, ac diſſimulatâ ſententiâ, habere ſe Philoſophum voluptatum ſuarum patronum iactarent: idcirco Seneca in libro de Vita beata illos inſectatus: *Non ab Epicuro*, inquit, *impulſi luxuriantur, ſed vitiis dediti, luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt; & eò concurrunt, vbi audiunt laudari voluptatem.* Pergit autem: *Nec æſtimatur Voluptas illa Epicuri (ita enim me-Hercules ſentio) quàm ſobria, ac ſicca ſit: ſed ad nomen ipſum aduolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod, ac velamentum.* Et ſtatim, edicens quod aliàs quadam ex parte retulimus: *Mea quidem*, inquit, *iſta ſententia eſt (inuitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurum, & recta præcipere; &, ſi propiùs acceſſeris, triſtia. Voluptas enim illa ad paruum, & exile reuocatur; & quam nos Virtuti legem dicimus, eam ille dicit Voluptati. Iubet illam parere naturæ; parum eſt autem luxuriæ, quod naturæ ſatis eſt. Quid ergo eſt? Ille, qui deſidioſum otium, & gulæ, ac libidinis vices felicitatem vocat; bonum malæ rei quærit Authorem. Et dum illò venit, blando nomine inductus; ſequitur Voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit: & vitia ſua cùm cœpit putare ſimilia præceptis, indulget illis non timidè, nec obſcurè: luxuriatur etiam inoperto capite. Itaque non dico, quod plerique noſtrorum, Sectam Epicuri flagitiorum Magiſtram eſſe: ſed illud dico: Malè audit, infamis eſt: & immeritò. Neque hoc ſcire quiſquam poteſt, niſi interiùs fuerit admiſſus. Frons ipſa dat locum fabulæ, & ad malam ſpem inuitat. Hoc tale eſt, quale vir fortis ſtolâ indutus.* Ac ita quidem Seneca.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Cap. 12.

Cap. 13.

Poteſt quin-etiam Senecæ Plutarchus ipſe ſubiici, quatenus tametſi Epicuro infenſus, tacere tamen non potuit, quin ea, quæ obiiceret, ex vulgari potius rumore deſumpta, quàm ex ipſa rei veritate forent; adeò vt licet alij Epicureis ea tribuerent; ipſi tamen Epicurei ſua eſſe inficiarentur. Id ſcilicet habet in libro aduerſus Coloten ſecundo; ac ipſa ſola inficiatio, germanæ ſententiæ declaratio eſt. Vt alia taceam, quæ prætereà in Apologia relata ſunt; Adnoto ſolùm ex eodem libro ſatis inſinuari quænam Epicuri, Sectatorúmque ſententia fuerit, cùm Plutarchus illam deridens: φεῦ, inquit, μεγάλης ἡδονῆς τῶν ἀνδρῶν, καὶ μακαριότητος, ἣν καρποῦνται χαίροντες, ἐπὶ τῷ μὴ κακοπαθεῖν, μηδὲ λυπεῖσθαι, μηδὲ ἀλγεῖν; *O ingentem & voluptatem, & felicitatem hominum iſtorum, quam lætabundi percipiunt, ſi malè quidem non afficiantur; & neque triſtitiam, neque dolorem ſentiant!* Nempe hæc voluptas, ſeu felicitas eſt, quæ in

ipſo

Digitized by Google

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. L. Quod philoſ. cum princ. ipſo textu habetur; non verò illa, quam alioquin, iuxta rumorem de Epicuro reſperſum, ipſi imputat. Eodem ſpectat, quod alio loco non improbans illam Epicuri ſententiam: *Iucundius eſt dare, quàm accipere*, commemoratam ſuperius, præmittit illam ab eo tradi: Κἄν τι Ἐπίκουρος, inquit, τ' ἀγαθὸν ἐν τῇ βαθυτάτῃ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ ἐν ἀκλύστῳ λιμένι, καὶ κωφῷ τιθέμενος. *Vtcumque*, inquit, *Epicurus Summum Bonum in profundiſſima quiete, & quaſi in portu omninò ſilente, tranquilléque conſtituat.* Vbi videre rursùs licet, Summum Bonum ab Epicuro fieri non voluptatem vllam in motu, ſed illam potiùs quæ eſt in quiete, vacuitatéque perturbationis. Quia alibi quoque, tametſi Epicurum non nominet; manifeſtè tamen vel ex adiunctis aliis opinionibus, quas eſſe ipſius Epicuri conſtet, eum indigitat; cùm præparari adoleſcenteis lectione Poëtarum (quorum ſententias aliquot refert) ad audiendum Philoſophos docens, eos audituros ab illis ſcribit: *Lib. De aud. po.* Ὡς θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς; καὶ, ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται; καὶ, Τὸ εὔδαιμον, καὶ μακάριον, οὐ χρημάτων πλῆθος, οὐδὲ πραγμάτων ὄγκος, οὐδ' ἀρχαί τινες ἔχουσιν, ἀλλ' ἀλυπία, καὶ πραότης παθῶν, καὶ διάθεσις ψυχῆς τὸ κατὰ φύσιν ὁρίζουσα. *Mortem nihil ad nos pertinere: Natura diuitias eſſe definitas: Felicitatem, beatámque vitam, non in numeroſa pecunia, aut poſſeſſione rerum ampla; non in principatu, aut potentiâ dominatrice conſiſtere: ſed in vacuitate doloris, ſedationéque affectuum, ac diſpoſitione illâ animi, quæ ipſis naturæ finibus omnia circumſcribit.* Et particulas quidem cæteras, θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται, Epicuri eſſe, vel ex ſuperioribus liquet, vel ex ſequentibus conſtabit: Ipſa autem, quæ dicitur ἀλυπία, καὶ πραότης παθῶν, idem eſt quòd ἀναλγησία, ἀοχλησία, ἀταραξία, quæ voces in textu habentur, & ὁρίζουσα ψυχῆς διάθεσις, ipſe eſt νήφων συλλογισμὸς, ἐξερευνῶν, &c. cuius itidem fit poſteriùs in textu mentio.

Ipſi Plutarcho addere alios oppidò plureis licet; qui ipſi quoque tametſi aliunde in Epicurum malè animati: Aut declarârunt tamen Voluptatem ab Epicuro aſſertam, intelligi debere eam, quæ nihil aliud ſit, quàm ſtatus quietus, & naturalis; non voluptas vlla impura: Aut addiderunt etiam id eſſe inter Epicurum, & Ariſtippum diſcriminis, quòd Ariſtippus quidem Summum Bonum in voluptate corporis: at Epicurus in Voluptate animi conſtituerit. Ex prioribus eſſe Tertullianus poteſt, qui Epicurum ſanè potiſſimùm intelligit, cùm de Voluptate loquens: *Lib De ſpectac. cap. 28.* *Philoſophi quidam*, inquit, *hoc nomen Quieti, & Tranquillitati dederunt. In ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur.* Saltem alibi cum Zenone, à quo ſtatuta pro fine Virtus *requiem præbet feſſis in vertice ſummo*, Epicurum copulat; Nam, *eam*, inquit, *ad Epicuros, & Zenonas ventum eſt* *Lib. De pall. c 5. in 1. inuect. adu Iul.* *Sapienteis vocas totum quietis magiſterium, qui eam ſummo, atque vnica voluptatis nomine conſeruauere.* Itemque B. Gregorius Nazianzenus, quem exponens Pater Nonnus, poſtquàm *In pag. 85.* dixiſſe eum retulit, conſtitutum ab Epicuro fuiſſe in Voluptate Summum Bonum, eiuſmodi fuiſſe voluptatem ſubdit: *Quam*, inquit, *qui Philoſophorum dogmata interpretantur, eum non in impura, atque obſcæna voluptate ſummum bonum poſuiſſe dicunt; ſed in ſtatu maximè naturali.* Eſt verò iſtud conſentaneum illis Iambicis, quos Latinè ex S. Viro in Apologia reddidimus, quoſque ipſos, cùm non ad doctrinam minùs, quàm ad mores pertineant, ecce: *Iamb. 18.*

Ἐπίκουρος ἡδονὴν μὲν ἠγωνίζετο
Εἶναι τὸ ἆθλον τῶν ἐμοὶ πονουμένων,
Εἰς ἣν τελευτᾷ πάντα τ' ἀνθρώπων καλά,
Ὡς ἂν δὲ μὴ δόξῃ ἡδονῇ τινι
Ταύτην ἐπαινεῖν, κοσμίως, καὶ σωφρόνως
Ἔζη, βοηθῶν ἐκ τρόπου τῷ δόγματι.

Contendit, Epicurus meis laboribus
Illam voluptatem eſſe verum præmium,
In quam bona omnia deſinunt mortalium.
Et ne hac voluptate improbam quis crederet
Laudari; honeſtè, & continenter viuere,
Inſtituit ille, dogma moribus probans.

Ac rursùs Stobæus, qui poſtquàm reprehendit in Peripateticis, quòd ex tribus bonorum generibus Finem conſtituentes, dixerint potiùs συμπληρούμενον, ἢ ἐνεργούμενον, *completum, quàm efficiens*, ſubdit: *Ecl. Eth.* Τοῦ δ' οἱ κατ' Ἐπίκουρον φιλοσοφοῦντες, οὐ προσδέχονται λέγειν ἐνεργούμενον, διὰ τὸ παθητικὸν ὑποτίθεσθαι τὸ τέλος, οὐ πρακτικόν. ἡδονὴ γὰρ, ὅθεν καὶ ἔννοιαν ἀποδιδόασι τοῦ τέλους, τὸ οἰκείως διατίθεσθαι δὲ ἑαυτοῦ πρὸς αὐτὸ χωρὶς πάσης ἐπ' ἄλλο τι ἀπάσης ἐπιβολῆς. *Epicurei tamen Philoſophi tale quid dici efficiens non probant, quòd ipſum finem in patiendo, non verò in agendo ponant. Siquidem Voluptas; cuius tanquam finis deſcriptionem tradunt, in naturali ſui ipſius erga ſeipſum diſpoſitione; & abſque vllo penitùs ad aliud reſpectu conſiſtit.* Prætereáque Suidas, qui voluptatem ita *In voce ἡδονή.* diſtinguens, vt alia ſit ἀκάθαρτος, *impura*, alia verò ſit φυσικὴ κατάστασις, *conſtitutio ſecundum naturam*; ſubiicit *hanc eſſe, quam ſuo decreto Epicurus approbârit* τέλος παντὸς πράγματος τὴν ἡδονὴν εἶναι τιθέμενος, *cùm omnis rei ſuſceptæ finem voluptatem eſſe aſſeruit.* Ex poſterioribus citari poſſet Quintilianus, quatenus declarans, cur Sectæ Epicuri, & Ariſtippi ad eloquentiam non conducant, reprehendit quidem *in Epicuro*, quòd diſciplinas fugere iubeat; at *in ſolo Ariſtippo* quòd *Summum in voluptate corporis Bonum ponat*. *L. 12. c. 2.* Poſſent & alij; verùm vnus ex illis antiquioribus ſufficere poteſt Lactantius, quatenus aliunde Epicuro adeò infenſus; tùm tamen, cùm ſibi à ſuo illo ardentiore ſtylo nonnihil temperauit, hunc in modum effatus eſt; *Epicurus Summum Bonum in voluptate animi eſſe cenſet; Ariſtippus in voluptate corporis.* *L. 3. c. 7.* Ex antiquioribus autem dico; quoniam taceri heic duo non debent, qui ante annos ſolùm ducentos (ac ſub diuturnæ quidem illius Barbariei finem) floruerunt, optimus nimirùm Ioannes Gerſon, & Genuſtus Pletho. Ille ſiquidem ſic *Serm. in ſol. omn. ſanct.*

retulit

In pag. 85. retulit varias de Beatitudine opiniones, vt poſtremam fecerit eorum, qui dixerunt *Beatitudinem hominis eſſe Animi voluptatem, ſeu tranquillam pacem* (ſubiecerit autem) *cuius fuiſſe videtur Epicurus ille, cuius Seneca crebrò cum ſumma veneratione meminit in Epiſtolis. Nam Epicurus alter, quiſquis ille fuit, & Ariſtippus, & Sardinapalus, & ſordidus Machometus, qui in corporis voluptatibus humanam beatitudinem detrudere conati ſunt, ipſi certè non Philoſophi, &c.* Vbi ſæculi ignorantiæ, & diſſeminato rumori condonandum eſt, quod de alio Epicuro diffamato ſubdubitauit; cùm & nihil ſit neceſſe obſeruare repeti deinde ab ipſo, *Collocare Epicurum felicitatem in voluptate animi.* Iſte verò de voluptate contemplationis diſputans, oſtendit Ariſtotelem non diuerſa tradidiſſe ab Epicuro, *ὃ τὼ ἡδονὴν τὴν ψυχικὴν τ' ἀγαθὸν τίθει*, *qui Summum Bonum eſſe ipſam animi Voluptatum ſtatuit.* Interim porrò haud abs re inſinuo inſequutum fuiſſe ſæculum felicius, quo bonæ literæ quaſi poſtliminio reuocatæ fuerint: Siquidem ex eo tempore numeroſi fuère eruditi viri, qui de Epicuro æquiùs ſenſerint, vt vel ex iis conſtat, quos in Apologia recenſuimus, meminimus enim Franciſci Philelphi, Alexandri ab Alexandro, Cælij Rhodigini, Raphaëlis Volaterrani, Ioannis Franciſci Pici; quibus poſſent profectò alij innumerabiles attexi; niſi vſurpari poſſe videretur illud A. Varij, qui, referente Cicerone dicere conſeſſui ſolebat, cùm, datis teſtibus, alij tamen citarentur; *Aut hoc teſtium ſatis eſt; aut neſcio quid ſatis ſit.*

De diſcrim. int. Ariſt. & Plat. — *2. De fin.*

CVM ex iſtis verò conſtare videatur quæ Epicuri ſententia fuerit; quid, putas, dicendum ad eos, qui oppoſitam illi imputarunt? Certè non aliud, quàm quod iam dictum in Vitæ Apologia eſt; Scilicet Stoïcos imprimis erga ipſum malè affectos, ob cauſas illeic expoſitas, non modò fuiſſe perperam eius ſententiam interpretatos; ſed ſuppoſuiſſe etiam, nominéque illius euulgaſſe obſcœnos libros, quorum ipſi Authores eſſent, vt peruerſæ ſuæ interpretationi fidem quærerent, & haberent vnde vberius debacchari in illum poſſent. Quare neque eſſe ipſiſmet fidem adhibendam; neque item aliis, qui ipſorum fraude, ne etiam dicatur impoſtura, perſuaſi, fuère in Epicurum pariter inuecti. Quòd ſi aliqui etiam inter illos, qui viri fuerunt eximiè boni, in Epicurum declamarunt; ij potuerunt non eſſe admiſſi in Sectæ illius interiora, quod Seneca conqueritur; ſed ſpurios ſolùm libros legiſſe, aut fidiſſe etiam magiſtris, & conſectatoribus, à quorum multitudine prauè de Epicuro ſentiente, abripi, fuit adeò procliue. Vnde & nihil neceſſe eſt de ipſis dicamus, vt neque de aliis item bonis viris, qui pari ratione libris ſpuriis, exemplaribúſve deprauatis habuerunt fidem; aut qui certè, ſi forſan habuerunt germanam Epicuri ſententiam perſpectam, non tam facile exiſtimarunt perſuaſionem de Epicuro, eiuſque opinione vulgò habitam animiſque infixam, radicitùs conuellere; quàm vtile eſſe duxerunt pergere ipſi infamiæ notam tantò profundiùs inurere, quantò reputarunt voluptatem obſcœnam, poſſe ex Authoris, patronive infamia, euadere magis exoſam. De bonis autem viris dico, nam quamobrem illi curentur, qui fuére aut eâ malitiâ, vt libros, Stoïcorum inſtar, ſuppoſititios conſcripſerint, conſarcinarint, invulgarint: aut eâ fronte, vt citare, quæ nuſquam apud Epicurum legerentur, non erubuerint; aut eâ virulentiâ, vt ob libros aduerſus Epicurum conſcriptos capite etiam plexi fuerint; vt in Apologia memorauimus? Quod idem proinde dicendum de Declamatoribus, Comiciſque, quos manifeſtum eſt nihil aliud quàm populi plauſum captare, ac idcircò probra, conuitia, ſcommata interſerere, quòd obſeruarint maledicentiam, procacitatémque eſſe rem vulgò acceptiſſimam, ac potiſſimùm, ſi rumuſculi exaggerationi rerum, quas inſectantur, fauerint: id nempè illis abundè eſt, qui non veritati inſinuandæ, ſed fuco faciendo incumbunt. Ad Sanctos Patres quod attinet, cenſendum eſt fuiſſe eorum inſtitutum, vt ad pietatem erudientes, morum honeſtate ſimul informarent; ac eos ideò fuiſſe acriter inuectos non in ipſas modò voluptates impuras, ſed etiam aduerſus illarum Authores, Propugnatoréſque: & quia rumor iam fecerat Epicurum ex iis præcipuum, idcircò illos ipſum præcipuè iuxta rumorem perſtrinxiſſe. Quocirca & non fuiſſe ſanè ipſorum Patrum Sanctorum culpam, quòd Epicurus fuerit infamatus, ſiquidem infamia quæſita iam erat; ipſique vſi eâ ſolùm ſunt, vt (quod mox eſt de bonis viris vniuerſè dictum) maior exinde voluptatum obſcœnarum horror crearetur. Relati etiam in Apologia, præter Lactantium aliqui fuere, qui Epicuro aliàs infeſti, aliàs germanam eius ſententiam quaſi in integrum reſtituerint. Ex cæteris, qui addi potuiſſent, nihil erit graue vnum hoc loco B. Hieronymum ſeligere, quatenus aduerſus Iouinianum ſcribens, non amplius Epicurum habet in iis, quorum verba ſunt: *Manducemus, & bibamus, &c.* ſed quaſi quidpiam, quod rumori aduerſetur exorſurus: *Quod mirandum ſit*, inquit, *Epicurus voluptatis aſſertor omneis libros ſuos repleuit oleribus, & pomis; & vilibus cibis dicit eſſe viuendum; quia carnes, & exquiſita epula ingenti cura, ac miſeria præparentur, maioremque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo: Corpora autem noſtra cibo tantum, & potu indigere; vbi aqua, & panis ſit, & cætera his ſimilia, ibi natura ſatisfactum: quicquid ſupra fuerit, non ad vitæ neceſſitatem ſpectare: ſed ad vitium voluptatis. Bibere, & comedere*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. — *Lib. 2.*

Vitam beatam in Voluptate ſimplicem eſſe. *non ad deliciarum ardorem, ſed ſitim, famémque reſtinguere. Qui carnibus veſcuntur, indigere etiam iis, qua non ſunt carnium; qui autem ſimplici victu abutantur, eos carneis non requirere. Sapientiæ quoque operam dare non poſſumus, ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio, & cura indiget. Citò expletur naturæ neceſſitas; frigus, & fames ſimplici veſtitu, & cibo expelli poteſt.* Hactenus vir ſanctus; & quò dubites minùs eſſe hæc omnia ex Epicuro, referetur poſteà ex Porphyrio locus circa Epicuri, ſectatorúmque eius abſtinentiam, ex quo iſthæc poſſit videri trans-ſumpta.

Vnus ille eſt locus ex libro de Fine obiectus, qui videatur poſſe facere negotium. Enimverò, cùm negandum non ſit fuiſſe ab Epicuro librum *περὶ τέλους de Fine* conſcriptum; Quam-ob-rem dicere non liceat, Sroïcos varia euulgaſſe illius exemplaria, cum eiuſce loci interpolatione, quæ & exſcribi, & perueniri ad Ciceronem vſque, & Athenæum potuerint? Videlicet qui auſi fuere integros libros effingere, cur non faciliùs exſcribendo intrudere alienas ſententias? Argumento autem eſt, Primùm, quòd & Laërtius, qui ſeriem librorum Epicuri retexuit, quorumque idcircò ignarus non fuit; vbi locum hunc ex libro de Fine, conſimiliáque retulit, inſanire eos dixerit, à quibus talia imponerentur: ſcilicet quaſi in germanis, quæ Epicurei aſſeruarent, exemplaribus non reperta; & Heſychius, vbi eundem locum aliaque fuit recitaturus, præmiſerit illos, qui Epicuro talia opponerent, *διαβάλλοντας, calumniatores* eſſe. Deinde, quòd Epicurus ipſe fuerit conqueſtus ſibi attribui opiuionem, quæ loco eiuſmodi præfertur; ac tueri ſe oppoſitam, apertis verbis edixerit. Quomodo id verò efferre potuiſſet, ſi fuiſſet in promptu ipſum eius librum proferre, ac ex eo locum huiuſmodi expromere? Ad hæc, quòd eius Sectatores & locum non agnouerint, & fuerint pariter conqueſti. Heinc certè præter illud, quod paulò 3 Tuſc. 2. De fin. antè attigimus, ſunt apud ipſum Ciceronem querimoniæ iſtæ frequentes: *Et illi quidem pugnant, & vicinorum fidem implorant.* Ac rur- 1 De Na. Deor. sùs: *Solent iſti negare nos intelligere, quam dicat Epicurus voluptatem*, ac prætereà: Ibid. *Hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos vo-* 1. De fin. *luptatem, quam dicatis.* Et iterùm: *Philo noſter ferre non poterat aſpernari Epicureos molleis, & delicatas voluptates.* Quò pertinere etiam Ibid. poteſt, quòd cùm Cicero obieciſſet Torquato: *Cadere causâ, ſi quis Epicureorum non existimaret animi voluptates, & dolores naſci è corporis voluptatibus, & doloribus* (quod idem viſum à Plutarcho, Clementéque obiici) ita aſſentientem Torquatum inducit, vt committere nihilominus nequeat, quin ſaltem extenuando repugnantem ſimul inducat, 2. Aduer. Col. dum fatetur tamen *eos eſſe multos, ſed imperitos.* Prætereà, quòd cùm Epicurus, vt ex Plutarcho eſt recitatum, naturam Boni ex In pag. 85. ipſa mali deuitatione petierit; & ex Ratis ſententiis ipſum Bonum ſummum (ſummam ſcilicet voluptatem) ipſa amotione doloris definierit; & fusè etiam reprehenſus ab ipſo Cicerone fuerit, quòd ſummam rursùs vo- 2. De fin. luptatem in Indolentia poſuerit; non potuerit ſanè effutire illud: *Nec equidem habeo, quod intelligam Bonum, detrahens eas voluptates, &c.* Cui aliunde repugnat aliud, quod iam inculcauimus de nullo ſalubri venereorum vſu. Rursùs, quòd ipſi Ciceroni, non incogitanter profectò, ſed veritate inter obiiciendum veluti cogente, hoc exciderit: 3. Tuſc. Dicet aliquis: *Quid? Ergo tu Epicurum exiſtimas iſta voluiſſe, aut libidinoſas eius fuiſſe ſententias? Ego verò minimè; video enim ab eo dici multa ſeuerè, multa præclarè.* Denique, quòd ex iis etiam, quæ circa Piſonem habet Cicero, ſubodorari omnino liceat, quid de hoc loco ſit coniiciendum. Nempè declarat Cicero eſſe Piſonem vnum ex iis, quos Seneca oſtendit *non ab Epicuro impulſos luxuriari, ſed luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondere ſolo nomine voluptatis inductos.* Scilicet verba eius ſunt: Orat. poſt red. *Cùm literis ſtudere incipit, & bellua immanis cum Græculis philoſophari; tùm eſt Epicureus. Non penitus illi diſciplinæ, quæcumque eſt, deditus; ſed captus vno verbo voluptatis.* Et alibi: Orat. in Piſ. *Itaque admiſſarius iſte ſimul atque audiuit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil exſpiſcatus eſt; ſic ſuos voluptarios omneis incitauit, ſic ad hanc illius* (Græci videlicet Magiſtri) *orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed Authorem libidinis à ſe illum inuentum arbitraretur.* Pergit Cicero: *Græcus primò diſtinguere, atque diuidere illa, quemadmodum dicerentur: iſte claudus, quemadmodum aiunt, pilum retinere; quod acceperat, teſtificari; tabulas obſignare velle; Epicurum diſertum decernere; & tamen dicere opinor ſe nullum bonum intelligere poſſe, demptis corporis voluptatibus.* Pergit adhuc: Quid multa? *Græcus facilis, & valdè venuſtus nimis pugnax contra Senatorem Populi Romani eſſe noluit.* Ex quibus ſanè intelligis, debuiſſe prorsùs aliud in ipſis Epicuri libris, ac illo præſertim de Fine, circa Voluptatem haberi, quàm quod libidinoſus Piſo aduerſus Magiſtrum abnuentem, voluptatéſque diſtinguentem haberi debere ex nomine ipſo Voluptatis contenderet.

ET HACTENVS quidem quæ fuiſſe videatur Epicuri Sententia diſputatum eſto. Nunc, vt de ipſamet aliquid dicamus, peruideamuſque perperam-ne Voluptatem dixerit Finem, duo quædam occurrunt priùs expendeoda. VNVM eſt, quod ait, Omnem Voluptatem eſſe ex ſe, ſuâve naturâ quid bonum, & omnem dolorem ex oppoſito malum: ALTERVM, quod tamen quampiam voluptatem cuipiam dolori poſt-habendam, atque adeo quempiam dolorem

In pag. 85. dolorem cuipiam voluptati præferendum docet. Ad Prius autem Caput quod ſpectat; vides illum ſupponere non vnum, ſed plura Voluptatum genera eſſe. Nempe ipſe quoque præter Indolentiam, & Tranquillitatem, quam vtramque vocat inferiùs *καταστηματικὴν ἡδονήν*, *Voluptatem ſtabilem*, ſiue quæ in ſtabilitate, quieteque attenditur; admittit voluptates dici, quæ *κατὰ κίνησιν*, *ἐνεργείᾳ βλέπονται*, *in ea, qua eſt actu motione ſpectantur*; cuiuſmodi ſunt non ſimplex modò *χαρὰ*, *καὶ εὐφροσύνη*, *lætitia*, *& hilaritas*, quas ibi in exemplum affert; ſed etiam quas aliquoties ſpeciatim vocat *τὰς ἀσώτων ἡδονὰς* *profligatorum voluptates*. Et certè non eſt quidem voluptas ipſa præciſè actio, ſeu motio, at vix tamen videtur poſſe citra actionem aliquam ſeu ſenſus, ſeu mentis, cui cohæreat, intelligi: cùm concipiatur ſemper quaſi quoddam ſuaue, ipſique actioni iunctum condimentum, ſeu quaſi addita quædam dulcis, grata permulcenſque affectio, ipſi Ariſtoteli dicta finis:

10. Eth. 4. *Perficit enim*, inquit, *voluptas actionem, non vt habitus inexſiſtens, ſed vt finis quidam ſuperueniens, eo modo, quo decor florentes ætate commendat*: Adeò proinde, vt voluptas videatur eatenus duntaxat in ſtabilitate, quieteque conſiſtere, quatenus ea ſuauis, gratáque ſentitur; & perfuſa dulcore quodam cogitatio interuenit, qua immunitas ab agitatione, felicitati cuipiam vertatur: Verùm hacce de re poſteriùs. Adnoto heic ſolum Ariſtotelem videri poſſe ſibi non conſtare, cùm aliàs Voluptatem habet non pro quodam fine actionem perficiente, ſed pro ipſa actione operationéve, quippe cùm nunc il-

7. Eth 13. 1 Rhet. 11. lam definiat: *Non impeditam habitus ſecundum naturam actionem*; nunc *Animæ motum, ac reſtitutionem continentem in naturalem ſtatum*: attamen contingere id poteſt propter intimam cum ipſa actione cohæſionem, qua efficitur, vt non re, ſed ratione ſolùm ab ea diſcernatur. Interim autem obſeruandum eſt prioris definitionis verba ſic ab Interpretibus accipi, vt habitus intelligatur bonus, ipſamque naturam perficiens, *cuiuſmodi eſt*, inquiunt, *Sanitas, Temperantia, Iuſtitia; atque etiam Grammatica, Rhetorica, & cæteri*. Videlicet quiſquis ex habitu agit, & vacantem impedimento, atque adeò alacriter, operationem elicit, is voluptate perfunditur; ac niſi ipſa actio voluptas ipſa eſt, volupe eſt ſaltem elicere actionem. Quod poſteriore autem voluptas eſſe *reſtitutio in naturalem ſtatum* dicitur, id eò pertinet, quod Epicurus ait, *tùm Voluptate nos indigere, cùm ex illius abſentia excitatur in nobis dolor*: veluti dum fames oritur ex cibi defectu, cui cohærens eſt eius voluptatis indigentia, quæ valeat cum cibi vſurpatione accedere. Nimirùm, ob cibi defectum partes oris interiores vnà cum œſophago, ſtomachóque conuelluntur, diſtrahuntur, ac præter ſtatum naturalem fiunt, & cùm ex cibi vſurpatione, ipſáve comedendi actione, partium iſtarum reſtitutio in ſtatum naturalem fit, tunc creatur in nobis voluptas, quæ, donec reſtitutio fit, ita continens eſt, vt ſi peracta reſtitutione prorogetur comeſtio, non ideò tamen prorogetur voluptas. Prætereo verò, cùm Voluptas *Animæ motus* dicitur, non obſtare hoc illi diuiſioni, qua Voluptatum aliæ corporis, aliæ animi eſſe dicuntur. Nam illæ quidem ſpeciatim eſſe Animi Voluptates cenſentur, quæ ad cogitationem potiſſimùm ſpectant, eliciuntúrque ab animo ſecum veluti habitante, & nihil ad eas indigente cooperationis externorum ſenſuum: illæ ſpeciatim corporis, quibus ipſi externi ſenſus, maximè autem guſtus, tactuſque afficiuntur: verùm, quia neque animus agit ſine aliqua dependentia à corpore; neque corpus citra actionem animæ ſentit aliquid; ſed, perſeuerante vtriuſque coniugio, actiones indiuiduæ ſunt, ſeu ipſius compoſiti, *Suppoſitive*, *τοῦ συναμφοτέρου*, vel ex ipſo Ariſtotele; hinc fit, vt quæ etiam voluptas dicitur pertinere ad corpus, Animi motus eſſe cenſeatur; ſitque ipſi idcirco locus inter appellatas Paſſiones, affectionéſve appetitus, quas conſtat dici quoque Paſſiones, affectionéſve animi. Quinetiam Ariſtoteles ita contendit Voluptatem eſſe vniuersè *motionem quandam αἰσθητὴν ſenſibilem*, vt rationem reddens, cur non modò præſentia, verùm etiam tàm memorando, præterita; quàm ſperando, futura voluptatem afferant, ideò eſſe dicat, quòd cùm *τὸ ἥδεσθαι ἐν τῷ αἰσθάνεσθαί τινος πάθους*, *Voluptate affici, in ſenſu cuiuſpiam paſſionis conſiſtat*, tam memoria, quàm ſpes ſit aliquis ſenſus.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

IAM quæſtio illa antiqua eſt, Voluptaſ-ne ſit ſuapte natura bonum, an-non? Attingens ipſam Empiricus, & opiniones varias de ea referens: *Epicurus quidem*, inquit, *τὴν ἡδονὴν εἶναι ἀγαθὸν φησὶ*, *voluptatem dicit eſſe bonum; Qui autem illud dicit, Inſaniam potiùs quàm voluptate afficier, malum: Stoici autem indifferens*. Eandem aliquantò explicatiùs exAduerſ. Eth.

Lib. 9. cap. 5. cipiens Agellius, poſtquàm retulit Epicurum Voluptatem non tantùm bonum, ſed bonum etiam ſummum poſuiſſe; ſubiicit *Antiſthenem eam ſummum malum eſſe dixiſſe, eiuſque adeò eſſe dictum illud, μανείην μᾶλλον, ἢ ἡσθείην: Inſaniam potiuſquàm delecter*, ſeu *voluptate afficiar*. Addit *Speuſippum, veterémque omnem Academiam dixiſſe Voluptatem, & Dolorem duo eſſe mala inter ſeſe oppoſita: bonum autem eſſe, quod vtriuſque medium foret*. Pergit *Zenonem cenſuiſſe voluptatem neque eſſe bonum, neque malum; ſed indifferens, id eſt neutrum*; & poſtquam meminit Critolaum Peripateticum *tùm malum eſſe voluptatem dixiſſe, tùm multa alia mala parere ex ſe*; ſubdit *Platonem ante hos omneis ita variè, & multiformiter de voluptate diſſeruiſſe, vt cuncta iſta ſententia videantur ex ſermonum eius fontibus*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. 10. Eth. 2. *profluxiſſe.* Sed vt ex Ariſtotele rem dicamus; Is non vno loco quæſtionem, variaſque de ea ſententias proponit, præter id, quod aliàs de Eudoxo habet, ad quem referens opinionem, quòd voluptas ſit τἀγαθὸν, *ſummum bonum*, id de eo ſubdit notatu dignum, quod penè de ipſo Epicuro cecinit B.Nazianzenus: *Opinionem putà eam de Voluptate, rationeſque pro ea allatas, fidem ex Viri virtute magis, quàm ex ſeipſis obtinuiſſe.* Quippe cum vir eximiè temperans fuerit habitus; creditus eſt ita ſenſiſſe, non quòd *voluptatem amaret, ſed quòd res reuera ſic ſe haberet.* Lib.7. cap.12. Lib.6. cap.11. Lib.1. cap.7. Poſtquàm ergo Ariſtoteles tam in Nicomachiis, & Eudemiis, quàm in magnis Moralibus præmiſit illorum ſententiam, qui Felicitatem eſſe Voluptatem, aut ſaltem non ſine voluptate dicunt (& ex quibus ſe eſſe non modò citato ſuperiùs loco planum fecit, ſed & his etiam locis, aliiſque apertè inſinuat, cùm rationes illorum ſoluit, qui voluptatem neque eſſe bonum, neque ſummum bonum, Finémve defendunt) poſtquàm iſtud, inquam, præmiſit, ſubiungit: Eſſe aliquos, quibus nulla Voluptas neque per ſe, neque ex accidenti bonum reputetur; Neque enim bonum, ac voluptatem idem eſſe: Alios, quibus placeat quaſdam eſſe bonas, multas verò malas: ac Tertios eſſe, qui diſputent, licet Voluptas omnis ſit bonum; non idcircò tamen voluptatem eſſe Summum bonum. Porrò de hac tertia ſententia dicetur aliquantò pòſt: Ad ſecundam autem Epicurus accedet, ſi modò quas malas voluptates ſtatuit, non ex ſua natura, ſed ex accidenti tales reputentur. Quod ad primam verò attinet, repugnat omninò ipſi Epicurus; quatenus ea quidem decernit nullam voluptatem eſſe neque ex ſe, neque ex accidenti bonam; ipſe verò tuetur eſſe omnem bonam ex ſe; & aliquas eſſe ex accidenti malas.

Epicuri autem ratio ex eo pendet, quod non multò pòſt de Familiari primo dicetur. Scilicet omne animal ex natura ſua ad voluptatem ſic comparatur, vt naturâ duce nihil prius requirat; & nulla ſe poſſit offerre voluptas, quam recuſaturum ſit, niſi fortaſſis acciderit, vt aliquod malum ſit ipſi adnexum, ob quod deinceps dolendum ſit, ac vſurpatæ huiuſmodi voluptatis pœniteat. Et ſanè, cum Boni natura in eo conſiſtere cenſeatur, vt appetitum ad ſui amorem, atque proſequutionem moueat: dici non poteſt, cur omnis voluptas, quantum eſt ex ſe, non amabilis, expetendáque ſit, cùm nulla, quantum eſt ex ſe, non placeat, non arrideat, non appetitum ad ſe pelliciat. Nam quòd aliquas reiiciamus, non ipſæ ſunt præcisè, quas reſpuimus, ſed ea, quibus coniunctæ ſunt, quæque ex ipſis conſequuntur. Etenim, vt rem exemplo declarem, cùm nemo non admittat mel, aliud-ve quidpiam huiuſmodi, eſſe ſuâ naturâ dulce, ſi contingat tamen veneno admiſceri mel, ex quo illud dulceſcat; tùm dulcorem quidem eius auerſamur; ſed nimirum ex accidenti; nam ille alioquin ex ſua natura gratus, amabiliſque eſt. *In pag. 85.* Ex quo efficitur, vt dicere liceat auerſari reuerâ nos, non tam ipſum dulcorem, quàm venenum, cui eſt permiſtus; ac perniciem, quam non ipſe, ſed venenum ſit allaturum: cùm ſi foret ab eo ſecretus, ipſum omninò proſequeremur. Huic exemplo accommoda voluptatem qualemlibet; ac rem ſe haud ſecus habere deprehendes. Siquidem malum ſemper erit, non ipſa per ſe, præciſéque ſpectata voluptas; ſed aut res, ex qua percipietur; aut actio, cui coniuncta erit; aut damnum, quod ex re, actionéve emerget; aut dolor, qui ex re, actione, damno pullulabit. Fac enim eandem voluptatem poſſe percipi ex re, & actione, quam nulla lex, nulla conſuetudo, nulla honeſtas prohibeat; fac ex tali re, aut actione nullam iacturam conſequi valetudinis, famæ, rei familiaris: fac non manere vllum ſupplicium, vllum dolorem, vllam pœnitentiam, neque in præſente, neque in futura vita; & agnoſces nihil eſſe cauſæ, quamobrem bonum non cenſeatur; ac niſi iam cenſeatur, non ex eius natura eſſe, ſed ex iis quæ dixi circumſtantiis, ſeu, quod eſt idem, ex accidenti. Deſumit porrò etiam Ariſtoteles ex oppoſito Voluptati Dolore rationem. *Inter omneis enim*, inquit, *conuenit eſſe rem malam, fugiendamque, dolorem; quod autem eſt rei fugiendæ quà fugienda eſt, & mala, contrarium, id bonum eſt; Quocirca neceſſarium eſt eſſe Voluptatem quid bonum.* 7 Ethic. 14. Quo loco, quam Ariſtoteles dicit λύπην, nos heic *Dolorem*, & vt ſuperiùs, etiam *Moleſtiam* interpretamur: quandò vtraque hæc Latina vox eam affectionem exprimit, quæ voluptati opponitur, ſiue illa in animo, ſiue in corpore verſetur; reſpondétque etiam τῇ ἀλγηδόνι Epicureæ, quatenus ἄλγειν, tam de corpore, quàm de animo dicitur. Tametſi autem ipſa vox λύπη, Ariſtoteli vſurpata videri poſſit ſolummodò referenda ad animum, eſſéque ea propriè, quæ dici animi ægritudo ſolet: diſputans tamen Alexander, vtra duarum, λύπη, an πόνος, Voluptati opponatur; 4.Dub 6. quando πόνος, eſt *afflictatio corporis*, λύπη, *contractio animi*; ideò poſteriorem hanc præfert; *Quoniam*, inquit, πόνος, *corpori ſolùm competit*, λύπη verò ταῖς θλίψεσι τοῦ σώματος, καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς, *tam corporis, quàm animi afflictationibus competat, vti & vtriuſque relaxationibus*, ταῖς ἐκλύσεσι, *competit Voluptas.* Præterco autem, quod Cicero cauſatur *verborum inopem interdum, quibus abundare ſe ſemper putat, Græciam, vno nomine* (τὸν πόνον, nimirùm) *laborem, doloremque appellare; cùm aliud laborare, aliud dolere ſit.* 2.Tuſc. Rem vt reſumam, perſpicuum eſt omnem vniuerſè dolorem eſſe ex ſe malum, inamabilémque, omnéque adeò animal ſponte naturæ eum auerſari; ac poſſe duntaxat interdum ex accidente bonum dici, quatenus bonum habet adnexum,

quod

Digitized by Google

In pag. 85. quod vt illum amemus, & complectamur, facit. Neque enim, ſi ex dolore adeptionem omninò omnem omnis honeſti, vtilis, iucundi boni adimas, eſt quis adeò hebes, qui eum expetat, proſequendúmque ſibi proponat. Quare & exinde efficitur, quod ille consendit: Si dolor omnis ſit ex ſe malum, & non-niſi ex accidenti bonum; debere profectò omnem voluptatem, tanquam dolori oppoſitam, eſſe aliquid ex ſe bonum, & non-niſi ex accidente malum.

Non eſt verò cur immoremur in diſcutiendis iis argumentis, quæ ipſe Ariſtoteles proponit, ſoluitque non ſemel. Nam illud quidem, quòd Voluptas generatio, non finis ſit, attingendum poſteriùs eſt. Illud quòd tùm pueri, tùm bruta voluptates quaſdam ſectentur, ſcitè ab Ariſtotele retorquetur, vt dicetur etiam aliquantò pòſt. Illud, quòd ars nulla voluptatis ſit, partim falſum eſt, partim leuis nimiùm momenti. Quod ſupereſt autem; dum obiicitur, Temperantem fugere voluptates, & Prudentem ſequi potiùs indolentiam: Eſſe aliquas voluptates obſtaculo ipſi Prudentiæ (& eò quidem magis, quò ſunt vehementiores) vt imprimis Venereas: Eſſe quaſdam non modò noxias, cùm præter hebetudinem mentis, morbos etiam corporis pariant (adde & pauperiem faciant) verùm eſſe quoque turpeis, & probroſas: Conſtat profectò temperanteis, prudenteiſque viros non omneis voluptates refugere (quippe ſinceriores interim ſectantur, vt deinceps dicendum eſt) ſed ſolummodò aliquas; ac ne ipſas quidem præcisè ex eo, quòd voluptates ſunt, ſed ex eo, quòd iunctæ cum actionibus eam perniciem trahentibus, quam vir prudens, & temperans non ſit voluptatis præſentis fruitione comparaturus: ad eum modum, quo venenum dulcefactum refugitur, non quà dulce eſt, ſed quà perniciem afferens, quæ ſanè non ſit tali dulcore coëmenda. Conſtat & non eſſe ipſas voluptates, quæ ſint Prudentiæ impedimento; ſed coniunctas potiùs actiones, quibus ſpiritus exhauriuntur, vigor animi collabaſcit, fitque ingenium hebes, & ipſum iudicium caligine obducitur; adeò proinde, vt cùm iſta ipſi voluptati tribuuntur, locus fiat paralogiſmo, Ariſtoteli dicto *Non cauſa, vt cauſa*; perinde ac ſi melli, eiúſve dulcori pernicies, quæ ad venenum potiùs referenda eſt, tribueretur. Quod idem proinde eſſe dicendum conſtat circa morbos, pauperiem; & quæ alia damna ſolent conſequi; quippe, cùm non ipſa voluptas, quà voluptas præcisè eſt, iſtorum per ſe cauſa ſit; ſed ipſa potiùs ingurgitatio, à qua ſunt cruditates, febres, cæteráque incommoda; ſed coïtus effrænis, à quo podagra, nefanda lues, aliaque mala. Conſtat quoque idem proinde dicendum de turpitudine, & infamia, quæ voluptatibus tribui ſolet: quippe ea pertinet potiùs ad ipſas actiones, quibuſcum cohærent, quæque ipſæ per ſe cum morum honeſtate pugnant, & vitio, probróque vertuntur. *Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.* Heinc eſt quamobrem leges vetent non voluptatem, v. c. quæ ex adulterio percipitur, ſed ipſam actionem adulterij, quæ, quia per ſe prohibita, ac infamis eſt, ex conſequenti ſolùm eſt, quod iuncta voluptas prohibita, infamiſque cenſeatur. Et fac certè prohibitionem, vt in ſtatu meræ naturæ, abeſſe; aut fac contigiſſe, vt quæ coniugati illius eſt vxor, foret vxor huius, qui iam eſt adulter; eadem futura fuiſſet voluptas, & non illa tamen habita infamis, quoniam illa actio, cui eſſet adiuncta, neque vetita, neque probroſa fuiſſet; vt proinde intelligamus Voluptatem merito non ſui, ſed eius actionis, cui cohæret, culpandam. Refert porrò ad hæc *10. Eth. 1.* Ariſtoteles quod nonnulli opponunt, vtilius eſſe, tametſi voluptas malum non ſit, eam tamen habere in malis propter Multitudinem, quæ in voluptatem propenſa, deflectenda ſit (ligni recurui inſtar) in oppoſitum, vt reduci ad medium poſſit. Verùm reſpòndet ipſemet non rectè hoc dici, quòd in hoc affectuum, actionúmque negotio verba non perinde, ac ipſa facta fidem inueniant; adeò vt, dum verba non congruunt cum iis, quæ ipſo ſenſu percipiuntur, tùm contemnantur, tùm ſi quid boni ſub ſe contineant, ſimul euertant. Qui vituperat enim voluptatem, ſi ipſe vel ſemel eam appetere viſus fuerit, ita propendere in ipſam videtur, quaſi omnis voluptas expetenda ſit; neque enim eſt ipſius multitudinis ſtatuere inter iſta diſcrimen. Quamobrem videtur innuere Ariſtoteles præſtabilius eſſe non tam voluptatem collocare ipſam in malis, quandò manifeſtè refragatur ſenſus, qui ipſam, quantum eſt ex ſe, bonam probat; quàm agnoſcere, & exaggerare mala, quæ voluptates aliquas aut comitantur, aut ponè ſequuntur; vt proinde debeat vir ſapiens, ſeu prudens, atque temperans abſtinere potiùs ab huiuſmodi voluptatibus, quàm earum occaſione in mala adeò grauia incidere. Niſi autem Reſponſio Ariſtotelis placeat, & vrgendum putes illud Senecæ, cùm de Epicuri opinione loquens: *Hoc eſt*, inquit, *cur iſta voluptatis laudatio pernicioſa ſit, quia honeſta præcepta intra latent; quod corrumpit, apparet.* *Lib. de vit. beat. cap. 14.* Nihil vetet ſanè in ipſam quoque voluptatem declamitare; intelligendo eas voluptates, quæ longè plus mali ſecum inuehunt, quàm contineant boni (atque id quidem apud vulgus, quod iuxta Ariſtotelem diſtinguere minimè valet inter illud, quod eſt per ſe, & illud, quod ex accidenti, ſeu bonum, ſeu malum.) Videlicet ad perſuaſionem, perinde eſt ſeu voluptatem, ſeu actionem, cui coniuncta eſt, malam dicas, vt fugiendam eſſe alterutram inferas, propter mala, quæ ex vtrávis

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. Lib. 3. cap. 14. ob cohæſionem conſequuntur. Nihil verò hcie addendum ad ea, quæ ab Empirico in Pyrrhoniis hypotypoſibus obiiciuntur; cùm diuerſa non ſint ab iis, quæ ex Ariſtotele ſunt relata; niſi fortè illud, quod de Dolore ſuperaddit, vt eſſe non malum, ſed bonum confirmet, quatenus & boni plerumque eſt cauſa, & ipſum ſæpiùs proſequimur; quodque tamen occurrit eodem proportione modo ſoluendum, ac illud quod fuit circa voluptatem à pari obiectum. Nimirum, quia conſtat dolorem merito non ſui, ſed boni adiuncti, conſequuturíve appeti, bonúmque cenſeri.

Grauior heic eſſet diſputatio cum Stoïcis, nihil bonum eſſe contendentibus, præter id, quod honeſtum eſt; nihil malum, præter id, quod turpe. Verùm id nihil eſt neceſſe, quandò vno verbo manifeſtum eſt, factam eſſe ab ipſis de voce controuerſiam, cùm notionem boni ita contraxerunt, quam mortalium cæteri adeò generaliorem habent. Cùm cæteri enim, præter ipſas virtutes, alia multa in bonis habeant, vt ſanitatem, voluptatem, gloriam, diuitias, amicos, alia; ac præter vitia, multa in malis, vt morbum, dolorem, ignominiam, paupertatem, inimicos, &c. ipſi prætulère hæc dicere potiùs ἀδιάφορα, *indifferentia*, ſeu neque bona, neque mala; & quòd nihilominus foret adeò euidenter abſurdum pro eodem habere ſanitatem, & morbum; voluptatem, & dolorem, &c. ideò cenſuerunt priora illa dicenda eſſe προηγμένα *Producta*, ſeu *Promota*; iſta poſteriora ἀποπροηγμένα, *Abducta*, ſeu *Remota*; quòd illa quidem, tanquam dignitatem, & æſtimationem habentia ſint ipſi honeſto, ſiue Virtuti propinquiora; iſta quaſi indignitatem, deæſtimationémque ſortita, ſint ab Ap. Cicer. Empiric. Laërt. Stob. &c. illo remotiora; *Eadem ratione*, inquiunt, *qua in Aula, qui dignitate eminent, ſunt verſus Regem promotiores; qui non eminent, remotiores.* Interpretatur etiam, appellátque Circero illa, *Præcipua*, & *Præpoſita*; iſta, *Reiecta*, & *Reiectanea*; quòd inter eligendum illa præferantur, iſta dimittantur. Aduerſus hæc autem pigeat quicquam aliud, quàm quod 4. De fin. ab ipſo Cicerone obiicitur, reponere. Is ergo alloquens Catonem, cui Stoïcorum parteis tribuit: *Media illa*, inquit, *inter quæ nihil intereſt, tamen eiuſmodi ſunt, vt eorum alia eligenda ſint, alia reiicienda, alia omnino negligenda; hoc eſt, vt eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modò dixeras nihil in his rebus eſſe, quod intereſſet. Et nunc idem dico, inquies, ſed ad virtutes, & ad vitia nihil intereſſe. Quis iſtud, quæſo, neſciebat? verùm audiamus. Iſta inquit* (ſupple Zeno) *quæ dixiſti, valere, locupletem eſſe, non dolere, bona non dico; ſed Græcè dico* προηγμένα, *Latinè autem Producta; ſed Præpoſita, aut Præcipua malo; ſic tolerabilius, & mollius. Iſta autem, egeſtatem, morbum, dolorem, non appello mala, ſed, ſi libet, Reiectanea. Itaque illa non dico me expetere, ſed eligere; nec optare, ſed ſumere; contraria autem non fugere, ſed quaſi ſecernere. Quid ait Ariſtoteles, reliquique Platonis alumni? Se omnia, quæ ſecundùm naturam ſint, bona appellare; quæ autem contra, mala. Vides-ne igitur Zenonem tuum cum Ariſtone verbis conſentire, re diſſidere; cum Ariſtotele, & illis re concinere, verbis diſcrepare? Cur igitur, cùm de re conueniat, non malimus vſitatè loqui? aut doceat, paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, ſi illam in rebus Præpoſitis, quàm ſi in Bonis duxero; fortioremque in patiendo dolore, ſi eum aſperum, & difficilem perpeſſu, & contra naturam eſſe, quàm ſi Malum dixero. Facetè M. Piſo familiaris noſter & alia multa, & hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim? aiebat, Bonum negas eſſe diuitias; Præpoſitum eſſe dicis; quid adimuas; Auaritiamne minuis? Quod ſi verbum ſequimur, primùm, longius verbum Præpoſitum, quàm Bonum. Nihil ad rem: ne ſit ſanè; at certè grauius. Nam Bonum ex quo appellatum ſit, neſcio; Præpoſitum ex eo, credo, quòd præponatur aliis. Id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui diuitiis à Zenone, qui eas in Præpoſitis poneret, quàm ab Ariſtotele, qui Bonum eſſe diuitias fateretur. Sed nec magnum bonum, & præ rectis, honeſtiſque contemnendum, ac deſpiciendum, nec magnopere expetendum: omninóque de omnibus iſtis verbis à Zenone mutatis, ita diſputabat, & quæ bona negarentur eſſe ab eo, & quæ mala, illa lætioribus nominibus ab eo appellari, quàm à nobis, hæc triſtioribus.* In pag. 85. Hæc fusè quidem recitantur; ſed omitti tamen non debet, quod dictum antè iam fuerat. Declarans enim Cicero quæ magna antiquorum peccata veri inueſtigandi Zeno cupidus nullo modo ferre potuerit: *Quid enim*, inquit, *peruerſius* (videlicet quaſi verba ſint Zenonis) *quid intolerabilius, quid ſtultius, quàm bonam valetudinem, quàm dolorum omnium vacuitatem, quàm integritatem oculorum, reliquorúmque ſenſuum, ponere, in bonis potiùs, quàm dicere, nihil omnino inter eas res, iiſque contrarias intereſſe? Ea enim omnia, quæ illi bona dicerent, Præpoſita eſſe, non Bona; itemque illa, quæ in corpore excellerent, ſtultè antiquos dixiſſe per ſe eſſe Expetenda, & Sumenda potiùs, quàm Expetenda. Eademque de omni vita, quæ in vna virtute conſiſteret: illam vitam, quæ etiam cæteris rebus, quæ eſſent ſecundum naturam, abundaret, magis Expetendam non eſſe, ſed magis Sumendam. Cumque ipſa virtus ita efficiat beatam vitam, vt beatior eſſe non poſſit; tamen quædam deeſſe ſapientibus, tum cùm ſunt beatiſſimi: itaque eos id agere, vt à ſe dolores, morbos, debilitates repellant.* Concludit: *O magnam vim Ingenij, cauſámque iuſtam, cur noua exſiſteret diſciplina!* Porrò & heic illud attexendum eſt, quod ſpeciatim circa Dolorem idem Cicero in hunc modum habet: *Concludunt*, inquit, *ratiunculis Stoïci, cur* 2. Tuſc.

non

In pag. 85. *non ſit malum: quaſi de verbo, non de re laboretur. Quid me decipis, Zeno? Nam cum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum eſſe negas, Capior, & ſcire cupio, quomodo id, quod ego miſerrimum exiſtimem, ne malum quidem ſit. Nihil eſt,* inquit, *malum, niſi quod turpe, & vitioſum eſt. Ad ineptias redis. Illud enim, quod me angebat, non eximis. Scio dolorem non eſſe nequitiam: deſine id me docere; hoc doce, doleam, nec-ne doleam, nihil intereſſe. Nunquam quidquam,* inquit, *ad beatè quidem viuendum, quod eſt in vna virtute poſitum; ſed tamen eſt Reiiciendum. Cur? Aſperum eſt, contra naturam, difficile perpeſſu, triſte, durum. Hac copia verborum eſt, quod omnes vno verbo Malum appellamus, id tot modis poſſe dicere. Definis tu mihi, non tollis dolorem, cùm dicis aſperum, contra naturam, vix quod ferri, tolerarique poſſit, nec mentiris: ſed re ſuccumbere non oportebat verbis gloriantem, dum nihil bonum, niſi quod honeſtum; nihil malum, niſi quod turpe. Optare hoc quidem eſt, non docere. Illud & meliùs, & veriùs: Omnia, quæ natura aſpernatur, in Malis eſſe; quæ adſciſcit, in Bonis.* Et ſic quidem ille.

Alterum caput de Voluptate Dolori interdum poſt-habenda, déque dolore præeligendo, cohæret planè cum ſuperiore. Et certè ipſa eſſe vox naturæ videtur, qua præſcribuntur ij Canones, quos de Voluptate, & Moleſtia, ſiue Dolore diſtinximus, cùm Animaduerſiones in Canonicam Epicuri concluderemus. Quippe, ſi offeratur Voluptas In Philebo. ex genere earum, quas Plato καθαρὰς, καὶ ἀλύπους *Puras, & ab omni moleſtiæ immiſtione ſecretas* dicit, eiuſmodi videlicet, qualeis neque impræſentiarum, neque in futurum ſiue huius, ſiue alterius vitæ tempus, vllus penitus dolor conſequatur; nemo eſt, qui dicere poſſit, cùr ea voluptas amplectenda non ſit. Sin talis Dolor offeratur, quem liceat quoque dicere καθαρὸν, καὶ ἀνήδονον, *purum, ac omnino à voluptate ſeiunctum*; hoc eſt, quem nulla neque iam, neque olim conſequutura voluptas ſit; nemo eſt, qui quare is non ſit refugiendus, dicere poſſit. Quod ſi Voluptas ea offeratur, quæ aut maiori voluptati conſequendæ obſtaculo ſit, aut cum dolorem à tergo ducat, ob quem ſit futurum, vt iure illius captatæ pœniteat; nulla ratio eſt, quæ illam non eſſe refugiendam probet. Aut, ſi is offeratur Dolor, qui vel grauiorem longè auertat, vel eam poſt ſe voluptatem trahat, ob quam fuiſſe illum ſuſceptum meritò delectet, nulla quoque eſt ratio, quæ non eſſe illum amplectendum ſuadeat. Porrò hæc ipſa eadem-met ſunt, quæ in contextu deducuntur; húcque eſt, quò reſpeximus, cum in Canonica obſeruauimus Criterium, quo quid amplectendum, quid fugiendum ſit, diiudicare oporteat, eſſe ex Epi- 14. Præpar. curo Voluptatem, atque Dolorem. Indicauimus illeic loci retuliſſe Euſebium ex Ariſtocle Epicuream hanc ſententiam, quod *Voluptas, & Dolor ſint nobis Principium, & Criterium electionis, ac fugæ*: en verò vt Ariſtocles dicere ſtatim pòſt de Epicuro pergat: Καίτοι, inquit, ἀξιοῦντες ἅπασαν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι, καὶ πᾶσαν ἀλγηδόνα κακὸν, ὅμως οὐκ ἀεὶ, φασὶ, δεῖν τὴν μὲν αἱρεῖσθαι, τὴν δὲ φεύγειν· μετρεῖσθαι γὰρ αὐτὰ δεῖ ποσῷ, οὐ καὶ τῷ ποιῷ. Et illud: Ἄμεινον γὰρ εἶναι ὑπομεῖναι τοὺς δέ τινας τοὺς πόνους, ὅπως ἡσθείημεν ἡδονὰς μείζους, καὶ συμφέρειν τῶν δέ τινων ἀπέχεσθαι τῶν ἡδονῶν, ἵνα μὴ ἀλγῶμεν ἀλγηδόνας χαλεπωτέρας. *Tametſi omnem voluptatem eſſe quid bonum exiſtiment, & omnem dolorem quid malum; non aſſerunt tamen oportere ſemper aut proſequi illam, aut fugere hunc; ſed eſſe in ipſis ſicut qualitatis, ita quantitatis habendam rationem. Nempe præſtare, vt dolores ſuſtineamus aliquos, quò voluptatibus potiamur vberioribus; ac expedire, vt abſtineamus ab aliquibus voluptatibus, ne ſubinde dolores difficiliores perferamus.* Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

An heic verò ſubiiciam, quod in eundem ſenſum habet Cicero, cùm de Epicuro lo- 5. Tuſc. quens: *Totum hoc,* inquit, *de Voluptate ſic ille præcepit, vt voluptatem ipſam per ſe, quia voluptas ſit, ſemper optandam, expetendámque putet; eademque ratione Dolorem, ob idipſum, quòd dolor ſit, ſemper eſſe fugiendum. Itaque hac vſurum compenſatione ſapientem, vt voluptatem fugiat, ſi ea maiorem dolorem effectura ſit; & dolorem ſuſcipiat, maiorem efficientem voluptatem.* An item, quod Seneca, dum Epi- De otio ſap. curum dicere ait: *Se receſſurum à Voluptate, dolorem etiam appetiturum, ſi aut voluptati imminebit pœnitentia, aut dolor minor pro grauiore ſumetur.* Verùm, ne plura congeram, ſufficere heic debet, quod ipſe Torquatus Epi- 1. De fin. curi ſententiam declarans, fuſiuſculè ediſſerit. Verba itaque illius hæc ſunt: *Vt perſpiciatis vnde omnis iſte error natus ſit, Voluptatem accuſantium, doloremque laudantium, totam rem aperiam; eaque ipſa, quæ ab illo inuentore veritatis, & quaſi Architecto beatæ vitæ dicta ſunt, explicabo. Nemo enim ipſam Voluptatem, quia voluptas ſit, aſpernatur, aut odit, aut fugit; ſed quia conſequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem ſequi neſciunt. Neque porrò quiſquam eſt, qui dolorem ipſum, quia dolor ſit, amet, conſectetur, adipiſci velit; ſed quia nonnunquam eiuſmodi incidunt tempora, vt labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem. Vt enim ad minima veniam; Quis noſtrum exercitationem vllam corporis ſuſcipit laborioſam, niſi vt aliquid ex ea commodi conſequatur? Quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit eſſe, quam nihil moleſtiæ conſequatur? vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? At verò eos & accuſamus, & iuſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis præſentium Voluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, quas moleſtias excepturi ſint, occæcati cupiditate non prouident. Similique ſunt in culpa, qui officia deſerunt*

Digitized by Google

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

ſerunt mollitiâ animi, id eſt laborum, & dolorum fugâ. Et harum quidem rerum facilis eſt, & expedita diſtinctio. Nam libero tempore, cùm ſoluta nobis eſt eligendi optio, cùmque nihil impedit, quò minus id, quod maximè placeat, facere poſſimus, omnis voluptas aſſumenda eſt, omnis dolor depellendus. Temporibus autem quibuſdam ſæpè eueniet, vt & voluptates repudiandæ ſint, & moleſtiæ non recuſandæ. Itaque harum rerum hic tenetur à ſapiente delectus, vt aut reiiciendis voluptatibus, maiores alias conſequatur; aut perferendis doloribus, aſperiores repellat. Et poſteà, ſoluendo aliqua obiecta: *Id totum,* inquit, *euertitur eo delectu rerum, quem modo dixi conſtituto, vt aut Voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiſcendarum cauſâ, aut dolores ſuſcipiantur, maiorū dolorū effugiendorū gratiâ.* Hæc quidem Torquatus.

In Protag.

Quibus ſi quid addendum eſt, ipſe eſt conſenſus Platonis, Ariſtoteliſque, eodem Canone, Criterióve vtentium. Nam ad Platonem quod attinet, contendit imprimis apud ipſum Socrates multis, non eſſe quidem Voluptatem rem malam, neque Moleſtiam bonam, ratione eius temporis, quo percipitur; ſed eſſe nihilominus poſſe ratione illius, quod conſequitur; quatenus nempè euenit, vt voluptas in morbos, paupertatem, & ſimilia incommoda deſinat; moleſtia verè in ſanitatem, diuitias, vrbis ſalutem, &c. vt proinde non ratione ſui, ſed ratione euentus Voluptas quidem mala, Moleſtia verò bona cenſeatur, adeóque & ipſum quidem *gaudere*, ſeu voluptate frui, τὸ χαίρειν, appelletur malum, ὅταν μειζόνων ἀποστερῇ ἡδονῶν, ἢ ὅσας ἔχει, ἢ λύπας μείζους παρασκευάζῃ τῶν ἐν αὐτῷ ἡδονῶν, *quando priuat maioribus, quàm ipſum contineat, voluptatibus, aut maiores dolores iis, quæ in ipſo ſunt, voluptatibus parat.* Ipſum verò *dolere*, ſeu moleſtiam pati, λυπεῖσθαι, cùm dicatur bonum, ὅταν ἢ μείζους λύπας τῶν ἐν αὐτῷ οὐσῶν ἀπαλλάττῃ, ἢ μείζους ἡδονὰς τῶν λυπῶν παρασκευάζῃ, *quando aut maiores moleſtias, quàm ipſum contineat, auertit; aut maiores parat ipſis moleſtiis voluptates.* Quæ ideò ad verbum refero, quia videri poteſt Epicuri Canonas ad iſthæc compoſitos eſſe. Deinde, cùm Epicurus doceat iſta συμμετρήσει, commenſuratione diiudicanda eſſe; contendit rurſus Socrates vſurpandam eſſe pari modo artem, quam μετρητικὴν, *dimetiendi* appellat. Sic nempè, vt quemadmodum, ne magnitudines eminùs conſpectæ, & præ ſpectatis cominùs iuſto minores viſæ, nos fallant, dimetiendi arte vtimur; ita, ne Voluptates, ac moleſtiæ, quæ dum futuræ ſunt, aut nullæ, aut extenuatæ, præ illis, quæ ſunt præſentes apparent, nos decipiant, debita ſuccurrat proſpectio, & conſideratio, ex qua exſiſtat *compenſationis* (vt Cicero appellat) *ſcientia*. Vnde & prætereà ſic fieri rem iubet, vt ſi omnes tam Voluptates, quàm moleſtiæ & tam quidem præſentes, quàm futuræ veluti coram poſitæ, expendantur ad trutinam. *Etenim*, inquit, *ſi Voluptates præſenteis, cum futuris libres; eæ ſemper ſunt eligendæ, quæ maiores, pluréſve ſunt. Sin Moleſtias cum Moleſtiis, ea, quæ minores, paucioréſve. At, ſi Voluptates præſenteis cum futuris moleſtiis; aut præſenteis moleſtias cum voluptatibus futuris, tùm voluptates eligendæ, ſi præponderent; ſin moleſtiæ præponderent, ſecus.* In pag. 85. Ad Ariſtotelem quod ſpectat, retulimus iam in Canonicis id, quod ille ait: *Nos* ἡδονῇ, καὶ λύπῃ τὰς πράξεις κανονίζειν, *Voluptate, & Dolore, quaſi canone, dirigere actiones:* 1. Eth. 2. Ecce alio loco, vbi de ipſis actionibus, illarúmque principiis, prolixiorem ſermonem concludit: *Vt breue faciam*, inquit, *quæcumque homines per ſe agunt, aut bona ſunt, aut viſa bona; aut iucunda, aut viſa iucunda. Et quia quæcumque per ſe agunt, ſponte agunt; non ſponte verò, quæ per ſe non agunt; omnia, quæcumque per ſe agunt, bona erunt, aut viſa bona; iucunda, aut viſa iucunda. Nempè in bonis quoque repono & liberationem à malis, aut iis, quæ videntur mala; & ſuſceptionem minoris mali, vice illius, quod maius ſit. Quippe eligendorum rationem quodammodo habent, tùm ipſa à rebus moleſtis, viſíſve moleſtis ereptio; tùm ipſa eorum, quæ minus, vice eorum, quæ magis ſunt moleſta, aſſumptio. Quod idem proportione modo de iucundis dicendum eſt.* 1. Rhet. 10. Quo loco cùm τὰ λυπηρὰ, *quæ moleſta ſunt*, non alia à malis habeat; intelligi licet, non habere ipſum ea, quæ iucunda, alia à bonis; eo ſcilicet modo, quo & Plato quoque dicere ſe eadem binis nominibus teſtatur. Loc. cit. Quod verò ait eſſe quædam bona ſeu iucunda, & mala ſeu moleſta φαινόμενα, *viſa*, ſeu quæ talia eſſe appareant, quaſi talia minimè ſint, inſinuat eas voluptates, quas aut maiorum voluptatum priuatio, aut grauiorum dolorum inductio conſequitur; & eas moleſtias, quas maiorum aut dolorum ſeclusio, aut voluptatum illatio manet. Sed hac de re quidem vberius, vbi de libertate, electionéque diſputabitur.

HISCE præmiſſis; vt ad ipſam demum Epicuri ſententiam quòd Voluptas ſit Finis, accedamus; nihil eſt neceſſe repetere, quo ſenſu heic voces ſeu Finis, ſeu Felicitatis, ſeu Summi Boni vſurpentur. Cùm cognoſcenda ſuperſit ratio, quæ Epicurum permouerit, Notandum eſt dumtaxat illam pertinere ad Voluptatem, partim generatim, ac ſimpliciter, partim ſpeciatim, ac prout regi à Sapientia debet, ſpectatam. Ita ſcilicet diſtinguendum apud Epicurum Alexander innuit, cùm ſcribit ex illius mente eſſe quidem Voluptatem τὸ πρῶτον οἰκεῖον ἁπλῶς, *primum familiare*, ſeu *Naturæ accommodatum ſimpliciter; verùm* προϊόντων διαρθροῦσθαι ταύτην τὴν ἡδονὴν, *deinceps quaſi in ordinem redigi talem Voluptatem.* 2. De An. 40. Quare & cùm de hac quidem poſteriore, quæ nihil aliud eſt Epicuro, quàm Indolentia, & Tranquillitas, ſit dicendum poſteriùs; ideo peruidenda priùs ratio eſt, quæ illam priorem, generatimve acceptam adſtruit. Cæterum autem quia Epicurus talem rationem ex eo deſumit, quòd Voluptas ſit ἀγαθὸν πρῶτον, καὶ συγγενικὸν,

Primum,

In pag. 85. *Primum, & congenitum bonum*; & hoc attingit quæſtionem illam apud Antiquos celebrem, de eo, quod mox inſinuatum eſt appellari 5. De fin. πρῶτον οἰκεῖον, *Primum Familiare*, ſeu, vt Cicero interpretatur, primum aptum, adſcitum, accommodatúmque naturæ; eapropter illa nobis videtur pluſquam obiter memoranda. Loc. cit. Itaque docet Alexander occaſionem eſſe ipſi factam, quòd cum in ſerie expetendorum ſit aliquod vltimum ἔσχατον ὀρεκτόν, debeat ergo eſſe & quoddam expetendorum primum, quoddamve expetitionis principium, *quod vocant*, inquit, πρῶτον οἰκεῖον, *Primum naturæ accommodatum, de quo apud Philoſophos quæratur, ac eâdem penè, quâ de vltimo Fine Sententiarum diuerſitate certetur*. Loc. cit. Cicero autem rem ſic declarat. *Conſtitit*, inquit, *ferè inter omneis, id, in quo Prudentia verſaretur, & quod aſſequi vellet, aptum, & accommodatum naturæ eſſe oportere, & tale, vt ipſum per ſe inuitaret, & alliceret appetitum animi, quem* ὁρμὴν *Græci vocant. Quid autem ſit, quod ita moueat, itáque à natura in primo ortu appetatur, non conſtat, déque eo eſt inter Philoſophos, cùm Summum Bonum exquiritur, omnis diſſenſio. Totius enim quæſtionis eius, quæ habetur de Finibus bonorum, & malorum, cum quæritur in his, quid ſit extremum, & vltimum, fons reperiendus eſt, in quo ſint prima inuitamenta naturæ; quo inuento, omnis ab eo, quaſi capite de ſummo bono, & malo diſputatio ducitur. Voluptatis alij primum appetitum putant, & primam depulſionem doloris. Alij cenſent primum adſcitum doloris vacuitatem, & primum declinatum dolorem. Alij, ab iis, quæ prima ſecundum naturam nominant, proficiſcuntur, in quibus numerant incolumitatem, conſeruationemque omnium partium, valetudinem, ſenſus integros, doloris vacuitatem, vireis, pulchritudinem, cæteraque generis eiuſdem; quorum ſimilia ſunt prima in animis quaſi virtutum igniculi, & ſemina. Ex his tribus, cùm vnum aliquod ſit, quo primùm natura moueatur vel ad appetendum, vel ad repellendum; nec quidquam omninò, præter hæc tria poſſit eſſe; neceſſe eſt omninò officium aut fugiendi, aut ſequendi ad eorum aliquod referri.* Tribuit ſubinde Cicero Primam ſententiam, quæ eſt de Voluptate, Ariſtippo; Secundam, quæ de Indolentia, Hieronymo; Tertiam, quæ de Primis ſecundum naturam, (quæ vocant etiam Prima naturæ, itemque Principia à natura data; 2. Strom. &, vt Archidemus apud Clementem, μέγιστα, καὶ κυριώτατα, *Maxima, maximéque rata*) Carneadi, non vt Authori, ſed vt defenſori; cùm eamdem antiquis attribuens, eos eſſe Academicos, & Peripateticos dicat; Alibique adeò pro illa Xenocratem, & Ariſtotelem citet, nec ſecus loquenteis Stoicos inducat. 4. De fin. 5. De fin. Loc. cit. Alexander autem Primam ſententiam ad Epicureos refert; Secundam ad Megaricos; & cùm Academicis τὴν ἀπροπτωσίαν, *vacuitatem à lapſu*, ſeu *errore* tribuat; tum opinionem Tertiam de primis naturæ, ad ipſos refert Stoïcos, vt qui dixerint Primum familiare eſſe τὸ ζῶον αὐτῷ, *Animal ipſum ſibi* (vnumquodque enim ſimul ac eſt natum, πρὸς αὐτὸν οἰκειοῦσθαι, *ſibimetipſi conciliari*) tum quod ad Ariſtotelem ſpectat, ſcribit eamdem quidem ipſi à Xenarcho, Boëthóque attribui, ſed & alios memorat eſſe, qui primam, quæ eſt de Voluptate, attribuant; Ipſéque vtroſque concilians, docet, vt Ariſtoteles agnoſcit τέλος ὅ, *Finem qui*, Felicitatem videlicet; ac τέλος ᾧ, *Finem cui*, vtpute ipſum hominem, cui conueniat felicitas; ſic ab eo fieri duplex Principium, ſeu Primum familiare, *Quod* nempe, & *Cui*; ac illud quidem eſſe Animal, ſiue Hominem ipſum ſibi, hoc verò eſſe Voluptatem. *Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.*

Cùm ex hiſce porrò opinionibus, non modò Prima Epicuri ſit, ſed Secunda etiam quatenus nomine Voluptatis vacuitatem quoque doloris, ſeu moleſtiæ complectitur; videri poteſt Tertia, quatenus eſt tam Stoicorum, quàm ex quorumdam interpretatione, ipſius Ariſtotelis, minùs Probabilis habenda. Nam, cùm, ſicut ab ipſo eodem Alexandro obiicitur, idem ſui ipſius reſpectu dici non poſſit expetendum, quia neque aliud à ſeipſo, neque ſibi ipſi ſit abſens, quale eſſe debet, quod expetitur; ac Animal ideò non poſſit dici propriè ipſum ſuimet reſpectu πρῶτον ὀρεκτόν, *Primum expetibile*; ſequitur ſanè, vt Animal dici propriè non valeat ipſum ſibi πρῶτον οἰκεῖον, *Primum familiare, adſcitum, aptum, accommodatum*; ſed tale ſit, quod habeat aliam ab ipſo animali naturam, quódque abeſſe ab ipſo valeat, ac primò omnium, maximéque, & ob ſeipſum expetatur. Hoc verò quod-nam aliud ſit, quàm ipſa Voluptas, dicere non licet; Quippe & tametſi dici concedatur expetere animal ſeipſum, ſibique ipſi aptum eſſe; idque interpretari ſic liceat, Quaſi eſſe, hoc eſt in vita perſeuerare deſideret: aut Quaſi totius ſanitatem, & ſingularem partium, facultatúmque incolumitatem exoptet: Nihilominùs attendenti perſpicuum euadet, hæc deſiderari, exoptarique ſolummodò, quatenus Volupe eſt vitâ, ac ſanitate, & membrorum, viriúmque integritate frui: adeò proinde, vt Voluptas ſit, cuius gratiâ iſta expetuntur, primaſque ideò inter illa, quæ expetuntur, obtineat. Idipſum eſt certè, quod Alexander videtur ex Ariſtotele confirmare, dum ex decimo Nicomacheorum locum hunc (tametſi non integrè) refert. Cap. 4. *Exiſtimare aliquis poſſit omneis homines voluptatem expetere, quòd viuere omnes expetant, & vita operatio ſit quædam, ac circa ea quiſque maximè operetur, quæ maximè diligit; vt muſicus auditu circa cantus; & diſciplinarum ſtudioſus mente, circa contemplationes, atque ita de cæteris; ipſa autem Voluptas, operationes perficit, atque adeò vitam, quam appetunt omnes: Quamobrem & meritò iure voluptatem appetunt, quando ipſa eſt, quæ perficit optabilem omnibus vitam.* 9. Eth. 9. Spectat huc proinde, quod alibi ait, *Eſſe vitam ex iis, quæ per ſeſe ſunt bona,*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. *& iucunda.* Prætereo autem locum alium, qui ab Alexandro inſinuatur, vt Voluptas eſſe Primum familiare, accommodatúmve iuxta Ariſtotelem probetur, haberi in Libro Nicomacheorum ſecundo. Ibi ſcilicet, *Cùm*, inquit,
Cap. 2. *tria ſint, quæ ad ſui proſequutionem mouent, nempe Honeſtum, Vtile, & Volupe, ſiue Iucundum: tria ex oppoſito, quæ ad fugam, vt-putà Turpe, Inutile, Moleſtum, circa hæc quidem omnia vir bonus rectè agit, malus autem peccat; & maximè quidem circa Voluptatem. Quippe Voluptas res eſt communis omnibus animantibus; eſtque eorum omnium, quæ cadunt in electionem, aſſidua comes. Siquidem etiam id quod Honeſtum, etiam id, quod Vtile eſt, eſſe Volupe deprehenditur. Voluptas præterea à tenerrima vſque ætatula nobis cōnutritur, ac ideò talem affectionem, quâ vita noſtra quaſi tincta, penitúſque imbuta eſt* (ἐγκεχρωσμένον τοῦ βίου πάθος) *velle abſtergere, eluereque, hoc opus, hic labor.* Quo loco duo ſunt obſeruatu digna; Vnum eſt, cùm tria vulgò ſoleant genera bonorum diſtingui, Honeſtum, Vtile, Iucundum; ipſum Iucundum, ſiue Voluptatem, τὸ ἡδὺ, ita cæteris commiſceri, vt videri poſſit non tam ſpecies ab iis diſtincta, quàm genus ipſorum commune, aut communis certè affectio, quæ in illis ſit ipſa ratio boni, expetibiliſve; ſeu id, propter quod expetuntur. Nempe, quaſi id, quod honeſtum, vtiléque eſt, expectamus, proſequamúrque, quia gratum, iucundúmque ſit; ſeu non ſine iucunditate, voluptatéque poſſideatur. Alterum, cùm Voluptas ſit & animantium omnium communis, & ab initio vſque ætatis adſcita, ac alinnde à rei cuiuſque, quam expetimus, delectu inſeparabilis; ipſam ideò iure videri Primum naturæ accommodatum.

Itaque videri ex his poteſt planiſſimè omnium feciſſe Epicurum; cum eamdem Voluptatem ſtatuit τὸ πρῶτον οἰκεῖον, καὶ ἔσχατον ὀρεκτὸν, *& primum naturæ accommodatum, & Expetendorum extremum*; quatenus ex communi Effato, *Idem eſt primum in intentione, quod eſt vltimum in exſequutione.* Quare & vt Ratio, de qua dici erat cœptum, reſumatur, ea tum in hoc ipſo, qui eſt præ manibus contextu habetur, tum infrà etiam à Laërtio paulò ſecus proponitur. Et heic quidem poſtquàm propoſuit eſſe Voluptatem ἀρχὴν, καὶ τέλος, *Principium, ac Finem*; tum ſubdit, *Quippe eſſe eam bonum primum, & congenitum deprehendimus; ipſaque eſt, à qua electionem, fugámque omnem auſpicamur, & in quam tandem deſinimus; hoc principio vſi, tanquam regulâ ad bonum omne diiudicandum.* Inferiùs autem cætera inter, quæ Laërtius interiicit, refert Epicurum demonſtrare *Voluptatem eſſe finem*, ὅτι τὰ ζῷα, &c. Ex eo, *Quod animalia omnia ſimul ac ſunt nata, ſponte ipsâ natura, & citra vllum ratiocinium, ipſam complectantur, & dolorem refugiant.* Huiuſmodi autem Rationem, Demonſtrationémve excipiens, amplificánſque Torquatus, dicit Epicurum inſtituere do-
1. De fin. cere eam ſic: *Omne Animal, ſimulatque natum ſit, voluptatem appetere, eâque gaudere, vt ſummo bono; dolorem aſpernari, vt ſummum malum, & quantum poſſit, à ſe repellere, idque facere nondum* In pag. 85.
deprauatum, ipſa natura incorruptè, atque integrè iudicante. Itaque negat opus eſſe ratione, neque diſputatione, quamobrem Voluptas expetenda, fugiendus Dolor ſit. Sentiri hoc putat, vt calere ignem, niuem eſſe albam, dulce mel; quorum nihil oportere exquiſitis rationibus confirmare; ſatis eſſe admonere. Intereſſe enim inter argumentum, concluſionémque rationis, & inter mediocrem animaduerſionem, atque admonitionē. Alterâ, occulta quædam, & quaſi inuoluta aperiri; alterâ, prompta, & aperta indicari. Etenim, quoniam detractis de homine ſenſibus, reliqui nihil eſt: neceſſe eſt, quid aut ſecundùm naturam, aut contrà ſit, à natura ipſa indicari. Voluptatem etiam & per ſe expetendam eſſe, & dolorem ipſum per ſe eſſe fugiendum. Etenim quid percipit, & quid iudicat, quò aut petat, aut fugiat aliquid, præter voluptatem, & dolorem? Hæc quidem Torquatus. Vt obiter autem agnoſcas exteros quoque Philoſophos haud ſecus fuiſſe argumentatos iuxta id, quod Primum naturæ accomodatum eſſe cenſuerunt: conſulendus ſolùm idem Cicero, qui pari ratione inducit imprimis quidem M. Catonem 3. De fin.
Stoïcorum parteis ſequutum, ac inde ducentem exordium: *Placet his, quorum ratio mihi probatur, ſimul-atque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari, & commendari ad ſe conſeruandum, & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſeruantia ſunt eius ſtatus, diligenda: alienari autem ab interitu, iiſque rebus, quæ interitum videantur afferre. Id ita eſſe ſic probant, quòd antequàm voluptas, aut dolor attigerit, ſalutaria appetant parui, aſpernentúrque contraria. Quod non fieret, niſi ſtatum ſuum diligerent, interitum timerent; fieri autem non poſſet, vt appeterent aliquid, niſi ſenſum haberent ſui, eóque ſe & ſua diligerent. Ex quo intelligi debet principium ductum eſſe à ſe diligendo*, &c. Deinde etiam M. Piſonem, qui ex Peripateticorum mente ita pariter exorditur: *Omne animal* 5. De fin.
ſeipſum diligit; & ſimul-ac ortum eſt, id agit, vt ſe conſeruet, quòd hic ei primus ad vitam tuendam appetitus à natura datus, ſe vt conſeruet, atque ita ſit affectum, vt optimè ſecundùm naturam affectum eſſe poſſit. Hanc initio conſtitutionem confuſam habet, & incertam, vt tantummodò ſe tueatur, qualecumque ſit; ſed nec quid ſit, nec quid poſſit, nec quid ipſius natura ſit, intelligit. Cùm autem proceſſit paulùm, & quatenus quidque ſe attingat, ad ſéque pertineat perſpicere cœpit, tum ſenſim incipit progredi, ſeſéque agnoſcere, & intelligere quam ob cauſam habeat eum, quem diximus, animi appetitum; cœptatque & ea, quæ natura apta ſentit, appetere, & propulſare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, poſitum eſt in eo, quod natura eſt accommodatum, &c. Ipſe quin etiam Cicero non modò offi- 1. Offic.
cia vitæ deſcripturus; haud abſimiliter incipit: *Principio*, inquit, *generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinétque ea, quæ nocitura videantur, omniáque, quæ ſint ne-*

ceſſaria

Digitized by Google

In Pag. 85. *ceſſaria ad viuendum, inquirat, & paret, vt paſtum, vt latibula, vt alia generis eiuſdem,* &c.

2. De fin. Sed etiam, dum ipſum Epicurum impugnat, ac interim quaſi ſubſcribit Peripateticis, ſic habet: *Nec verò, vt voluptatem expetat, natura mouet infantem; ſed tantùm vt ſe ipſe diligat, vt integrum ſe, ſaluúmque velit. Omne enim animal, ſimul vt ortum eſt, & ſeipſum, & omneis parteis ſuas diligit, duaſque res, quæ maximæ ſunt, imprimis amplectitur, animum, & corpus; deinde vtriuſque partes. Nam ſunt & in animo præcipua quædam, & in corpore; quæ cùm leuiter agnouit; diſcernere incipit, vt ea, quæ prima data ſunt naturâ, appetat, aſperneturque contraria. In his primis naturalibus voluptas inſit, necne, magna quæſtio eſt; nihil verò putare eſſe præter voluptatem, non membra; non ſenſus, non ingenij motum, non integritatem corporis, non valetudinem; ſumma mihi videtur inſcitia.* Verùm vt mittam, quid cæteri, ſubiicio id ſolùm, quod Maximus Tyrius; quaſi illuſtrando Epicuri rationem habet. Videlicet poſtquàm propoſuit, quid Epicurus fuerit Voluptatis obtrectatoribus reſponſurus, tum paucis interpoſitis, ſubdit: Differt. 33. *Voluptas ratione non egens; & arte antiquior, experientiam præuenit, nec tempus exſpectat; ſed amor quidam eius eximius, coæuuſque corporibus, ipſi animalis ſaluti quaſi fundamentum ſubiicitur, quod ſi quis ſubducat, corruat illicò id, quod fuerit natum, oportet. Nam ſcientiam quidem, ac rationem, decantatámque tantopere mentem progreſſu ætatis, ac breui rerum ſenſibilium incurſu homo per experientiam colligens, ſibi comparat; at voluptatem ſeipſo edoctus, initio ſtatim à natura ſuppeditatam poſſidet; ac ipſam quidem adamat, dolori verò bellum indicit, quod voluptate quidem ſeruetur, dolore verò corrumpatur. Quòd ſi res nihil eſſet voluptas, ea neque nobis congenita, neque eorum, quæ ad ſalutem comparata ſunt, antiquiſſima foret.*

Porrò, cùm Epicuri Ratio coincidat cum ea, quam Eudoxo tribuit Ariſtoteles; 10. Eth. 2. idcireò, vt ea meliùs pateat, videtur perinde ac ab illo factum legimus, inducenda Eudoxus nimirùm ex eo, quòd peruidit Voluptatem ab omnibus tam ratione præditis, quàm rationis expertibus animalibus appeti, hunc ferè in modum ratiocinatus eſt oportere illam eſſe ſummum bonum. *Vt omnibus in rebus id, quod appetitur, bonum eſt; ita quod ſummè appetitur, eſſe oportet ſummum bonum. Atqui quod omnia appetunt, illud ſummè appetitur (quippe & vincit pluribus votis, & nihil eſt, quod natura vt priùs, ſic magis expetendum faciat; cùm natura ductu vnaquæque res ad id primùm feratur, quod ſibi imprimis, maximéve congruit.) Quare oportet id, quod appetunt omnia, eſſe ſummum bonum. Eſt porrò Voluptas huiuſcemodi; Igitur eam eſſe ſummum bonum oportet.* Quo in ratiocinio nihil eſt neceſſe id indigitare, quod ille ſupponit, animalia omnia voluptatem appetere; quippe ſuppoſitio concedenda eſt, ob perſpicuam adeò experientiam, vt eam comprobare ſuperuacaneum ſit. Admirari nos potiùs decet eam fuiſſe ſolertiam ſapientiſſimi Naturæ Opificis; vt, quia omnis operatio futura ex ſe laborioſa erat; etiam quæ naturalis foret, teſtante Ariſtotele, *etiam videre, & audire rem eſſe ex ſe λυπηρὸν, moleſtam, tametſi propter aſſuetudinem non ſentiatur*: idcircò omnem operationem blandimento quodam voluptatis condierit; ac tantò eſſe vehementiorem voluptatem voluerit, quantò ipſa operatio erat magis neceſſaria futura, ſiue ad totius generis, ſiue ad animalis cuiuſque ſingularis conſeruationem. Scilicet Animalia aut non curarent, aut obliuiſcerentur, neque aduerterent, quibus par foret temporibus, ſeu coniugio operam dare propagando generi, ſeu comedere, biberéque producendæ vitæ indiuidui, niſi inditi eſſent ſtimuli, quibus moleſtiam creantibus, inſtigantibuſque, admonentur eius actionis, cuius voluptas talem moleſtiam ſedatura comes ſit; vnde & ad illam eliciendam feruntur. Ex quo probari quoque poteſt, quod iam antè deduximus, ne haſce quidem voluptates eſſe ex ſua natura malas, quas Natura, ſeu Author potiùs naturæ inſtituerit: vtcumque homines deinceps præ aliis animalibus intemperanter iis abutantur. At, inquies, tametſi voluptas vniuersè ſit quidpiam bonum; quî tamen habeatur etiam Summum Bonum, cuius poſſint Brutæ quoque animantes participes dici? Reſpondeo negari non poſſe, quin multa ſint Brutis, nobiſque communia, ac inter ipſa, vſus variorum bonorum, quibus noſtri inſtar fruantur. Cùm in huiuſmodi autem bonis alia maiora, alia minora ſint, incongruum profectò non eſſe, vt ſit aliquod maximum, quod præ cæteris appetant; quippe cùm ipſa quoque cum delectum habeant, vt oblatis ſimul bonis variis, id quod eſt præcipuum ſectentur. Itaque nihil repugnare, quò minùs ipſis quoque Brutis ſummum aliquod bonum competat, quod præ omnibus aliis proſequantur. Et cùm videamus Voluptatem eſſe, id, quod omnia proſequuntur præ cæteris; nihil eſſe quod obſtet, quò minùs ipſa tale ſit bonum. Non eſſe verò interim, quare indignum reputemus admittere Bruta nobiſcum ad fruitionem Summi Boni; Siquidem huiuſmodi Bonum eſt vniuersè ſolùm ſpectatum; cùm deinceps, vt variis animantium generibus ſunt ſpecialia inter ſe diuerſa (quatenus iſtud ex re iſta, illud ex illa, aliud ex alia voluptatem percipit) ita poſſit nobis eſſe peculiare, Voluptas nimirùm ex ea re percepta, cuius illa ſint incapacia, cuiuſque adeò occaſione in ſocietatem nobiſcum non veniant. Quòd ſi tam ſummis illorum bonis, quàm illi, quod nobis eſt Summum, & nomen & ratio voluptatis generatim ſumptæ conueniat, id ægrè magis ferre non decet, quàm quòd illorum, noſtræque naturæ conueniat nomen, ac definitio & animalis, & viuentis, & corporis, & ſubſtantiæ

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

7. Eth. 13.

Vitam bonam in Voluptate ſitam eſſe. ſubſtantiæ, & entis; quas duas poſteriores denominationes ne Intelligentiæ quidem, imò nec Deus ter-Maximus eſſe inuident ſibique, & illis communeis. Taceo, cùm iam antè viderimus idem apud Ariſtotelem obiici; inſinuatum eſſe ab eo retorqueri, tantum abeſſe, vt hæc voluptatis communio Summi Boni rationi obſtet, quin argumento potiùs ſit, eſſe eam ἄριστον *optimùm*, ſiue *Summum bonum.* Subjicit autem continuò quaſi ad hoc probandum celebre illud ex Heſiodo,

Op & di. φήμη δ' οὔ τί γε πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ λαοὶ φημίζωσιν. ——

Haudquaquam verò penitùs fama interit illa
Quam multi celebrant populi.

Citatus quoque Maximus Tyrius non longè ab iis, quæ mox antè relata ſunt eandem obiectionem quaſi indignabundus ita excipit. Loc. cit. *An-non te hæc*, inquit *communitas turbat, quòd inexhauſta in te ſit plus habendi cupiditas? Videris certè mihi ne ipſam quidem Solis lucem, quòd oculorum omnium ſit communis, amare; quaſi hominem ſolum videre oporteat; atque idcircò homini, quia ſolus non videat, non ſit ipſa lux bonum. Non item aërem, qui inſpiratus, varièque commeans corpora regit; non amnium flucuta, non telluris fructus*, &c.

Cæterùm, cùm deſumpta hæc ex Animalium omnium appetitu Ratio non videatur conuincere Voluptatem potiùs, quam aliquid aliud eſſe Summum Bonum; quippe cùm varia bona ſint, quæ animalia omnia etiam ab exortu ſtatim appetunt, cuiuſmodi eſt, verbi causâ, cibus; adeò vt pari proinde iure argumentari liceat ſeu cibum, ſeu aliud eſſe Summum Bonum; ideò ſuccurrit alia Ratio, ſeu potius quaſi Confirmatio Eudoxo quoque memorata, quæ ex ipſa natura Finis (& vltimi quidem) petita Voluptatem potius, quàm aliud, ipſum eſſe Finem, ſiue Summum Bonum conficiat. Illam Eudoxus apud eundem Ariſtotelem in hunc Loc. cit. ſenſum habet *Illud eſt maximè expetendum, ſiue ſummum bonum, quod non alterius gratiâ, ſed ob ſeipſum expetitur; Eſt autem Voluptas ſine controuerſia huiuſcemodi (Neque enim quiſpiam ex altero quærat quorſum delectari, ſeu cuius rei gratia voluptate affici velit; nempe quod Voluptas per ſe, ſiue propter ſe optabilis ſit) Quamobrem ipſa maximè expetenda eſt, Summumve eſt Bonum.* Ad hocce autem ratiocinium ſupplendum eſt ſolùm *Id eſſe ſummum Bonum habendum, quo ſui gratiâ ſic expetitur, vt cætera omnia expetantur propter ipſum: atque idcirco Voluptatem eſſe habendam ſummum Bonum, quòd ſic expetatur propter ſe, vt ipſius gratiâ cætera omnia expetantur.* Nempe cùm hac ſolùm ratione Voluptas eſſe vltimus Finis, ſiue Summum Bonum probetur, ſi quicquid agitur, deprehendatur, niſi immediatè, proximeve, ſaltem mediatè, remoteve propter ipſam agi. Haud certè abs re id attingit Torquatus, dum præmiſſis aliis rationibus, ita concludit; *Quoniam autem id eſt vel Summum Bonum, vel Vltimum, vel Extremum, quod Græci τέλος nominant, quod ipſum nullam aliam ad rem, ad id autem res referuntur omnes; fatendum eſt Summum eſſe bonum, Iucundè viuere.* In pag. 85. Tametſi porrò hûc eſt, quò ſpectat id, quod habetur in toto hoc de Voluptate negotio præcipuum; non videtur nihilominus magno eſſe molimine, magnave inductione opus, vt declarari, oſtendique poſſit. Quippe nemo eſt, qui ſi modò præoccupationem deponere ſtudeat, & amore ſolo veritatis ductus attendere, ac bona fide deſcendere in ſeipſum velit, non facilè animaduertat, agnóſcatque, quicquid homines agunt, propter aliquam fieri voluptatem. Nihil autem neceſſe eſt iteratò heic admonere Voluptatis nomine non intelligi illas ſolas, quas fuit ſemper celebre, vt Maximus notat, obiici à Sophiſtis, *Sardanapali ſcilicet luxum, Medicam mollitiem, Ionicas delitias, Siculas menſas, Sibariticas ſaltationes, Corinthias meretrices, & id genus ſimilia*; ſed vniuerſe quicquid mos eſt, licetve appellare Gaudium, Lætitiam, Delectationem, Exſultationem, Hilaritatem, Iucunditatem, Amœnitatem, Suauitatem, Dulcorem, Delitias; itemque Senſum, affectumve Placentem, Gratum, Acceptum, Delinientem, Demulcentem, Illicientem: Ac rursùs ſtatum Quietum, Placidum, Tranquillum, Imperturbatum, Serenum, Securum, Inoffenſum, Indolentem, & complura id genus alia, quæ nihil aliud ſunt, quàm Synonima voluptatis. Nihil etiam neceſſe repetere non modò aliquarum Voluptatum priuationes pro voluptatibus haberi, quatenus earum beneficio aut voluptates vberiores pariuntur, aut grauiores labores, doloreſque declinantur, quibus carere volupe ſit; ſed aliquorum etiam laborum, dolorumque ſubitiones, quatenus ipſis intercedentibus, aut grauiores alij effugiuntur, quibus rurſus ſit carere iucundum; aut voluptates eæ quæruntur, quarum causâ illi exoptatiſſimi euadant.

Illud dumtaxat heic reſumendum, quod eſt paulò ante obſeruatum ab Ariſtotele doceri, Eſſe Voluptatem eorum omnium, quæ in electionem cadunt, indiuiduam comitem; & cùm diſtingui vulgò ſoleant tria bonorum genera, Honeſtum, Vtile, Iucundum, rationem Iucundi eſſe generalem, quia tam Honeſtum, quàm Vtile videatur ſimul eſſe Iucundum. Scilicet exinde elici videtur Bonum, & Iucundum Synonima eſſe, ac nihil habere rationem boni, niſi habeat ſimul rationem iucundi; quippe propter quam expetatur, atque idcircò bonum ſit definiaturque id, quod appetunt omnia. Ex quo effici proinde videtur, vt Honeſtum, ac Vtile ſpecies ſolùm ſint, vt Boni, ita & Iucundi; ac tam ſit incongrua trimembris diuiſio, quâ Iucundum ſit boni ſpecies, quàm incongrua eſt illa, quâ Animal in Rationale, Brutum, ac Sentiens diuiditur, quod Sentiens nihil aliud ſit, quàm Animalis Synonymum,

&

[In pag. 85.] & genus cúm ſit, pro vna ſeecierum habeatur. Verùm, ne hoc vrgeam, & vt ſupponam treis eſſe ſpecies, ſeu mavis tria diſtincta genera Bonorum; ſatis eſt ambigi non poſſe, quin Bonum Iucundum ob Voluptatem expetatur; ac ſupereſſe ſolùm probandum etiam Honeſtum, ac Vtile experi propter Voluptatem. Quoniam verò poſſet initio requiri, Quî fiat vt iſta genera Bonorum voluptatem perinde creent, ac ipſum Iucundum, quod ex ſpeciali ſua natura illi creandæ natum ſit: idcircò prænoſcendum eſt, generalem cauſam videri, quòd omnis voluptas alicuius cupiditatis, & omnis cupiditas alicuius indigentiæ ſit comes. Scilicet primùm indigemus, & conſequenter cupimus; cùm abigimus autem indigentiam, ſatiamuſque cupiditatem, tum voluptate afficimur. Res eſt iam antè declarata, ac ſimul oſtenſum inde effici, vt quia ſublatâ indigentiâ, cupiditas amplius non eſt, idcò neque ampliùs voluptas ſit; ac voluptas adeò ſolummodò ſit in ipſa exemptione indigentiæ; ſedationeque cupiditatis. Siquidem, vt res inculcetur adhuc in ipſo genere Iucundi, voluptas eſt, non comediſſe, ſed comedere; non bibiſſe, ſed bibere; nam poſtquàm epulando fames, & potando ſitis exempta, ipſeque venter expletus eſt, non ampliùs ſentitur voluptas; exindéque eſt, cur intemperantes, quò voluptatem protrahant, famem, ſitimque obſoniis, variiſque gulæ irritamentis quàm-maximè poſſunt, propagent, conſopitamque excitent; ac doleant, quòd non collum gruis voluptati producendæ, prolatandæque obtineant. Itaque non alia ratione excitatur in nobis voluptas ex bono Vtili, ac Honeſto, quàm quia perſentiſcimus priùs ipſius indigentiam; ac tum ſuborta cupiditate, ad illud habendum nos accingimus; & cùm reipsâ aſſequimur, tollimuſque adeò indigentiam, cupiditatemque explemus, tum perfundimur voluptate. Putaſ-ne porrò iſta voluptas magis perſeuerat, facta ſatietate, quàm quæ ex cibo, aut potu eſt? Haud-quaquam ſanè. Nam in Vtilis quidem genere, Ille, qui pauperiem fugiens & diteſcendi auidus currit ad Indos, & per ſaxa, per igneis, per faſque, & nefas opes conquirit, voluptate quaſi proluitur, donec lucrum colligitur, & pecunia congeritur, congeſtæve accumulatur; at lenteſcit ſtatim voluptas circa ea, quæ parta iam ſunt, ac viget ſolum circa ea, quorum recens ſit acquiſitio. Nempe imaginatio ſubit illicò, deeſſe adhuc quid rei curtæ, & ex opinione nouæ indigentiæ, ſiue non ſublatæ prorſus pauperiei, noua excitatur cupiditas, quam denuò ſatiando procudatur noua voluptas. Hinc eſt illud Manilij apud quem Auarus.

[Lib. 4.] *Non quod habet numerat; tantum quod non habet, optat.*

Quippe quaſi, ea, quæ iam habet, pro nihilo ſint, non iis perinde iam delectatur, ſed oblectationem in parandis iis, quæ ſibi deeſſe reputat, conquirit. In genere verò Honeſti, Ille quidem, qui prece, pretio, laboréve improbo dignitatem aſſequitur, ob quam iri ſe honoratum præſumpſit, voluptate quidem mira demulcetur, dum reipsâ aſſequitur, honoreſque primos ex ea demetitiat postquàm honoribus iam aſſuetus, ac veluti expletus eſt, non ampliùs perinde iis afficitur; ſed quia ſe aliis maioribus indigere exiſtimat, ideò noua eos conſequendi cupiditate accenditur, vt ex eorum conſequutione voluptatem nouam percipiat. [Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.] Ille verò, qui nihil non egit, vt alicuius rei ſcientiam, qua careret, aſſequeretur, delectatur quidem, ac veluti exſultat, donec addiſcit, & adeptione ſcientiæ, mentem quaſi paſcit, ipſiuſque ſitim veluti explet; at poſtquàm talem rem pernouit, ſcientiamque habet quaſi in tuto; haud amplius perinde illâ tangitur, ſed ad aliam cupiditatem exſatiandam conuertitur, vt voluptate noua potiatur. Ille demum, qui in domando vitioſo aliquo affectu multum impendit operæ, lætatur quidem, dum habitum ipſi oppoſitum acquirit, vt pote quaſi glorioſam quandam ex ſeſe ipſo referens victoriam; at confirmato habitu, & quaſi ſecura eius poſſeſſione, non ampliùs perinde mouetur, ſed vt voluptatem nouam perſentiſcat, affectum alium corrigere, habitumque nouum comparare ſtudet. Quanquam quod ad Scientiam, & virtutem ſpectat, attingendum eſt aliquantò poſt inſigne aliquod ab aliis diſcrimen.

Hoc præmiſſo, labor haud magnus, vt euincatur Vtile Bonum, ad ipſum Iucuodum, ſeu ad Voluptatem ex eo percipieudam referri. Siquidem, quod Vtile eſt, manifeſtè non ſui gratiâ, ſed propter aliud expetitur; iſtudque aut voluptas eſt, aut ipſum deinceps ad voluptatem reuocatur. Nam cibaria quidem, & cantus, & ſuaues odores, & id genus cætera ad voluptatem per ſeſe ſpectant; vti & pleræque proinde artes, vt culinaria, venatoria, ſaltatoria, pictoria, ſtatuaria, cithariſtica, odoraria, & ſimiles; etiam illæ, quæ corporis incommodis arcendis conducunt; vt ſutoria, ſartoria, ædificatoria, pharmacopœa, chirurgia, & aliæ, eximentes à malis, quibus carere volupe eſt: At prædia ampla, grande in foro fœnus, itemque Nautica, Mercatura, arteſque omnes quæſtuariæ (quo nomine etiam Militaris, & quæ habentur etiam maximè omnium liberales, ex ipſa artificum intentione venire poſſunt, quatenus lucri gratiâ aut exercentur, aut docentur, aut addiſcuntur) eò profectò tendunt, vt intercedente pecunia, aut re pecuniâ æſtimabili, comparare voluptates liceat. Videlicet ipſa pecunia res longè vtiliſſima aut obtinendis immediatè voluptatibus quæritur, aut vt illum ſtatum liceat aſſequi, in quo cum incommodis quam pauciſſimis, cúmque voluptatibus, quam-plurimis fas eſt, viuatur: Pecunia quippe confert primùm

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

ad habendnm ea, quæ neceſſaria præſertim ſunt, vt vitæ incommoda tollantur; ac deinde etiam ad habendum ea, quæ minus neceſſaria ſunt, & ad oſtentationem potiſſimùm faciunt. Prioris generis ſunt, præter ipſam copiam, quatenus ipsâ comparatâ licet quieſcere, ipſa quæ ſunt iam inſinuata, eſculenta, potulentaque, quibus ſedatur fames, ac ſitis; veſtes, ædes, ligna, quibus frigus depellitur; pharmaca, manus medicæ, quibus morbi curantur; doctores, libri, inſtrumenta, quibus fugatur ignorantia, deſideriumque ſciendi expletur; Publica munia, affinitates, clientelæ, amicitiæ, quibus arcetur rerum iactura, contemptus, oppreſſio, vitæ diſcrimen, &c. Quæſo verò, dum qnis allaborat, vt habeat, vnde hæc conſequatur, an-non cogitet voluptatem, qua fruetur, dum ſuppetet, vnde conquieſcat, ac nihil laboris (niſi ſoliùs delectationis causâ) ſubeat; vnde eſuriens comedat, ſitiens bibat, algens caleſcat; ægrotans ſanetur, ſcire appetens diſcat, inter tot vitæ diſcrimina, honoratus, & ſecurus degat? Non modò ſanè, vt cum Horatio dicam,

1. Sat. 1.

Ille, grauem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Seſe ferre, ſenes vt in otia tuta recedant,
Aiunt: ——

Sed illi etiam omnes, qui aulam ſectantur, qui ſeſe ſplendidis officiis, muneribuſque deuouent; nempe eo ſe fine tot ſuſtinere moleſtias, vt conſequantur, vnde tandem ſecedere in otium poſſint, & qnod æui ſupererit, ſibi ipſis viuentes, ipſum quietè, iucundéque traducant. Quin etiam illi, qui ſordidè auari videntur pecunias eo ſolùm fine cumulare, vt cumulatas habeant, eam voluptatem ſibi præſtituunt, qua ſint ex ipſarum contemplatione potituri. Ita nimirùm, vt idem ait:

Ibid.

—— *quidam memoratur Athenis*
Sordidus, ac diues, Populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, quoties nummos contemplor in arca,

Poſterioris generis, præter redundantiam, qna quis ſperet ſe poſſe tutò, in qualeiſcumque lubitum erit, voluptates effundere, eſſe poteſt Magnificentia, qua quis oſtentet ſuperbas domos, ſplendidas veſteis, pretioſam ſupellectilem, opiparas menſas, illuſtre coniuginm, elegans famulitium, numeroſum apparatum canum, equorum, ſatellitum, curruum, cimelia exquiſita, amœnos hortos, prædia ingentia, granaria plena, dignitates inſigneis, ſpectacula ſumptuoſa, ludos profuſos, largitiones munificas, &c. Nemo quippe eſt, qui ex hiſce rebus commendari non appetat, qui non ex ipſa commendatione voluptatem immenſam captet. Quam-multos certè videre licet, qui profuſione delectati, opes artibus etiam malis, cúmque flagitio, & ſcelere quærant, vt cnm voluptate prodigere poſſint; Heinc nimirùm ſunt iuſtæ illæ querelæ,

Cúmque ſui paruos vſus natura repoſcat, In pag. 85.
Materiam ſtruimus magnæ per vota ruinæ; Manil. lib. 4.
Luxuriamque lucris emimus, luxûque rapinas;
Et ſummum cenſus pretium eſt, effundere cenſum.

Operoſiùs paulò videtur circa Honeſtum bonum rem oſtendere, quoniam id eiuſmodi eſt, vt propter ſe, non propter aliud eſſe expetendum cenſeatur. Ac Cicero quidem, imprimis valdè exagitat Epicurum, dum propoſitâ honeſtatis formâ, qualem intelligi ipſe vult, Epicuri ſententiam, Torquatum alloquens, ſic attingit: *Hanc ſe tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam, aut qualem eſſe velint, qui honeſtate ſummum bonum metiuntur. Si enim ad honeſtatem omnia referantur, nec in ea voluptatem dicant ineſſe, ait eos inani voce ſonare (his enim ipſis verbis vtitur) neque intelligere, neque videre ſub hac voce Honeſtatis qua ſit ſubiicienda ſententia. Vt enim conſuetudo loquitur, Id ſolùm dicitur Honeſtum, quod eſt populari fama glorioſum;* quod, inquit, *quanquam voluptatibus quibuſdam eſt ſæpè iucundius, tamen expetitur propter voluptatem.* Pergit autem: *Videſ-ne, quàm ſit magna diſſenſio? Philoſophus nobilis, à quo non ſolùm Græcia, & Italia, ſed etiam omnis Barbaria commota eſt, Honeſtum quid ſit, ſi id non eſt in voluptate, negat ſe intelligere, niſi fortè illud, quod multitudinis rumore laudatur, Ego autem hoc etiam turpe eſſe ſæpe iudico,* &c. Et ſic quidem ille proponit Epicuri ſententiam, quam aliunde Epictetus quoque apud Arrianum eſſe dicit μηδὲν εἶναι τὸ καλὸν, ἢ ἄρα τὸ ἔνδοξον, *Nihil eſſe honeſtum, aut certè metiendum opinionibus hominum.* Enimverò, vt primùm de ipſa notione, deſcriptioneve Honeſti dicatur, Ecquid mali eſt illam tradere cum reſpectu ad homines, apud quos famam, commendationemque mereatur? Latinis quidem Honeſtum ab honore, quem promeretur, dicitur: At non ſecus ſanè ipſis Græcis ſonare τὸ καλὸν videtur; cùm ſi interpretere non modò *honeſtum*, verùm etiam *pulchrum*, *decorum*, *laudabile*, &c. pari ratione ſis deprehenſurus non eſſe illud ſui ipſius reſpectu huiuſcemodi, ſed reſpectu hominum, quorum iudicio congruat, quibuſque adeò pulchrum, decorumque appareat, & à quibus poſſit, debeatve laudari. Quod idem intelligi poteſt ex oppoſita voce τὸ αἰσχρὸν, cùm ſeu interpretêre *Turpe*, *deforme*, *fœdum*, ſeu *vituperabile*, *& probroſum*, reſpectum ſemper intelligas ad homines, quibus tale videatur. Quin-etiam cùm Plato illis vocibus καλῶ κἀγαθῶ, opponat voces ἀδίκω, καὶ πονηρῶ, *iniuſti*, *& praui*, conſtat, τῷ καλῷ deſignari *iuſtum*; cùm & aliunde conſtet Iuſtitiam eſſe ad alterum inſtitutam virtutem. Quid verò? cùm Cicero ipſe definiendum potiùs Honeſtum contendat, *Id, quòd tale eſt, vt detracta omni vtilitate, ſine vllis præmiis, fructibuſque, per ſeipſum poſſit iure laudari*: Nonne vel ex eo, quod ait Honeſtum tale eſſe, *vt poſſit laudari*, connotat reſpectum ad ipſos laudanteis, ſiue ad famam popularem, multitudiniſve rumorem, quæ eſt ipſamet

1. De fin.

Lib. 2. cap. 12.

In Gorg.

Epicuri

Digitized by Google

In pag. 85. Epicuri definitio, quam inſectatur? Nam quod nomine quidem populi, multitudiniſve excludi ſapienteis voluerit, neque generatim intellexerit homines, ex quibus conſtat ciuitatis, nationiſve populus, vt poſſet fortè obiici, inuidioſa planè fuerit cauillatio. Cùm Cicero autem inculcat intelligi quid ſit Honeſtum *ex communi omnium iudicio, & optimi cuiuſque ſtudiis, atque factis, qui permulta ob eam vnam cauſam faciunt, quia decet, quia rectum eſt, etſi nullum conſequuturum emolumentum videatur*; fatebitur quidem Epicurus nullum proponi optimis viris emolumentum, ſeu præmium, fructúmque, qualis eſt pecunia, aut quidpiam pecuniâ æſtimabile, quod clariùs etiam exprimit nomine ipſo vtilitatis; at diffitebitur tamen non proponi emolumentum, præmium-ve, aut fructum, qualis eſt laus, gloria, honor, fama, commendatio, &c. Et non-ne ipſomet Cicerone penitùs annuente id faciet? cum eſſe multa propoſita optimis viris præmia Pro Mil. Pro Arch. ſupponens, diſertis verbis aſſerat: *Ex omnibus præmiis Virtutis, ampliſſimum eſſe præmium gloriam*; ac verba quoque eius ſint: *Nullam virtus aliam mercedem laborum, periculorúmque deſiderat, præter hanc laudis, & gloriæ: quâ detracta, quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus.* Haud malè itaque videtur Epicurus Honeſtum definiiſſe *id, quod eſt populari famaglorioſum.* Nam & quòd Populus aliquando famâ glorioſum id faciat, commendet-ve, quod turpe habeatur; id poteſt quidem haberi turpe aliis populis, ſeu hominibus, gentibúſve, quæ vtuntur aliis inſtitutis, ac legibus, iuxta quas alia, diuerſâve Honeſti, ac turpis eſt notio; non verò ipſi populo, apud quem id poteſt pro eius inſtitutis, legibuſque eſſe, haberive, honeſtum. Ex quo efficitur, vt ipſemet Cicero Lib de clar. orat. Honorem aliquando vniuerſè definiat *Præmium virtutis iudicio, ſtudióque ciuium delatum ad aliquem*: prosùs vt honor, atque adeò honeſtum, ſeu id, quod famâ glorioſum ſit, ex arbitrio ciuium, populive ſuis (quæcumque illa ſint) inſtitutis vtentis, pendeat.

Deinde, vt, quod caput eſt, de ipſo Honeſto ad Voluptatem relato dicatur, Obſeruandum eſt hanc ad Voluptatem relationem nihil videri obſtare, quo minùs Honeſtum dicatur quodam ſenſu per ſe, ſiue propter ſe experi. 1 Eth. 5. Ipſe certè Ariſtoteles loco iam antè commemorato docet omnium finium, quos expetimus, aliquos experi ſemper propter aliud, vt diuitias; aliquos ſemper propter ſe, vt beatitudinem; aliquos interdum propter ſe, interdum propter aliud, vt Honorem, vt Voluptatem, vt Mentem, vt omnem Virtutem. Quo loco videtur quidem debuiſſe ipſam Voluptatem cum beatitudine copulare; cùm potiſſimùm dicere non poſſit, propter quid aliud à Voluptate Voluptatem quis appetat (nam dicere, vt beatus ſit, idem eſt, ac dicere, vt in voluptate ſit, ſeu iucundè viuat: & quòd interdum exhilaremur, vt ad laborem alacriores ſurgamus, id facimus propter maiorem, quæ ex labore huiuſmodi conſequutura eſt, voluptatem) Verùm quamcunque tandem ob cauſam Voluptatem quoque appeti interdum propter aliud cenſuerit; conſtat ſaltem vocibus illis honoris, mentis, omniſque virtutis comprehendi quicquid nomine Honeſti intelligi poteſt. Quare vel ex ipſo Ariſtotele dicere licet nihil obſtare, quò minùs honeſtum ita referatur ad aliud; ſeu expetatur ob aliud, quin etiam dici poſſit per ſe, ſiue propter ſe experi. Hoc autem quid ſit, ipſemet inſinuat, dum fore, vt iſta expetantur, ait, μηδ'ενὸς, ἀποβαίνοντος, *nullâ contingente*, ſiue *ſuperueniente re*; hoc eſt, iuxta ipſum Ciceronem, detracta omni vtilitate, ſine vllis præmiis, fructibúſque, eiuſmodi eſſe diximus pecuniam, rémve æſtimabilem pecuniâ. Quippe poteſt quis appetere honorem, ſcientiam, omnem virtutem eo fine, vt honore fruatur, vt eruditam mentem poſſideat, vt affectu benè compoſito ſit; non vt quæſtum exinde faciat, vt lucrum reportet, vt diteſcat magis. Porrò obſeruandum prætereà eſt, hæc quidem tria vulgò venire Boni Honeſti nomine; ſed reipsâ tamen Honorem eatenus dumtaxat ad Honeſti genus ſpectare, quatenus eſt quoddam Honeſti, ſeu Virtutis præmium. Nempè probatiores Authores Honeſtum, & Virtutem Synonyma habent; volúntque adeò bonum Honeſtum eſſe aliquid ſolidum, & inexſiſtens animæ; cùm honor leue quidpiam ſit, & extrinſecùs, ſeu in alio ſitum. Cùm dico autem eſſe Virtutem, & Honeſtum Synonyma, perſpicuum videtur nomine Virtutis debere intelligi non moralem ſolam, quæ in moderando vtroque appetitu verſatur; verùm ſcientiam quoque, & eruditionem, liberalémve diſciplinam, quæ in ipſa mente illuſtranda, perficiendáque ſita eſt. Et certè ipſæ quoque ſcientiæ, artéſque ingenuæ appellari virtutes ſolent, & Ariſtoteli quidem διανοητικαὶ, *intellectuales.* Siquidem tametſi videatur interdum Ariſtoteles nomine hoc donare omnem mentis habitum, ſicque etiam mechanicas, illiberaleis-ve arteis nomine Virtutis comprehendere: at repetito certè mox loco eas minimè complectitur, cùm alia inter meminit mentis. Scilicet Mentis nomine illeic loci intelligit non facultatem ipſam, aut, ſi mavis, ſuperiorem animæ partem, ſpectatam putà καθ' ὕπαρξιν, *ſecundùm eſſentiam*, vt adnotant Interpretes; ſed eas, quæ dicuntur ipſius virtutes, quibus ſubinde cæteras, quæ ſint appetitus, adiungit. Denique & Tertiò obſeruandum eſt, cùm Honeſtum ſit ipſa Virtus; & Virtus ſit habitus quiſpiam; & habitus omnis propter actum ſit (vt exſeratur nempè faciliùs) ideò dici poſſe Honeſtum non tam propter ſe, quàm propter ipſum actum eſſe. Hic verò actus duo quædam habet: Vnum, vt quia eſt ex habitu bono, idcircò iucundè, ſeu cum voluptate eliciatur; alterum,

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

1. Eth. 13.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

alterum, vt ſi eiuſmodi ſit, qui innoteſcat exteriùs, honorem mereatur, cuius aſſequutio iterùm iucunda, ſiue cum voluptate ſit. Quare & ex hoe demùm fit, vt Honeſtum, præter voluptatem, quam in ſui, hoc eſt, in habitus acquiſitione ſuppeditat, videatur dici poſſe ad Voluptatem referri duplici quodam titulo; vno ipſius actus, qui ſolus intercedat; altero ipſius honoris, qui actui ſuperueniat: adeò proinde, vt Voluptas duplici eodem titulo ſit ipſius honeſti, ſeu virtutis vltimum præmium. Vbi & notatu dignum eſt, cùm poſſit Virtuti ſufficere ea voluptas, quæ eſt proprio actui coniuncta, ideò huc ſpectare illa omnia elogia, quibus dicitur eſſe *ipſa ſibi pulcherrima merces*, ſcilicet non egens eâ, quæ propter

Sil. l. 13. Clau &c.

honorem aduenire extrinſecùs poteſt. Verùm dicendum priùs de ea, quæ Honorem conſequitur.

Videtur autem illud eſſe circa Honorem præmittendum, etſi eum ambire inſolenter, petulantérque vitioſum ſit; imò & vitioſum quoque ſit, ipſum ex virtute ſolùm ſimulata, aut cum ſpecie quadam affectationis requirere: non videri tamen eius appetitionem, vt à quibuſdam vulgò fit, eſſe vniuersè damnandam; & maximè quidem, ſi quis nonniſi ex ſolida virtute, & intemerata moderatione ipſum requirat. Haud abs re profectò eſſe naturale eius deſiderium video; adeò vigere in pueris quoque, ac etiam in brutis deprehenditur, nemóque eſt, qui quantumcumque ſe eum ſimulet auerſari, non agnoſcat ſe eius ſemper appetitu ita teneri, vt exuere ipſum, ſi velit, non poſſit. Haud abs re quoque & prædicari, & proponi ſolet in virtutis præmium; nulláque eſt Reſpublica, quæ non ciueis ſuos accenſos, animatóſque ad facinora generoſa patranda propter ipſum velit. Eo certè differt nobilis, excelſuſque animus à plebeio, & humili, quòd niſi honorem, & gloriam ex ſuis non quærat actionibus; cùm ille ex ſuis, præter lucrum, quæſtúmque conſectetur nihil. Atque id quidem, ne memorem, quod docet experientia, eſtque iampridem obſeruatum, fore, vt facta grandia, illuſtriáque omnino ſileant, ſi ex animis appetitum gloriæ, honoriſque ademeris. Hoc ſuppoſito, poteſt duplex genus eius Voluptatis diſtingui, ob quam Honor expetitur. Vnum eſt ipſa exſultatio, quâ quis ſe ſperat perfuſum iri, cùm de ſe fama volitabit, & apud homines inclareſcet. Nota eſt Damoclis hiſtoria, arbitrati ſe ex honore regio voluptatem ſummam eſſe percepturum. Notum & illud De-

Cic. 5. Tuscul. End.

moſthenis, *leniculi ſanè*, vt Cicero inquit, *qui illo ſuſarro delectari ſe dicebat aquam ferentis muliercula, inſuſurrantiſque alteri, Hic eſt ille Demoſthenes.* Ac ne putes illum dumtaxat à Satyrico celèbri illo verſu ſubnotatum:

Perſ. ſat. 1 *At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.*

Notum eſt illud etiam quod de Themiſtocle perhibetur, qui cùm poſt victoriam memorabilem celebritas Olympiæ inſtaret, eſt eò profectus; & cùm proceſſiſſet in ſtadium, vbi obſeruauit omnium oculos, neglectis certaminibus, in ſe vnum eſſe conuerſos; ciueiſque ipſos in ſe ſpectando, & cum admiratione, applauſúque, peregrinis, & aduenis digito monſtrando, totum diem conſumere; tum perfuſus lætitiâ dixiſſe ad amicos fertur, ſe illo die laborum omnium, quos pertuliſſet pro Græcia, fructum ampliſſimum reportare. Ita quidem narrat Plutarchus; qui habet etiam ſimile quidpiam de Epaminonda, Coriolano, & aliis: ne his affinia commemorem, quæ Pindarus habet de victoribus Nemeorum, Iſthmiorum, &c. Alterum eſt Securitas, quâ frui reputatur iucundiſſimum; ac tantò magis, quantò quis æuum ſecurè degens, eâ eſt libertate, vt quidvis pro lubitu faciat, neque in captandis quibuſlibet voluptatibus prohibeatur. Pronum eſt porrò exiſtimare ſecuritatem honore parari; quoniam ſeu honor propter virtutem, ſeu propter dignitatem (quæ etiam virtutem ex ſe ſupponit) deferatur; abeſt verò vis modò contemptus, deiectioque in illum ſtatum, qui iniuriis, contumeliiſque pateat, & in quo videantur etiam quæque tuta timenda. Et qui hunor quidem, ob virtutem defertur, quia eſt cum amore, charitatéque ciuium coniunctus, ideò videtur præſidium eſſe ſecuritatis firmiſſimum. Qui verò propter dignitatem, quia ferè cohæret aut cum boni alicuius ſpe, aut cum mali alicuius metu; ideò fit, vt præſidium quoque firmiſſimum vulgò habeatur. Et quia delatus ob dignitatem honor amplioris eſt oſtentationis, ac magis percellit vulgaria ingenia; heinc fit, vt permulti ad dignitates adhinniant; perpauci ad Virtutem adſpirent. Nempe, quaſi illi, qui dignitate eminent, habeant, vnde iſtis prodeſſe, illis nocere valeant; ſicque poſſint degere ab his, propter ſpem; ab illis, propter metum, ſecuri.

In Pag. 85.

In Them in cor. vir. ode. 4. ode 1.

Ne in his tamen hæream, ac vt de ipſa Virtute dicam; Quod imprimis quidem ad Priorem partem, quæ ſcientiam, eruditionémque complectitur, attinet; retulimus iam, cùm de ipſa voce Voluptatis diſſereremus, quàm egregia Ariſtoteles, Ciceróque habeant de illis voluptatibus, quas percipere ex ſapientia, cognitionéque naturæ licet; vide tamen rurſùs, quàm ille præclarè: *Natura parens*, inqnit, *ineffabiles voluptates in iis excitat, qui & cauſas pernôſſe poſſunt, & ingenuè philoſophantur. Abſurdum eſt videlicet, nulláque ratione probandum, ſi imagines quidem rerum naturalium, non ſine delectatione propterea inſpectamus, quia contemplamur ſimul ingenium, à quo illæ ſint conditæ, ſcilicet pingendi, ac fingendi artem; rerum autem ipſarum naturæ miro*

1. De part. an. 5

ingenio

Digitized by Google

In pag. 85. 4. Acad. *ingenio, miráque ſolertia conſtitutarum contemplationem non proſequamur, & exoſculemur magis.* Vide & quàm præclarè hic : *Eſt animorum, ingeniorúmque naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio, contemplatióque naturæ : Erigimur, elatiores fieri videmur, cogitantéſque ſupera, atque cœleſtia, hæc noſtra, vt exigua, & minima contemnimus.* Quibus ſanè eximiè congruit, quod

Præfat. in quæſt. nat. Seneca quoque in hunc modum præclarè habet : *O quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit!* Et breui pòſt : *Tunc animus conſummatum habet, plenúmque bonum ſortis humanæ, cùm calcato omni malo petit altum, & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc iuuat inter ſydera ipſa vagantem diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram ; non illud tantùm dico, quod egeſſit, ſed & illud, quod in occulto ſeruat poſterorum auaritiæ.* Et poſteà : *Surſùm ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur.* Ac ſtatim : *Cùm illa attigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit ; & hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ : quòd illum diuina delectant ; nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.* Appoſitè porrò heic commemorentur voluptates illæ exſultationéſque ingentes, quas pariunt Mathematicæ, & de

2. Aduerſ. Col. quibus agens Plutarchus, attingit ſpeciatim illam Eudoxi, cùm vouit comburi Phaëtontis inſtar, ſi modò ſibi antè liceret ad Solem adſtanti, illius figuram, magnitudinem, pulcritudinem peruidere. Itémq; illam Pythagoræ, cùm, ex Apollodoro bouem immolauit, ob demonſtratam æqualitatem in triangulo, rectangulo, quadratorum ex cruribus cum quadrato ipſius ſubtenſæ ; aut ob quadratam parabo-

8. Symp. 2. len ; aut (vt alio loco idem habet) ob conſtitutam tertiam figuram alteri duarum datarum ſimilem, alteri æqualem. Ac rurſùs illam Archimedis, cùm & toties vi eſt auulſus à Geometricis deſcriptionibus ; & dum vngeretur, figuras, etiam ſtrigili ſupra abdomen exarauit ; & intellectâ ratione explorandi quantum argenti foret commiſtum aureæ dicatæ à Rege coronæ, è balneo proſiliit, repetiitque identidem celebre illud Εὕρηκα. Meminit etiam Platonis, Hipparchi ; & poſtquam retulit illud Niciæ, qui cùm Necyam pingeret, è ſeruis ſæpè quæſierit, prandiſſet, necne, &c. ſubdit : *Qualeis quantaſque exiſtimemus voluptates decerpſiſſe ex Geometria, & Aſtrologia, & Euclidem, cùm Optica deſcriberet, & Philippum, cùm figuram Lunæ demonſtraret ; & Archimedem, cum anguli ope deprehenderet Solis diametrum tantam eſſe portionem maximi circuli, quanta angulus ille foret rectorum quatuor ; & Apollonium, Ariſtarchúmque, cùm inuenirent id genus alia, quorum hodiéque ſpeculatio, & intelligentia voluptates magnas, mirabilémque alacritatem in diſcentibus excitat?* Omitti interim heic non debet, quod de Aſtronomico ſtudio Sulpitij Galli Cicero habet, cùm apud

Lib. de ſen. illum maior Cato : *Nihil eſt*, inquit, *otioſâ ſenectute iucundius. Mori videbamus in ſtudio dimetiundi penè cæli, atque terræ Gallum familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid deſcribere aggreſſum ; quoties nox oppreſſit, cùm cœpiſſet mane? Quàm delectabatur, cùm defectiones Solis, & Lunæ multò nobis antè prædiceret?* Ad cæteras arteis ingenuas, quod ſpectat, protritæ voluptates ſunt, quas notitia hiſtoriæ, antiquitatiſque miniſtrat ; quas poëſeos lepor, quas oratoriæ elegantia ; & cùm ſatis eſſe illud Ciceronis, quod in ore eſt omnium, poſſet : Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, ac ſolatium præbent ; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Operæ tamen pretium eſt id ſubiungere, Pro Archia. quod Cato mox laudatus, pergit : *Quid in leuioribus*, inquit, *ſtudiis, ſed tamen acutis? Quàm* Loc. cit. *gaudebat bello ſuo Punico Næuius? Quàm Truculento Plautus, quàm Pſeudolo? Vidi etiam ſenem Liuium, qui cùm ſeptem annis antequàm ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Cethego, Tuditanóque Conſulibus, vſque ad adoleſcentiam meam proceſſit ætate. Quid de P. Licinij Craſſi, & Pontificij, & Ciuilis Iuris ſtudio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus Pontifex Maximus factus eſt? Atque eos omneis, quos commemoraui, his ſtudiis flagranteis ſenes vidimus. M. verò Cethegum, quem rectè Suadæ medullam dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus, etiam ſenem? Quæ ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates, cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem ſtudia ſunt doctrinæ, quæ quidem prudentibus, & benè inſtitutis pariter cum ætate creſcunt, vt honeſtum illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodam, vt antè dixi, Seneſcere ſe multa in dies addiſcentem : quâ voluptate animi nulla certè poteſt eſſe maior.* Ad hæc autem omnia, id ſolum hoc loco repetendum eſt, quod ille obſeruat, éſtque præmiſſorum veluti concluſio, Studioſos *omnia perpeti ipsâ co-* 5. De fin. *gnitione, & ſcientiâ captos, & cum maximis curis, & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant voluptatem.*

Quod attinet verò ad reliquam partem, quæ Virtus moralis ſpeciatim vocatur ; ſpecialis infrà occurret locus, in quo de ipſa, déque eius ſpeciebus Prudentia, Fortitudine, Temperantia, Iuſtitia vberiùs dicatur. Nunc ſupponendo ſuavius nihil eſſe, quàm nihil ſibi ipſi conſcire, nullâ culpâ palleſcere, quàm vitam ſapienter, honeſtéque inſtitutam traducere ; quàm nulli vitæ officio deeſſe ; neminem afficere iniuriâ, quàm plurimis licet benefacere ; Tria ſolùm quædam Adnoto. VNVM eſt ; Nequicquam non eſſe, quòd comparata pridem eſt Virtus, cum planta radicis amaræ, ſed ſuauiſſimi tamen fructus ; quódque & Plato, & Xenophon, & 4. De leg. 2. Memor. deinceps cæteri carmina illa commendârunt, quæ præmiſſis aliis de Vitio, Heſiodus ita ſubiicit :

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Virtuti verò ſudorem præpoſuere
Dij ſuperi;& via longa,atq; ardua ducit ad ipſam
Aſpera principio;ſed vbi ad faſtigia ventum eſt,
Occurrit (dura antè licet) molliſſima deinceps.

Nempè manifeſtè ex his inſinuatur, facilè, & animo æquo tolerandos eſſe labores, qui in adeptione virtutis occurrunt; quippe quam mira ſuauitas, voluptáſve ponè ſequatur. Non nequicquam rursùs, quòd apud eundem Xenophontem, poſtquàm ſolemne illud ex Epicharmo retulit:

——Τῶν πόνων
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ θεοί,
Labore nobis cuncta Dij vendunt bona:

Subiicitur illud ex Prodico Biuium, in quo Herculem conſtitutum Voluptas, & Virtus affatæ ſunt multis, vt ad ſe viciſſim eum pellicerent. Quippe exinde comprobantur, qui iam antè ſunt commemorati Canones de fugienda ea Voluptate, quæ grauiorem moleſtiam paret, atque adeò vitio vertatur; déque amplectenda Moleſtia, quæ vberiorem voluptatem creet, atque adeò virtuti detur. Cùm Hercules certè fingatur repudiaſſe Voluptatem, hoc eſt enernem, mollémque vitam; ſectatus verò fuiſſe Virtutem, hoc eſt vitam laboribus, & difficultatibus plenam: Diſſer.3 præclarè tamen Maximus Tyrius, dum ille tot tamque admirabilium laborum exantlator fuit; dum tot aggreſſus belluas, tot tyrannos adorſus eſt; dum tot homines feroces proſtrauit; terræque quaſi manſuefactor, atque repurgator euaſit; dum ad Oëtam montem, ac ignem acceſſit; non alia re fuiſſe inductum demonſtrat, quàm voluptatibus quibuſdam admirabilibus, ac ſinceris, quarum alias quidem in mediis laboribus perciperet, alias ipſis laboribus ſuperatis præſtolaretur. *Ac tu quidem*, inquit, *labores in Hercule vides; ipſas voluptates, quibus oblectaretur, non vides: cùm Hercules tamen huiuſcemodi facinora edens, voluptatem perſentiſceret, ob quam ea patraret; non patraturus, niſi perſenſiſſet.* Præmiſerat porrò in hanc ipſam ſententiam, quod heic non pigeat adſcribere. *Quiſquis*, inquit, *Virtuti Voluptatem detrahit, is neruos, ac vireis eiuſdem præſcindit. Siquidem nihil eſt præclari, quod conſectentur homines, voluptate ſepoſita; nam & qui labores iuxta virtutem ſponte ſubis, id voluptatis amore facit; ſiue ea ſit præſens, ſiue eius ſpes ſit. Vt nemo enim in ſtudio conſequendæ pecuniæ, aut talentum cum drachma, aut aurum cum ære commutat, niſi cui mentem Iupiter eripuerit; ſed ſi futuræ quidem ſint permutationes æquilibres, oportet ipſas permutanti, pro vſu eius rei, quam accipis vtilem eſſe: Sic in laborum ſuſceptione, nemo laboris cauſâ laborat (id quippe faciens teneretur amore miſerabili) ſed præſenteis labores, cum honeſtate quidem, vt rudiores dicunt; cum Voluptate verò, vt veriùs loquentes, commutat. Quippe & cùm honeſtum, decorúmve dixeris, voluptatem dixeris; Neglectum* In pag. 85. *enim decorum iacuerit, niſi fuerit ſimul iucundum. Ego ſanè exiſtimo, oppoſitum planè iis, quæ obiiciuntur, ex his demonſtrari, Voluptatem videlicet eſſe omnium rerum maximè amplectendam, cuius causâ quis mortem oppetat; vulnera, labores, & moleſta alia innumera ſubeat. Quamvis enim horum ſubeundorum cauſa aliud, aliudque nomen imponas; vt in Achille mortem vltrò appetente pro Patroclo, Amicitiam: in Agamemnone vigilante, deliberante, belligerante, Regiam curam: in Hectore imperante, præliante, vincente, Patriæ ſalutem: hæc, quæ effers omnia, ipſa ſunt nomina Voluptatum. Nam quemadmodum in corporum morbis, acquieſcit æger ad hoc vt ſecetur, vratur; vt ſitim perferat, ac inediam; & infeſtis naturæ rebus ſe obiicit libens quatenus earum beneficio ſanitatis ſpem redimit; cùm ſi boni quidem futuri ademeris ſpem, ademeris ſimul præſentium incommodorum electionem: Sic in ipſis quoque actionibus vitæ, moleſtiarum compenſatio cum voluptate fit, quam tu quidem Virtutem vocas, ipſéque eſſe virtutem concedo, ſed requiro tamen ex te, amplexetur-ne animus Virtutem, quin amicitiam cum ea gerat? Si enim intercedere amicitiam admiſeris, admiſeris & voluptatem. Et quantum voles nomen permuta; non dic Voluptatem, ſed Gaudium; nominum copiam non inuideo; ad rem attendo, & voluptatem agnoſco, quæ Herculem, &c.*

Alterum eſt, Philoſophos quoque, qui indixiſſe bellum Voluptati videntur, vt Virtutem ampliùs magnifaciant; videri non tam re, quam verbo, ab Epicuro diſſidere. Ac abſit quidem aliquid de eorum dicam moribus, quos ſubnotare videtur non modò Lucianus, cùm In bis accuſ. aliàs, tùm potiſſimùm, dum accuſatum Epicurum ſic ſe defendentem inducit, vt, cætera inter, accuſatoribus obiiciat, ſic eos viuere, vt ſi quis ipſis tribuat Gygis annulum, aut Plutonis galeam, qua freti videri à nemine poſſint, iuſſuros eſſe, longè valere labores, & moleſtias, ac in voluptatem impensè ruituros: ſed citatus quoque Tyrius Maximus, dum relato illo Æſopi apologo, quo inducitur Paſtor à leone rogatus, num quà vidiſſet ſeſe abdentem, quam inſequebatur ceruam; ac ſe vidiſſe quidem negans, ſed manu interim locum monſtrans, ſubdit Epicurum, ſi viuat, ænigmate eodem in illum, qui voluptatem accuſet, vſurum, vt qui voce tenus ſe virum oſtendat, ac interim mentem, vt paſtor ille manum ad voluptatem intendat. Satis eſto Epicurum quoque virtutem & admittere, & ſummo in pretio habere; & cùm velit ipſe eam nihil ampliùs eſſe quàm medium maximè idoneum, ad vltimum finem, Summum-ve bonum conſequendum, excandeſcere illos quidem, velléq; eam eſſe ipſum-met finem vltimum, ſiue ſummum bonum; & reipsâ tamen idipſum, quod Epicurus, aſſerere. Ecce enim celebre apud ipſos eſt, αὐτάρκη εἶναι τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν μηδενὸς προσδεομένην, ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος: *Sufficere Virtutem ad fælicitatem, nulla re indigentem, niſi*

[In pag. 85. 4. Tuſc. & in parad.] *niſi Socratico robore* : ſeu, vt Cicero ſolùm habet, *Virtutem ad beatè viuendum ſeipsâ eſſe contentam.* Ecquis autem ex hoc dogmate non intelligat, eſſe Virtutem non ſummum bonum, vltimum-ve finem; ſed medium, quod ad conſequendum ipſum ſummum bonum, vltimum-ve finem ita conferat, vt ſufficiat ipſum, nec alterius medij conſortio indigeat? Ecquis non proinde ipſam beatam vitam, ſeu felicitatem, cui habendæ virtus inſeruiat, eſſe concludat & ſummum bonum, & vltimum finem; quòd tale bonum, ac talis finis ſit iam propter ſe, non verò ad aliquid aliud deinceps habendum comparetur? An verò viuere beatè, ſeu feliciter, aliud eſſe poſſit, quàm iucundè, ſuauiter, delectabiliter, & (vt ſynonymum præcipuum adiiciam,) cùm voluptate viuere, arbitrio cuiuſque iudicandum permitto. Vtcumque ſanè Stoïci non tam ingenuè, quàm [10. Eth. 7.] Ariſtoteles, agant, qui *πεϖεμμίχθαι τῇ εὐδαιμονίᾳ τὴν ἡδονήν*, *permiſtam voluptatem eſſe felicitati* autumat, & contemplationem, ſeu felicitatis *operationem per ipſam augeri. Αὐτὴ δ' συναύξει τὴν ἐνέργειαν*, haud dubiè tamen, ſi beata vita abſque ſuauitate, & iucunditate eſſe intelligeretur, aut foret; planè deſertam facerent; neque in illo ſuo tam arduo virtutis monte conſcendendo tot deuorarent moleſtias, niſi amœnitatem paratam in vertice exiſtimarent. Quid quod ipſemet Socrates, cuius, vt mox viſum, deſiderant robur, manifeſtè felicitatem, vt iam antè retulimus, [Stob. Ser. 101.] *ἡδονὴν ἀμεταμέλητον*, *voluptatem, cui nulla ſubſit pœnitentia*, definiit; & Antiſthenes quoque Cynicorum parens, ex quo Stoïcorum dogma promanauit, vtcumque fuerit tam ſeuerè profeſſus præoptare ſe [Ser. 29.] *μανείην, ἢ ἡσθείην*, *inſanire, quàm voluptate affici*; cenſuit tamen apud Stobæum: *Venandum eſſe eas voluptates, non quæ labores, aut moleſtias præcedunt, ſed quæ conſequuntur* : Enimverò, vt pleniùs conſtet, quæ voluptas etiam vitam Cynicam, quam illi eſſe auſteram quidem, ſed beatam tamen volunt, comitetur, audiendus eſt adhuc Tyrius Maximus, quo nemo illam meliùs in ipſo Diogene deſcripſit. Is igitur: *Illum verò*, inquit, *ipſum Diogenem, quid aliud in dolium, quàm voluptas coniecit? Nam licet coniecit & virtus, quamobrem tamen voluptatem à ratione alienam facis? Haud ſecus delectatus eſt dolio Diogenes, quàm Babylone Xerxes. Haud ſecus polenta, arefactóve pane, quàm exquiſito condimento Smindyrides. Haud ſecus fontibus vndecumque manantibus, quàm Choaſpe ſolo Cambyſes. Haud ſecus Sole, quàm purpureis indumentis Sardanapalus. Haud ſecus baculo, quàm haſtâ Alexander. Haud ſecus perâ, quàm theſauris Crœſus. Quod ſi voluptates cum voluptatibus compares; ſunt profectò illæ Diogenis potiores. Nam illorum quidem voluptatibus dolor ſe vndequaque intermiſcuit. Lamentatur Xerxes deuictus; luget Cambyſes vulneratus; flet Sardanapalus exuſtus: Angitur Smindyrides expulſus: lachrymatur Chrœſus captiuus: Dolet Alexander bellare prohibitus: Diogenis autem voluptates ſunt & lamenti, & gemitus, & lachrymarum, & doloris expertes. Tu verò, quæ illius ſunt voluptates, labores, ſeu moleſtias vocas; Diogenem nimirùm tuo metiris pede, prauâ menſurâ ſcilicet: Nam tu ipſe quidem doleres, ſi ea faceres, ex quibus nihilominùs Diogenes voluptatem capit. Quin etiam affirmare auſim, neminem depeiiſſe magis voluptatem, quàm Diogenem. Domum non habuit; moleſtiſſima eſt familiæ cura. Ciuilem adminiſtrationem non attigit: anxietatis plenum negotium. Haud eſt expertus nuptias: de Xantippe audierat. Non educauit liberos; perſpexerat difficultates. Verùm depulsâ omni moleſtiâ; plenus libertate, expers ſollicitudinis, abſque metu, citra dolorem; habebat vnus hominum vniuerſam terram, quaſi vnam domum, voluptatibus paſſim fruens incuſtoditis, patentibus, copioſis.* [Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.]

TERTIVM eſt, etiam cæteros, qui aut videntur, aut etiam gloriantur ſe puro virtutis amore, & nullo ſui, ſuæve voluptatis habito reſpectu, omnia facere; facere nihilominùs reipsâ propter voluptatem. Dictum iam antè inter Effata, de ea voluptate, ob quam Amicitia & expetitur, & variis officiis ſic excolitur, vt vitam quoque ipſam pro amico amicus profundat: idque tametſi debere amicum in meram eius gratiam, & habito nullo ſui reſpectu amari obiiciant, ne quæſtuoſa eſſe mercenariáque amicitia videatur. Idem porrò (vt illeic quoque ex Ariſtotele innuimus) dicendum occurrit de iis, qui ſeſe pro Patriæ ſalute variis exponunt periculis, ac mortem etiam oppetunt, quam & indubiam, & quaſi ipſis coram oculis habeant; vtcumque tempus non prouideant, quo, obitâ morte, voluptatem vllam perſentiſcant. Etenim, niſi ob futuram, quam perſentiſcant, voluptatem id faciant; faciunt nihilominùs ob præſentem, qua perfunduntur, dum alacritate mirâ animantur, cogitantes parentes, filios, amicos, reliquos conciueis libertatem inde adepturos, aut aliquam vtilitatem conſequuturos; dum quàm grata ſui memoria in ipſorum, inque totius poſteritatis animis ſit perennatura, præſentiunt: dum trophæa, ſtatuas, encomia non defutura prouident: dum ſe id, quod inſtar exiguum moleſtiæ, cum futura ingenti gloria; & breue id, quod ſupereſt vitæ cum ipſa ſui nominis immortalitate iri commutatum proſpiciunt. Atque id quidem, dum mors certa aditur: Nam & alioquin donec ſpes euadendi ſupereſt, vide quid Torquatus adiiciat occaſione Maiorum ſuorum, ac eius ſpeciatim qui hoſti torquem (vnde familiæ nomen) detraxit; cùm obieciſſet Cicero illum voluptatis causâ non feciſſe: *At id, ne feræ quidem faciunt*, inquit, *vt ita ruant, atque turbentur, vt earum motus, & impetus quò pertineant, non intelligamus: tu tam egregios viros cenſes tantas res geſſiſſe ſine causâ? Quæ fuerit cauſa* [1. De fin.]

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. *mox videro: intereà hoc tenebo; ſi vel ob aliquam cauſam iſta, quæ ſine dubio pulchra ſunt, fecerint, virtutem his per ſeipſam cauſam non fuiſſe. Torquem detraxit hoſti: & quidem ſe texit, ne interiret. At magnum periculum adiit: in oculis quidem exercitus. Quid ex eo conſequutus eſt? Laudem, & caritatem, quæ ſunt vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima.* Quin-etiam idem dici poteſt de iis parentibus, qui morte quoque ſuos filios plectunt; tametſi videantur ſe multis magnis priuare voluptatibus; vt obiicere pergit Cicero de eodem Torquato, cùm ſecuri filium percutiens, ius maieſtatis, atque imperij prætulit naturæ, patrióque amori. Etenim, qui eò deducuntur, eam filiorum ſuorum indolem agnoſcunt, vt ſibi, ipſiſque præſtet eos mori, quàm viuere. Nam ſibi quidem fore ab illis continenteis moleſtias; & dedecus eorum perpetuum in ſe quoque redundaturum. Quare vt longè ſatius, ita longè iucundius ducunt, præſenti dolore futuras moleſtias, infamiámque redimere; & quod probroſum patratum fuerit, illuſtri facto quaſi purgare; quàm lenocinante animi mollitie, in miſeriæ quaſi barathrum immergi. Itaque voluptas hæc eſt, quam, vt ſeſe ab illo eximant, ſequuntur. Vide etiam rurſus quid ille: *Filium morte multauit: Si ſine cauſa, nollem me ab eo ortum tam importuno, támque crudeli. Sin vt dolore ſuo ſanciret militaris imperij diſciplinam, exercitúmque in grauiſſimo bello animaduerſionis metu contineret; ſaluti proſpexit ciuium, quâ intelligebat contineri ſuam.* Ne ſpecialia plura conſecter, id attingo ſolùm, quòd reputant multi virtuti nimiùm detrahi, dum eſſe dicitur propter aliud. Inſerunt enim exinde ſequi, vt virtus ſit in genere vtilium, quod ab honeſtorum genere eſt diuerſum; ſicque fore, vt propriè ipsâ dicamur vti, non frui, quòd fruitio non ſit, niſi earum rerum, quæ & propter ſe, & honeſtæ ſunt, quo mo-
1. De fin. do ait Cicero: *Non parandam ſolùm, ſed etiam fruendam ſapientiam eſſe*; dicente aliunde Bea-
2. Con. Fauſt. cap.78. to Auguſtino: *Iniquum fieri hominem, cùm fruitur vtendis, aut vtitur fruendis.* Veruntamen, vt concedatur quicquid eſt propter aliud, poſſe quodammodò dici vtile; negatur tamen quicquid eſt vtile, ad illiberale illud genus ſpectare, in quo pecunia primas tenet, & honeſto apponitur; quatenus ipſum quoque honeſtum ſuam vtilitatem, verùm liberalem, ſortitur; cùm Cicero etiam aliique demonſtrent nihil verè vtile eſſe, niſi id, quod honeſtum eſt. Quare & cùm ex hoc genere habebitur virtus, nihil ipſi propterea decedet, neque aut dicemur eâ vti, eo modo, quo vti dicimur pecuniâ; neque non frui eo modo, quo quavis re honeſta frui dicimur, dum ex ea capimus voluptatem. Fauet certè idem S. Doctor, cùm verba ipſius alio loco
Lib qq. 83. q.30. hæc ſunt: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem; vtimur ea, quam referimus ad id, vnde voluptas capienda eſt. Omnis itaque humana peruerſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui.* Et rurſùs: *Om-* In pag. 85.
nis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & vtendis vti. Fruendum eſt autem honeſtis, vtendum verò vtilibus, &c.

At, inquies, Id, quod vniuersè de Virtute dicitur, dici-ne etiam poteſt de ipſa pietate in diuinum Numen; ſiquidem non videtur poſſe ſincera eſſe pietas, niſi Deus purè, ac præcisè propter ſeipſum & ametur, quia infinitè bonus ſit, & colatur, quia infinitè excellat; nullatenus verò qui amat, & colit, ad ſe, ſuúmve commodum, ſuámque voluptatem reſpiciat. Ego verò, abſit Pietati cuiuſquam detractum contendam. Cùm ſint, qui non modò id faciendum ſuadeant (fierique adeò poſſe ſupponant) ſed etiam, vt fidem quærant dogmati, obiectionémque præoccupent, ſe id facere confidant, & iactent: ipſe ſanè neque inuideo, neque contradico; quin etiam & probo, & exoſculor eam beatitatem, quâ ſeu ipſi, ſeu alij tantam cœlitùs gratiam conſequuntur. Scilicet hoc diuinum donum, ac ſupra naturam reputandum eſt, vt quis ſe ad Deum hac ratione amandum, colendúmque accingere poſſit. Aſt heic agitur de Pietate, ſeu vniuersè de virtute, quæ ſecundùm naturam eſt, iuxta quam quicquid homo agit, quodam eum reſpectu ad ſeipſum agit. An liceat verò addere Deum ita ſeſe huic naturæ infirmitati accommodaſſe, vt cùm in Sacris Literis vix vllum exſtet monumentum quo illud iſtorum dogma exprimatur, creberrima tamen occurrant, quibus commendantur, qui Deum ideò multum amant, quia multa peccata dimiſit, multúmve gratiæ contulit; qui & diligunt propter ſpem, quæ ipſis repoſita in cœlis eſt; & officia varia charitatis exercent, & perſequutionem patiuntur, fidem ſeruant, &c. ob regnum ſibi præparatum ab ipſa Mundi conſtitutione; ob mercedem copioſam, quæ in cœlis manet; ob coronam iuſtitiæ, quam Deus diligentibus ſe repromiſit, &c. Ex quibus, aliiſque effici videtur, non improbari, ſi quis reſpiciat ad æternas illas delicias, quibus eſt futurum, vt olim, ſi Deum amârit, coluerítque, fruatur. Nam & quod filium, potius quàm ſeruum in diuina familia deceat agere; non obſtat, quin dicere liceat, ideò filium ampliùs amare parentem, quàm ſeruus amet dominum, quia & ampliùs ab eo accepit, & inſuper hæreditatem accepturum ſe ab eo ſperat. Alioquin certè ſi ſe ab eo exhæredatum iri pernôſſet, & ſeruus ſe hæredem iri inſtitutum confideret; quæſo vtrius amor futurus eſſet vehementior? Ac non teſtor quidem iſtorum conſcientiam quid acturi eſſent, ſi Deus amari, & coli contentus, nihil prorſùs ipſos amatores, cultoréſque ſui curaret; nihil beneficij illis conferret; nullum tota æternitate ſperandum bonum faceret? Nimirùm quaſi agnituri, reſponſuríque bona fide ſint, nihilo-ne

minùs

In pag. 85. minùs amantes, veneranteſque Dei forent. Velim ſolùm graue non ſit, ſi rogentur, idne ſaltem non faciant, quia Deum ea ratione amare, ipſique ſeruire ſuauiſſimum ſit; ſuauiſſimúmque adeò ducant mentem ſic habere in Deum comparatam, vt ob ipſum planè, nullo verò modo ſui cauſâ faciant. Suauitas hæc certè ab eo non excluditur, qui ſuave eſſe clamat iugum ſuum, hoc eſt, legem ſuam, cuius caput eſt, vt ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus diligamus Deum. Et certè huiuſmodi dilectio ſine libentia, ſeu voluntate ſuauiter affecta, qua Deus ad ſe ſuíve dilectionem nos trahit, non eſt; iuxta illud videlicet: *Trahe nos poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum:* Præclarè profectò idem Doctor ſanctus: *Parum eſt,* inquit, *voluntate trahi: etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectari in Domino.* Et ſtatim: *Si Poëta licuit dicere,*

Tract. 26. in Io.

——Trahit ſua quemque voluptas:

Non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: quantò fortiùs dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, beatitudine, iuſtitia? Et poſteà: *Ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam; nuces puero, & trahitur. Si ergo trahit ſua quemque voluptas; non trahit reuelatus Chriſtus à Patre?* Et mox: *Ecce quomodo trahit Pater: docendo delectat, &c.* Porrò idem quoque licebit proportione dicere, ſi fortè fauentem ſibi hac in parte Epicurum obiiciant, cùm dicitur à Seneca: *Deum colere, nulla ſpe, nullo pretio inductus; ſed propter eius maieſtatem eximiam, ſupremámque naturam.* Quippe neque ipſe eam voluptatem, quam ex illo cultu perſentiſceret, excluſam voluit. Tametſi iſta obiter.

Lib 4. de Benef. cap. 19.

Hvc-vſque fuit Ratio, ſeu mavis, Rationis confirmatio ab Eudoxo quoque deducta, qua conficitur ideò Voluptatem eſſe ſummum bonum, ſeu vltimum finem, quòd ſic expetatur propter ſe, vt cætera omnia expetantur propter ipſam. Illa ſupereſt heic paucis dicenda, quam Eudoxus quoque apud Ariſtotelem attigit; ea nempè, quæ ex Voluptatis cum Dolore oppoſito comparatione deſumitur. Non eſt verò, cur aliis verbis quàm ipſi Torquato tributis dicatur, cùm illam præſertim ſic amplificet, vt Voluptatis ſtatum, qui ſummè optandus, & doloris, qui ſummè fugiendus videatur, proponat. Verba itaque Torquati hæc ſunt: *Extremum autem eſſe bonorum voluptatem, ex hoc facilè perſpici poteſt. Conſtituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem & animo, & corpore voluptatibus; nullo dolore nec impediente, nec impendente: quem tandem hoc ſtatu aut præſtabiliorem, aut magis expetendum poſſumus dicere? Ineſſe enim neceſſe eſt in eo, qui ita ſit affectus, & firmitatem animi, nec mortem, nec dolorem timentis; quod mors ſenſu careat: dolor, in longinquitate leuis; in grauitate breuis ſoleat eſſe; vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio conſoletur. Ad ea cùm accedit, vt neque diuinum Numen horreat, nec præteritas voluptates effluere patiatur, earumque aſſidua recordatione lætetur: quid eſt, quod huic poſſit, quod melius ſit, accedere?* Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. *Statue contra aliquem confectum tantis animi, corporiſque doloribus, quanti in hominem maximi cadere poſſunt: nulla ſpe propoſita, fore leuiùs aliquando; nulla præterita, nec præſenti, nec expectata voluptate: Quid eo miſerius dici, aut fingi poteſt? Quod ſi vita doloribus referta maximè fugienda eſt, ſummum profectò malum eſt, viuere cum dolore: cui ſententiæ conſentaneum eſt, vltimum eſſe bonorum, cum voluptate viuere. Neque enim habet noſtra mens aliud quidquam, vbi conſiſtat, tanquam in extremo; omnéſque & morbi, & ægritudines ad dolorem referuntur; nec præterea eſt res vlla, quæ aut ſua ſede naturam ſollicitare poſſit, aut frangere.* Reſpondet ad hæc Cicero poſt-modùm; ac primùm ſic infit: *At quàm pulchrè dicere videbare cùm ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis, & maximis voluptatibus, nullo nec præſenti, nec futuro dolore: ex altera autem, cruciatibus maximis, toto corpore, nulla nec adiuncta, nec ſperata voluptate; & quærebas quis, aut hoc miſerior, aut ſuperiore illo beatior foret? Deinde concludebas ſummum malum eſſe dolorem, ſummum bonum voluptatem.* Tùm verò ſubiicit exemplum, quale fingere potuiſſet Torquatus, viuentis beatè, ſeu in cumulata voluptate hominis: *Lucius,* inquit, *Thorius Balbus Lanuinus, quem tu meminiſſe non potes; Is ita viuebat, vt nulla tam exquiſita poſſet inueniri voluptas, qua non abundaret. Erat & cupidus voluptatum, & cuiuſvis generis eius intelligens, & copioſus. Ita non ſuperſtitioſus, vt illa plurima in ſua patria, ſacrificia, & fana contemneret; ita non timidus ad mortem, vt in acie ſit ob Rempublicam interfectus. Cupiditates non Epicuri diuiſione finiebat, ſed ſua ſatietate. Habebat tamen rationem valetudinis: vtebatur iis exercitationibus, vt ad cœnam & eſuriens, & ſitiens veniret: eo cibo, qui & ſuauiſſimus eſſet, & idem facillimus ad concoquendum: Vino & ad voluptatem, & ne noceret: cætera illa adhibebat, quibus demptis, negat ſe Epicurus intelligere quid ſit bonum. Aberat omnis dolor, qui ſi adeſſet, nec molliter ferret; & tamen Medicis plus, quàm Philoſophis vteretur. Color egregius, integra valetudo, ſumma gratia: vita denique conferta voluptatum omnium varietate. Hunc verò beatum oratio quidem veſtra ſic cogitat.* Subinde autem ſic excipit, oppoſitum iſti exemplum apponens. *Ego hunc, quem anteponam, non audeo dicere: dicet pro me ipſa virtus; nec dubitabit iſti veſtro beato M. Regulum anteponere, quem quidem, cùm ſua voluntate, nulla vi coactus, præter fidem, quam hoſti dederat, ex patria Carthaginem reuertiſſet, tùm ipſum, cùm vigiliis, & fame cruciaretur, clamat virtus, beatiorem fuiſſe, quàm potantem in roſa Thorium. Bella magna geſſerat is: bis conſul fuerat; triumpharat; nec tamen ſua illa ſuperiora tam magna, nec tam præclara ducebat, quàm illum*

10. Eth. 2.

2. De fin.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

vltimum caſum, quem propter fidem, conſtantiamque ſuſceperat; qui nobis miſerabilis videtur audientibus; illi perpetienti erat voluptarius. Non enim hilaritate, nec laſciuia, nec riſu, aut ioco, comite leuitate; ſed ſæpe etiam triſtes firmitate, & conſtantia ſunt beati. Hæc Cicero, qui vt nihil aliud, ſaltem, cùm illum Reguli caſum aliis miſerabilem viſum, ipſi voluptarium deſcribit, non malè ea comprobat, quæ ſunt antecedenter dicta. Enimverò vt de exemplis inter ſe collatis dicamus; cùm non videatur Thorius Balbus probandus fuiſſe in omnibus, qui ne Epicuro quidem probaretur; at videtur tamen difficile captu, fuiſſe Regulum illo beatiorem. Et pompam quidem verborum video, quibus exaggerari ſolet commendata illa virtus Reguli; attamen ipſius hiſtoriam, circumſtantiaſque varias bona fide conſiderans, ſinceréque expendens, rem ipſam non perindè video. Certè & quamvis Seneca dicat, *non eò vitia in poſſeſſionem generis humani veniſſe, vt dubium ſit, an electione fati data, plures Reguli naſci, quàm Mecœnates velint*: longè tamen abfuit Mecœnas, vt fuerit circa felicitatem cum ipſo Thorio comparandus.

Lib. de prouid. cap 3.

Inuidioſam fortè rem faciam, ſi paulò vberiùs circa Regulum rem deduxero, quoniam videri potero audaci nimis paradoxo decantatiſſimæ virtuti, glorioſiſſimæque famæ velle quidpiam detrahere; at fortè etiam rem gratam faciam, ſi cùm nihil detractum velim neque fidei, qua ad Karthaginienſeis rediit, neque conſtantiæ, qua cruciatus pertulit, rem geſtam enarrem, ex qua, quid induci probabiliter poſſit, euadat conſpicuum. Itaque recitat Polybius Regulum poſt res aduerſus Karthaginienſeis feliciter geſtas, cùm ipſa tamen vrbe nondum potiretur, ſollicituſque intereà foret, ne aduenturus Româ Conſul geſtorum gloriam præriperet, ita fuiſſe illos hortatum ad pacem, vt miſſis viris primariis, quibuſcum de ea ageret, conditiones ipſis propoſuerit, quibus non potuerant duriores, ſi redacti iam ſub nutum fuiſſent, obtingere. Re proinde infectâ, Karthaginienſeis delecto in ducem Xanthippo Lacedæmonio, id commiſiſſe cum ipſo prælium, quo & deuictus, & cum quingentis fugiens, captus viuus fuit; inſigni documento, ne nimiùm fortunæ proſperæ fidatur. *Si quidem ille*, inquit Polybius, *qui paulò ante nullum miſericordiæ locum dabat, neque vllam afflictis veniam concedebat; mox ad eorum pedes pro ſua ſalute ſupplicaturus deductus fuit.* Subiicit Polyænus *iuraſſe Karthaginienſibus Regulum, ſe, ſi ab ipſis dimitteretur, perſuaſurum Senatui, vt bellum componerent; ſin autem perſuadere non poſſet, ad eos reuerſurum*: & Appianus addit *miſſum cum legatis, vt aut pacem impetraret, aut reuerteretur.* Cicero aliam cauſam ſcribit; *iuratum* videlicet *miſſum, vt niſi redditi eſſent Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem*: ſed Liuiana Epitome vtramque cauſam complectitur; *miſſum ſcilicet, vt de pace; & ſi eam minimè impetraret, de captiuis commutandis ageret; iure-iurando adſtrictum, rediturum ſe Carthaginem, ſi commutari Captiuos non placuiſſet.* Cùm Romam igitur veniſſet, pergit Polyænus *illum Senatui perſuaſiſſe contrarium* (pacem ſcilicet non ineundam) *& tantò magis quantò & Carthaginienſium imbecillitatem, & modum, quo poſſent expugnari, detexit.* Cicero autem, *Reddi*, inquit, *Captiuos negauit eſſe vtile. Illos adoleſcenteis eſſe, & bonos duces, ſe iam confectum ſenectute.* Ex Epitome verò *vtriuſque negandi Senatui author fuit*: & ex ipſo Floro, *cenſuit, ne pax fieret, nec commutatione captiuorum reciperetur.* Non videtur id tamen coràm, in ipſo Senatu egiſſe; ſed coràm duntaxat mandata expoſuiſſe: Verba ſiquidem Ciceronis ſunt: *In Senatum venit, mandata expoſuit: ſententiam ne diceret, recuſauit. Quandiù iure-iurando hoſtium teneretur, non eſſe Senatorem.* Et quamvis ſubiiciat, *illud etiam negauiſſe illum, reddi captiuos eſſe vtile*, &c. id tamen, & quod apud Agellium Tuditanus habet dixiſſe illum in Senatu, intelligi videtur dictum Senatoribus clanculum: alioquin enim dixiſſet in Senatu, ipſe non Senator, vt aiebat, ſententiam. Quò minùs verò dubites, ſcribit ecce Appianus id eum egiſſe ἐν ἀπορρήτῳ, *clam, ſeu occultè*; non ſanè cum quibuſlibet, ſed τοῖς τέλεσι Ῥωμαίων, *cum Romanorum primariis duntaxat, ne à bello deſiſterent.* Itaque, *Cùm*, vt Cicero inquit, *eius valuiſſet authoritas; captiui retenti ſunt* (paxque adeò infecta fuit) *ipſeque Carthaginem rediit.* Neque tacendum interim eſt, quod memoratus Tuditanus ſubdit, *Illum*, ſcilicet, *cùm ſuaderet, ne captiui cum Carthaginienſibus permutarentur, id quoque addidiſſe, venenum ſibi Carthaginienſeis dediſſe, non præſentaneum, ſed eiuſmodi, quod mortem in diem proferret; eo conſilio, vt viueret, quoad fieret permutatio; pòſt autem graſſante ſenſim veneno contabeſceret.* Et hæc quidem habent probati Authores.

Lib. 1. hiſt.

Lib. 6. ſtrateg.

Lib. de bel. Pun.

3. offic.

in lib. 18.

In pag. 85.

Lib. 2.

Lib. 6. c. 4

Iam, quòd infectâ quidem re Carthaginem redierit, fidémque eatenus ſeruarit, non poteſt hoc ſanè non eſſe commendatione digniſſimum: at quòd vbi Romam acceſſit, idipſummet diſſuaſerit, quod ſe perſuaſurum iurarat; quî perinde eſſe laudabile poſſit, cùm manifeſtum periurium ſit? Saltem, ſi mandata nudè expoſuiſſet, & neque ſuaſiſſet, neque diſſuaſiſſet; videri res poſſet tolerabilis; at tam apertè religionem iuriſiurandi temerare, quâ tandem ratione excuſari valeat? Nam & quòd egerit clanculum, ne legati, putà, reſcirent, ad Pœnoſque ſuos referrent; malæ fidei ſuſpicionem auget. An fortaſſis patriæ ſalutem, atque gloriam cauſabere? At, eſt Patria quidem conſilio, fortitudinéque iuuanda; non tamen malis artibus, ac perfidiâ; neque debet quis, vt ciuis bonus ſit, non eſſe vir bonus. An dices illum *iuraſſe linguâ, mentem geſſiſſe iniuratam*, vt apud Euripidem eſt? Atqui iſtud aliud nihil eſt, quàm latebra quæſita periurio:

omninò

In pag. 85. 3.Offic. omninóque, vt habet alioquin idem Cicero: *Quod ita iuratum eſt, vt mens deferentis conceperit fieri oportere, id ſeruandum eſt.* Nam, vt præclarè ſequitur ſtatim: *Non falſum iurare peierare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.* Quò ſpectat & illud, quod alibi habet de maiorum diligentia: *Qui* 4. Acad. *primùm*, inquit, *iurare EX SVI ANIMI SENTENTIA quemque voluerunt; deinde ita teneri, SI SCIENS FALLERET, quòd inſcientia multa verſaretur in vita.* Nempe illi anſam præcluſam voluerunt prætexendi excuſationem, quæ ſit tantopere à candore, ſimplicitate, bonâ fide, aliena. Vt prætercam, ſi admittatur, licere illæsâ conſcientiâ, vnum mente concipere, aliud voce efferre: hoc ipſum eſſe admittere, licere reipsâ mentiri, réque ipſa fallere audientem; vnde & omnis fides ſit merito iure habenda ſuſpecta, & conſequutura proinde ſit rerum humanarum confuſio. An licuiſſe dices, quia Carthaginienſes erant ipſimet fidei datæ inubſeruantes? At, non quia tu malus es, debeo ego eſſe non bonus: alioquin enim, quid iam me inter, ac te erit diſeriminis? Aduerſus perfidos cautione, aut vi apertâ agendum eſt; at cum detrimento datæ fidei agere cum nemine licet. Sanè &, vt variæ rerum vices ſunt, fac incidere rursùs occaſionem, vt nos Sacramento, obſtrictionéve fidei à periculo eximamus; quonam modo id aſſequemur, ſi opinionem fecerimus fore, vt ipſam, ſi expediat, violemus? Omnino igitur, aut non promittendum, aut ſtandum ipſis promiſſis eſt. Atque iſthæc quidem, quatenus feciſſe Regulus videtur præter fidem datam. An verò etiam obiicere aliunde quis poſſit, quatenus datam fidem ſeruauit, inſtituiſſe illum ideò facere, quòd redire aggreſſus, reputari poſſet debitè eam ſeruaſſe, tametſi non confideret ſe eò vſque eſſe victurum, quovſque Carthaginem perueniret, & iuriſiurandi violati pœnam lueret; ob argumentum ex veneno (vt apud Tuditanum ediſſeruit) deſumptum? An, tametſi eò perueniſſet, præſumpſiſſe eum fore, vt Carthaginienſes non propterea in ſe ſæuirent, ne talionis pœna à Romanis in captiuos exigeretur, vti & exacta deinceps fuit, Loc.cit. cùm *liberis Reguli deditis fuêre nobiliſſimi captiui, & ab iis armario muricibus præfixo deſtinati, eadémque inſomniâ cruciati interierunt*, vt apud Agellium habet Tubero? Quo loco vide an Regulo præoptanda fuerit iſtorum pernicies saluti illorum quingentorum Romanorum militum, quos ſecum captos, paribus ſecum ſuppliciis implicuit? An, niſi quid tale præſumpſit, prætuliſſe eum tamen redimere quibuſvis ſuppliciis inſignem quandam gloriam, cuius deſiderio exardeſceret; facto documento huiuſce affectus, ſiue ambitionis ex eo, quod dicentem Polybium iam audiuimus?

Attamen ſeu iſta, ſeu alia quiſpiam fuerit requiſiturus; requiſierim ego ſolùm cohærenter, quænam eſſe Reguli maior, quam Thorij Balbi felicitas potuerit, cùm eâ ratione torqueretur, quæ à Tuberone mox citato deſcribitur: *In atras*, inquit, *& profundas tenebras eum claudebant; ac diù poſt, vbi erat viſus Sol ardentiſſimus, repentè educebant, & aduerſus ictus Solis oppoſitum continebant, atque intendere in Solem oculos cogebant; palpebras quoque eius, ne conniuere poſſet, ſurſùm, ac deorsùm deductas inſuebant.* Addit Cicero, illum fuiſſe *religatum in machina, & reſectis palpebris vigilando enecatum.* Neque Valerius Maximus ſecùs: *Carthaginienſes*, inquit, *Attilium Regulum palpebris reſectis machinæ, in qua vndique præacuti ſtimuli eminebant, incluſum, vigilantiâ pariter & continuo tractu doloris necauerunt.* Appianus machinam dicit *Caueam ſtimulos vndique exſtanteis habentem*; & Seneca *Arcam* appellat, *in qua fuerit clauis confixus.* En autem vt Silius graphicè deſcribat machinam hiſce verſibus:

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Orat. in P.ſ.

Lib. 9. cap. 2.

Loc.cit.

Epiſt. 67. & de tranq. 15.

lib. 6.

Præfixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, denſúſque per artem
Texitur erecti, ſtantiſque ex ordine ferri
Infelix ſtimulus; ſomniſque hac fraude negatis,
Quoſcumque in flexus producto tempore tortor
Inclinauit iners, fodiunt ad viſcera corpus.

At inquies, Thorius voluptatem molliter quæſiuit, Regulus pro ſalute patriæ tormenta delegit, ac fortiter tulit. Primùm tamen, non adeò mollis, voluptariuſque fuit Thorius, quin exigente ſalute patriæ, & ad bellum profectus fuerit, & in ipſa acie ob Rempublicam interſectus; vt vel ipſemet Cicero narrauit. Deinde, nihil commiſiſſe Thorius legitur, quod ſibi iure exprobraretur, vt Carthaginienſes videntur potuiſſe exprobrare ipſi Regulo, obiicientes nempè illi malam fidem, facinuſque eo candore indignum, quem in ipſo præſumpſerant, ac eâ fiduciâ, quâ fidei ſuæ eum permiſerant; rati id acturum, quod pollicebatur, ipſum alioquin non dimiſſuri, ſi voce aut nutu non acturum ſignificaſſet. Certè & videntur Carthaginienſes non aliam ob cauſam excruciaſſe illum adeò exquiſitis, grauibúſque ſuppliciis; quàm quia contra fidem, iuſiurandúmque diſſuaſiſſet pacem, captiuorúmque commutationem. Nam ſi perſpectum quidem habuiſſent, nihil fuiſſe ab eo prætermiſſum, quò minùs vtrumque, aut alterum perageretur, ac nullatenus per ipſum ſtetiſſe, quin ſatis ipſorum votis fieret, quî veriſimile ſit eos eſſe potuiſſe adeò inhumanos, vt in eum bona fide alioquin reuerſum, barbariem tantam oſtentarent? Ad-hæc, vtcumque eſſe ſolatio in mediis tormentis cui poſſit mens ſibi benè conſcia, eáque opinio, quòd & in ſalutem multorum, & dignitatis, honeſtatiſque tuendæ causâ illa patiatur; at nihilo propterea videtur beatior, quàm ſi aliunde honeſtè viuens, neminem iniuriâ afficiens,

Digitized by Google

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. afficiens, quam-plurimis prodeſſe ſtudens, ac omne viri, ciuiſque boni officium adimplens, vitam iucundè tranſigat, ſeu voluptatis quam-plurimùm, moleſtiæ quam-minimùm ſentiat. Tandem, ſi quis ſit ita comparatus, vt tuendi officij causâ nulla non pericula adeat, nullos non perferat labores, & ſanguinem quoque, vitámque profundat, ac optione factâ duorum vitæ generum à Torquato propoſitorum, eâ quidem ratione, vt amplecti alterutram citra officij diſpendium liceat; cedò, ecquis-nam eſt iſtorum voluptatis conuitiatorum, doloríſque encomiaſtarum, qui præferendum poſterius cenſeat, ſectaríque ipſe illud velit?

Conſentaneum foret hoc loco paulò vberius confirmare eſſe Dolorem ſummum malum, quando iſtud fuit quaſi Antecedens, cuius, ex lege contrariorum, foret conſequens, vt voluptas eſſet Summum Bonum: 1. Tuſc. & maximè cùm, vt Cicero obſeruat, non modo Ariſtippus antè, & Hieronymus pòſt; ſed ipſe maximè Epicurus hanc ſententiam defenderit. Veruntamen præter rationem ab ipſo Torquato hypotheſi factâ deductam; vt iam antè fuit declaratum eſſe omnem Dolorem ſuâ naturâ malum; ita, quâ deinceps ratione comprobatum fuit eſſe Voluptatem τὸ πρῶτον οἰκεῖον, *primum familiare*, ſeu *accommodatum*, atque idcircò Summum Bonum, câdem confectum ſimul videtur eſſe Dolorem τὸ πρῶτον ἀλλότριον, *Primum alienum*, ſeu *incommodans* (ſic enim vocat Epicurus) atque idcircò Summum Malum: quippè, cùm natura omnibus animalibus voluptatis inſerens amorem, vnâ, eadémque operâ doloris odium inſenerit. Sunt ergo heic potius aliqua obſeruanda: Vnum, Epicurum nomine doloris, non illos ſolùm, qui dicuntur corporis dolores comprehendere; ſed maximè etiam illos, qui animi; nam & ipſe docet, oſtendítque inferiùs eſſe animi dolores grauiores doloribus corporis; & paulò antè vidimus Torquatum in illa ſua hypotheſi aſſumere *aliquem confectum tantis animi, corporiſque doloribus, quanti, &c.* Et certè, vt corporis dolor ſine aliqua ſolutione continui (ſiue ſeſe cauſa externè inſinuet, ſiue internè ſubeat) non eſt: ſic neque animi dolor fit, quin fiat ipſius quaſi quædam ſolutio, ſeu quaſi contuſio, laceratio, diſtractio, &c. res pari ratione, ac in corpore ingrata, inamœna, dura, aſpera, moleſta. Alterum, cùm Dolor eſſe ſummum malum Epicuro dicitur, non eſſe rem ſic accipiendam, quaſi quivis dolor ſummum malum ſit; ſed quòd, cùm vel ſint, vel habeantur multa malorum genera, vt præter Dolorem, Paupertas, Orbitas, Ignominia, &c. ipſe dolor ſit ſummum, maximúmve; adeò proinde, vt in hoc deinceps genere malorum, eadem graduum minorum, maiorúmque diſtinctio ſit, quæ ipſos inter dolores eſt; & vt non omnis dolor eſt ſummus, ſic neque omnis ſit ſummè malus, ſiue habendus ſummum malum. Cauſa autem, *In pag. 85.* cur genus dolorum præ cæteris illis, malum duxerit, videtur fuiſſe, quòd cætera illa vocata mala extra nos ſint; & cùm opinione ſolùm ſint mala, opis noſtræ ſit, opinionem corrigere, præſtaréque adeò ne animum attingant, maléque afficiant: Dolor autem in nobis ſit, nóſque reipsâ malè afficiat; ſiue ab opinione independens ſit, veluti dolor corporis; ſiue ab opinione pendeat, veluti dolor animi; qui tametſi auerti, opinionem corrigendo, poſſit; ex quo tamen correctione opinionis neglecta, ipſi locum præbuimus, non minùs reipsâ, imò plerumque magis nos cruciat, quàm corporis dolor. Tertium, videri ex his proinde externa illa non alia ratione eſſe reſpectu animi mala, quàm ignis, gladius, aliaque ſimilia reputantur mala reſpectu corporis: Quoniam, vt iſta ſunt ſolùm mala, quatenus dolorem in corpore creant; ſic infamia, orbitas, alia, mala ſunt dumtaxat, quatenus dolorem in animo pariunt. Ex quo intelligitur rurſum ipſam quaſi eſſentiam, naturam-ve mali eſſe poſitam in dolore; vt dictum eſt antè, eſſentiam ſeu naturam boni poſitam eſſe in voluptate. Nempè, cùm vt Bonum eſt id, quod omnia appetunt; ita malum ſit id, quod omnia refugiunt; oportet, vt quemadmodum, id, quod omnem rem appetibilem, atque idcircò bonam facit, eſt ipſa voluptas, iucunditas, delectatio, &c. quæ ex illa percipitur; ita id, quod rem facit fugiendam, atque ideò malam, ſit ipſe dolor, moleſtia, aſperitas, &c. quæ ex ea ſentitur. Adeò vt proinde quemadmodum participatione iucundi omnia bona ſunt, ita ſint participatione dolorifici omnia mala: ſicque, vt ratio, ſeu natura boni in ipſa iucunditate, ſeu voluptate per ſe eſt; pari iure ratio, ſeu natura mali in ipſo dolore, ſeu moleſtia per ſe conſiſtat. Quartum, vt dictum eſt Virtutem, ſiue honeſtatem habere in ſe, vnde voluptatem pariat maximam; ita dici iam poſſe Vitium, ſiue dedecus, eſſe id, quod habet in ſe vnde maximum dolorem inducat. Quare &, vt Virtutem, ſiue honeſtatem comitatur maximum bonum; ſic Vitium, ſiue dedecus, comitari maximum malum; ſicque, vt Virtus, & honeſtas, inter illa, quæ ob ſummum bonum conſequendum expetuntur, eſt amplectenda maximè; ita Vitium, ac dedecus, inter illa, quæ ſummi mali declinandi causâ fugiuntur, eſſe maximè deuitandum. Et certè, quantumvis ſint quidam ignaui, ac molles, qui habentes cum Ariſtippo dolores corporis grauiores doloribus animi, non cenſeant animi dolorem, qui ex Vitio, aut dedecore eſt, eſſe aliquo corporeo grauiorem, ſicque non penes animum, ſed penes corpus eſſe malum ſummum; quiſque tamen vir generoſus, ac fortis cum Epicuro oppoſitum ſentiens, Dolorem illum animi quovis

corporeo

In pag. 85. corporeo grauiorem habet, ſicque non penes corpus, ſed penes animum eſſe Summum malum decernit. Poſtremùm videri Ciceronem, cùm cauſatur Epicurum dicentem dolorem eſſe ſummum malum, dictum proinde: *Maius eſſe malum mediocrem dolorem, quàm maximum dedecus, in ipſo enim dedecore, nihil eſſe mali, niſi ſequantur dolores:* Videri, inquam, Ciceronem rem ſic accepiſſe, quaſi Epicurus dolorem ſolum corporis, non animi item intellexerit; ac rurſùs, quaſi omnem vniuerſè dolorem eſſe ſummum malum cenſuerit, non verò retentis in hoc genere variis gradibus, cùm cæteris illis ipſum comparârit. Videri illum præterea non agnouiſſe aliud dici malum, quia ipſum per ſe malùm eſt; aliud dici tale, quia eſt mali cauſa; ac idcircò poſſe & dolorem ſummum ex dedecore creatum dici ſummum malum per ſe; poſſe & ipſum dedecus, quatenus creat malum hoc ſummum: Nempè Epicurus loquutus eſt ſolum de ſummo malo per ſe, ipſe obiicit de ſummo malo vt cauſa: cùm Epicurus alioquin diſtinctione admiſſa, negaturus non ſit eſſe Dedecus ſummum malum; & vtcumque videri circa diſtinctionem redarguendus valeat; idem tamen teipsâ, quod & Cicero, & cæteri, dicturus ſit, Dedecus nimirùm eſſe ſummè fugiendum. Illud, poſſint-ne non ſequi dolores ex dedecore, ediſſerendum ſpeciatim eſt, vbi de iuſtitia clàm violata agendum erit. Vnum heic addo: dogma hoc nempè, videri maximè conforme fidei Sacræ dogmati; quo vt ſummam felicitatem, ſummúmve bonum ducimus frui olim in cœlo æternis deliciis; ita eſſe ſummam miſeriam, ſummúmve malum credimus, cruciari olim in inferis, infandis illis doloribus ex ardoribus ſempiternis.

HACTENUS dictum de Voluptate ſpectata generaliùs: ſupereſt pauca quædam deinceps de ſpecialiùs ſumpta dicamus; eâ nempè, ad quam ſe Sapiens reducit, tanquam maximè naturalem, maximè obtentu facilem, maximè durabilem, maximè pœnitentiæ expertem. Diximus iam antè eam eſſe Tranquillitatem animi & Indolentiam corporis: talem ſcilicet Epicurus, vt ex Alexandro iam retulimus, progreſſu temporis *ἀσφαλῆ*, *concinnati*: hoc eſt, ex voluptatum maſſa veluti correcta, & turbulentioribus detractis, redacta in ordinem, quaſi conformari, numeriſque ſuis perfectam, rectéque conſtitutam haberi. Dico autem eam eſſe *maximè naturalem*; quia ipſa eſt, ad quam natura tendere vltimùm videtur; cùm cæteras, quæ ſunt in motu, idcircò inſtituerit, vt operationes ipſas faceret delectabiles; & operationes non tendere aliò, quàm ad hanc ipſam parandam voluerit. Inſtituit enim v.c. voluptatem, quæ in guſtatu, vt ipſam comedendi actionem gratam redderet, animalque proinde ad eam eliciendam prouocaret; comeſtionem verò inſtituit, vt famem, ſeu dolorem illum, inquietúmve, & moleſtum motum ſtomachi, oriſque ſedaret: At ipſam ſedationem, ſedatúmve ſtatum, quaſi finem vltimum habuit, ſummúmque eſſe bonum inſtituit. Dico *obtentu facillimam*; quoniam in cuiuſque poteſtate eſt & affectus ſuos domare, vt Tranquillam mentem poſſideat; & habere illa, quæ verè neceſſaria corpori ſunt, vt illi Indolentiam pariat; cùm &, ſi fortè in eo ſit ſtatu, vt hanc vtramque voluptatem obtinere perfectam nequeat; multò minùs in eo ſit, vt obtinere cæteras poſſit. Dico *Durabiliſſimam*; quia cæteræ momento conſtant, & quaſi deſultoriæ ſunt; hæc verò vno tenore eſt, & niſi noſtrâ culpâ, vix interrumpitur, aut perit. Dico *maximè pœnitentiæ expertem*; quandoquidem poteſt ex cæteris quidem aliquid mali conſequi; hæc verò prorſùs innoxia eſt, ac nullius damni inferendi cauſa. Et Cicero quidem prima ſtatim fronte litem Epicuro, prolixam intendit circa attributam Tranquillitati, atque Indolentiæ Voluptatis vocem. Scilicet contendit Voluptatis nomine intelligendam ſolùm eam, *Quam ſenſus iucundè accipiens moueatur, & iucunditate quadam perfundatur*; ſiue, *qua ſenſus dulciter, iucundéque moueatur*; vel *quæ motus ſit iucundus, & dulcis, quo ſenſus hilarentur, &c.* Ac rurſùs, cùm ſint in natura rerum tria; Vnum, cùm in voluptate ſumus; alterum, cùm in dolore; tertium, cùm nec in dolore, nec in voluptate; *Primùm, ac tertium iniurià in vnum confundi; ac eſſe planè aliud, in voluptate eſſe, & in dolore non eſſe.* Verùm, vt hoc loco cætera prætercam; Adnoto ſolùm Ciceronem non videri debuiſſe Epicuro facere de ipſo nomine controuerſiam. Fac enim non eſſe ex vſu verborum, vt ſtatus ille Tranquillitatis, atque Indolentiæ vocetur voluptas; ecquid nam prohibuit, quò minùs Epicurus, ipſum Voluptatem dixerit; & talem quidem, vt cum ea, quas cæteri mortalium voluptates vocant, non ſint comparandæ? Id & ſemper licuit, & ſemper licebit doctrinæ causâ facere; & in iſto quidem negotio, in quo, cùm Voluptas, & Bonum, ſiue Expetendum, iuxta antè dicta, idem ſint, ibi ſtatus, quo nihil videtur Expetibilius, ac Melius, videatur poſſe maximè Voluptas cenſeri, ac dici. Quamquam, ne in hoc immorer, liceret fortè ipſum ſibi Ciceronem opponere, cùm de iis voluptatibus, quibus ſenectutem carere obiicitur, loquens, dicit: *Iis carere iucundius eſſe, quàm frui*; Et rurſus: *Ergo*, inquit, *non deſiderare, dico eſſe iucundius, quàm frui*. Ne ſubiiciam quoque, quod ſtatim pòſt ait: *Nihil eſſe otioſa ſenectute iucundius*: Verùm opponere ipſi præſtat non modò Ariſtotelem, cuius expreſſa verba ſunt: *Ἡδονὴ μᾶλλον ἐν ἠρεμίᾳ ἐστὶν, ἢ ἐν κινήσει*: *Eſt in quiete magis, quàm in motu voluptas*; ſed D. etiam Chryſoſtomum, cuius

Margin notes: *Vitam beatam in voluptate ſitam eſſe.* — 1. De fin. — 1. Tuſc. — 1 De An. — Lib de ſen. — 7 Eth. 15.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. Hom. 22. In Ep. 1. ad Cor. cuius ipſamet quoque verba ecce : Τί γὰρ ἕτερόν ἐστιν ἡδονὴ, ἢ τὸ φροντίδος ἀπηλλάχθαι, καὶ φόβου, καὶ ἀθυμίας, καὶ πᾶσιν ἀχείρωτον εἶναι; τίς γὰρ ἐν ἡδονῇ, εἰπέ μοι, ὁ μαινόμενος, καὶ σφαδάζων, καὶ κεντούμενος ὑπὸ ἐπιθυμιῶν πολλῶν, καὶ οὐδὲ ἐν ἑαυτῷ ὢν, ἢ ὁ τούτων πάντων ἀπηλλαγμένος τῶν κυμάτων, καὶ ὥσπερ ἐν λιμένι τῇ φιλοσοφίᾳ καθήμενος ; *Quid enim aliud Voluptas eſt, quàm liberum eſſe à ſollicitudine, metu, deſperatione ; ac vniuersè paſſionibus huiuſcemodi non fieri obnoxium ? Vter enim, quæſo, in Voluptate eſt ? is-ne, qui furit, agitatur, cupiditatibus percellitur multis, & ne ſui quidem eſt compos ; an ille, qui his omnibus fluctuationibus eſt immunis, & in Philoſophia tanquam in portu ſedet ?* Hom. 2. in Ep. 1. ad Tim. Ac rursùs : Ἡδονὴν δὲ ἐκείνην ἐγὼ εἴποιμι ἂν τὴν ἀληθῆ, ὅταν μὴ ᾖ ἐν πάθει ἡ ψυχὴ κατατεινομένη ὑπὸ τοῦ σώματος, καὶ διασπωμένη. *Illa ego veram, germanámque eſſe Voluptatem dixerim, cùm anima in eo eſt ſtatu, vt nulla paſſione corporea diſtendatur, diſtrahatúrque.*

Illud videtur magis vrgere, quod à Cicerone obiectum, attinet ad rem, magis quàm ad vocem. Etenim Rationem illam Epicuri ex animalibus deductam facere nihil docet ad hanc Voluptatem, quæ in ſtabilitate conſtitura eſt, & ſummum tamen bonum ponitur ; quatenus infantes, & bruta non iſtam, ſed illam, quæ in motu eſt, appetunt. Locum eius integrum ecce : *A primo*, inquit, *vt opinor, animantium ortu petitur origo ſummi boni. Simul atque natum animal eſt, gaudet voluptate, & eam appetit, vt bonum ; aſpernatur dolorem, vt malum ; de malis autem & bonis ab iis animalibus, quæ nondum deprauata ſint, ait optimè iudicari. Hæc & tu ita poſuiſti, & verba veſtra ſunt. Quam multa vitioſa ? Summum enim bonum, & malum vagiens puer ita voluptate diiudicabit, ſtante, an mouente ? Quoniam, ſi Diis placet, ab Epicuro loqui diſcimus, Si ſtante ; hoc natura videlicet vult ſaluam eſſe ſe, quod concedimus : Si mouente, quod tamen dicitis ; nulla turpis voluptas erit, quæ prætermittenda ſit. Et ſimul non proficiſcitur animal illud modò natum à ſumma voluptate, quæ eſt à te poſita in non dolendo. Nec tamen argumentum hoc Epicuri à paruis petiuit, aut etiam à beſtiis, quæ putat eſſe ſpecula naturæ ; vt diceret ab his duce naturâ hanc voluptatem expeti nihil dolendi.. Neque enim hæc mouere poteſt appetitum animi, nec vllum habet ictum, quo appellat animum ſtatus hic non dolendi (itaque in hoc eodem peccat Hieronymus) at illa pellit, quæ permulcet ſenſum voluptas. Itaque Epicurus ſemper hoc vtitur, vt probet voluptatem naturâ expeti, quòd ea voluptas, quæ in motu ſit, & paruos ad ſe alliciat, & beſtias, non illa ſtabilis, in qua tantum ineſt, nihil dolere. Qui igitur conuenit ab alia voluptate dicere naturam proficiſci ; in alia, ſummum bonum ponere ? Beſtiarum verò nullum iudicium puto : quamvis enim deprauata non ſunt, praua tamen eſſe poſſunt. Vt bacillum aliud eſt inflexum, & incuruatum de induſtria, aliud ita natum ; ſic ferarum natura, non eſt illa quidem deprauata malâ diſciplinâ, ſed naturâ ſuâ.* Verumtamen, vtcumque ſit de Beſtiarum iudicio, ferarúmve natura, In pag. 85. quæ non naſcitur quidem deprauata, ſed ad finem ſuum conſequendum rectè inſtituta ; quæque deinceps recto ductu, vbi dolorem ex defectu ſubortum ſedauit, conquieſcit ; ſecus ac plerumque homines, qui opinione deprauati, defectus ſibi, appetitum irritando, aut fingunt, aut faciunt, & in quo conquieſcant, nihil habent : Vtcumque ſit, inquam, de Brutis, & de hominibus vt dicatur ; conſtat quicquid obiicitur, ex inſinuatis corruere. Nam imprimis quidem natura inſtituit voluptatem ſtantem pro præcipuo fine ; & operatione inſtitutâ, quaſi medio ad hanc conſequendam neceſſario, voluptatem ſimul mouentem adhibuit, quâ operatio exſeratur alacriùs. Vnde & quamvis ſiue homo, ſiue aliud animal videatur expreſſiùs, magiſque disertè ad mouentem voluptatem excitari ; non obſtat hoc tamen, quin tacitè ſimul, reipsâque tendat ad ſtantem, idque ducente ipsâ naturâ, quæ illam habuerit, vt ſcopum primarium. Nam & quod Cicero contendit ſcopum primarium potiùs eſſe, vt *ſaluum eſſe ſe* ſeu homo, ſeu animal velit ; idem prorsùs reipsâ eſt. Siquidem quia dolor ex defectu cibi, v. c. natus, comitatur quandam continuitatis ſolutionem, quæ niſi inhibeatur, reſtituatúrque, exitialis futura ſit ; idcircò natura prouidit, vt cibi aſſumptione talis inhibitio, ac reſtitutio fiat, ac vnâ operâ doloris ſedatio, incolumitáſque paretur. Deinde, quia homo temporis progreſſu variis, vt præmonui, opinionibus deprauatur, ac faciens quod aiunt, τὸ πάρεργον, ἔργον, *appendicem opus*, ipſam voluptatem in motu, quaſi primarium ſcopum habet, eâque abutens intemperanter, damnum ſibi accerſit, dum iacturam facit illius, quæ in ſtabilitate eſt, quamque natura primariam fecit, vt proinde & moleſtia, dolórve ſequatur, & pœnitentia ſubeat ; idcircò voluit Epicurus ipſam Sapientiam ſuccurrere, quæ hominem doceat voluptatem διαρθρῶσαι, *in ordinem redigere*, hoc eſt, eam habere appendicem, quæ appendix eſt, eam opus, quæ ipſum eſt opus. Nec verò propterea debet obiici, hoc eſſe, *naturam ab alia voluptate proficiſci, in alia ſummum bonum ponere* ; ſiquidem natura & ab vtraque proficiſcitur, & in vtraque ſummum bonum ponit ; ſed ita tamen, vt aliam, quaſi ἔργον, *opus* ; aliam, quaſi πάρεργον, *appendicem*, ſeu *acceſſionem* habeat.

Parùm curandum interim eſt, quod Cyrenaïci apud Laërtium obiiciunt, iſtam Lib. 2. Epicuri Voluptatem eſſe κατάστασιν, οἱονεὶ καθεύδοντος, *conſtitutionem quaſi dormientis* ; & apud Clementem, νεκροῦ, *mortui*. Quippe non propterea voluit Epicurus Tran- 2. Strom. quillitatem, & Indolentiam eſſe quaſi merum torporem ; ſed voluit potiùs eſſe ſtatum, in quo omnes vitæ actiones placidè ſimul, & iucundè paragerentur. Nam noluit quidem vitam Sapientis eſſe quaſi torrentem,

Digitized by Google

In pag. 85. rentem , rapidumve flumen ; at non idcirco tameu eſſe voluit quaſi aquam reſtagnantem , & mortuam ; ſed potiùs quaſi aquam fluuij tacitè, placidéque labentis. Ratarum certè eius ſententiarum vna eſt : *Non augeri voluptatem dolore detracto, ſed variari ſolummodò* ; quaſi ſenſus ſit, poſt acquiſitum tranquillum illum, doloriſque expertem ſtatum, non poſſe quidem aliquid maius , aut cum eo comparandum requiri ; ſed interim tamen ſinceras ſupereſſe voluptates , quibus ſtatus huiuſmodi intemeratus manens varietur ; agri nempè inſtar , ex quo feracitatem adepto , varietas frugum demetitur ; aut prati, quod ſoli bonitatem aſſequutum , incredibili quadam florum amœnitate variegatur. Nempè hic ſtatus eſt quaſi fundus , ex quo omnis ſincera voluptas colligitur ; vnde & vel ex eo cenſeri poteſt ſumma voluptas , quòd ſit generale quaſi condimentum , quo omnis vitæ actio quaſi dulcoratur , quôque adeò omnis voluptas temperatur , gratáque eſt : vt verbo dicam , ſine quo , nulla voluptas eſt voluptas. Ecquid enim , quæſo eſſe gratum valeat , ſi aut turbulentus ſit animus, aut corpus dolore vexetur ? Tritum eſt illud ,

Horat. *Sincerum eſt niſi vas, quodcumq; infundis, aceſcit:*
& vulgare effatum eſt : *Quicquid recipitur, ita recipi, vt recipiens fuerit affectum* : Quamobrem oportet , vt ſi quis ſinceras voluptates deſideret , ſeſe imprimis comparet illis ſincerè excipiendis : quod tùm demum fit , cùm huiuſmodi ſtatus , quantum licet , acquiritur. Quantum licet , inquam ; Nam iuxta antè memorata , obſtat conditio mortalitatis , ne ab omni parte eſſe beatis liceat ; & felicitas illa ſumma omnis omnino perturbationis , doloriſque expers , omni omnino voluptatum genere cumulatiſſima , ſolius Dei eſt, eorumque quos transfert , pro ſua illa bonitate immenſa , in meliorem vitam. Adeò proinde, vt cùm in hac vita alij magis , alij minùs perturbentur , ac doleant ; id cuique ſapere volenti enitendum ſit , vt , quantum per naturam, eiuſque imbecillitatem fas eſt, in eo ſtatu ſe collocet , in quo poſſit quam-minimùm perturbationis , ac doloris ſentire. Quippe hac ratione duo ſortietur bona , ex quibus illud
Epiſt.66. *Summum* , *Beatumque* , vt ex Epicuro Seneca, inquit , componitur; quæque fuêre ſemper à ſapientioribus agnita , quaſi ſola vitæ bona ſolida , & optanda.

In monoſt. Ὑγεία, καὶ νοῦς ἐσθλὰ τοῦ βίου δύο.
Sunt Sanitas, & Mens gemina vitæ bona.

Et,

Iuuen. *Optandum eſt, vt ſit Mens ſana, in Corpore ſano.*

Rursùs autem , quòd Epicurus noluerit iſtam ſuam voluptatem eſſe quaſi meram ſocordiam , priuationémve ſenſus, omniſque actionis, ſine qua iuxta ante-dicta voluptatis notio non eſt ; Poſſet quidem res confirmari ex iis, quæ ipſe meditando, docendo, ſcribendo, amicorum curam gerendo peregit in hortis ; Verùm ſatis erit , Imprimis heic apponere, quod Seneca habet, dum : *Tria* , inquit , *genera ſunt vitæ, inter quæ, quod ſit optimum, quæri ſolet: vnum voluptati vacat , alterum contemplationi, tertium actioni. Primùm depoſita contentione , depoſitóque odio, quod implacabile diuerſa ſequentibus indiximus; videamus an hæc omnia ad idem, ſub alio titulo perueniant. Nec ille, qui voluptatem probat, ſine contemplatione eſt ; nec ille, qui contemplationi inſeruit , ſine voluptate eſt ; nec ille , cuius vita actioni deſtinata eſt, ſine contemplatione eſt. Plurimùm, inquis, diſcriminis eſt, vtrùm aliqua res propoſitum, an propoſiti alterius acceſſio ſit. Sanè grande diſcrimen : tamen alterum ſine altero non eſt. Nec ille ſine actione contemplatur; nec hic ſine contemplatione agit : nec ille Tertius , de quo malè exiſtimare conſueuimus , voluptatem inertem probat, ſed eam, quam ratione efficit firmam ſibi. Ita & hæc ipſa Voluptaria ſecta in actu eſt. Quid-ni in actu ſit ? cùm ipſe dicat Epicurus aliquando ſe receſſurum à voluptate, dolorem etiam appetiturum, ſi aut voluptati imminebit pœnitentia , aut dolor minor pro grauiore ſumetur ?* Deinde, ſat erit heic ſubiicere, quod Epicurus exiſtimârit ſubnaſci ſponte ex iſto ſtatu eiuſmodi cogitationem , qua ſentiri nihil ſuauius poſſit ; dum videlicet quis attendit , è quot procellis euaſerit , quot declinarit , quibus alios adhuc colluctanteis conſpiciat ; ipſe ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ ἐν ἀκλύστῳ λιμένι, καὶ κωφῷ τεθειμένος, *in profundiſſima quiete, & quaſi in portu omnino ſilente, tranquillóque conſtitutus* ; quemadmodum apud Plutarchum loquentem iam audiuimus. Repeto verò, vt ſubiiciam , quemadmodum Lucretius quoque tùm eadem-met comparatione, tùm alia imprimis vtatur,

Suaue, mari magno turbantibus æquora ventis, Lib.2.
E terra magnum alterius ſpectare laborem
Non quia vexari quęquam'ſt iucunda voluptas;
Sed, quibus ipſe malis careas quia cernere ſuaue'ſt.
Suaue etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa, tua ſine parte pericli :

Ac deinde pergat :

Sed nil ſuauius eſt, benè quàm munita tenere
Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena,
Deſpicere vnde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ :
Certare ingenio, contendere nobilitate :
Nocteis, atque dies niti præſtante labore :
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.

Et quò minùs dubites mentis ſenſum comprehendi , vbi ad corporis indolentiam tranquillitas mentis adiicitur , ecce ſubiicit ſtatim pòſt :

——Nonne videre'ſt
Nil aliud ſibi naturam latrare , niſi vt cum
Corpore ſeiunctus dolor abſit , mente fruatur
Iucundo ſenſu, curâ ſemota, metûque ?

Vt imprimis autem de ipſa Tranquillitate quidpiã dicamus, Repetendum eſt, non intelligi hocce nomine torpentem quandam ſocordiã, ſeu otiũ iners, & languidum; ſed, vt Cicero ex 4.Tuſc.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Pythagora, Platonéque interpretatur, *Placidam, quietámque conſtantiam in animi parte rationis participe*, quam Democritus quoque ex ante-dictis, appellauit ἐνθυμίαν, καὶ εὐεστὼ, quaſi dicas, *probam, & laudabilem, ſiue æquabilem, ac lenem conſtitutionem animi*; quod per ipſam animus adeò ſeſe benè, compoſitéque habeat, vt ſiue rebus gerendis ſeſe applicet, ſiue ab illis vacet; & ſiue proſperam fortunam, ſiue aduerſam experiatur, vno ſemper tenure conſtet, ſuive ſemper ſimilis ſit; & neque geſtiente lætitia, neque deprimente ægritudine, neque vlla id genus alia perturbatione commoueatur; ex quo eadem Tranquillitas, ſeu conſtitutio animi, dicta Epicuro, & aliis ἀταραξία, ἀοχλησία, γαλήνοτης, *&c.* vt ſuperius quoque attigimus, fuit.

5. Tuſc.

Scilicet, *Vt maris Tranquillitas intelligitur* (quæ Ciceronis verba ſunt) *nulla ne minima quidem aura fluctus commouente; ſic animi quietus, & placatus ſtatus cernitur, cùm perturbatio nulla eſt, qua moueri queat.* Heincque efficitur, vt quemadmodum nauis frui tranquillitate dicitur, non ſolùm, quæ in medio mari immota conquieſcit; ſed maximè etiam, quæ ſecundo vento, velociter quidem, ſed placidè tamen, æquabilitérque transfertur; ita animus dicatur tranquillus, non ſolùm qui in otio degit, ſed maximè etiam, qui magna, & præclara quædam molitur abſque inteſtina ſui agitatione, temerationéque æquabilitatis. Veluti ex oppoſito, non ſecùs ac nauis exagitari dicitur, non ſolùm, quæ ventis rapitur aduerſis, verùm etiam quæ commotionibus ſubterorientibus vexatur; ſic & animus perturbari dicitur, non ſolùm, qui inter agendum variis exæſtuat paſſionibus; verùm etiam, quem in medio otio ſollicitudines exedunt, ægritudinéſque & timores excarnificant, & conficiunt. Sunt igitur iſtæ, cæteræque Paſſiones, quæ vt tranquillitatem, ſic beatam vitam penitus conturbant; quod priuſquàm ex Torquato audiamus, adhibere placet, quæ aliàs hac ipſa de re idem Cicero habet.

5. Tuſc.

Motus, inquit, *turbulenti, iactationéſque animorum incitata & impetu inconſiderato elata, rationem omnem repellentes, vita beata nullam partem relinquunt. Quis enim poteſt, mortem, aut dolorem metuens, quorum alterum ſæpè adeſt, alterum ſemper impendet, eſſe non miſer? Quid, ſi idem, quod plerumque fit, paupertatem, ignominiam, infamiam timet: ſi debilitatem, cæcitatem, ſi denique, quod non ſingulis hominibus, ſed potentibus populis ſæpè contingit, ſeruitutem? Poteſt ea timens, eſſe quiſquam beatus? Quid, qui non modò ea futura timet, verùm etiam fert, ſuſtinétque præſentia? Adde eodem exilia, luctus, orbitates. Qui rebus his fractus, ægritudine eliditur, poteſt tandem eſſe non miſerrimus? Quid verò illum, quem libidinibus inflammatum, & furentem videmus; omnia rabidè appetentem, cum inexplebili cupiditate; quoque affluentius voluptates vndique hauriat, eò grauius, ardentiúſque ſitientem: nonne rectè miſerrimum dixeris? Quid elatus ille leuitate, inanique lætitia & exſultans, & temerè geſtiens: nonne tantò miſerior, quantò ſibi videtur beatior? Ergo vt hi miſeri, ſic contrà illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ, exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus* In pag. 85.

Iam ipſa verba Torquati ecce: *Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus eſſe deditum dicitis: Non poſſe iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur; nec ſapienter honeſtè, iuſtè, niſi iucundè. Neque enim ciuitas in ſeditione beata eſſe poteſt; nec in diſcordia dominorum domus; quò minùs animus à ſeipſo diſſidens ipſe, ſecúmque diſcordans, guſtare partem vllam liquidæ voluptatis, & liberæ poteſt. Atqui pugnantibus, & contrariis ſtudiis, conſiliiſque ſemper vtens, nihil quieti videre, nihil tranquilli poteſt. Quod ſi corporis grauioribus morbis, vitæ iucunditas impeditur: quantò magis animi morbis impediri neceſſe eſt. Animi autem morbi ſunt cupiditates immenſæ, & inanes diuitiarum, gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiam voluptatum. Accedunt ægritudines, moleſtiæ, mœrores, qui animos exedunt, conficiúntque curis, hominum non intelligentium, nihil dolendum eſſe animo, quod ſit à dolore corporis præſenti, futuróve ſeiunctum. Nec verò quiſquam ſtultus non horum morborum aliquo laborat; nemo igitur eſt non miſer. Accedit etiam mors, quæ quaſi ſaxum Tantalo ſemper impendet: tùm ſuperſtitio, qua qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt. Præterea, bona præterita non meminerunt, præſentibus non fruuntur, futura modò expectant; quæ quia certa eſſe non poſſunt, conficiuntur & angore, & metu; maximéque cruciantur, cùm ſerò ſentiunt, fruſtrà ſe aut pecuniæ ſtuduiſſe, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ: nullas enim conſequuntur voluptates, quarum potiendi ſpe inflammati, multos labores, magnoſque ſuſceperunt. Ecce autem alij minuti, & anguſti, aut omnia ſemper deſperantes, aut maleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, moroſi; alij autem etiam amatoriis leuitatibus dediti, alij petulantes, alij audaces, proterui, iidem intemperantes, & ignaui, nunquam in ſententia permanentes; quas ob cauſas in eorum vita nulla eſt intercapedo moleſtiæ*: Huc vſque Torquatus: En verò accinentem Lucretium, dum oſtendens, quàm ſit maioris Epicurus, quàm Hercules faciendus, poſt enumeratos aliquos labores, quibus Hercules terram repurgauit ab aliquot monſtris, quæ niſi fuiſſent interempta, nihilo eſſet magis hominum vita infelicior; tùm paſſiones recenſet, hoc eſt, pernicioſiora monſtra, quæ Epicurus non armis, ſed dictis, præceptiſve ſuis ſubegit, ex animiſque expulit, ſic habet:

1. De fin.

At, niſi purgatum'ſt pectus, quæ prælia nobis, Lib. 5.
Atque pericula tunc ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia, quantas
Efficiunt clades? Quid luxus, deſidieſque?

Dicenda cohærenter foret ſuauitas illa ſuauiſſima,

In pag. 85. uiſſima, quâ eſt neceſſe illum perfundi, qui à perturbationibus factus liber, felicis ſui ſtatus intelligens eſt, ac ſeſe vt in tranquillo portu, poſt tempeſtatum, procellarúmque agitationes, conſtitutum agnoſcit. Verùm res occurret ſpecialiùs dicenda circa virtutes ſingulas, quarum munus eſt, paſſiones ſedare, tranquillitatémque adeò parere; cùm & hoc loco ſuauitas illa intelligi generatim poſſit, ex eo pretio, quo æſtimatur, dum quis in mediis perturbationum anguſtiis eam deſiderat; eo planè modo, quo tempeſtatibus diuexatus placiditatem maris exoptat, aut cruciatus morbis ſanitatem corporis. Scilicet harum rerum pretium videtur ab illo dumtaxat ſatis intelligi, qui in ſtatu oppoſito ad ipſas reſpiciens, vota pro ipſis fecerit. Quamobrem pauca potiùs attingo circa id, quod obiter innui, tueri licere tranquillitatem, feliciterque adeò viuere, non modò in otio, vacationéque à negotiis, ſed etiam in ipſis negotiis, mediisve rebus gerendis. Cùm id porrò ſupponat duplicem vt vitam, ſic felicitatem diſtingui, Contemplatiuam, nempe, & Actiuam; non modò quidem Epicurus ipſam Contemplatiuam præfert, habetque penè vnicam, dum gignens felicitatis cauſa ipſi eſt ὁ λογισμὸς αἰτίας ἐξερευνῶν, *inueſtigatrix cauſarum ratio*; atque adeò ſuadet Sapienti μὴ πολιτεύεσθαι, *ne ad Rempublicam accedat*; ipſéque Cicero pro-

3. De Orat. inde eius Philoſophiam procul abeſſe ab Oratore declarans, *Nec vlla tamen*, inquit, *ei Philoſophia fiet iniuria à nobis; non enim repelletur inde, quò aggredi cupiet, ſed in hortulis quieſcet ſuis, vbi vult, vbi etiam recubans molliter, & delicatè, nos auocat à roſtris, à iudiciis, à curia; fortaſſe ſapienter, hac præſertim Republica.* Non modò, inquam, id Epicurus; ſed

Lib. 10. cap. 7. Ariſtoteles quoque ipſe, Contemplatiuam, vt præcellentem habet, ita commendatiſſimam facit; Verùm hoc non obſtat, quin illi, quos, iuxta ante-dicta, aut naſcendi conditio, aut genius, propriáque electio, aut caſus, aut neceſſitas rebus gerendis immiſcuerit, poſſint, niſi tam facilè, at quadamtenus tamen, inter res gerendum, congruam ſeruare tranquillitatem. Scilicet, Qui non cæco ductu, ſed rebus, quantum licet, prouiſis, eas aggreditur: Qui rerum humanarum ſtatum non quaſi è media turba, ſed tanquam è ſpecula quadam ſublimi contemplatur: Qui nouit poſſe plurima inter agendum interuenire, quæ proſpici antè non valuerint: Qui difficultatibus incurſuris, niſi ſpeciatim, generatim ſaltem ita prouidet, vt ſibi fore neceſſarium, tanquam in arena, quod aiunt, capere conſilium, proponat: Qui eſſe ſe quidem eorum, quæ in ſeipſo habet, dominum agnoſcat; at non item eorum, quæ extra ſe poſita, non perinde habet ſuo in arbitrio: Qui vbi quantum per vireis datur, id, quod boni viri officium decet, præſtiterit, quicquid deinceps euenerit, eſſe ſibipſi ſatisfactum putet: Qui ſibi de felici euentu nihil ita certò polliceatur, quin poſſe rem ſuccedere præter votum ſuum conſtituat; Qui ſe proinde ſic comparet, vt expertus licet eo caſu fortunam iniquam, ipſam tamen ferat æquo animo: Qui, inquam, hoc modo affectus res agendas ſuſceperit; is poteſt exteriùs ita agere, ita res curare, vt in mediis earum quaſi procellis, & tumultibus, ſeruet tamen interiùs, ſeu intra animum, placidiſſimam pacem. Taleis nos profectò quoſdam nouimus, talémque Claudianus ſuum Mallium Theodorum deſcribit, cùm alloquens illum, hæc habet, inter cætera:

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

——nec te tot limina rerum,
Aut tantum turbauit onus, ſed vt altas Olympi In paneg.
Vertex, qui ſpatia ventos, hyemeiſque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum,
Celſior exſurgit pluuiis, auditque ruenteis
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat;
Sic patiens animus per tanta negotia liber
Emergit, ſimiliſque ſui.——

Ac ſtatim poſt (quod & ſuperius inter Effata retulimus)

Seruat inoffenſam diuina modeſtia vocem,
Temperiem ſeruant oculi; nec lumina feruor
Aſperat, aut rabidas diffundit ſanguine venas;
Nulláque tempeſtas mutati proditor oris,
Quin-etiam ſonteis expulsâ corrigis irâ,
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Inſtrepis horrendum, fremitu nec verbera poſcis.

Et vide, vt paucis interpoſitis, comparatiune pulchrâ præmiſsâ inferat animo pacato res longè vtiliùs, quàm negotioſo, peragi:

Lenè fluit Nilus; ſed cunctis amnibus exſtat
Vtilior, nullas confeſſus murmure vireis.
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia ſaui
Gurgitis immenſum deducit ad oſtia Gangem.
Torrentes immane fremant, lapſiſque minentur
Pontibus, inuoluant ſpumoſo vortice ſyluas;
Pax maiora decet: peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandatáque fortius vrget
Imperioſa quies.——

Addo & conſequi, vt rebus confectis, neque efferatur, ſi probè; neque contrahatur, ſi malignè ſucceſſerint; neque ſuſceptorum à ſe conſiliorum pœniteat, quòd expenſis omnibus, veriſimilius fuerit eas ſucceſſuras ſecus; vnde & ſit denuò ſuſcepturus eadem, ſi pares omninò fuerint circumſtantiæ. Tritum certè illud Phocionis, qui cùm, referente Plutarcho, bellum diſſuaſiſſet, poſtquàm id In eius vita. fuit tamen geſtum proſperè, & exprobrandi causâ ex eo quæreretur, num ſecùs eueniſſe optaret? *Ego verò*, inquit, *& ita eueniſſe lætor, & conſilij tamen pœnitentia non ducor.* Nimirum, *Sapientis eſt proprium*, vt loquitur Cicero, *nihil quod pœnitere poſſit, facere; nihil inuitum: Splendidè, conſtanter, grauiter, honeſtè omnia; nihil ita exſpectare, quaſi certò futurum; nihil, cùm acciderit admirari, vt inopinatum, ac nouum accidiſſe videatur; omnia ad ſuum arbi-*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. *trium referre : ſuis ſtare iudiciis.* Tametſi poſtrema hæc verba non ita accipienda ſunt, vt ſapiens protcruè aliorum iudicia contemnat, conſiliá-ve nihili faciat, ac ſibi nimiùm temerè fidat ; ſed ſenſus eſt ; vt poſtquàm maturè rem deliberauerit, non patiatur iudicium ſuum à multitudinis iudicio, præ nimia quadam ſui diffidentia abduci. Meritò ſiquidem laudatus cunctator, quòd ante ſalutem rumores non poſuerit : ac pari occaſione is, de Plut. ibid. quo mox, Phocion, quòd, cùm milites orantes inſtarent, vt ſe in aciem educeret, ac animis tamen viribuſque eorum diffiſus abnueret ; vbi illi irati ineſſère probris, effœminatum inclamantes ducem, adiicientéſque illum periculum vanum ſuo timori prætendere, nihil aliud, quàm exceperit : *O virorum fortiſſimi, neque vos me intrepidum, neque ego vos vnquam ignauos efficiam : ſatis eſt noſtra vtriſque noſtrûm eſſe penitus perſpecta ingenia.*

Enimverò, quantacumque hæc ſit ſiue tranquillitas, ſiue felicitas Actiua : Ariſtoteles tamen iure Contemplatiuam longè præfert. Probat id verò ex dignitate Contemplationis ſupra Actionem : Quòd Contemplatio ſit operatio illius Partis, quæ eſt in nobis optima, diuiniſſimáque : Quòd ex ſapientia ſit ; ac ideò ex omnium conſenſu iucundiſſima ; quippe complectente ſapientia voluptates mirabileis, ſeu ſinceritatem, ſeu conſtantiam ſpectes : Quòd poſſit ideò eſſe in nobis penè aſſidua, & continens ; quaſi adſtante ſemper ſapientia, à qua nobis ſuppeditatur : Quòd laudatum illud : *Sufficere ipſum ſibi*, [illegible], ob eam maximè competat ; cùm eorum quidem, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, tam ſapiens, quàm iuſtus, & alij, qui rebus incumbunt, indigeant ; quod ſupeieſt autem, & iuſtus, & temperans, & fortis, rebus præterea indigeant multis, vt virtutes exerceant ; ſapiens autem habeat in ſeipſo repoſitum, vnde ſeſe dedat contemplationi rerum : Quòd ipſa ſola ob ſeipſam ametur ; cùm actio quidem militaris propter pacem ſit : ciuilis rei adminiſtratio propter ſui, aut ciuium potentiam, honorem, aut felicitatem ; atque ita de cæteris, quæ minùs ſplendidè geruntur: Quòd propter hoc ipſum, *voluptate frui ac ſibi ſufficere*, de quo eſt iam dictum, & liberam feriandi, otiandique facultatem contineat ; & occupationem, defatigationis expertem & (quantum quidem per humanam imbecillitatem licet) ea omnia, quæ ad beatam vitam vulgò requiruntur : Quòd denique, cùm opinemur Deos maximè felices, ac beatos, taleis eſſe oporteat ob aliquam operationem (neque enim eſſe dormienteis, Endymionis inſtar, fingendos) eſſe autem illam non poſſe actionem Iuſtitiæ ; ridiculè enim viſum iri Deos contrahere, depoſitum reddere, &c. aut Fortitudinis ; neque enim Deos timenda perferre, adiréve pericula : aut Liberalitatis ; non enim adeſſe, cui donent, abſurdúmque eſſe habere eos In pag. 85. nummos, taléve quidpiam tribuere : aut Temperantiæ ; contumelioſam enim fore laudem, ſi cupiditatibus vitioſis carere dicantur ; atque ita percurrendo actiones vitæ ſingulas ; cùm aliunde ipſæ effectiones, quales mechanicorum ſunt, ſint adhuc Diis indigniores : Quare ſupereſſe, vt Deo ſola competat, quæ beatitudine præcellit, Contemplatio. Quo loco eùm reprehendendus Ariſtoteles ſit, quatenus Deo negat actiones Iuſtitiæ, quibus agere dignatus cum hominibus, legéſque ipſis tradere, tùm promiſſis ſtat ; tùm præmia, ac pœnas, prout ſunt cuiuſque opera, diſpenſat ; quatenus item quæ magis adhuc propriæ Dei ſunt actiones Liberalitatis, quibus, vt aliis omnibus rebus ; ſic ſpeciatim hominibus, ſponte, citra obligationem, ac eo ſolum nomine, quia *bonus, eſt*, & (vt loquitur Plato) *liuore non tangitur*, quicquid bonorum habet, largitur ; atque ita de compluribus : At, quod ſupereſt, iure ille eiuſmodi laudes Contemplationi tribuit ; quandò reuerà eſſe actio non poteſt, aut dignitate præſtantior, aut voluptate ſincerior, aut conſtantiâ diuturnior, aut exercitatione facilior. Non ſunt verò heic repetenda, quæ paulò antè circa priorem virtutis partem deducta ſunt ; vt oſtendatur quanta proinde in ipſa rerum contemplatione voluptas, quantáque adeò felicitas ſit. Prætermittendus ſolùm non eſt, qui ad hanc rem facit Ciceronis locus. Ille igitur : *Quo tandem*, inquit, *gau-* 5.Tuſc.
dio affici neceſſe eſt Sapientis animum, cum his habitantem, pernoctantémque curis ? & cùm totius Mundi motus, conuerſioneſque perſpexerit, ſideráque viderit innumerabilia cœlo inhærentia cum eius ipſius motu congruere certis infixa ſedibus ? ſeptem alia ſuos quæque tenere curſus ; multum inter ſe aut altitudine, aut humilitate diſtantia ; quorum vagi motus, rata tamen, & certa ſui curſus ſpatia definiant ? Horum nimirùm adſpectus impulit illos veteres, & admonuit, vt plura quærerent. Inde eſt indagatio nata initiorum, & tanquam ſeminum, vnde eſſent omnia orta, generata, concreta : quæque cuiuſque generis vel inanimi, vel animati, vel muti, vel loquentis origo, quæ vita, quis interitus, quæque ex alio in aliud viciſſitudo, atque mutatio : Vnde terra, & quibus librata ponderibus ; quibus cauernis maria ſuſtineantur ; inquam omnia delata grauitate medium mundi locum ſemper expetant, qui eſt idem infimus in rotundo. Hæc tractanti animo, noctes, & dies cogitanti exſiſtit illa à Deo Delphis præcepta cognitio, vt ipſa ſe mens vitiis exutam cognoſcat, coniunctámque cum diuina mente ſe ſentiat ; ex quo inſatiabili gaudio compleatur. Ipſa enim cogitatio de vi, ac natura Deorum ſtudium incendit illius æternitatis imitandæ ; neque ſe in breuitate vitæ collocatam putat, cùm rerum cauſas, alias ex aliis aptas, & neceſſitate nexas videt. Quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum, ratio tamen, menſque moderatur. Hæc ille intuens,

atque

In pag. 85. *atque ſuſpiciens, vel potius omneis parteis, oraſque circumſpiciens, quanta rurſus Animi tranquillitate, humana, & cœteroru conſiderat? Hinc illa cognitio virtutis exiſtit; efflorescunt genera, parteſque virtutum; inuenitur quid ſit, quod natura ſpectet extremum in bonis, quid in malis vltimum; quò referenda ſint officia; quæ degendæ ætatis ratio deligenda.* Hæc quidem ille: Intelligitur autem ex poſtremis verbis etiam res moraleis, & ad actionem pertinenteis, obiectum quoddam contemplationis iucundiſſimæ fieri poſſe. Et ſanè qui prætereà attenderit, perſpexeritque, Quamdiù, & qua rerum cum viciſſitudine perſeuerârit hactenus Mundus: Quis fuerit huc-vſque regnorum, rerumpublicarum, religionum, opinionum, legum, conſuetudinum, ortus, proceſſus, ſtatus, deflexus, & interitus: Qui mores, rituſque iam vigeant, quos maiores noſtri improbaſſent, improbaturi ſint poſteri; vti & quos ipſi iam ridemus, viſos antiquis ſerios; quoſque riſuri etiam ſimus, ſi ſpectare illos poſſemus, qui nepotibus ſeris placituri ſunt: Quomodo tametſi ſpeciatim ritus, moreſque commutentur, generatim tamen dici iidem poſſint, argumentúmque ſemper ſint perſeuerantis leuitatis, & imbecillitatis humanæ: Qua ratione, ſemper vſuueniat, vt homines præ cæcitate viuant perpetuò miſeri, dum abducti aut ambitione, aut auaritia, aut affectu alio, non agnoſcunt, quanto cum fructu poſſent mittere has de pectore curas, ac paucis contenti ſecum habitare, & tranquillè, ſeu abſque tanta agitatione degere vitam: Qui iſta, inquam, aliaque id genus contemplando perſpexerit; næ contemplatione ſua ſit felix, ac ipſam præſertim inſtituens ex alta illa quaſi arce, ex qua ipſa virtus deſpicit mortalia.

Vt iam de ipſa quoque Indolentia attingamus aliquid, videtur imprimis non perinde eſſe in nobis, vt non doleamus corpore, ac vt mente non perturbemur. Etenim, vtcumque difficile ſit, perturbationes ſiſtere, commotionéſque earum ſedare, nihilominùs, ſepoſitis illis, quæ cum corporis dolore cohærent, qualis imprimis fames, ac ſitis, ſeu cibi, & potus cupiditas eſt, ad cæteras quod attinet, vt illæ, niſi ex opinione in nobis obortæ non ſunt, vti vel ex ipſo Epicuro deducendum inferiùs eſt, ſic videntur poſſe, ſi modò ab opinione præcauerimus, impediri. Verùm ad dolores corporis quod ſpectat, vtcumque caueamus, ne vltrò, aut accerſantur extrinſecùs, aut intrinſecùs excitentur, nihilominùs ea plerumque eſt temperamenti, ſeu conſtitutionis ab vtero vſque deductæ conditio, vt ſaltem ex hoc capite tolerandi nobis neceſſariò ſint dolores non pauci. Haud abs re ſanè finxit Æſopus, referente Themiſtio, Prometheum homini formando maceraſſe lutum non aquâ, ſed lacrymis, quippe èxinde declarauit corporis naturam eiuſmodi eſſe, vt partim externis, partim internis iniuriis pateat, ac fieri non poſſe, quin aliquibus incurrentibus, dolorem perſentiat. Ac recenſere quidem illos, qui inferri poſſunt à tyrannis, à malè feriatis, ab imprudentibus, à variis animalibus, ab æſtu, ab algore, à rebus fortuitò incidentibus, ac vniuersè à rebus externis; itemque à febri, à nephritide, à podagra, à fluxu in denteis, à cæteris morbis, generatimque ab internis cauſis; laboris foret, vt immenſi, ita omninò ſuperuacanei. Adnoto ſolùm, quiſquis aliquo diuexatus interdum fuit, dicere illum poſſe, quantum expetierit ab eo eximi, quanti duxerit, poſſe eo carere. Nemo certè eſt, qui morbo laborans, doloréque cruciatus, dum illos, qui præclarè valent, doloriſque omnis expertes ſunt, conſiderat; non beatiſſimos illos reputet, ac miretur eos non agnoſcere, quàm ingenti bono fruantur; tanto certè, pro quo ipſe cætera omnia bona ſit commutatorus, præ quo alia omnia vileſcere putet. Quo loco excurrere ſanè in Sanitatis laudes liceret; ſed & locus eſt maximè communis; & repetere illud ſolùm ex antiquo Poëta iuuat:

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ.
Fragili viro, optima res, benè valere;

Ac vulgare illud ſubiicere ex aliò,

Si ventri benè, ſi lateri, pedibuſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Adnoto hoc verò, vt intelligamus, haud immeritò partem alteram felicitatis aſſeri, quam Hieronymus ἀοχλησίαν, *Indolentiam* dixit, Epicurum imitatus, qui dixit etiam ἀναλγησίαν, ſiue τὸ σῶμα μὴ ἀλγεῖν, *corpore non dolere.* Vtcumque certè qui dolores aut leuiores ſunt, aut non diuturni admodum, tolerari facilè poſſint; vtcumque etiam qui ſunt graues, ſed grauioribus tamen deuitandis, aut comparandis maioribus voluptatibus occaſionem faciunt, lubenti animo perferantur (quomodo Sapientia ferre patienter ſuadet, quos declinare non liceat, tùm virtutis gratiâ, tùm, ne quanticumque illi ſint, additione tamen impatientiæ augeſcant: quomodo quoque viri generoſi dolores nullos extimeſcunt ob decus, & gloriam, quam ſe beneficio illorum ſperant conſequi) vtcumque, inquam, iſta ſe habeant; attamen nemo eſt in dolore, qui aut abſolutè abeſſe cum nolit; aut ſi eadem conſequuturus citra dolorem, quæ cum dolore, fuerit, non valere longè illum iubeat. Laudantur Zeno, & Anaxarchus, ob celebrem illam conſtantiam, quâ ſeſe in mediis grauiſſimis doloribus aduerſus tyrannos geſſerunt: Calanus item, & Peregrinus, qui ſeſe cremandos coniecerunt ſponte in flammas. Sed fac optionem illis factam non minoris gloriæ aliâ ratione obtinendæ, quàm per dolores huiuſmodi; ac reputa quid fuiſſent facturi. Commendat Cicero Poſidonium, 2. Tuſc.
quod cùm vehementer artubus laboraret, inuiſente eum Rhodi Pompeio, & honorificis

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

ficis verbis proſequente, dicentéque ſe moleſtè ferre, quòd eum non poſſet audire, exceperit: *Tu verò potes, nec committam, vt fruſtrà tantus vir ad me venerit*; túmque grauiter, & copioſè de hoc ipſo: *Nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſſet*; cubans diſputarit; & cùm quaſi faces ei doloris admouerentur, ſæpè dixerit: *Nihil agis, ô dolor; quamvis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum.* Verùm, vtcumque Poſidonius ferret dolores fortiter, quos declinare non poterat, an putas tamen ſine illis eſſe, diſputaréque non maluiſſet? Nam quòd alioquin nomine mali dolorem donare recuſauerit, Stoïcæ eſt quidem, ſed non magnæ laudis: neque Dionyſius Heracleotes, licet leuitatis arguatur, quòd Stoïcâ doctrinâ imburus, ferre tamen renum dolorem non poſſet, ex eo præcisè eſt vituperandus, quòd dolorem malum eſſe dixerit, anſámque propterea fecerit Cleanthi, vt terram pede percutiens, verſum ex Euripide dixerit:

Audiſ-ne hæc, Amphiaraë, ſub terram abdite?

Zenonem ſignificans, à quo ille degeneraſſet; vti apud eundem Ciceronem eſt.

Addi heic poſſet; ſi dolor quidem, ex ante-dictis ſummum ſit malum, ſequi ſanè, vt Indolentia Summum bonum ſit; ac tantò magis, quantò natura inſtruxiſſe nos ad obtinendum hanc vnam videtur. Etenim, cùm inceſſit dolor ex fame, aut cupiditate alia; ſponte ipſa naturæ ad actionem ferimur, qua illam ſedemus; ac ſi voluptas, quæ ſit in motu, interuenit, adnotauimus illam à natura, veluti condiendæ actioni ad conſequendum indolentiam neceſſariæ fuiſſe adiunctam. Sic, quibuſcumque morbis vexemur, quibuſcumque doloribus rorqueamur, nihil non agimus, vt eos depellamus; & tametſi interdum præ intemperantia, aut inſcitia, id, vnde propagentur, producantúrque, facimus; non ideò tamen eos propagari, producíve expetimus, ſed quamprimùm potiùs mitigare, deſineréque. Addi cohærenter poſſe videretur, quânam ratione conſequi tantum hoc bonum liceat; at cùm remedia varia ex præcautione congrua, & ex ipſa arte medendi peti valeant, quæ huius loci minimè ſint; tum dicendum poſteriùs eſt, maximè omnium generalem, maximéque facilem modum conſequendæ, conſeruandæque Indolentiæ, eſſe Temperantiam (ſobrietatémque exquiſitam imprimis.) Quippè cùm eius beneficio, & morbos, ſi quos fortè ex ipſis parentibus traduxerimus, emendare admodum (niſi & prorſus tollere) liceat; & cæteros, qui niſi noſtro vitio propriâque culpâ non contrahuntur, opis noſtræ ſit deuitare; ne memorem fas eſſe quoque, generaliore nullo remedio ab iis eximi, qui fuerint contracti. Addendum ergo ſupereſt ſolùm, eum, qui fruitur Indolentiâ, poſſe ſinceris quibuſcumque voluptatis generibus frui; ac non modò quidem, quæ ſpectent ad corpus, ſed etiam quæ ad ipſum animum attineant. Nempè hæc Indolentia à ſanitate ipſa non differt, quam Plutarchus cum ipſa maris placiditate comparat, quòd vt iſta præbet Alcyonibus, vnde commodè generent, incubéntque; ſic ſanitas hominibus, vnde omneis vitæ functiones, non grauatè eliciant: *Et eleganter quidem dixiſſe*, ait, *Prodicum*, ὅτι τῶν ἡδυσμάτων ἄριστόν ἐστι πῦρ, *condimentorum optimum eſſe ignem; at veriùs*, inquit, *dixerit quiſpiam eſſe ſanitatem diuiniſſimum, longéque blandiſſimum condimentum; neque enim elixa, aſſa, concocta edulia iis, qui morbo, aut crapulâ, vel nauſeâ laborant, vllam voluptatem, vllúmve gaudium afferunt; at pura, & ſincera appetentia ſtomachi, nihil non reddit corpori ſanitate potiunti ſuaue, ac etiam, vt Homerus ait*, ἁρπαλέον, *quod rapere libeat.* Cùm verò dicere idem liceat de voluptatibus cæteris, quæ ad alios pertinent ſenſus; quippe corpori ægroto, aut dolenti, quæ etiam alioquin licitæ, honeſtæque ſunt voluptates, obſoleſcunt; & neque olfactus odore recreatur, neque auditus harmonia mulcetur, neque viſus rebus pulchris hilareſcit; neque inſuper placent, iuuántque colloquia, luſus, ſpectacula, deambulationes, ruſticationes, peregrinationes, venationes, & id genus alia, quibus aut omnino interdicitur, aut ſincerè frui non datur; deficiente nempè illo condimento, ſine quo voluptas, vt loquuti iam antè ſumus, voluptas non eſt; quódque ſi adfuerit, tùm demum hæc iucundè afficiunt, puréque delectant: Cùm dicere, inquam, vniuersè hæc liceat de voluptatibus corporis; tùm dici etiam maximè poſſunt de voluptatibus animi; quandò vigente morbo, aut flagrante dolore, nulla haberi ratio ſtudiorum, meditationúmve præclararum poteſt. Quippe ea eſt conditio Mentis, donec fragili, mortalique Corpori alligata eſt, vt, quia eſt vtriuſque indiuiduum coniugium, illo patiente compatiatur, &, inuita licet, auocetur tamen à iucundiſſimis alioquin ſibi occupationibus, dum illud malè afficitur, ac dolor excrucians cogitationem in ſe omnem conuertit. Ac non loquor quidem de illis, qui ſint etiam eruditioni, ſcientiæque omni renunciaturi, ac vale quoque ipſi Sapientiæ, ſi quam obtinuerint, dicturi, modò hac ratione ex iis morbis, ac doloribus, quos & graueis perſentiant, & diuturnos fore ominentur, ſint euaſuri: illos tamen teſtor, qui aut ſunt cordatiores, aut eſſe ſe putant; quonam modo affectos ſe ad contemplandum experiantur; & cuiuſmodi ſit voluptas, quam poſſunt ex contemplatione tùm percipere, quotieſcumque doloribus, ac non nihil præſertim grauioribus vrgentur? Felices illi itaque qui eiuſmodi corporis conſtitutione nati ſunt, per quam indolenter

In pag. 85.

In præcept. ſalub.

vitam

In pag. 85. vitam degere, & ſapientiæ ſtudiis oblectare animum liceat. Felices & illi, quibus cùm obnoxium morbis corpus obtigerit, eâ tamen prouidentiâ id regunt, eâ temperantiâ corrigunt; vt niſi dolores penitùs deuitent, illos ſaltem leueis, tolerabileiſque ſic reddant, vt non valdè obſtent, quò minùs animo ſuis frui voluptatibus concedatur. Heinc cauendum eſt, prioribus quidem, ne quam laudabilem à natura conſtitutionem ſortiti ſunt, præ intemperantia turbent, aut corrumpant: ſed poſterioribus adhibendum contentius quoddam ſtudium eſt, vt conſtitutionem ad dolorem vergentem, ad indolentiam, quantum fas eſt, deflectant. Omnino autem eſt vtriſque, vel ipſius animi causâ, habenda ratio corporis, quatenus benè animo eſſe, donec corpori eſt malè, non poteſt; ac fatendum omnino eſt, quamvis præcipua felicitatis pars in ipſius animi Tranquillitate poſita ſit; non contemnendam tamen partem in ipſa Indolentia corporis conſtitutam eſſe.

Ac ſunt quidem, qui nefas putent, de Summo Bono, ſeu hominis felicitate cùm agitur, fieri ad bona animi, bonorum corporis acceſſionem: ac indignum proinde ducant Corporis Indulentiam in ſocietatem cum animi tranquillitate accerſere; Verùm, cùm iſti Stoïci ſint, aut qui eos imitari affectant; committere non poſſum, quin huc inſeram, quæ aduerſus illos habet Cicero; ac potiſſimùm, cùm ea ipſa ſint, quæ reſponſurus fuiſſe Epicurus videatur. Is ergo alloquens Catonem, ab eo exorditur, quod ad-
4 De fin. mittebant Stoïci: *Noſmetipſos commendatos eſſe nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, vt conſeruemus noſmetipſos.* Hoc enim poſito, ſequi illud dicit, *vt animaduertamus, qui ſimus; vt nos, quales oporteat eſſe, ſeruemus.* Ac pergit: *Sumus igitur homines; ex animo conſtamus, & corpore, quæ ſunt cuiuſdammodi: noſque oportet, vt prima appetitio poſtulat, hæc diligere, conſtituereque ex his finem illum ſummi boni, atque vltimi, quem, ſi prima vera ſint, ita conſtitui neceſſe eſt; Earum rerum, quæ ſunt ſecundum naturam, quam-plurima, & quam-maxima adipiſci. Hunc igitur finem illi tenuerunt; quódque ego pluribus verbis, illi breuiùs: Secundum naturam viuere. Hoc his bonorum videtur extremum.* Proſequitur autem: *Age nunc, iſti doceant, vel tu potiùs (quis enim iſta meliùs?) quonam modo ab iiſdem principiis profecti, efficiatis, vt honeſtè viuere (id eſt enim vel ex virtute, vel naturæ congruenter viuere) ſummum bonum ſit; & quonam modo, aut quo loco corpus ſubitò deſerueritis; omniáque ea, quæ cùm ſecundum naturam ſint, abſint à noſtra poteſtate; ipſum denique officium. Quæro igitur, quomodo hæ tantæ commendationes à natura profectæ, ſubitò à ſapientia relictæ ſint? Quod ſi non hominis ſummum bonum quæreremus, ſed cuiuſdam animantis: is autem eſſet nihil, niſi animus (liceat enim fingere aliquid eiuſmodi, quò verum faciliùs reperiamus) tamen illi animo non eſſet hic veſter finis. Deſideraret enim valetudinem, vacuitatem doloris; appeteret etiam conſeruationem ſui, earumque rerum cuſtodiam; finemque ſibi conſtitueret, ſecundum naturam viuere: quod eſt, vt dixi, habere ea, quæ ſecundum naturam ſunt, vel omnia, vel plurima, & maxima. Cuiuſcumque enim modi animal conſtitueris; neceſſe eſt, etiam ſi id ſine corpore ſit, vt fingimus; tamen eſſe in animo quædam ſimilia eorum, quæ ſint in corpore; vt nullo modo, niſi, vt poſui, conſtitui poſſit finis bonorum. Chryſippus autem exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere vtraque re. Deinde diſputat, quod cuiuſque generis animantis ſtatui deceat extremum. Cum autem hominem in eo genere poſuiſſet, vt ei tribueret animi excellentiam; ſummum id conſtituit, non excellere animo; ſed vti nihil eſſe præter animum videretur. Vno autem modo in virtute ſola ſummum bonum rectè poneretur, ſi quod eſſet animal, quod totum ex mente conſtaret, idipſum tamen ſic, vt ea mens nihil haberet in ſe, quod eſſet ſecundum naturam, vt valetudo eſt: Sed id, ne cogitari quidem poteſt quale ſit, vt non repugnet ipſum ſibi. Sin dicit obſcurari quædam, nec apparere, quia valdè parua ſint: nos quoque concedimus, quod dicit Epicurus de Voluptate, quæ minima ſint voluptates, eas obſcurari ſæpè, & obrui: Sed non ſunt in eo genere tantæ commoditates corporis, tamque productæ temporibus, tamque multæ. Itaque in quibus propter earum exiguitatem obſcuratio conſequitur: ſæpè accidit, vt nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa, necne ne ſint; vt in Sole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere nihil intereſt, aut teruncium addere Crœſi pecuniæ: Quibus autem in rebus obſcuratio tanta non ſit, fieri tamen poteſt, vt idipſum, quod intereſt, non ſit magnum; vt ei qui iucundè vixerit annos decem, ſi æquè iucunda vita menſtrua addatur, quia momentum aliquod habeat ad iucundam vitam acceſſio, bonum ſit: ſin autem id non concedatur, non continuò vita beata tollitur. Bona autem corporis, huic ſunt, quod poſteriùs poſui, ſimiliora: habeat enim acceſſionem dignam, in qua laboretur: vt mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, cum ita dicant; Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla, aut ſtrigilis accedat, ſumpturum ſapientem eam vitam potiùs, quò hæc adiecta ſint, nec beatiorem tamen ob hanc cauſam fore. Hoc ſimile tandem eſt non riſu potius, quàm oratione eiiciendum? Ampulla enim ſit, nec-ne ſit, quis non iure optimo irrideatur, ſi laboret? at verò grauitate membrorum, & cruciatu dolorum ſi quis quem leuet, magnam ineat gratiam; nec, ſi ille ſapiens ad tortoris equuleum à tyranno ire cogatur, ſimilem habeat vultum, ac ſi ampullam perdidiſſet. Sed, vt magnum, & difficile certamen iniens, cum ſibi cum capitali aduerſario, dolore, depugnandum videret, excitaret omneis rationes fortitudinis, ac*

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe.

patientia, quarum præſidio iniret illud difficile, vt dixi, magnúmque prælium. Deinde, non quærimus, quid obſcuretur, aut intereat, quia ſit admodum paruum; ſed quid tale ſit, vt expleat ſummum. Vna voluptas è multis obſcuratur in illa vita voluptaria; ſed tamen ea, quamvis parva ſit, pars eſt eius vitæ, quæ poſita eſt in voluptate. Nummus in Crœſi diuitiis obſcuratur: pars eſt tamen diuitiarum. Quare obſcurentur etiam hæc quæ ſecundum naturam eſſe dicimus, in vita beata; ſint modò partes beatæ vitæ.

Et ſtatim pòſt: *Omnis eſt natura diligens ſui: quæ eſt enim, quæ ſe vnquam deſerat, aut partem aliquam ſui, aut eius partis habitum, aut vim, aut vllius earum rerum, quæ ſecundum naturam ſint, aut motum, aut ſtatum? Quæ autem natura ſuæ primæ inſtitutionis oblita eſt? Nulla profectò, quin ſuam vim retineat à primo ad extremum. Quomodo igitur euênit, vt hominis natura ſola eſſet, quæ hominem relinqueret, quæ obliuiſceretur corporis, quæ ſummum bonum non in toto homine, ſed in parte hominis poneret? Quomodo autem, quod ipſi etiam fatentur, conſtátque inter omneis, conſeruabitur, vt ſimile ſit omnium naturarum illud vltimum, de quo quæritur? Tum enim eſſet ſimile, ſi in cæteris quoque naturis id cuique eſſet vltimum, quod in quaque excelleret; tale enim viſum eſſet vltimum, Stoicorum. Quid dubitas igitur mutare principia naturæ? Quid enim dicis, Omne Animal, ſimul atque ſit ortum, applicatum eſſe ad ſe diligendum, eſſéque in ſe conſeruando occupatum? Quin potiùs ita dicis, omne animal applicatum eſſe ad id, quod in eo ſit optimum, & in eius vnius occupatum eſſe cuſtodia; reliquáſque naturas nihil aliud agere, niſi vt id conſeruent, quod in quaque optimum ſit? Quo modo autem optimum, ſi bonum præterea nullum eſt? Si autem reliqua appetenda ſunt; cur quod eſt vltimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarum, & maximarum appetitione concluditur? Vt Phidias poteſt à principio inſtituere ſignum, idque perficere; poteſt ab alio inchoatum accipere, & abſoluere: huic eſt Sapientia ſimilis; non enim ipſa genuit hominem, ſed accepit à natura inchoatum: hanc igitur intuens, debet inſtitutum illud, quaſi ſignum abſoluere. Qualem igitur natura hominem inchoauit? Ecquod eſt munus, quod opus ſapientiæ? Quid eſt, quod ab ea abſolui, & perfici debeat? Si nihil in eo quidem perficiendum eſt, præter motum ingenij quendam, id eſt rationem; neceſſe eſt huic vltimum eſſe ex virtute vitam fingere: rationis enim perfectio eſt virtus. Si nihil, niſi corpus; ſumma erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulcritudo, & cætera; nunc de hominis ſummo bono quæritur. Quid ergo dubitamus in tota eius natura quærere, quid ſit effectum: Cùm enim conſtet inter omneis, omne officium, munúſque ſapientiæ in hominis cultu eſſe occupatum; alij (ne me exiſtimes contra Stoicos ſolum dicere) eas ſententias afferunt, vt ſummum bonum in eo genere ponant, quod ſit extra noſtram poteſtatem, tanquam de animali aliquo loquantur; alij contra, quaſi nullum corpus ſit hominis; ita præter animum, nihil curant: cùm præſertim ipſe quoque animus non inane neſcio quid ſit (neque enim id poſſum intelligere) ſed in quodam genere corporis; vt ne is quidem virtute vna contentus ſit, ſed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem vtique idem faciunt, vt ſi leuam partem negligerent, dexteram tuerentur: aut ipſius animi, vt fecit Herillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium multa prætermittentium dum eligant aliquid, quod ſequantur, quaſi curta ſententia eſt: at verò illa perfecta, atque plena eorum, qui, cum de hominis ſummo bono quærerent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem vacuam tutelâ reliquerunt. Vos autem, Cato, quia virtus, vt omnes fatemur, altiſſimum locum in homine, & maximè excellentem tenet; &, quòd eos, qui ſapientes ſunt, abſolutos, & perfectos putamus; aciem animorum noſtrorum virtutis ſplendore perſtringitis. In omni enim animante eſt ſummum aliquid, atque optimum; vt in equis, in canibus; quibus tamen & dolore vacare opus eſt, & valere. Sic igitur in homine perfectio iſta in eo potiſſimùm, quod eſt optimum, id eſt in virtute laudatur. Itaque mihi non ſatis videmini conſiderare, &c.* *In pag. 85.* Ac paucis interpoſitis: *At enim naturâ dicitis virtutem non poſſe conſtitui, ſi ea, quæ extra virtutem ſunt, ad beatè viuendum pertineant: Quod totum contrà eſt. Introduci enim virtus nullo modo poteſt, niſi omnia, quæ leget, quæque reiiciet, vnam referantur ad ſummam. Nam ſi omnino nos negligimus, in Ariſtonea vitia, & peccata incidemus, obliuiſcemúrque, quæ virtuti ipſi principia dederimus. Sin ea non negligimus, neque tamen ad finem ſummi boni referimus, non multùm ab Herilli leuitate aberrabimus: Duarum enim vitarum nobis erunt inſtituta capienda. Facit enim ille duo ſeiuncta vltima bonorum; quæ, vt eſſent vera, coniungi debuerunt: nunc ita ſeparantur, vt disiuncta ſint; quo nihil poteſt eſſe peruerſius. Itaque, contrà eſt, ac dicitis: Nam conſtitui virtus nullo modo poteſt, niſi ea, quæ ſunt prima naturæ, vt ad ſummam pertinentia tenebit. Quæſita enim virtus eſt, non quæ relinqueret naturam, ſed quæ tueretur. At illa, vt vobis placet, partem quandam tuetur, reliquam deſerit. Atque ipſa inſtitutio hominis, ſi loqueretur, hæc diceret; Primos ſuos quaſi cœptus appetendi fuiſſe, vt ſe conſeruaret in ea natura, in qua ortus eſſet, &c.*

SVPERESSE iam videretur Reſpondendum ad ea tam multa, quæ aduerſus Epicuri opinionem de voluptate perinde ſolent obiici, ac ſi ille aſſerens eſſe Voluptatem Finem, Felicitatem, Summum bonum; non aliam, quàm corpoream, obſcœnam, infamémque intellexiſſet. Verùm, cùm alia eius mens fuerit, ac verbis conceptis aſſeruerit, ſe, cùm Finem eſſe Voluptatem dixit, non, aſotorum voluptates, quæ poſitæ ſunt in ingluuie, Veneréque intelligere; ſed intelligere dumtaxat Tranquillitatem animi, & Indolentiam corporis, conſtat profectò quantum ſit aduerſus obiecta quæſiti

compendium

Digitized by Google

In pag. 85. compendium. Quare paſſim quidem obſeruare licet cauſari pleroſque eſſe diſciplinam illius quandam noo ſapientiæ, ſed culinæ potiùs, aut lupanaris inſtitutiooem : Eſſe illius placita, non ad virtutem adhortatiooes, ſed allectamenta ad vitium, ipſis Sirenum cantibus, & Circes poculis peiora : Minimè decere eius Scholam viros, & ſublime qnidpiam ſpiranteis ; ſed ignauos, natoſqne ſolùm, vt ſiot corporis viliſſima mancipia. Videas & paſſim congeri quicquid declamari aduerſus obſcœnas voluptates ſolet ; cuiuſmodi ſunt illa ; *Nullam eſſe capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam* : Et, *Eſſe eam inimicam rationi, oculos mentis præſtinguere, nullum cum virtute commercium habere* : Et, *Eſſe ex ea proditiones, Rerumpublicarum euerſiones, cum hoſtibus clandeſtina colloquia, nullum non denique ſcelus facinuſque.* Et, *Eam patrimonia profundere, famæ iacturam inducere, corpus eneruc, languidúmque, & morborum cruciatibus obnoxium facere ; præcocem demum ſenectutem, prematurámque mortem inferre.* Itemque illa Poëtarum :

Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec ignes ;
Quantum ſola noces, animis illapſa voluptas.

Et,

——Hunc alea decoquit : ille
In Venerem eſt putris: ſed cùm lapidoſa cheragra
Fregerit articulos.

Et,

Luxuries, prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis, hebetat caligine ſenſus,
Membráque Circæis effœminat acriùs herbis :
Blanda quidem vultu ; ſed qua non tetrior vlla
Interiùs fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris, tornos auro circumligat hydros.

Cæteráque id genus propemodùm innumera, quaſi Epicuri doctrioæ aduerſa. Sed, voo verbo, perſpicuum eſt, eiuſmodi omnia oeque Epicurum, neque illius dogmata quicquam attioere ; quòd aliam penitùs, quàm iſtam voluptatem probauerit. Heinc etiam ; *Lib. de ſent. in Cat. & in Flam.* dum, exempli cauſa, Cicero inducit Catonem Maiorem hanc commemorantem hiſtoriolam, quam etiam Plutarchos, & alij habeot : *Sæpè à maioribus natu audiui, qui ſe porrò pueros à ſenibus audiuiſſe dicebant, mirari ſolitum C. Fabricium, quòd cùm apud Regem Pyrrhum legatus eſſet, audiſſet à Theſſalo Cynea, Athenis quendam eſſe, qui ſe ſapientem profiteretur, eúmque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda : Quod ex eo audientes M. Curium, & T. Coruncanum optare ſolitos, vt id Samnitibus, ipſique Pyrrho perſuaderetur ; quò faciliùs vinci poſſent, cùm ſe voluptatibus dediſſent* : Dum iſtud, ioquam, ſic recitatur ; conſtat, cùm Cyoeas Epicori, dogmatíſve eius de voluptate vniuersè ſolùm meminiſſet, neque expoſuiſſet, quænam Epicuro voluptas intelligeretur ; ipſos Curium, & Coruncanum rem fuiſſe de voluptate corporea, obſcœnáque interpretatos ; & iuxta opinionem, non veram, ſed ſuppoſitam, id votum vouiſſe. Sic & dum ipſe Cicero ſic io Torquatum inuehitur ; *Quid ille, Torquate, quale tandem videtur? Te iſto nomine, ingenio, gloria,* *Vitam beatam in Voluptate ſitam eſſe. 2. De fin.* *quæ facis, quæ cogitas, quæ contendis, quò referas, cuius rei cauſâ perficere, quæ conaris, velis : quid optimum denique in vita iudices, non audere in conuentu dicere? Quid enim mereri velis iam, cùm Magiſtratum inieris, & in concionem adſcenderis (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo ; & fortaſſe etiam, ſi tibi erit viſum, aliquid de maioribus tuis, & de teipſo dices, more maiorum.) Quid merearis igitur, vt te dicas in eo Magiſtratu omnia voluptatis cauſâ facturum eſſe? téque nihil feciſſe in vita, niſi voluptatis cauſa?* Manifeſtum profectò eſt, declamatoriam inſectationem eſſe ; petitam oempè, noo ex re, ſed ex ipſa voce, aut potiùs ex interpretatione vulgi, nihil diſtioguentis, ſed ſolam obſcœnam voluptatem intelligentis. Quaſi verò etiam, tametſi ſequatur : *An me, inquis, tam amentem putas, vt apud imperitos iſto modo loquar? At tu eadem iſta dic in iudicio ; aut, ſi coronam times, dic in Senatu : Nunquam facies : Cur? niſi quod turpis eſt oratio? Me-ne ergo, & Triarium dignos exiſtimas, apud quos turpiter loquare?* Quaſi, ioquam, Torqnatus conceſſurus fuerit, vbi ſe feciſſe, aut facturum eſſe oomia voluptatis cauſâ dixerit, intelligi abs ſe obſcœnam vllam voluptatem ; qnam tamen ſolam ſi intelligeret, ceoſendus eſſet turpiter loqui. Verùm hiſce tandem faciendus eſt modus:

QVÆ VIRTVS, ET QVANTA Boni ſit, viuere Paruo?

¶. 25. Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ, ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν. Epicurus præmiſſa ſua de booorum Fine opinione, & priuſquàm iuculcet, quam volo ptatem (cùm fioem dicit Voluptatem) iotelligat, interiicit heic generalem modum, quo & comparare, & tueri huiuſcemodi voluptatem (Tranquillitatem nempè in animo, & Iodolentiam io corpore) liceat. Is eſt, quem nos paulò aotè inſinuauimus ; cultus ſcilicet Temperantiæ, quæ cupiditates ita moderetur, vt noo oeceſſarias, vanáſque amputans, & ad neceſſarias, naturaleiſque nos referens, creet in oobis αὐτάρκειαν, hoc eſt, ita componat nos, vt ætatem paruo contenti degamus. Nempè hac ratione tueri Tranquillitatem imprimis licet; qnandoquidem illi, qui ſe ad ea ſola, quæ ſunt oeceſſaria oaturæ, reduxit, nihil neceſſe eſt aoxium eſſe ; quateous illa paſſim occurrunt, parabiliáque facilè ſunt ; ac ſollicitudo, ſiue animi perturbatio eos ſolùm vexat, qui non conteoti neceſſariis, ad ſuperflua continuò iohiant, próque iis habendis inceſſaoter laborant ; ac, ſeu non obtioeant, aoimo cruciantur ; ſeu obtineant, partim, aut iacturâ, io angore ; aut iacturæ metu, in formidine ſunt ; partim habitis nunquam Pag. 86

Qua, & quanta virtus, Paruo viuere. exſatiantur; ac animo ſuo vtentes, vt Danaïdum dolio, nunquam interquieſcunt; ſed noua ſemper cupiditate, tanquam œſtro quodam perculſi, ad inſtaurandum, exantlandúmque nonos labores concitantur. Deinde ipſam quoque Indolentiam; quoniam neceſſariis contentus, neque immenſos illos labores, doloréſque ſuſcipit, quos ſuſcipiant neceſſe eſt, qui ſuperuacanea requirunt; neque ſanitati ſuæ officit, morbóſve vllos in corpus inducit, quos vel omneis, vel maxima ex parte intemperantia in ipſo creat; quatenus non illi incidunt in morbos, qui victu tenui, ſimplicíque, ſed qui aut præter modum copioſo, aut non naturali, & obſoniis, cupediiſque vitiato vtuntur. Vt perſpicias autem quàm variè Epicurus commendet hanc mediocritatem, ſeu moderationem, qua quis paruo contentus eſt; Ecce imprimis, cùm hoc loco eam eſſe dicit ἀγαθὸν μέγα, *magnum bonum*; id aliis verbis exprimens apud Clementem Alexandrinum: Πλουσιώτατον, inquit, αὐτάρκεια πάντων, *Res eſt omnium ditiſſima, contenta eo, quod ſatis eſt, voluntas.* Itemque apud
6 Strom. Senecam: *Magna*, inquit, *Diuitiæ ſunt* (grandeis dicit Lucretius) *ad legem naturæ compoſita paupertas.* Quod cùm ille quidem, his verbis Epiſt.4. excipiat; *Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit; non eſurire; non ſitire; non algere:* credas hæc ipſa quoque verba ex Epicu-
2. Strom. ro fuiſſe deſumpta; quatenus is apud Clementem felicitatem ἰσόθεον, *diuinæ parem*, hoc eſt *ſummam*, eſſe dicit, μὴ πεινῆν, μήτε διψῆν, μήτε ῥιγῶν, *non eſurire, neque ſitire, neque algere*: & in ſeipſo quoque comprobauit, iuxta illud ex Iuuenali, in Apologia recitatum,

Sat.14. ——*Menſura tamen quæ*
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam:
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt;
Quantum, Epicure tibi Paruis ſuffecit in hortis.

Quo loco neque illud ex eodem reticendum eſt:

Sat.13. ——*Quis non Epicurum*
Suſpicit, exigui latum plantaribus horti?

Quippe iſtud rurſus cum eo conſonat, quod ipſe Epicurus apud Senecam habet; dum: *Honeſta*, inquit, *res eſt læta Paupertas.* Quod quidem ille iterùm excipiens; *Illa verò*, inquit, *non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate benè conuenit, diues eſt. Non qui parùm habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt.* Notandum porrò eſt Epicurum Paupertatem dicere dumtaxat cum hominum vulgò, Priuationem opum, ſiue diuitiarum, quæ vltra perexiguum illud, quod naturæ eſt ſatis, ſolent expeti, & ab iis, qui diuites reputantur, poſſideri; Alioquin enim ſeriò loquendo donaturus potiùs paupertatis nomine fuerit nonlætam opulentiam, quippe quæ priuatio ſit quædam veri illius finis, ob quem diuitiæ expetuntur, quæruntur, poſſideri ſperantur; lætitiæ nimirùm, ſeu gaudij, atque voluptatis. Heinc profectò eſt, cur vt paupertatem ad legem naturæ compoſitam grandeis eſſe diuitias dixit; ita & diuitias ad naturæ legem non compoſitas, vocaturus ſit grandem paupertatem. *In pag. 86.* Cùm enim diuitiæ æſtimari debeant ex vſu, ac fine, quem prædiximus, paupertaſque ex oppoſito ex eiuſdem-met priuatione; conſtat profectò non paupertatem lætam, eſſe paupertatem, ſed ingenteis diuitias; ac diuitias triſteis, non diuitias, ſed paupertatem ingentem eſſe. Ac ideò viatorem, qui vacuus coram latrone cantat, eſſe reuerâ diuitem; pauperem verò illum, qui argento onuſtus, gladium, contúmque, & motæ ad Lunam arundinis vmbram timet, trepidátque: Diuitem cerdonem, donec deſtitutus nummis vniuerſam viciniam cantilenis exhilarat; pauperem, ex quo inuentâ crumenâ, præ illius ſeruandæ ſollicitudine angoris plenus obmuteſcit. Certè &, cùm eſt exeundum è vita, vter quæſo moritur ditior? An, qui totam vitam, deſtitutus licet vocatis hiſce opibus, cumulauit lætitiâ? An qui opibus obrutus, vitam ſinceræ, germanæque lætitiæ expertem traduxit? Sed plura hac de re poſteriùs.

Addo heic ſolùm, præter illud, quod ad 3.Tuſc. Epicuri mentem habet Cicero, dum paupertatis onus leuari diſputando dicit, ac docendo, *quàm parua, & quàm pauca ſint, quæ natura deſideret*; & exempla ſubiiciens: *Heic Socrates*, inquit, *commemoratur, heic Diogenes, heic Cæcilianum illud,*

Sæpè eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Præter illud, inquam, Poſtquàm alio loco de morte, & dolore locutus, dicturus etiam de paupertate eſt; notatu eſſe dignum, quod in hunc modum ſubdit: *Quid tandem iſti grandiloqui contra hæc duo, quæ maximè angunt, meliùs ſe habent, quàm Epicurus? An ad cætera, quæ mala putantur, non & Epicurus, & reliqui Philoſophi parati videntur? Quis non paupertatem extimeſcit? Neque tamen non quiſquam Philoſophorum. Hic verò ipſe quàm paruo eſt contentus? Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim, quæ res pecuniæ cupiditatem afferunt, vt amori, vt ambitioni, vt quotidianis ſumptibus copia ſuppetant; cùm procul ab iis omnibus rebus abſit; cur pecuniam magnoperè deſideret, vel curet omninò?* 5.Tuſc. Neque verò eſt illud prætereundum, quod ille præclarè ita ſubiicit: *An Scythes Anacharſis potuit pro nihilo pecuniam ducere; noſtrates Philoſophi facere non potuerunt? Illius Epiſtola fertur his verbis: Anacharſis Hannoni ſalutem. Mihi amictus eſt Scythicum tegmen; calceamentum, ſolorum callum; cubile, terra; pulpamentum, fames: lacte, caſeo, carne veſcor. Quare, vt ad quietum me licet venias. Munera autem iſta, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel Diis immortalibus dona. Omnes ferè Philoſophi omnium diſciplinarum, niſi quos à recta ratione natura vitioſa detorſiſſet, hoc eodem animo eſſe potuerunt. Socrates, in pompa, cùm magna vis auri, argentique ferretur. Quam-multa non deſidero,* inquit

Digitized by Google

In pag. 86. *inquit Xenocrates, cùm legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima; adduxit legatos ad cœnam in Academiam: iis appoſuit tantum, quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Cùm poſtridie rogarent eum, cui numerari iuberet; Quid? vos heſternâ, inquit, cœnulâ non intellexiſtis me pecuniâ non egere? Quos cùm triſtiores vidiſſet, triginta minas accepit, ne aſpernari Regis liberalitatem videretur. At verò Diogenes liberiùs, vt Cynicus, Alexandro roganti, vt diceret, ſi quid ſibi opus eſſet: nunc quidem paullulum, inquit, à Sole abſis; offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem diſputare ſolebat, quanto Regem Perſarum vitâ, fortunâque ſuperaret. Sibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis vnquam fore. Se eius voluptates non deſiderare, quibus nunquam ſatiari ille poſſet; ſuas eum conſequi nullo modo poſſe. Vides, credo, vt Epicurus cupiditatum genera diuiſerit, &c.* Quod heic porrò ad calcem de Diogene habes, in memoriam reuocat, quod Seneca, & Maximus Tyrius, præ cæteris de illo habent: Seneca enim, poſtquam multis docuit eſſe patrimonia, *maximam humanarum ærumnarum materiam*, neque detrimenta ferri animoſiùs à locupletioribus, quàm à pauperioribus, huc accommodans, quod Bion eleganter ait: *Non minùs moleſtum eſt caluis, quàm comatis pilos velli*; Ac adiecit: *Tolerabilius, faciliuſque eſſe, non acquirere, quàm amittere; ideoque lætiores videri, quos nunquam fortuna reſpexit, quàm quos deſeruit.* Tùm pergit: *Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit, ne quid ſibi eripi poſſet. Tu iſtud paupertatem, inopiam, egeſtatem voca; & quàm voles ignominioſum ſecuritati nomen impone; putabo hunc non eſſe felicem, ſi quem mihi alium inueneris, cui nihil pereat. Aut ego fallor, aut regnum eſt, inter auaros, circumſcriptores, latrones, plagiarios, vnum eſſe, cui noceri non poſſit. Si quis de felicitate Diogenis dubitat, poteſt idem dubitare & de Deorum immortalium ſtatu, an parùm beatè degant, quòd illis non prædia, nec horti ſint, nec alieno colono rura pretioſa, nec grande in foro fœnus.* Tyrius verò ediſſerens, Cynici-ne vita præhabenda ſit: *Ille*, inquit, *non Atticus, aut Doricus fuit; neque aut Solonis educatione, aut Lycurgi inſtitutione eruditus; (non enim regiones, aut leges ipſæ virtutes tribuunt) ſed Sinopeus, ex vſque Ponto. Conſulto verò Apolline, omneis ærumnarum occaſiones exuit, vincula confregit, &, inſtar auis mentem habentis, terram expeditus luſtrauit; non tyrannum metuens, non lege coactus, non ciuilis rei adminiſtrationi intentus; non liberorum educatione anxius, non nuptiis adſtrictus, non agro colendo occupatus, non militari confuſioni implicitus, non ſtudio mercaturæ quoquouerſum abreptus; ſed homines id genus omneis, inſtitutáque id genus ridens, vt nos ſolemus pueros, quos ita videmus ad talorum ludum intentos, vt mutuò cædant, ac cædantur; ſpolient ſpolientúrque inuicem. Ipſe autem intrepidè, liberique Regis vitam degens, non Babylonios hyeme contriuit, nec Medos æſtate vexauit; ſed, pro tempeſtatis conditione ex Attica in Iſthmum, ex Iſthmo in Atticam migrauit. Regia eius fuêre templa ac gymnaſia, atque luci; diuitiæ & ampliſſimæ, & tutiſſimæ, nihilque ab inſidiis metuentes, terra vniuerſa, & quos ea fert fructus, quoſque emittit fonteis, nullo non Lesbio, Chióque vino præſtantiores. Amicus etiam, familiariſque, leonum inſtar, aëri fuit; nec temporum vices à Ioue conſtitutas declinauit, quidpiámve contrà eſt machinatus; non artificio hyeme teporem, non æſtate refrigerium artificio adſciſcens; ſed vniuerſa natura ita aſſuetus, vt hocce vitæ inſtituto ſanitatem fuerit, robúrque adeptus; & ad ſummam vſque ſenectutem eam prouexerit, medicamentis non indigens, ferri, igniſque inexpertus, Chironis, Æſculapij, Aſclepiadarúmque opem non implorans, non fatidicorum vaticiniis, non Sacerdotum luſtrationibus, non veneficorum incantamentis collum ſubmittens. Quin-etiam bellis feruente Græciâ, omnibuſque omneis impetentibus.*

Que, & quamuis virtute, Pomo uiuere.

Quis prior inferret ſocio lacrymabile bellū.

Solus ipſe potitus fuit quaſi induciis communibus; & quaſi pepigiſſet cum omnibus fœdus, inermis inter armis inſtructos, prælianteiſque verſatus fuit. Continuêre ſe interim ab inferendo illi iniuriam, etiam improbi, tyranni, atque ſycophantæ; cùm ipſe tamen homines facinoroſos corriperet; non ſophiſticis ſanè verbis, qui redarguendi modus eſt importuniſſimus, vtens, ſed in ipſorum factis improbandis, ipſa eorum facta vndique obiiciens, inſtanſque; quod reprehendendi genus ſalutare eſt maximè, conciliandæque paci conducens.

Quòd Epicurus porrò ſubiungit: *Illos magnificentiâ iucundiſſimè frui, qui eâ minimum indigent*; ex eodem ratiocinio eſt, quo antè dicentem, apud Plutarchum, audiuimus: Lib. de tranq. *Accedere illum iucundiſſimè ad diem craſtinum, qui craſtino minimùm eget.* Eſt verò interim ſimile, niſi etiam idem, cum eo, quod ait apud Senecam, dum: *Is maximè*, inquit, *diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis indiget.* Epiſt. 14. Nempè magnificentia in diuitiarum oſtentatione maximè eſt, qua qui egere ſe non putat, diuitiarúmque adeò iacturam non timet, is demùm diuitiarum fructum iucundiſſimum percipit. Prætereo enim, quod Seneca, poſtquàm hanc ſententiam *aut Epicuri, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina eſſe dixit*, ſubdit: *Qui eget diuitiis, timet pro illis; nemo autem ſollicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid ſtudet; dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus. Rationes accipit, forum conterit, Kalendarium verſat, fit ex diuite procurator.* Et quod alio loco: *Securiùs diuites erimus, cùm ſcierimus quàm non ſit graue pauperes eſſe.* Epiſt. 18. Hoc addo ſolùm: Vt Socrati ad rerum venalium multitudinem attendenti iucundiſſimum fuit, poſſe dicere: Πόσων ἐγὼ χρείαν οὐκ ἔχω; *Quam-multis ego non indigeo*; ita, ſi cui rerum huiuſmodi copia quadam ſorte contigerit, & ſic animo ſit affectus, vt ad domos, ad veſteis, ad epulas, ad ſupellectilem, ad famulos, ad cætera attendens, poſſit dicere; Iſthæc quidem habeo, ſed iis non indigeo:

Marginal notes, left column: Lib. de tranquil. an. cap. 8. (beside "illo habent: Seneca enim"); Diſſert. 10. (beside "rura pretioſa … Tyrius").

Digitized by Google

Quæ, & quanta virtus, Paruo viuere. Poſſem in caſa humiliore quietè dormire; poſſem ſimpliciore amictu commodè frigus depellere; poſſem tenuiore cibo famem præclarè reſtinguere, atque ita de cæteris; hunc demùm videri iucundiſſimè ſuâ frui magnificentiâ. Intelliget enim ſe poſſe commodiſſimè tam multis carere, quorum alioquin ſollicitudo tranquillitati aduerſatur; atque adeò paratus erit, vt ſi quiſpiam caſus ea abſtulerit, tantò ferat leniùs, quantò agnoſcet ipſa ſibi neceſſaria non eſſe. Longè quoque erit, vt ipſis amplificandis inhiet, laboret, exæſtuet, vt ſolet vulgò fieri; quandò peruidebit non poſſe ſe oblectamenti ſinceri amplius capere ex affluentiore opulentia, quàm ex ea, qua fruitur; imò & quàm poſſet ex longè minore. Quæ vberiora quæſierit, ea quæſitum iri non ſibi, ſed futuris olim ingratis, prodigiſque hæredibus; ſed adulatoribus, ſed furibus; idque interim magno ſuo damno; quòd in iis quærendis, & amittenda tranquillitas ſit, & ſubeundum pelagus moleſtiarum innumerarum. Spectat huc proinde, quod
Epiſt. 9. rursùs apud Senecam Epicurus: *Si cui ſua*, inquit, *non videntur ampliſſima, licet totius Mundi dominus ſit, tamen miſer eſt.* Etenim, niſi quis reputet, poſſe ſe nihil minùs beatè eâ, quâ eſt fortunâ, vſum, vitam degere, quàm eos, quos eminentiores, magnificentioréſque ſe credit, quorúmque fortunam adeò ſuſpicit; is ſanè, ne ſi ad eorum quidem, ac longè ampliorem fortunam peruenerit, nihilo proptereà beatior euadet, ſed ſemper miſer perinde erit; quoniam non idcirco exſatiabitur, ob conditionem cupiditatis, quæ vbi eum modum excedit, qui à natura præſcriptus eſt, abit in immenſum, neque vnde expleatur vnquam reperit. Huiuſmodi certè eſt hominum genus, ad quod affluens rebus non modò neceſſariis, verùm etiam ſuperfluis, & ſemper tamen querulum, reſpexiſſe Epicurum teſtatur Lucretius, cùm aggreſſus fuit tradere præcepta quibus affectus curarentur. Ipſius verſus de illo ſunt:

Lib. 6. *Nam, cùm vidit hic, ad vitam quæ flagitat vſus,*
Et per quæ poſſent vitam conſiſtere tutam,
Omnia iam fermè mortalibus eſſe parata:
Diuitiis homines & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bonâ natorum excellere famâ;
Nec minùs eſſe domi quicquã tamen anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſeruire querelis:
Intellexit ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniáque illius vitio corrumpier intùs,
Quæ conlata foris, & commoda cumq; venirent.

Et pergit quidem, quibus modis fiat, vt vaſis, hoc eſt Pectoris, ſiue animi vitio fiat, vt ſatis nihil vnquam ſit, nihilque ſinceri hauriatur; ſed res dicenda poſteriùs eſt.

Quod Epicurus hoc loco addit: *Eſſe id facile paratu, quod natura eſt neceſſarium; & ſi quid paratu difficile ſit, id neceſſarium minimè eſſe*; ſententia eſt, quam & Stobæus, & alij iſto quoque modo ex Epicuro referunt χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα, ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα, οὐκ ἀναγκαῖα. *Gratia* In pag. 86.
habeantur Naturæ beatæ, quòd neceſſaria, paratu facilia; & quæ paratu ſunt difficilia, non neceſſaria fecerit. Sententia verò eſt, ad quam Cicero reſpicit non ſemel, veluti dum ait:
Sapientem locupletat ipſa natura, cuius diuitias 2. De fin.
Epicurus ipſe parabileis eſſe docuit. Et rursùs:
Naturaleis diuitias dixit parabileis eſſe, quòd 3. Tuſc.
paruo eſſet natura contenta. Ac iterùm: *Tenuem victum anteſert copioſo, &c.* Præclarè autem Seneca, poſtquam naturæ legem Epicuro vocaram, ſtatuere hos terminos dixit: *Non eſurire, non ſitire, non algere*, ſubiicit: *Vt famem,* Epiſt. 4.
ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium graue, & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non eſt neceſſe maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt, quod natura deſiderat, & expoſitum; ad ſuperuacua ſudatur. Illa ſunt, quæ togam conterunt; quæ nos ſeneſcere ſub tentorio cogunt; quæ in aliena littora impingunt. Ad manum eſt, quod ſatis eſt. Diceres penè Senecam reſpexiſſe etiam ad illud Lucretij:

Diuitiòris enim ſectam plerumque ſequuntur. Lib. 5.
Quòd ſi quis vera vitam ratione gubernet;
Diuitiæ grandes homini ſunt, viuere parcè,
Æquo animo; neq; enim 'ſt vnquã penuria parui.

Faciunt huc complura ex iis quæ ſeu dicta ſunt, ſeu dicenda: cùm & vel quam-minimùm attendenti conſtet, quàm facilè occurrant, & ad manum ſint, quæ neceſſaria naturæ ſunt; quamque neceſſaria non ſint, quæ ad manum non ſunt, nec facilè occurrunt. Ac negandum quidem non eſt, quin ea ſit quorundam hominum tyrannis, vt inſontes quidam interdum rerum neceſſariarum vſu interdicantur; quin vel caſu quopiam, vel dementiâ propriâ, nonnulli ſe eo in loco, eóque in ſtatu collocent, vt rebus etiam neceſſariis careant; At quod ſaltem ſpectat ad ipſam Naturam, non eſt ea ſanè hominibus nouerca, quæ animalibus cæteris eſt parens: neque ſi famem ingenerauit, non fundit ipſis fructus, fruges, & quæ id genus munera ſunt, quibus depellere eam valeant; Neque, ſi ſitim, non paſſim aquam, quâ reſtinguatur, ſuppeditat; neque, ſi aër frigeat, aut caleat, non corium ipſius iniuriis pertolerandis par conceſſit, vt vel ex cute faciei conſtat; vtcumque præ mollitie parteis corporis cæteras tam caloris, quàm frigoris impatienteis effecerint; Quo etiam caſu ipſis parauit hinc vmbracula, aliáque refrigeria; illinc Solem, ignem, vellera ouium, ſubſidiáque alia non pauca. Non eſt quoque ipſis deteriorem mentem, prudentiámque, quàm formicis largita, vt ſibi in futurum neceſſaria proſpiciant; tametſi plerúmque ita volentes deſipiunt, vt quod ſupereſt, non imitentur formicam:

Quæ, ſemel inuerſum contriſtat Aquarius annum, Horat. l. 1. ſat. 1.
Non vſquam prorepit, & illis vtitur antè

Quæſitis,

Digitized by Google

In pag. 86. *Quæſitis, ſapiens:*

Quippè, quaſi vſus obliti, congerendo ſemper ſic inhiant, quaſi non ad aliam ſint nati, deſtinatíque occupationem. Quin ſpectatis quoque in ciuili iſta ſocietate hominibus, ecquem videre liceat, niſi ſi qui ſponte, ac præ inertia ſunt mendicantes, cui non cibarius ſuppetat panis, non aqua, non veſtis, non tectum, non quicquid ad vitam neceſſarium eſt? Vt certè officia Pietatis, humanitatiſque prætercam, quibus ſolet vulgò inualentioribus prouideri; nemo eſt, qui ſi torporem excutiat, & vel tantillùm induſtriam explicare ſuſtineat, non aſſequatur facilè, vnde fami, ſiti, aëris iniuriis occurrat. Quod ſi non idcirco ſint opiparæ menſæ, vina delicata, ſplendidæ veſtes, magnificæ ædes, vaſa pretioſa, famuli compti, &c. At iſta iam ſunt, ob quæ haudquaquam neceſſaria, gratiæ ſint agendæ beatæ naturæ. Certè & vſus rerum illarum nullo negotio parabilium, nihil iniucundior eſt vſu iſtarum magno conſtantium;

Horat. 1. Epiſt. 17. *(Nam neque diuitibus contingunt gaudia ſolis.)*

Et iis curis vacat, eóque faſtidio, vt ſicut ſincerior, conſtantiórque eſt, ſic habendus quoque ſit longè iucundior. Sed de hoc ipſo ſtatim pòſt. Spectat interim ad hunc locum, quod

Ep. 110. cætera inter, habet Seneca, dum: *Quicquid nobis*, inquit, *bono futurum erat, Deus, & parens noſter in proximo poſuit. Non exſpectauit inquiſitionem noſtram; vltrò dedit; nocitura altiſſimè preſſit. Nihil, niſi de nobis queri poſſumus; ea, quibus perirem9, nolente rerum natura, & abſcondente, protulimus. Addiximus animum voluptati, cui indulgere, initium omnium malorum eſt. Tradidimus ambitioni, & famæ; cæteris æquè vanis, & inanibus. Quid ergo nunc te hortor, vt facias? Nihil noui; nec enim nouis malis remedia quæruntur; ſed hoc primum, vt tecum ipſe diſpicias, quid ſit neceſſarium, quid ſuperuacuum. Neceſſaria tibi vtique occurrent; ſuperuacua & ſemper, & toto animo quærenda ſunt. Non eſt autem, quòd te nimis laudes, ſi contempſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem: Quæ eſt enim virtus ſuperuacua contemnere? tunc te admirare, cùm contempſeris neceſſaria. Non magnam rem facis, quòd viuere ſine regio apparatu potes: quòd non deſideras milliarios apros, nec linguas Phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, iam tota animalia faſtidientis, & certa membra ex ſingulis eligentis. Tunc te admirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem, ſed tibi perſuaſeris herbas, vbi neceſſe eſt, non pecori tantum, ſed homini naſci: ſi ſcieris cacumina arborum explementum eſſe ventris, in quem ſic pretioſa congerimus, tanquam recepta ſeruantem, &c.* Hiſce porrò ex Seneca, quid aliud attexam appoſitum magis, quàm celebrem illam exclamationem Lucretij, tametſi iam antè ex parte relatam?

Lib. 2. *O miſeras hominum menteis! ô pectora cæca!*
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis
Degitur hoc æui, quodcumque'ſt. Nonne videre,
Nil aliud ſibi naturam latrare; niſi vt, cùm Quæ, & quanta virtus, Paruo viuere.
Corpore ſeiunctus dolor abſit, mente fruatur,
Iucundo ſenſu, curâ ſemota, metúque.

Et vide, vt pergat:

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino, quæ demant quemque dolorem.
Delitias quoque vti nullas ſubſternere poſſint;
Gratius interdum neque natura ipſa requirit.

Quod Epicurus proinde ſubdit ſpeciatim, *de vilibus cibis, vt Polenta, & aqua, voluptatem ſummam afferentibus*? huiuſce rei eſt confirmatio. Idipſum verò interim eſt, quod Cicero refert, 2. De fin. eùm de Epicuro loquens: *Negat enim*, inquit, *tenuiſſimo victu, id eſt contemptiſſimis eſcis, & potionibus minorem voluptatem percipi, quàm rebus exquiſitiſſimis ad epulandum.* Et rurſùs: *Non minor*, inquit, *voluptas percipitur ex viliſſimis rebus, quàm ex pretioſiſſimis.* Itemque, quòd apud Stobæum: Βρυάζω, inquit Epicurus, τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι, καὶ ἄρτῳ χρώμενος, καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς. *Voluptate abundo in corpuſculo, aqua, & pane veſcens; ac nuncium remitto* Serm. 17. *voluptatibus, quæ ex epularum magnificentia percipiuntur.* Itēque, quod tam apud eundem, quàm apud Ælianum, & alios, profitetur ἑτοίμως ἔχειν, καὶ Διῒ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι, μάζαν ἔχων, καὶ ὕδωρ: *Habentem ſe polentam, & aquam, paratum eſſe vel cum Ioue de felicitate certare.* Celebre porrò hoc dictum euaſit, reſpexeréque ad ipſum varij, vt Theodoretus, exempli gratiâ, Serm. 11. de fin. & iud. cùm inſtitiſſe Epicurum aliam à Stoïcis viam declarans: τὸ, inquit, μήτε πεινῆν, μήτε διψῆν εὐδαιμονίαν ὡρίσατο, καὶ τούτων τὸν ἀπολαύοντα ἔλεγε κἂν Διῒ πατρὶ μάχεσθαι; *Felicitatem in non eſuriendo, ac non ſitiendo poſuit, dixitq; his ipſis rebus fruentē facere Ioui Patri cōtrouerſiam.* Prætereo autem, quod S. Vir Epicurum redarguit, quaſi parùm piè loquentem, tametſi ſit ipſorum quoq; Stoïcorum loquutio, Stob. μήτε αἱρετωτέραν εἶναι, μήτε καλλίονα, μήτε σεμνοτέραν τὴν τοῦ Διὸς εὐδαιμονίαν τῆς τῶν σοφῶν ἀνδρῶν: *Felicitatem Iouis, eâ, quæ eſt hominum ſapientum, neq; optabiliorem, neque meliorem, neque auguſtiorem eſſe*: Ne adiiciam, tùm Epicurum non Laërt. alio ſenſu fuiſſe loquutum, quàm quo Socrates quoque dixit: *Nulla re egere, eſſe Dei proprium; quàm pauciſſimis autem, Deo proximum*; tum figuratè ſolùm loquutum, argui vel ex diſcrimine, quod inter diuinam ac humanam felicitatem poſuit, & de quo fusè ſuperiùs dictum. Itemque Imperator Iulianus, cùm, poſtquàm in Orat. 6. hunc modum rogauit: *Res-ne tibi eſſe puſilla, deſpicabiliſque videtur:*

Vir ciuitate, & laribus, & patriâ carens,
Inſupérque obolum non habens, non drachmam?

ſubiicit: *Ac ne Mazam quidem*, ὡς Ἐπίκουρος εὐπορῶν, οὐδὲ τῶν θεῶν φησὶν εἰς εὐδαιμονίαν ἐλαττοῦσθαι, *quam adeptus modò Epicurus, felicitatis ſuæ ſortem haudquaquam inferiorem eâ, quæ Deorum eſt, profitetur.* Notatu verò dignum eſt, quod ex Diogene poſtmodùm obſeruat, οὐκ ἐκ τῶν μαζοφάγων, *non ex maza veſcentibus, ſed ex lautè epulantibus tyrannos prodire* (adde, ex Porphyrio, fures, hoſteis, 1. De abſtin. calumniatores) cùm D. etiam Hieronymus id 2. Aduers. Iouin. conſimiliter

Quæ, & quam multa, paruo viuere. conſimilitet obſeruârit, & hunc in modum expreſſerit; *Diogenes tyrannos, & ſubuerſores vrbium, belláque vel hoſtilia, vel ciuilia, non pro ſimplici victu olerum, ſed pro carnibus, & epularum delicijs aſſerit excitari.* Sed alios vt omittam, Epiſt.25. ecce Seneca; *Ad legem naturæ,* inquit, *reuertamur: Diuitiæ paratæ ſunt. Aut gratuitum eſt, quo egemus, aut vile. Panem, & aquam natura deſiderat; nemo ad hæc pauper eſt; intra quæ quiſquis deſiderium ſuum cluſit, cùm ipſo Ioue de felicitate contendit, vt ait Epicurus.* Ep.110. Ac iterùm: *Ad veras,* inquit, *te conuerte diuitias; diſce paruo eſſe contentus, & illam vocem, magnus atque animoſus exclama, Habeamus aquam; habeamus polentam; Ioui ipſi de felicitate controuerſiam faciamus.* Porrò, quia præmiſſum illud fuerat: *Quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita calonibus; quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt, &c.* En quid appoſitè Lucretius verſibus mox antè recitatis ſubiiciat:

Lib.2. *Si non aurea ſunt iuuenum, ſimulacra per ædeis,*
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt ſuppeditentur;
Nec domus argento fulget, auróque renidet,
Nec citharis reboant laqueata, aurataq. templa:
Attamen inter ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora curant;
Præſertim cùm tempeſtas arridet, & anni
Tempora conſpergunt viridanteis floribus herbas.

Vt præteteam autem id, quod ſequitur:

Nec calidæ citiùs decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtróque rubenti
Iacteris, quàm ſi plebeia in veſte cubandum'ſt:

Vide qua ratione Lucretium fuerit imitatus Virgilius, dum præmiſſa exclamatione:

2.Georg. *O fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,*
Agricolas, quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus;

Subdit:

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam;
Nec varios inhiant ſacra teſtudine poſteis,
Illuſaſque auro veſteis, Ephyreiaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſiâ liquidi corrumpitur vſus oliui:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Diues opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, viuique lacus; at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni In pag. 86.
Non abſunt; illeic ſaltus, & luſtra ferarum,
Et patiens operum, paruóq; aſſueta iuuentus, &c.

Cauendum eſt certè, vt exiſtimemus, maiorem à Rege ex illa ciborum exquiſitiſſimorum lautitie voluptatem percipi, quàm ab Agricola ex illa viliſſimorum ſimplicitate. Videlicet illi continens ſatietas perpetuam ferè nauſeam parit; iſti continens penè fames perpetuum apparat dulcorem: adeò vt, cùm ille pauonem, rhombúmque faſtidiat; huic nuces; & ſæpè ſuauiſſimæ ſint dapes. Nunquam profectò ille famem, ſitimque expertus videtur, cui fieri perſuaſum non poteſt, licere cuique è plebe viro, tam deliciosè, hoc eſt, ſuauiter, quàm Principi viro cœnare: ſi nempè ad tenuem ſuam menſam, vnâ, alteráve horâ tardiùs, quàm princeps ad ſuam opiparam, accedat: quòd iſti, ob plenum adhuc ſtomachum, gratum futurum nihil ſit; ipſi, ob vacuum, nihil non pergratum. Quod homines ſanè ſi intelligerent, agnoſcere poſſent, quàm vanè conquirendis tot opibus, quibus gulæ ſeruiant, laborent; cùm tanto compendio obtinere voluptates eaſdem, imò &, quæ aliunde longè ſinceriores, innocentioréſque ſint, valeant: ac ideò huc poſſit optimè quadrare Horatianum illud:

——*Fuge magna: licet ſub paupere tecto* Lib.1. Epiſt. 10.
Reges, & Regum vitâ præcurrere Amicos.

ỹ. 6. Τὸ συνεθίζειν οὖν. Cùm enumerari heic videas quatuor victus tenuis, ſimpliciſque Pag.87.
ſupra lautiorem commoda; videtur omninò huc reſpexiſſe Horatius, cùm illa & eadem, & ordine eodem deſcripſit. Verùm priuſquàm quæ ille habet circa ſingula referamus, operæ-pretium eſſe videtur, huc inſerere ex Porphyrio locum integrum de ratione victus, déque opinione Epicuri, Epicureorúmque, circa vitam ſobriam, quam eſſe adeò tenuem, ſimplicémque voluerint, vt etiam abſtinentiam à carnibus complecteretur. Scilicet locus, tùm non pauca ex dictis hactenus confirmabit, tùm aliquam etiam, non-nullis deinceps dicendis afferet lucem. Interpretabimur autem more noſtro, ac eò vſque ſeligemus, quovſque ambigi non poſſit (vt ex ipſa ſerie intelligendum eſt) quin Epicuream ſententiam contineat.

Locus itaque, qui exſtat in primo περὶ ἀποχῆς ſeu *de Abſtinentia à carnibus libro,* hunc ſe in modum habet.

Ὅτι οὐ μόνον τῷ κατὰ νοῦν ζῆν ἐσπουδακότι, καὶ τέλος τὸν κατ' αὐτὸν βίον ἐνστησάμενοι, ἀναγκαῖον πρὸς ὃ τέλος ὁρῶσι τὴν τούτων ἀποχήν, ἀλλὰ καὶ πᾶς σχεδὸν, οἶμαι, φιλόσοφος τὴν εὐτέλειαν πρὸ τῆς πολυτελείας ἐγκρίνων, ἀποδέξαιτ' ἂν μᾶλλον τὸν ἐν ὀλίγοις ἀρκούμενον, τοῦ πλειόνων δεομένου. Καὶ (ὃ παράδοξον τοῖς πολλοῖς δόξειεν εἶ) τοῦτο λέ-

Ex quo fit, vt non illi ſolùm, qui vitæ ſecundum intellectum inſtituendæ incumbunt, & in ipſa finem benè viuendi collocant, agnoſcant ad huiuſmodi finem neceſſariam eſſe abſtinentiam à carnibus; ſed & quivis propemodum, quantum opinor, Philoſophus, cui frugalitas præ luxu probetur, commendaturus-ſit magis illum, cui pauca ſufficiunt, quàm illum, qui pluribus eget. Et (quod apud vulgus incredibile ſit) hoc aſſerere, magnifaceréque,

In pag. 87. reque, inter philoſophanteis, comperimus illos; qui Voluptatem eſſe finem putant. Videlicet Epicurei, maiori ex parte, ab ipſius vſque Coryphæi tempore obſeruantur polenta, fructibuſque contenti; & ſuos his rebus libros complcuerunt, declarantes quàm ſit exiguum id, quo natura indiget; ac planum facientes neceſſitatem, quâ illa laborat, poſſe rebus tenuibus, paratúque facilibus abundè ſanari.

Naturæ enim diuitiæ, aiunt, & finitæ ſunt, & facilè parabiles; at quæ iuxta vanas opiniones ſunt; eæ finem, modúmque non habent, ac ſunt paratu difficiles. Id nempè, quod ob indigentiam corpus moleſtiâ afficit, præclarè, & quantum ſat eſt, eximunt, quæ ſunt facilè parabilia; ſimplicem putà humidorum, ſiccorúmque *alimentorum, cuiuſmodi ſunt aqua, & panis*, naturam habentia. Quod ſupereſt verò, quicquid in luxum abit, id attinet, inquiunt, ad cupiditatem, quæ neque neceſſaria eſt, neque occaſione alicuius rei moleſtiam neceſſariò inferentis creatur; ſed partim, quia quidpiam angit, vellicátque ob id ſolùm, quòd eius abſentia impatienter toleratur; Partim quia abſoluta, *& ſine vllius moleſtiæ intermiſſione* oblectatio præſumitur: Partim, ac vt paucis dicatur, quia menti inhærent inanes, falſæque opiniones, quæ neque ad farciendum vllum naturalem defectum ſpectant: neque ad aliquid habendum, ex cuius abſentia corporis ipſius compages diſſoluatur, tendunt.

Siquidem, vel ipſa, quæ ad manum ſunt, abundè ſufficiunt obtinendis iis, quibus natura indiget; hæc quippe eiuſmodi ſunt, vt partim ob ſimplicitatem, partim ob exiguitatem, nullo negotio ſint parabilia. Heinc illi quidem, qui carnibus veſcitur, opus etiam eſt inanimis rebus; at illi, cui ſunt res inanimæ ſatis, dimidio ſolùm opus eſt, ac ipſo quidem tùm facilè parabili, tùm ad apparandum modicis ſumptibus egente.

Oportet verò, inquiunt, illum, qui parata non habet neceſſaria, adhibere ipſam, quaſi in ſubſidium, Philoſophiam; & quæſitâ ſimul animæ fiduciâ, ea, quæ in diem accidunt, generosè excipere. Malo ſcilicet conſultori earum rerum arbitrium, quæ noſtrâ intereſſunt, permittimus, ſi quod naturæ eſt neceſſarium, ſine Philoſophia, & metimur, & apparamus. Quare oportet Philoſophantem huiuſcemodi rebus prouidere; & vſque dum quidem adhibita ipſis cura diligens eas ſuppeditârit. Quamdiù autem quidpiam ex ipſis ſine quo perfecta conſtet fiducia, poteſt detrahi, non accingere ſe opibus, alimentiſque comparandis.

γοντας, καὶ ἐκπιεζοῦντας εὑρίσκομεν, λέγω δὲ τοὺς δι' ἡδονὴν οἰομένους τὸ τέλος τῶν φιλοσοφησάντων. Τῶν γὰρ Ἐπικουρείων οἱ πλείους ἀπ' αὐτοῦ † τοῦ Κορυφαίου ἀρξάμενοι, μάζῃ, καὶ τοῖς ἀκροδρύοις ἀρκούμενοι φαίνονται, τά τε συγγράμματα ἐμπεπλήκασι, τὸ ὀλιγοδεὲς τῆς φύσεως ἀφηγούμενοι, καὶ τὸ ἐκ τῶν λιτῶν, καὶ εὐπορίστων ἱκανῶς αὐτῆς τὸ ἀναγκαῖον ἰᾶσθαι παριστάντες.

Quæ, & quantia vireus, Paruo viuere. *† Deeſt in MS.*

Ὥρισται γὰρ, † φασὶν, ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος, καὶ ἔστιν εὐπόριστος, ὁ δὲ ἐκ τῶν κενῶν δοξῶν, ἀόριστός τε ἦν, καὶ δυσπόριστος. Τὸ γὰρ κατ' ἔνδειαν ἐνοχλοῦν τὴν σάρκα, ἐξαιρεῖται καλῶς, καὶ αὐτάρκως τὰ εὐπόριστα, ἁπλῆν ἔχοντα φύσιν ὑγρῶν τε, καὶ ξηρῶν. Τὸ δὲ λοιπὸν ὅσον εἰς πολυτέλειαν πέπτωκεν, οὐκ ἀναγκαίαν ἔχειν φασὶ τὴν ὄρεξιν, οὐδ' ἀπ' ἀλγοῦντός τινος ἀναγκαίως γιγνομένην, ἀλλὰ τὴν μὲν ἀπὸ τοῦ ἢ λυποῦντος, ἢ νύττοντος μόνον ἐν τῷ μὴ παρεῖναι, τὴν δὲ ὅλως ἀπὸ τοῦ χαίροντος, τὴν δὲ ὅλως ἀπὸ τῶν κενῶν, καὶ διεψευσμένων δογμάτων, † ἃ εἰς οὐδὲν ἀναγκαῖον ἔλλειμμα, οὐδ' εἰς τὸ διαλῦον τὴν σύστασιν ἐκ τοῦ μὴ παρεῖναι.

† Videtur pro φησὶν. *† Videtur pro ἢ.*

Ἱκανὰ γὰρ καὶ τὰ τυχόντα διαχειρήσασθαι τούτων, ὧν ἀναγκαίως δεῖται ἡ φύσις. Ταῦτα δὲ καὶ διὰ τὴν λιτότητα, καὶ διὰ τὴν ὀλιγότητά ἐστιν εὐπόριστα. Καὶ τῷ μὲν κρεοφαγίας ἀπολαύοντι, χρεία καὶ τῶν ἀψύχων, τῷ δὲ ἀρκουμένῳ τοῖς ἀψύχοις, ἐξ ἡμισείας, καὶ τοῦτο εὐπόριστον, καὶ ὀλίγων δεόμενον ἀναλωμάτων τὸ τῆς παρασκευῆς.

Δεῖ δὲ, φασὶν, οὐκ ἑτοιμασάμενον τὰ ἀναγκαῖα, προσθήκῃ τῇ φιλοσοφίᾳ χρῆσθαι, † ἅμα δὲ παρασκευασάμενον τὸ θαρρεῖν τῇ ψυχῇ, γενναίως οὕτως ἀντέχεσθαι τῆς καθ' ἡμέραν. Κακῷ γὰρ φροντιστῇ τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέψομεν, ἄνευ φιλοσοφίας τὸ ἀναγκαῖον συμμετρούμενοι τῆς φύσεως, καὶ παρασκευάζοντες. Διὸ φιλοσοφοῦντα δεῖ καὶ τούτων προνοεῖν, καὶ ἐφ' ὅσον ἂν ἡ περὶ ἐκείνοις ἔντονος ἐπιμέλεια παρέχῃ. Ἐφ' ὅσον δὲ ἐκείνων τι ἀφαιρεῖται, ὃ μὴ κωλύσει τῆς τελέας ἐκθαρρήσεως, μὴ προσποιεῖσθαι πρὸς τῶν χρημάτων τε, καὶ τροφῶν παρασκευήν.

† Videtur pro ἀλλά.

Σὺν φιλοσοφίᾳ τοίνυν ἁπτέον τούτων, καὶ ταχέως προσγνώσεται, ὅτι πολλῷ κρεῖττον τὸ ἐν αὐτοῖς μεταδιώκειν ἐλάχιστόν τε, καὶ λιτὸν, καὶ κοῦφον. † τὸ ἥδιστον γὰρ, καὶ τὸ ἀόχλητον ἐκ τοῦ

† Videtur pro ἐλάχιστον γὰρ ἐστι τὸ ἐχλοελάχιστ. φιν.

Philoſophiâ igitur duce harum rerum ſtudium ſuſcipiendum eſt, ac fiet breui, vt agnoſcatur, quæ virtus, & quanta boni ſit, id *ſolùm* in ipſis, quod ſit minimum, ſimplex, leuéque requirere: quoniam quod in vita ſuauiſſimum, & à moleſtia alienum eſt, id ex minimo, *quo quis ſit contentus, dependet*. Quæ verò ſecum impedimenta ſollicita rerum comparatio trahit, cùm agnoſcantur ex grauitate, *laborève* corpo-

na, σ amta rini, arno nere. ἐλαχίστου. Ἃ δ᾽ ἂν συνεφελκύσηται ἡ παρασκευὴ ἐμπόδια, ἐκ τῆς τοῦ σώματος βαρύτητος, ἢ ἐκ τῆς τῶν παρασκευαζομένων πραγματείας, ἢ ἐκ τοῦ κωλύειν τὴν περὶ τῶν κρειττόνων λογισμῶν ἐνέργειαν εἶναι συνεχῆ, ἢ ἐκ τινος † Fortè δεῖ ταῦτα. ἄλλης αἰτίας, † οὐθὲν ἀλυσιτελὴς γίνεται, καὶ οὐκ ἀντάλλακτος πρὸς τὰς συνακολουθούσας ὀχλήσεις.

Δεῖ μέντοι τοῦ φιλοσόφου καὶ τὴν ἐλπίδα τοῦ μηδὲν ἀπολείψειν ἔσεσθαι διὰ βίου. Ταύτην δὲ τὰ μὲν εὐπόριστα ἱκανῶς διασώζει, τὰ δὲ πολυτελῆ ποιεῖ δυσέλπιστον. Οἱ γοῦν πολλοὶ διὰ τοῦτο, καίπερ πολλὰ κεκτημένοι, ὡς ἀπολειψόντων, αἰωνίως μοχθοῦσιν. Ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς εὐπορίστοις, καὶ λιτοτάτοις ποιεῖ τὸ μεμνῆσθαι, ὅτι πρὸς μὲν τὴν ψυχῆς ἀξιόλογον ταραχῆς λύσιν, οὐδὲν ἰσχύειν πέφυκεν, οὐδ᾽ ὁ πᾶς πλοῦτος συναχθεὶς, τὸ δὲ τῆς σαρκὸς ὀχληρὸν ἐξαιρεῖ καὶ τὰ πάνυ μέτρια, καὶ τυχόντα, πᾶσί τε εὐπορίαν κεκτημένα. Ὑπολείπονταί τε, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐ παρέσται τῷ ἀποθνήσκειν μελετῶντα.

Ἔτι καὶ τὸ ἄλγημα, τὸ δι᾽ ἐνδείας, πολλῆς † Videtur pro ἢ τὸ. ἠπιότητος † τῆς διὰ πληρώσεως μετέχει, ἐὰν μή τις ταῖς κεναῖς δόξαις ἑαυτὸν ἀπατᾷ. Ἥ τε ποικιλία τῶν τροφῶν οὐχ ὅπως τὰς ταραχὰς τῆς ψυχῆς ἐκλύει, ἀλλ᾽ οὐδὲ τὴν ἐν τῇ σαρκὶ ἡδονὴν συνεπαύξει, πέρας γὰρ ἔχει καὶ αὕτη ἅμα τῇ τοῦ ἀλγηδόνος ἀπεξαιρέσει. Ὡς τό γε τῆς σαρκοφαγίας, οὐδ᾽ ἕνεκέν τι ὀχληρὸν τῆς φύσεως, οὐδ᾽ ὃ μὴ συντελούμενον ἐπ᾽ ἀλγηδόνα ἰούετο. Τὴν δὲ βιαίαν χάριν ἔχειν, καὶ τάχα τοῦ ἐναντίου μεμιγμένην, οὐ γὰρ πρὸς ζωῆς συμμονήν, πρὸς δὲ ποικίλην ἡδονὴν συνεβάλετο, ἐοικὸς ἀφροδισίοις, ἢ ξενικῶν οἴνων πόσεσιν, ὧν καὶ χωρὶς διαμένειν δύναται ἡ φύσις· ὧν δὲ χωρὶς οὐκ ἂν ὑπομείνειεν, βραχέα παντάπασίν ἐστι, καὶ δυνάλωμα ῥᾳδίως, καὶ μετὰ δικαιοσύνης, καὶ ἐλευθερίας, ἡσυχίας τε, καὶ πολλῆς ῥᾳστώνης πορίζεσθαι.

Ἔτι δὲ οὐδὲ πρὸς ὑγίειαν τὰ κρέα συντελεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον τῇ ὑγιείᾳ ἐμποδίζει· δι᾽ ὧν γὰρ ὑγίεια ἀνακτᾶται, διὰ τούτων καὶ φυλαχθεῖσα ἀνακτᾶται δὲ διὰ τῆς λεπτοτάτης, καὶ ἀσάρκου διαίτης, ὥστε καὶ ταύτῃ ἂν συμμένοι. Εἰ δὲ μὴ πρὸς τὴν Μίλωνος ῥώμην τὰ ἄψυχα συμβάληται, οὐδ᾽ ὅλως πρὸς ἐπίτασιν ἰσχύος, οὐδὲ † Videtur pro γάρ. † καὶ ῥώμης, οὐδὲ ἐπιτάσεως ἰσχύος χρεία τοῦ φιλοσόφου, εἰ μέλλει θεωρίᾳ, καὶ μὴ πράξεσι, καὶ ἀκολασίαις προσέχειν. Οὐδὲν

ris, aut ex ipſa rerum comparandarum difficultate, aut ex abductione à ſpeculationum longè præſtantiſſimarum ſtudio, quod continens eſſe operæ pretium fuerit; aut quapiam alia demùm ex cauſa: ea ſanè euadit protinùs infrugifera, neque digna, quæ cum perturbationibus conſequentibus commutetur. *In Pag. 87.*

Oportet porrò Philoſophum in ea eſſe ſpe, vt tota vitæ ſerie defuturum ſibi nihil ſit. Hanc autem ſpem abundè fouet per-facilis rerum reuiuium parabilitas: cùm alioquin illa, quæ ſumptuoſa ſunt, benè ſperantem perinde non faciant. Hac certè de causâ homines vulgares, rametſi plurima poſſideant; perinde tamen, ac ſi illa defectura ſint, congerendis ſemper, quæ nunquam cumulo perfecto habeantur, laborant. Facit verò ad hoc vt contenti ſimus facilè parabilibus, ſimpliciſſimiſque rebus, meminiſſe, quemadmodum ne omnes quidem in vnum congeſtæ diuitiæ quicquam virium habeant ad animi perturbationem præclara aliqua ratione ſoluendam; mediocres autem, paſſimque obuiæ, & ad obtinendum comparatiſſimæ res, incommodam corpori indigentiam rollant: cum & aliundè eiuſmodi ſint, vt cogitanti mortem, dimittere ipſas haud quaquam ſit graue.

Præterea verò, id, quod in corpore (dum aliqua re eget) doler, copioſi, dum ipſis expletur, lenimenti fit particeps; niſi quis vanis ſibimetipſi imponat opinionibus: Eduliorum autem varietas, non modò ipſam animam perturbatione non exuit; ſed ne auget quidem voluptarem in corpore; quoniam ipſa quoque, eo, quod dolebat, exempto, finem reperir. Exempli gratiâ, carnium vſus nec ſpeciatim adimit quicquam, quod naturæ moleſtum ſit, neque aliquid peragit, quod niſi compleatur; in moleſtiam ſit abiturum: Interim autem gratiam habet violentam, ac fortaſſis quoque ex contrario miſtam, quatenus ad vitæ durationem, minimè valet; confert autem ſolummodò variandis voluptatibus ſimilis vſibus venereis, vinorúmque peregrinorum porationibus, ſine quibus poteſt natura, *ſeu vita* manere; cùm ea, ſine quibus manere non poteſt, compendioſa penitùs ſint; faciléque, & ſalua iuſtitia, libertate, tranquillitate, otio plurimo, obtineri poſſint.

Ad-hæc verò neque ad ſanitatem carnium vſus confert; quin potiùs illi officit. Per eadem enim conſeruatur, per quæ & recuperatur, cùm amiſſa eſt, ſanitas; recuperatur autem tenuiſſimo, & citra vſum carnium, victu; Quare & eodem conſeruatur. Quòd ſi vſus rerum inanimatarum ad habendum Milonis robur, aut vniuersè ad virium corporis contentionem minimè confert; neque ſanè eo robore, intenſiſque viribus Philoſophus indiget; ſi contemplationi quidem, non vitæ actuoſæ, petulantiæque ſit incubiturus. Nihil autem mirum, ſi hominum vulgus putet vſum carnium ad valetudinem conferre; idem enim eſt, quod exiſtimar ſanitaris tuendæ vim eſſe in ipſis voluptatum quaſi prolutionibus etiam venerearum,

In pag. 87. venerearum, quarum tamen eſt nulla, quæ quicquam proſit alicui; cùm & benè ſit, niſi etiam noceat.

Ac tali-ne quidem perſuaſione ſint homines vulgares, nihil eſt, quòd moremur; neque enim quicquam fidei, aut conſtantiæ in amicitia, beneuolentiáque hominum huiuſmodi eſt, cùm neque harum rerum capaces ſint, neque ſapientiæ, neque vllius ſapientiæ partis, quæ commendationem aliquam mereatur. Quin-etiam, qui è media multitudine eſt homo, non intelligit quid priuatim, publicéque vtile ſit; neque conſtituere inter mores prauos, honeſtóſque diſcrimen poteſt. Viget inſuper petulantia, intemperantiáque in id genus hominibus; adeò proinde, vt verendum non ſit, ne quandoque deſint, qui animalibus veſcantur. Nam ſi omnes quidem optimè de rebus ſentirent, nihil foret opus aucupio, vel aucupibus, piſcatoribus, aut ſubulcis: ac huiuſcemodi animalia degentia per ſe, & incuſtodita, præfectóque carentia breui perinde perderentur deuaſtarentúrque ab aliis inſidiantibus, multitudinémque abſumentibus; ac in aliis innumeris, quibus homines non veſcuntur, contingit: At verò multiplici ſemper, vel omnigena potius vigente deſipientia inter homines, non deerunt vnquam innumeri, qui ea depaſcantur, heluones.

δὲ θαυμαστὸν οὐδὲν πολλοὺς οἴεσθαι εἰς ὑγίειαν συντελεῖν τὴν κρεωφαγίαν, τὴν γὰρ αὐτὴν εἶναι καὶ τὰς ἀπολαύσεις οἴεσθαι ὑγιείας τηρητικάς, καὶ τὰ ἀφροδίσια, ὧν οὔποτε μὲν οὐδένα τινα, ἀγαπητὸν δὲ εἰ μὴ ἔβλαψεν. *Quæ, & quanta virtus. Parvo viuere.*

Εἰ δὲ πολλοὶ † μὲν τοιοῦτοι, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, οὐδὲ γὰρ φιλίας, καὶ εὐνοίας πιστόν τι, καὶ διαμόνιμον ἐν τοῖς πολλοῖς, οὐδὲ δεκτικοὶ τούτων, οὐδὲ σοφίας, οὐδὲ τῶν ἀξιόλογόν τι ἐχόντων σοφίας μορίων. οὔτε τοῦ συμφέροντος, οὔτε τοῦ ἰδίου, οὔτε τοῦ κοινοῦ συνετὸς ὁ πολύς, οὔτε ἐθῶν φαύλων, καὶ ἀστείων κρίσιν ποιεῖσθαι δυνάμενος. Πρός τε τούτοις πολὺ τὸ ἀσελγές, καὶ ἀκρασίας γέμον ἐν τοῖς πολλοῖς, διὸ οὔτε φοβητέον, † μήποτε οὐκ ὦσιν οἱ βεβρωσόμενοι τὰ ζῶα. Πάντων μὲν γὰρ φρονησάντων τὰ ἄριστα, οὐδεμία χρεία ὀρνιθευτικῆς, ἰχθυτῶν, ἁλιέων, συβωτῶν, αὐτὰ δὲ αὐτὰ διοικοῦντα τὰ ζῶα, καὶ μὴ ἔχοντα τοὺς ἐπιμελουμένους, καὶ ἐφεστῶτα, ταχέως φθείρεσθαι, καὶ δαπανᾶσθαι πρὸς τῶν ἐπιτηδευμένων, καὶ τὸ πλῆθος ἀναλισκόντων, ὥσπερ ἐπὶ μυρίων, ὧν οὐ γεύονται ἄνθρωποι ζώων, συμβέβηκεν· μενούσης δὲ τῆς κατ' ἀνθρώπους ποικίλης, καὶ παντοίας ἀφροσύνης, ἔσονται μυρίοι καὶ οἱ τῶν ζώων λαιμαργήσοντες.

† Videtur pro μή.

† Ex MS. pro μήτι.

Et interiectis aliquibus.

Vt rem verò paucis complectar, iure edixit Epicurus, cauendum eſſe ab eo cibo, cuius fruitionem deperimus, proſequimúrque, & quem tamen vbi illius fuerimus facti compotes, fuiſſe malo noſtro gratum reputamus. Huiuſcemodi autem eſt, quiſquis copioſus eſt, ac pinguis, illudque patiuntur quicumque ob ipſum, mentis ſtuporem contrahunt, & vel expenſis, vel morbis, vel repletioni, vel vitæ negotioſæ obnoxij euadunt.

Καθόλου δὲ ὀρθῶς ὁ Ἐπίκουρος ἔφασκεν, εὐλαβητέον εἶναι τροφήν, ἣν ἀπολαῦσαι μὲν ποθοῦμεν, καὶ διώκομεν, συντελεσθείσης δὲ ἐν ἀχαρίστῳ πίπτομεν. Τοιαύτη δὲ πᾶσα ἡ δαψιλής, καὶ παχεῖα, καὶ τοῦτο πάσχουσιν οἱ περὶ ταύτην ἐπτοημένοι, ἢ ἀναλώμασιν, ἢ νόσοις, ἢ πλησμονῇ, ἢ ἀσχολίαις περιπίπτοντες.

Serm. 17. Et ſic quidem ſe habet ex Porphyrio locus, quem videri ſanè apud Stobæum poſſit imitatus Muſonius, dum illum refert, qui ediſſereret: ὡς χρή, καθάπερ τὴν εὐτελῆ τῆς πολυτελοῦς τροφὴν προτιμᾶν, καὶ τὴν εὐπόριστον τῆς δυσπορίστου, οὕτω καὶ τὴν σύμφυλον ἀνθρώπῳ· τοιαύτην δὲ εἶναι σύμφυλον ἡμῖν, τὴν ἐκ τῶν φυομένων ἐκ γῆς, ὅσα τε σιτώδη ὄντα, &c. *Preferendum eſſe victum, vt ſimplicem lauto, & facilè parabilem ſumptuoſo; ita homini familiarem ferino. Familiarem autem nobis eſſe paratum ex iis, quæ terra ex ſe fundit, vt ſunt fruges, &c.* Verùm accedendum ad Horatium eſt, qui poſtquàm præmiſit illud:

Lib. 2. ſat. 2. *Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantáq; ſecum*
Afferat;

Tùm id, quod Epicurus ait: *Nihil eſſe, quod ſanitatem præſtet pleniorem,* ita excipit:

——Imprimis valeas benè: nam variæ res
Vt noceant homini, credas; memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit: At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis;
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachóq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides, vt pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubiâ.

Et mirum eſt certè, poſſe homines intelligentiæ, & rationis capaceis, non cogitare, aduerteréque, Imprimis, eſſe neceſſitatem, ſiue horam, mauis, ſumendi cibi exſpectandam; & cùm ad ipſam alio non ſit admonitore opus, quàm fame, eſſe ipſam famem obſonium, atque condimentum, quo nullum ſit, vt innocentius, ſinceriúſque, ita & gratius. Deinde, cùm ex tenui, ſimplicique cibo fame condito, ac ſuauiter ſumpto, & virium corporis refectio, & facultatum animi hilaritas ſit: non aliquid tale poſſe exſpectari ex

Qua, & quanta vitiis, Paruo viuere.

illa ciborum varietate, vbertate, miſtura, alteratione, deprauatione, quæ in menſis ſplendidis eſt; quoniam, vtcumque ſint heluonum vt brutæ, ſic temporaneæ voluptates; hinc tamen & corpus grauatur, & animus hebeſcit; &, niſi mox fluxiones, febres, podagræ, alia incommoda ſentiantur; remanent tamen ſemina eorum ipſi hærentia corpori; intruſa ſcilicet in parteis cum nimio, impuróque ſanguine, ex nimia, ac impura alimentorum maſſa confecto. Ad-hæc, poſtquàm exempta fames, ac menſæ remotæ, ſupereſſe illi, qui parcè, tenuitérque comederit, ſuauem illam cogitationem, quòd aduerſus ſanitatem nihil peccauerit, ac benè exinde ſit ſe habiturus: quòd nihil ſit graue, voluptate caruiſſe, qua ſeſe guloſi proluerunt, quæque alioquin iam euanuiſſet,& occaſionem tamen pœnitentiæ, cui iam obnoxius non ſit, reliquiſſet; illi autem, qui vbertim, variéque ſtomachum compleuit, nihil ſupereſſe aliud, quàm ipſam pœnitentiam, aut ſuſpicionem certè, quod ſit aut breui, aut ſaltem olim intemperantiæ pœnas daturus; neque enim poteſt perinde, ac ille, certus fieri valetudinis, atque indolentiæ in futurum conſtantis. Præterea, quantæ ſapientiæ ſit, non iniicere in corpus, præ illecebris momentaneæ voluptatis, materiem morborum tam grauium, tam variorum, tam diuturnorum, quàm vt deinceps ea extrahatur, potiones ingratas ſorbere, purgationibus, vomitionibuſque importunis ſe ſubmittere; ſectiones, vſtioneſque pati; ac id genus ſimilia, quibus ne ſincerè quidem aut ex toto, & ſine noxa educitur, quod abſtinentia ſimplici, facilique adeò, poterat non induci: Prorsùs, vt vſurpare liceat illud Lyſimachi, cùm, deditione apud Getas factâ, vt ſitim, qua ipſe, & exercitus exareſcebat, ſedaret: *Dy boni*, inquit, *quàm breui voluptate quantam amiſi felicitatem*; Denique præter pauculos morbos, qui à natiua temperie, conſtitutionéque ſunt, quique, vt iam antè innuimus, niſi omninò tolli, at ſaltem emendari quam-plurimùm poſſunt; ſegetem aliorum, hoc eſt penè omnium cauſam eſſe aut nimium, aut non-naturalem cùm cibum, tùm potum. Nam & tametſi labores, æſtus, aliæque cauſæ morbos inducant; ideò tamen inducunt, quia camarinam quaſi mouent, quæ fuerit per cibos, potuſque in corpus congeſta: cùm ſi corpus foret ab ea, hoc eſt à noxiis, redundantibuſque humoribus liberum, quod excitaretur intra ipſum, nihil foret, corpuſque adeò tentari quidem, verùm ſubigi à morbo non poſſet. Hac certè de cauſa obſeruatum eſt, Socratem ſolum, ob tenuem victum, intactum fuiſſe à peſtilentia, quæ illius temporibus totam vexauit Atticam; & nos quoque virum oppidò ſobrium nouimus, qui ſeſe in media grauiſſima peſte innoxiè habuerit. Quare & cùm videre liceat ex ægrotorum myriade, vix vnum eſſe, aut alterum, qui non potiùs ex nimio, quàm ex parco cibo; ſeu ex repletione potiùs, quàm ex inanitate laboret; intelligi licet, quàm verè dictum fuerit à Theognide: *In pag. 87.*

> Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη
> ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῖον ἐθέλουσιν ἔχειν.
>
> *Per-plureis, quàm dira fames, ſatias malè perdit,*
> *Qui iuſto cupiunt amplius eſſe ſibi.*

Præterea autem huc ſpectare, non modò illud vltimum apud Porphyrium ex Epicuro præceptum, *Cauendum eſſe ab eo cibo, &c.* cui conſimile Socrati à Xenophonte, & Plutarcho tribuitur; verùm etiam egregium illud, quod antecedit ratiocinium: *Per ea conſeruatur, per quæ amiſſa recuperatur ſanitas*; Ac adnoto ſolùm huiuſmodi aſſumptum: *Recuperatur autem tenuiſſimo, & citra carnium vſum victu*, comprobari poſteà à Porphyrio exemplo amicorum ſuorum quorundam, qui cùm articulari morbo, manus, pedeſque, occupante, vehementer adeò laboraſſent, vt totis octo annis fuiſſet geſtatione vtendum, eum hac ratione depulerint. Quo ſanè loco intelligit præſertim Rogatianum Senatorem, cuius meminit in vita Plotini. *1. Memorab. De ſan. præc.*

Quod Epicurus deinde ait: *Hominem fieri ex victu tenui ad vſus vitæ impigrum*, ſic excipit ille:

> *——Quin corpus onuſtum*
> *Heſternis vitiis, animum quoque prægrauat vnà*
> *Atque affigit humo diuinæ particulam auræ:*
> *Alter, vbi dicto citiùs curata ſopori*
> *Membra dedit, vegetus præſcripta ad munera ſurgit.*

Vbi, quod de prægrauatione, hebetationéve animi attingitur, deſignari videtur voce illa ἐπτοημένοι, *attoniti*, quæ apud Porphyrium habetur, & ex qua intelligitur, quàm inepti reddantur ad functiones animi, qui ipſum reddunt impotem ſui, dum cerebrum humorum copiâ, atroréque ſic obruunt, vt parem laborem cum eo ſentiant, qui fuerit clauâ obſtupefactus. Neque enim loquor ſolùm de illis, qui vino madentes rationis vſum prorsùs amittunt, ſicque ipſum poſt vini deſpumationem recuperant, vt procedente tamen tempore, hebetes admodum euadant: De illis etiam maximè loquor, qui vtcumque citra ebrietatem bibant, ſic tamen cibis ſe onerant, vt non valeant in multas horas ferre lectionem, contemplationem, &, ſi quid eſt ſerium in ſtudiis ingenuis. Ij videlicet non aduertunt, quàm malè de parte ſui nobiliore mereantur, cùm parùm adeò eius præſtantiam, dignitatémque reueriti, ipſi quoſdam quaſi compedes iniiciunt, quibus reuincta, liberum vſum nobilium functionum non habeat, ac parti interim deteriori, quaſi mancipata, ſubiaceat. Id quippe eſt, quod ille ait: *Affigere humo diuinæ auræ particulam*, quatenus affectu terreno, corporeo, belluinóque prædominante, aut planè obruitur, aut ita malè afficitur,

In pag. 87. ficitur, vt ſublime nihil cogitare valeat, ſed cogitatione in corpus conuerſa, illi tota adhæreat, ſenſuſque adeò de mente triumphet: εἰς συγκολλῶσι, quod ille aiebat, ϗ οἷον κατηλῶσι τὴν ψυχὴν πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀπόλαυσιν, *quaſi agglutinans, & clauo affigens animam ad ipſam corporis fruitionem.* Felices proinde, qui corpus ſic curant, vt ipſum ſinceris, innoxiiſque voluptatibus, qualeis ſobrio victu creari eſt dictum, non defraudantes, ipſi tanto ſui damno non indulgeant, vt animo quicquam officiant, ſed ſerenitatem illius conſtanter tueantur, ipſumque ſemper liberum, expeditum, actionum ſuarum dominum habeant. Cùm certè ob illud, *heſternis vitiis*, memorari heic, quaſi oppoſitum poſſet, quod dixit Timotheus, cùm pridie apud Platonem frugaliter cœnatus: *Qui cum Platone*, inquit, *cœnant, etiam poſtridie ἡδέως γίνονται, ſuauiter degunt*: licet quin-etiam dicere, ſi quis non ampliùs iuſto paſcatur, eum non poſtridie ſolùm, ſed ſtatim etiam ab ipſo paſtu ſuauiter ſe habere, ſeſéque ad omneis animi functiones comparatum experiri. Nihil neceſſe eſt adiici de cæteris functionibus, quæ ad corpus præſertim ſpectant, & ex vſu vitæ præſertim habeotur; cùm ſit perſpicuum quantum ad illas comparatiùs ſe habeant, qui præ ſobrietate corpus vegetum, ſanúmque tuentur, quàm qui præ ingurgitatione, graue, imbecillúmque faciunt. Ac ſi eſſet quidem homo deſtioatus, vt Athletam ſolùm ageret, in vita; tùm illi fortè concedi poſſet, vt pleno athletarum victu vteretur: Verumtamen, cùm ſit ferina athletarum exercitatio, & tot actiones nobiles Milonis robore non egeant: abundè eſt, ſi quiſque ad illas, quibus pro vitæ conditione incumbendum eſt, ſeſe expeditum præſtet, conſeruétque. Hoc autem facit quidem vir frugi; at non perinde, qui præ nimio paſtu, aut largiore vino, ſeſe agendo inhabilem, in horas benè multas reddit; ac interim diſpoſitionem eiuſcemodi in corpus inducit, vt morbo laboret, quo vigente, non valeat munia neceſſaria obire. Nam aliunde commemorare, quam ob cauſam, exempli gratiâ, Cyri exercitus in Scythia miſerè perierit, Archias Cadmeam amiſerit, & quæ id genus ſimilia ſunt, minimè profectò eſt opus.

Quod Epicurus poſteà ſubiungit, *Guſtari ſuauius lautiores cibos, ſi appoſiti ex interuallo fuerint*; id ille in hunc deducit modum:

Hic tamen ad melius poterit tranſcurrere quondam;
Siue diem feſtum rediens aduexerit annus;
Seu recreare volet tenuatum corpus; vbique
Accedent anni, & tractari molliùs ætas
Imbecilla volet: Tibi quidnam accedet ad iſtam,
Quam puer, & validus præſumis mollitiem, &c.

Adiicitur porrò iſtud commodum, quaſi argumentum ad hominem; Nempè vt arguatur, etiam illum, qui guſtatus voluptatem in lautiore victu requirit, voluptatem amittere; quam tùm ex illo perciperet, cùm tenuiori interim aſſuetus, haud aliter, ipſo quàm per interualla frueretur. Non ſanè, quod talis voluptas, quaſi in ſcopum proponi debeat; ſed quòd cùm ea ſit habeoda quaſi ex accidenti, vita etiam frugi non inutilis ad eam percipiendam probetur. *...ulua, & quanta virtus, paruo viuere.* Sanè enim, vt videmus illos, qui, vt paulò antè eſt dictum, opiparè ſemper & prandent, & cœnant, ac ſaturi adhuc ad menſam accedunt, faſtidio ciborum etiam lautiſſimorum teneri, neque epulando voluptate affici, quod ſeorſum afferant non vacuum, ſed ſucco oppletum; ita & qui lautè continenter veſcuntur, longè abſunt, vt eam voluptatem percipiant, quam qui ſunt rudiori aſſueti, percipiunt; quòd ſenſorium ex frequente lautitia, texturam ſortiatur quaſi voitiorem; ex rudiore, quaſi hiantiorem; adeò vt, cùm cibus apponitur lautus, priore quidem caſu pareiùs, at poſteriore vberiùs compleatur, ac ſimul afficiatur, delecteturque. Dico porrò hoc ſolùm, quaſi ad hominem, & ex accidente proponi; Nam videtur ſanè ſapienti eſſe alioquin longè ſatius, vt quantum pro vitæ conditione licet, eundem ſemper tenorem ſeruet; vt cùm quotidianæ, eæque ſinceræ voluptates minimè deſint; intenſior ex lautiore cibo neceſſaria minimè ſit, & fieri iure ſen quantitate, ſeu qualitate ſuſpecta poſſit. Ac fortè quidem quiſpiam obiiciat voluiſſe Epicurum quoque lantiore interdum vti caſeo; ſed vtcumque hanc tantillam lautitiem aliquando accedere ad quotidianum victum voluerit; quàm ſuſpiciendum quæſo eſt potiùs, quod de illo in Apologia ex Seneca retulimus; eum nempè, *Epiſt. 18.* *Certos habuiſſe dies, quibus malignè famem exſtingueret; viſurum, an aliquid deeſſet ex plena, & conſummata voluptate; vel quantum deeſſet, & quàm dignum, quod quis magno labore penſaret.* Dixi autem obiter, quantum pro vitæ conditione licet; quoniam, vtcumque vitæ genus, quod quis ſequitur, ea inducat tempora, quibus præſcriptum victus modum tueri difficile ſit; at non eſt tamen difficile præter-propter ipſi hærere; ſi quis modò eâ ſit conſtantiâ, quæ virum reuerâ ſapientem, virtutéque imbutum deceat. Nam, ſi alioquin ea ſit flexilitate, mollitiéque, vt ingerente ſe occaſione, cœpti tenax eſſe non poſſit, ſed propoſiti quaſi immemor, habenas laxet, abripiatúrque cupediis; quàm tenueis putemus in eo ſapientiam, virtutémque egiſſe radices? Non talis ſanè Socrates fuit, qui, vt Xenophon memorat, ſi vocatus, accedere interdum ad conuiuium voluit, id præclarè cauebat, quod pleriſque eſt difficillimum, ne non veſceretur citra ſatietatem. *1. Memorab.* Certè &, ſi quando neceſſitas ferat, vt aſſidendum iis ſit menſis, in quibus illæ ad edendum, bibendúmque inuitationes, ſollicitationeſque id obtineant iuris, vt abnuere ſit non modò inuenuſtum, ſed etiam penè iniurium; tunc

Quæ, & qui vno verbo, paruo nire. præſertim eſt animis, firmóque opus pectore; vt niſi vrbaua, congruáque excuſatio ſufficiat, inepta illa verecundia, quàm δυσωπίαν, Græci dicuot, exuatur, &, vel Plutarcho Authore vſurpetur illud Creontis in tragœdia:

De ſan. præc.

Κρεῖσσον δέ μοι νῦν πρὸς σ' ἀπεχθέσθαι, ξένε,
Ἢ μαλθακισθέντ' ὕστερον μέγα στένειν.
Te præſtat infenſum, hoſpes eſſe nunc mihi,
Quàm ſi obſequutus deinde grauiter ingemam.

Fugiendo enim, vt ille pergit, *ruſticitatis opinionem, ſeſe in laterum dolorem, inſaniámque coniicere, hominis eſt profectò agreſtis, vecordis, & qui quemadmodum verſandum, citra pocula, ac nidorem eum hominibus ſit, ignoret.*

Quòd Epicurus denique dicit *Victum tenuem facere nos interritos aduerſus Fortunam*; id ille multis proſequitur; præ cæteris verò in hunc modum:

—— Vter-ne
Ad caſus dubios fidet ſibi certiùs? hic qui
Pluribus aſſuerit mentem, corpuſque ſuperbum;
An qui contentus paruo, metuenſque futuri,
In pace, vt ſapiens, aptârit idonea bello?
Sæuiat, atque nouos moueat fortuna tumultus;
Quantum heinc imminuet, &c.

Additum autem, interpretaodo, *quod iam nulla eripere, &c.* deſumptum nempè ex Seneca, qui circa illud, quod Epicurus gloriatur: *Non toto aſſe ſe paſci; Metrodorum autem, qui nondum tantum profecerit, toto: In hoc tu victu*, inquit, *ſaturitatem non putas eſſe? Et voluptas eſt. Voluptas autem non illa leuis, & fugax, & ſubinde reficienda; ſed ſtabilis, & certa. Non enim iucunda res eſt, aqua, & polenta, aut fruſtum hordeacei panis; ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poſſit.* Pergit verò: *Liberaliora ſunt alimenta carceris: ſepoſitos ad capitale ſupplicium, non tam anguſtè qui occiſurus eſt, paſcit. Quanta magnitudo, ad id ſua ſponte deſcendere, quod nec ad extremum quidem redactis timendum ſit? Hoc eſt præoccupare tela fortunæ.* Quibus poſtremis verbis videtur ad illud Metrodori attendere, de quo dicendum inferiùs eſt: *Occupaui te, fortuna, atque cepi, omneſque aditus tuos interclusi, &c.* Et certè, quid poſſit in illum fortuna, qui pro ſuis noo ducit, & quaſi ſepoſita habet, quæ fortuna vt dare, ſic & eripere gloriatur; illis verò contentus eſt, quæ fortuna, vt nimis vilia, ſuperbo imperio ſubiecta non ducit? Citarem heic, quod Xenophon adnotauit de Socrate, dum illum tam paucis victitaſſe refert, vt nemo operarius tam parùm laboret, quin, quod potuiſſet illi ſufficere, lucretur. Itemque quod relatum antè de ipſo Anacharſide, pecuniam, vt ſibi io tam tenui victu non neceſſariam, remittente; ac rurſùs, quod ferunt de Epaminonda, ad legatos Regis eum auro miſſos, pertenuique conuiuio exceptos dicente: *Abite, & Domino veſtro prandia hac narrate, vt intelligat, non capi pecuniâ, cui iſta ſufficiunt*: denique & complura id genus ſimilia, ad oſtendendum non ſubeſſe, cur fortunæ iniquitas, ac paupertas ab illo timeatur qui tam paucis contentus ſit, quæ in ipſa quoque paupertate minimè deſunt. Quippe & hac de re dictum antè eſt, & præſtat hoc loco aduerſus metum Paupertatis id attexere, quod præclarè Bion apud Teletem Pythagoreum hiſce verbis edißerit. *Si poſſent more noſtro res loqui, & quaſi in iudicio nobiſcum contendere; nonne dictura paupertas foret: Quid mecum, ô homo, depugnas? Vt enim ſeruus ex aſylo herum ſuum ita compellat: Quid mihi aduerſaris? num quidpiam tibi furatus ſum? Num non iuſſa faxo? Num, ſi quid debeo, non ſatis præſto? Ipſa Paupertas ſuum itidem accuſatorem ſic compellaret; Quid mecum contendis? Num aliquo bono, propter me, priuaris? An Temperantia? an Iuſtitia? an Fortitudine? At metuis, ne tibi neceſſaria deſint: Quid? nonne plena ſunt oleribus via? pleni aquâ fontes? Nonne quacumque terra patet, cubilia tibi præbeo? ſtragula, quà folia? An fortè mecum hilari eſſe non licet animo? Niſi non vides Gradiaphyrtum cantillando capere cibum? Niſi non tibi obſonium ſine ſumptu, ſine cultu apparo famem? Niſi non is, qui eſurit, ſuauiſſimè comedit, alióque obſonio non eget? Niſi non, qui ſitit, ſuauiſſimè bibit, abſentémque potum non deſiderat? Putas ne placentam, quis eſurit, aut ninem ſitit? Et nonne iſthac ſunt, quæ homines præ luxu requirunt?*

In pag. 87.

De ſuffic.

QVÆ VOLVPTAS FINIS; & vnde paretur.

ỿ.15. Ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος. Hic locus eſt, qui fuit iam aote præoccupatus, recitatuſque integer, tanquam continens Apologiam, quam Epicurus aduerſos eos texuit, quos ſuis etiam temporibus expertus eſt Interpretes ſuæ de Voluptate ſententiæ, iniquos. Circa textum porrò adnoto dumtaxat; cùm hunc eundem locum in librum tertium Apologiæ, ſeu de Vita, & moribus Epicuri, tranſcripſerim, & vocem ἀπολαύσεως, priore loco vſurpatam, de quadam quaſi prolutione interpretatus fuerim, eâ ſcilicet metaphorâ, quâ apud Virgilium:

Proluit inſano contorquens vertice ſyluas 1. Georg.
Fluuiorum Rex Eridanus;

Ac præſertim ob familiarem vſurpationem in malam partem (vt vel apud vnum Ariſtotelem obſeruatur) aggreſſo iam denuò interpretationem viſum mihi fuiſſe ſignificari ea voce ſimplicem fruitionem; tùm quia prolutio, immodicáve profuſio attinet ad membrum præcedens, quod eſt τῶν ἀσώτων; tùm quia vox hæc aliquoties antè in Epiſtolæ ſerie vſurpata (vt cùm dictum eſt, ἀπολαύειν τοῦ ζῆν ἡδέως, & ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσι) illaudatum nihil ſonat; tùm quia, vt priore membro Epicurus à ſuo fine reiicit eas voluptates, quæ virorum luxu diffluentium, perditéque

1. Topic. c. 18. ſect. probl. 7. &c.

In pag. 87. ditéque viuenrium ſunt; ita videtur poſteriote excluſiſſe ab eodem fine, tanquam non neceſſatias, eas, quæ in ipſa fruendi actione, factáve actu ſenſus motione ſunt, vt Cyrenaiei ſtatuebant (quod interiectâ etiam additiunculâ inſinuarum eſt) tùm quia ille tem ſubinde declarat, oſtendendo ſe voluptarem motioni oppoſiram intelligere, Indolentiam nempè, ac Ttanquillitatem. Ad ipſam rem quod attinet; germanus quidem heie foret locus, in quo & fusè probarerur non aliam fuiſſe Epicuto Voluptatem habitam Finem, quàm heie hiſce verbis expreſſam: *μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν: Neque dolere corpore, neque animo perturbari*; & ea deinceps deducerentur, ex quibus poſſet eius ſententiæ ſua conciliari probabilitas: Verùm, quia is præceſſit textus, ad cuius elucidationem, hoc vtrumque præſtandum fuerit; vti & fuit teipsâ (ac ſortaſſis etiam æquo prolixiùs) præſtitum: illeinc idcitcò, quæ heie poſſunt deeſſe videri, ſunr repetenda. Quinetiam, eùm oſtenſum fuit Honeſtum bonum, ſen Vittutem, ſecundum vtramque ſui partem ita ad voluptatem refetri, vt germana exinde habeatur Voluptas; qualem ſeilicet declarauimus, vbi deinceps de illa ſpecialiùs; & inxta correctionem ſapienriæ aecepta, eſt actum; ideò factum qnoque huic loco compendium, circa illud, quod dicitut: *Rationem eſſe ſobriam* (ſeu cum ſobrietate, animique adeò ſerenitate iunctam) *qua cauſas rerum eligendarum, fugiendarúmque inueſtigans, iucundam vitam* (ſeu voluptarem, quæ Finis ſit germanus) *pariat*. Videlicet Ratio cauſas inueſtigans diuerſum eſt nibil à ptiore parte Virtutis, quæ cognitionem, ſpeculationem, ſcientiam rerum complectitur; neque eligendorum, fugiendorúmque inueſtigario, ipſi præſertim praxi coniuncta, diuerſum quid à poſteriore, quæ circa hæc ipſa vnicè verſatur. Itaque poſſunt illeinc quoque, quæ ad hoc caput ſpectent, multa repeti; tamerſi & plura deinceps circa Virtutem ſunr attingenda.

Hoc loco, id ſolum Notandum, quod Epicurus poſtremò air: *Expelli ratione τὰς δόξας, ἀφ᾽ ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος, opiniones illas, ob quas plurima menteis occupat perturbatio*. Siquidem ea celebris ſuit Epicuri ſententia, quam Cicero ſpeciatim de Ægritudine loquens, hiſce verbis exprimit:

3.Tuſc. *Epicuro placet opinione mali ægritudinem eſſe, non naturâ; vt quicunque intueatur in aliquod maius malum, ſi id ſibi accidiſſe opinetur, ſit continuò in ægritudine*. Speciatim, inquam; nam alioquin id intelligendum geueratim eſt de omni importuna, ingtata, moleſtáque perturbarione, quæ ægritudinem aliquam inuoluit. Non modò certè Epicutus perturbari animum, ac eſſe in ægritudine putar, opinione mali, quod acciderit; ſed maximè etiam opinione futuri, vt paupertatis, orbitatis, exſilij, ignominiæ, mortis, & ſimilium; quæ aliquis timens, ſollicitudine laboret, ac in ægritudine ideò ſit. Vnde & quia talis perturbatio, ſiue ægritudo, opinione eſt, non naturâ; quatenus iſta, ob quæ cruciámur, non reuerâ ſunt mala; neque enim naturam noſtram per ſeſe attingunt, maléve afficiunt; ſed mala ſunt ſolùm quia mala eſſe opinamur; ac nos ſolùm attingunt, maléve afficiunr, opinione intercedente: cùm hac ſecluſa perinde ſint, reſpectu noſtri, ac ſi non eſſent; Quia, inquam, tes ita ſe habet; ideò Author eſt Epicurus, vt adhibeatut ratio, quæ ediſſerens, oſtendenſque nnn eſſe hæc teipsâ mala, falſam, quæ de ipſis habetur, opinionem eliminet, ac animum proinde reddat omni & ægritudine, & pertutbatione immunem. Non reticendus porrò heic locus, in quo Cicero ſententiam quidem Epicuri fuſiùs declarat; ſed videtur inrerim tamen illa, affingendo, interiicere, ex quibus deinceps in eum inuehatut. Locus integer ſic ſe habet: *Epicuri*, inquit, *ſententiam videamus, qui cenſet, neceſſe eſſe omneis in ægritudine eſſe, qui ſe in malis eſſe arbitrentur; ſiue illa antè prouiſa, & exſpectata ſint, ſiue interuenerint. Nam neque vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora; Stultámque etiam eſſe meditationem futuri mali, aut fortaſſe ne futuri quidem: Satis eſſe odioſum malum omne, cùm veniſſet; Qui autem ſemper cogitauiſſet, accidere poſſe aliquid aduerſi, ei fieri illud ſempiternum malum: Si verò ne futurum quidem ſit, fruſtrà ſuſcipi miſeriam voluntariam; Ita ſemper angi aut excipiendo, aut cogitando malo. Leuationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit, Auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad contemplandas voluptates. Parere enim cenſet animum rationi poſſe, & quò illa ducit, ſequi. Vetat igitur ratio intueri moleſtias; abſtrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miſerias contemplandas, à quibus cùm cecinit receptui, impellit rurſùm, & incitat ad conſpiciendas, totâque mente contrectandas varias voluptates. quibus ille & præteritarum memoriâ, & ſpe cōſequentium, ſapientis vitam refertam putat. Hæc noſtro more nos diximus; Epicurei dicunt ſuo.* Quo imprimis loco agnoſcere licet, quod Epicuro Cicero tribuit: *Neque vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora*; videri admodùm ſuſpectum; cùm & inter Ratas Epicuri ſententias ſit, *dolorem, morbúmque diuturnum ſine admiſtione iucundi non eſſe*; & iam antè videtimus velle Epicurum vt non timere mortem aſſueſcamus, ex reputatione, quòd malum non ſit. Quò magis etiam ſuſpectum ſit, quod Epicuro tribuit, *ſtultam eſſe meditationem futuri mali*; Quamobrem enim iuberet nos adeò attenta meditatione fieri comparatos ad mortem, quæ haberi ſolet maximum malorum? Quod ſequitur autem: *Fortaſſis ne futuri quidem; ſatis eſſe odioſum malum omne, cùm veniſſet, &c.* idipſum verò demùm ſubinnuit, quo ſenſu Epicurus dicere potuerit, *Mali futuri meditationem ſtultam*. Quia enim malum, quod timetur

Qua Voluptas Finis, & vnde patetur.

Ibid.

Quæ Voluptas Finis, & unde pariatur.

tur ; aut contingens eſt, fieríque poteſt, vt non eueniat; aut neceſſarium, neque poteſt, vt non eueniat, fieri: Noluit quidem Priore caſu nihil nos de illo cogitare, neque ad vtrumque euentum, qua animi moderatione decet, excipiendum, comparatos non fieri ; at cenſuit tamen ſtultum eſſe, animo ita excruciari, vt ſi malum ſit haud-dubiè euenturum ; vt ſi, vbi euenerit, intolerabile ſit futurum ; vt ſi iſthæc, aliáque mala ſint è veſtigio conſequutura ; ac mentem in iſtarum rerum meditatione ſic defixam quis habeat, vt nocte, diéque ea verſans, efficiatur, quod ille ait, miſer, afflictus, ærumnoſus, calamitoſus. Poſteriore autem caſu, committi quidem noluit, vt malo patienter excipiendo parati non ſimus ; vt vel ex eo conſtat, quod de morte iam innui ; at extremæ eſſe dementiæ putauit, quod plerique faciunt ; dum non valentes id ſemel ſibi leniter ferendum conſtituere, iraſcuntur fatis, in cœlum, naturámque & prouidentiam rerum blaſphemant, neque poſſunt mentem ſic diuertere, quin ad eaſdem identidem cogitationes redeant, ſicque ante tempus, quo ſe putant fore miſeros, miſerrimi fiant. Quod ſubiicitur verò Epicurum *ægritudinis leuationem in duabus rebus ponere, auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad contemplandas voluptates* ; patet quoque quàm ſit ſuſpectum, vel ex eo, quod in Apologia ipſi Plutarcho obiectum eſt, ob ſimilem imputationem. Nam cenſuit quidem Epicurus leuandam ægritudinem auocando mentem, quantum fieri licet, à cogitanda moleſtia ; at præſtare id, illam reuocando ad contemplandas voluptates (& quatenus illi quidem interpretantur, corporeas) ac non potiùs ad meditandum, quæ honeſtè ſimul, ſuauitérque ipſam diuertant ; non ſomniauit ſanè, vt vel facto docuit ; quod Plutarchus parùm candidè detorſit. Scripſit nimirùm Epicurus, ſe illis adeò grauibus nephritidis doloribus, ad quorum magnitudinem nihil poſſet accedere, oppoſuiſſe τὸ περὶ ψυχὴν χαῖρον, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων διαλογισμῶν μνήμῃ : *Illud animi gaudium, quod perciperet ex ratiociniorum præteritorum recordatione*, Plutarchus autem oppoſuiſſe ſuos dolores obiicit τῇ μνήμῃ τῶν ἀπολελαυσμένων πρότερον ἡδονῶν, *perceptarum priùs voluptatum memoria.* Quod repeto quidem, vt agnoſcas rem eſſe parem, quòd iam Cicero illi obiicit ; vt poſſit nimirum, quaſi paſſis velis in eum inuehi, & ſubiecto præſertim loco, quem ait deſumptum ex libro de Fine (& de quo ſuperiùs tamen dictum eſt.) *Nec equidem habeo, quod intelligam bonum, &c.*

Quamobrem iſta qualiſcumque à Cicerone facta declaratio Epicureæ ſententiæ, non obſtat, quò minùs Epicurus verè cenſuerit, opiniones illas, ob quas perturbationes occupant mentem, ſerenitatémque illius obfuſcant, ac tranquillitatem peruertunt, ſtudioſè abigendas eſſe ; quatenùs eæ ſunt, non ipſa natura, quæ perturbationibus huiuſcemodi occaſionem faciunt. Adeò proinde, vt ſi ad cuiuſquam, ad ipſius ſanè Epicuri mentem, quam maximè ſit, quod ipſemet alioquin Cicero de viro ſapiente, beatóque habet, quódque adeò egregium eſt, vt hunc in locum tranſcribere, eſſe non poſſit importunum. *In pag. 87.* *Ergo is*, inquit, *quiſquis eſt, qui moderatione, & conſtantia quietus animo eſt, ſibique ipſe placatus, vt neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec ſitienter quid appetens, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat; is eſt ſapiens quem quærimus ; is eſt beatus : Cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri poteſt. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiuſque Mundi nota ſit magnitudo ? Nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omninò nouum ? Atque idem, ita acrem in omneis parteis aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi, ac locum ſine moleſtia, atque angore viuendi, vt quemcumque caſum fortuna inuexerit, hunc aptè, & quietè ferat. Quod qui faciet, non ægritudine ſolùm vacabit, ſed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus, perfectè, atque abſolutè beatos efficit.*

VIRTVTVM EX PRVDENTIA ortus, medium, connexio, genera.

§. 1. ΤΟΥΤΩΝ δὲ πάντων ἀρχὴ, καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις. Quod hoc loco vocem φρονήσεως non *Sapientiam*, vt Cicero, ſed *Prudentiam* interpretor ; vti & ſtatim vocem φρονίμως, non *ſapienter*, ſed *prudenter* reddo ; ambiguitatis deuitandæ cauſâ facio ; ne, cùm heic agatur de virtute morali, nihil videatur eſſe inter ipſam, Sapientiámque, τῆς σοφίας voci reſpondentem, diſcriminis ; vt prætercam ipſum quoque Ciceronem, non modò interdum τῆς φρονήσεως vocem interpretari *Prudentiam* ; ſed interdum quoque dum quatuor moraleis virtutes enumerat, illam, quæ primo loco eſt, non Sapientiam dicere, ſed Prudentiam ; vtcumque etiam interdum ſimul nomina Sapientiæ, Prudentiæque adhibeat. Sed ne in hoc hæream, maximéque cùm vſus voces fecerit (etiam in noſtro idiomate) propemodùm ſynonymas ; id potiùs notandum, quod Epicurus ait : *Prudentiam eſſe quoque præ ipſa Philoſophia honorabilem* ; id quippe facere videtur, vt interpretando inſinuatum eſt, quatenus Prudentia virtus eſt ἡγεμονικὴ, *imperans* ; ac ipſam etiam Philoſophiam ad vitæ finem, ſeu ad benè, beatéque viuendum diſponit ; vt dum explorandum præſcribit, diuinitúſne, an pro naturæ diſpoſitione, Eclipſes, tonitrua, aliáque id genus contingant. Tametſi videtur res quoque eo ſenſu poſſe acci-

Pag. 88

Lib. de Vniu. 2. De Inuent. 3. Tuſc. 1. Offic.

pi,

In pag. 88. pi, ad quem viſus eſt Cicero attendere, cùm Sapientiam potiùs quàm Prudentiam dixit; Quaſi nimirum Epicurus τῆς φρονήσεως nomine intellexerit tam ipſam Philoſophiam, ſeu peritiam rerum, & naturalium maximè, quàm ipſam virtutem moralem.

ŷ. 8. οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως. Supplenda verba iſta fuiſſe, vt manifeſtè deficientia, indicauit quoque ipſi Stephano locus Ciceronis antè recitatus, in quo Torquati verba

1.De fin. ſunt: *Clamat Epicurus, is, quem vos voluptatibus eſſe deditum dicitis: Non poſſe iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtèque viuatur, nec ſapienter, honeſtè, iuſtè, niſi iucundè.* Quod interpretando verò τὸ καλῶς, *honeſtè*, idem eſſe inſinuò ac *fortiter, & temperanter*, idcircò facio, vt intelligatur cùm virtus moralis diſtribui in quatuor parteis ſoleat, Epicurum, duabus diſertè recenſitis, comprehendiſſe reliquas duas ſub ipſo nomine *honeſtatis*, quæ illis ſpeciali titulo tribuitur; quatenus, qui gerunt ſeſe fortiter, gerere ſe honeſtè, decoréque dicuntur; & vt maximè honeſtum, decorúmque habetur mortem pro patria oppetere, ita & mortuis pro patria maximus ſolet haberi honos, ex quo eſt nomen honeſtatis; quatenuſque, qui ſobriè, continentérque vitam degunt, ij & honeſtè viuere, & decorum ſeruare dicuntur. Ac ne rem videar

Ibid. eſſe commentus, ecce Torquatus explicans quomodo virtutes iucundam vitam pariant, & inſeparabiles ab ea ſint, ita de Prudentia, Iuſtitiáque diſſerit, vt quaſi ſupponens Fortitudinem, & Temperantiam eſſe honeſtatis, ſeu decori parteis, de ipſis perinde diſertè loquatur. Verùm res occurret dicenda poſteriùs.

Heic quidem dicendum præſertim videtur de eo, quod Epicurus ait: *Virtutes omneis ducere ex Prudentia originem*; vt in quonam Virtutis ratio conſtituta ſit, paucis expendamus. Itaque, cùm nihil ſit morandum, quod vulgò contendunt Virtutem eſſe Latinè *à Viro*, vti & Græcè τὴν ἀρετὴν, ἀπὸ τοῦ Ἄρεος, *à Marte*; adeò vt primariò fortitudinem, & bellicam quidẽ, deſignet; ſuppono, ſolũ nomine Virtutis non intelligi hoc loco vocatam Græcis δύναμιν, *facultatem, potentiam, vim*, neque idem proinde eſſe, quod τὴν ἀρετὴν, quatenus vox hæc extenditur etiam & ad facultatem; quo ſenſu facultas videndi ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ, *Virtus oculi*; & facultas

2 Eth. 5. currendi ἵππου ἀρετὴ, virtus Equi Ariſtoteli dicitur; ac generaliùs etiam quamvis perfectio-

Lib. de ſenc. nem; quo ſenſu Hippodamo Thurio harmonia dicitur ἀρετὰ κόσμω, *virtus Mundi*; felicitas ἀρετὰ πόλιος, *virtus ciuitatis*; ſanitas ἀρετὰ σώματος, *virtus corporis*; verùm intelligi dumtaxat, quàm Græci τῆς ἀρετῆς nomine intelligunt, Perfectionem animi laudabiliter comparati. Quod dictum quidem generaliùs cùm

2.Eth. 4. 2. Eudem. 2. ſit; idcircò adnotandum eſt Ariſtotelem, quem Plutarchus, aliíque imitati ſunt, agnoſcere, diſtinguéreque tria quædam in animo, δυνάμεις, πάθη, ἕξεις, *facultates*, *affectiones* (ſeu, vt generaliùs dicam, actiones) *& habitus*. Facultates ſiquidem vocant, ſecundùm quas capaces ſumus, vt afficiamur, verbi causâ, irâ, dolore, miſericordiâ, & ſimilibus: Affe- De Virtutibus generatim. 1. Magn. Mor. 7. Lib de vit. mor. ctiones, ipſos actus iraſcendi, dolendi, miſereſcendi. Habitus verò, quibus benè, aut malè erga affectiones comparati ſumus; hoc eſt, vt ſi, exempli gratiâ ampliùs, aut minus iuſto iraſcamur, dicamur nos malè habere; ſi verò intra modum, bene: Hoc itaque expoſito, Virtus dicitur talis perfectio animi, quæ ſit non facultas, non affectio, ſed habitus; atque is quidem, quo aduerſus affectiones nos benè comparatos habemus. Prætereà verò; cùm notum ſit, duas eſſe animi parteis, Rationalem vnam, Brutam alteram, quæ & Appetitus ſentiens dicitur (nempè vegetantem ſeponunt, vt qui neque ſit rationalis, neque audire rationem valeat) ita in vtraque facultates, actiones, habitúſque diſtinguuntur, vt quatenus vtraque eſt capax habitus, eatenus vtrique ſuæ competere virtutes cenſeantur. Id tamen diſcriminis eſt, quòd Rationalis partis virtutes habeant pro ſcopo verum; virtutes brutæ, ſeu appetitus, bonum; & cùm iuxta Ariſtotelem Virtutes illius diſtin- 6 Eth. 3. guantur quinque, nimirum Peudentia, Sapientia, Intelligentia, Scientia, & Ars; virtutes iſtius diſtinguantur vulgò tres, vt-putà Fortitudo, Temperantia, atque Iuſtitia. Pıæoccupat interim Ariſtoteles, quod de Virtute in 1. Ethic. vlt. Bruta parte conſtitura obiici poſſet. Docet videlicet hanc partem non habere quidem rationem in ſe; ſed dici tamen poſſe eam habere, quatenus eius audiens eſt; ac ſeſe habere ad Rationalem, vt filius ſe habet ad patrem, cuius monitis regitur. Denique, cùm Virtutes, quæ in Rationali ſunt parte, dicantur quoque ipſi Ariſtoteli διανοητικαὶ, *Intellectuales*, ſeu ad cogitationem ſpectantes; quæ in Bruta, ſeu appetitu, ἠθικαὶ, *Morales*, ſeu attinentes ad mores; perſpicuum eſt, non agi heic præciſè de prioribus, ſed de poſterioribus dumtaxat. Dico autem, præciſe, vt ſeponam Prudentiam; quippe cuius ductu morales ita indigeant, ipſáque moribus ita commiſceatur, vt haberi etiam vna, ipſáque princeps moralium ſoleat.

Ex hoc verò intelligitur, quid ſibi velit Epicurus, cùm ait, Virtutes à Prudentia oriri; quaſi ipſa quoque, vt cauſari aliquis poſſet, virtus non ſit: Scilicet nomine Virtutis, treis Virtutes moraleis, ſeu ad appetitum propriè ſpectanteis intelligit; Prudentiam autem habet, quaſi alterius generis, Intellectualis videlicet, ac talem quidem, vt ex ſeipſa commendationem habeat, cùm virtutes huiuſmodi, niſi eius ductu, ac interuentione virtutes non ſint, neque euadere habitus commendabiles poſſint. Porrò, non modò idipſum eſt, quod Ariſtoteles ipſe docet; ſed etiam, quod aliis, ſpeciatim verò Socrati, adhibitâ qua- 6. Ethic 13. piam correctione tribuit. Nam, poſtquàm dixit, *vt Solertia*, hoc eſt, natiua illa, & extempo-

De Virtutibus generatim. ranca facultas exeogitandi media ad propoſitum finem neceſſaria, *à Prudentia perficitur ita Virtutem naturalem*, hoc eſt, natiuam in appetitu aptitudinem ad virtutem, *perfici ab ea, quæ* κυρία *propriè vocata Virtus eſt*; ait iſtam *propriè*, ſeu præcipuè *dictam Virtutem*, ὃ γίνεται ἄνευ φρονήσεως, *ſine prudentia non fieri.* Ac pergit: *Quam ob cauſam Virtutes omneis eſſe dicunt Prudentias. Et Socrates quidem partim rectè quærebat, partim hallucinabatur. Nam, quòd omneis Virtutes eſſe Prudentias putabat, hallucinabatur; quòd non ſine prudentia illas eſſe, rectè dicebat. Huiuſce verò rei argumentum eſt, quòd etiamnum omnes, cùm virtutem definiunt, poſtquàm eam eſſe habitum, & quibus in rebus verſetur, dixerunt, adiiciunt eſſe habitum rectæ rationi conſentaneum. Eſt verò recta ratio, quæ ſecundum prudentiam eſt. Vnde & videntur augurari omnino eſſe virtutem eum habitum, qui ſit Prudentiæ conſentaneus. Tametſi talis definitio immutanda paullulùm eſt. Qui habitus enim eſt virtus, non ſolùm rectæ rationi conſentaneus eſt, ſed cum rectæ etiam ratione coniunctus. Quæ autem recta ratio de hiſce eſt rebus, ipſa prudentia eſt. Quare exiſtimabat quidem Socrates virtutes omneis eſſe rationes; quippe omneis eſſe ſcientias reputans; at nos dicimus, cum ratione coniunctas.* Videtur porrò Platonis locus, in quo Socrates hæc dixiſſe notatur, haberi non tam, vt Euſtratius ait, in libris de Republica, quàm in Dialogo Menone inſcripto. Is nimirum eſt, in quo Socrates & ediſſerit virtutes eſſe ſcientias, & de eo ſpeciatim, quod virtus Prudentia ſit, rem ſic concludit. *So. Vt ſummatim dicam, omnes impetus, conatuſque animi, ducente Prudentia ad felicitatem contendunt; ducente imprudentia ad oppoſitum. Me. Videtur. So. Si Virtus ergo ex iis eſt, quæ animo inſunt, ac talis neceſſariò eſt, vt vtilitatem faciat, eam eſſe Prudentiam oportet; quandò attinentia ad animum omnia, neque vtilia ex ſe, neque noxia ſunt, ſed quatenus Prudentia, aut Imprudentia moderatur, vtilia, aut noxia euadunt. Quare virtutem hac ratione exſiſtentem vtilem, Prudentiam eſſe quandam oportet. Me. Mihi quidem videtur.* Quod memorat autem Ariſtoteles de definitione Virtutis rectam rationem, Prudentiámve complectente, conſorme eſt definitioni illi ab eo traditæ, qua eſſe

2. Eth. 6. Virtus dicitur *Electiuus habitus in mediocritate, quæ ad nos conſiſtens*, ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσῃ, *ratione definitus, ac prout vir prudens definierit.* Quo loco, omnes quidem facilè amplectuntur, quod Virtutem vult eſſe *habitum, ratione, atque prudentia definitum*; Propterea enim Cicero, & alij: *Affectio-* 4. Tuſc. *nem animi conſtantem, conuenientémque, & laudabileis efficientem eos; in quibus eſt*, dicunt; itemque, *conſtantem, ac perpetuam rationem, &c.* Scilicet tùm demùm Virtute præditus animus cenſetur; non, cùm contingenter, aut ſimulatè, aut repugnanter, difficilève, vnam, alterámve actionem laudabilem exſerit; ſed cùm ita eſt comparatus, vt conſtanter exſerat; ſeu benè agendo ita confirmatus, vt nunquam, niſi ex conſilio, niſi ſeriò, niſi ſponte, In pag. 88. niſi alacriter, benè, & laudabiliter agat. Facilè rursùs admittunt omnes dici *habitum electiuum*; quòd hac ratione diſtinguatur ab Intellectus habitibus, ad quorum rationem, ſeu naturam non ſpectat, vt eorum actus, ex delectu appetitus, eliciantur, vti ad moraleis attinet, qui morales ſanè non ſunt, niſi eorum actus fieri ex electione voluntariéque intelligantur. Obiter autem intelligi poteſt, definitionem huiuſmodi conuenire ſolùm Prudentiæ, quæ habitus eſt intellectus, ex accommodatione quadam, & propter ſui connexionem cum electiuis habitibus. Hæc, inquam, non-nemo facilè admittit: Verùm, quod Ariſtoteles interſerit, *eſſe virtutem poſitum in mediocritate*; eò ipſo anſam plurimis, ac Stoïcis præſertim, fecit, conteſtandi, declamandíque, quòd Virtutem polluerit, quaſi eam ſtatuens eſſe mediam inter vitia oppoſita, participem quadamtenus extremorum cenſuerit: Ac videmur quidem rem iam attigiſſe, cùm ex mente Epicuri μετριοπάθειαν Platonis, Ariſtotelíſque, & aliorum probantes, nonnulla aduerſus Stoïcorum ἀπάθειαν congeſſimus; ſed res eius momenti eſt, vt videatur eſſe hoc loco paulò ſpecialiùs cognoſcenda.

Ipse igitur Ariſtoteles adnotat in re, circa 2. Eth. 5 quam Virtus verſatur, quamque obiectum vocitant, duplex Medium poſſe diſtingui; Vnum, quod appellat μέσον πράγματος, *Medium Rei*; alterum, quod dicit μέσον πρὸς ἡμᾶς, *Medium Quoad nos.* Illud eſt, quod vtrimque à ſuis extremis æqualiter diſtat, idemque apud omneis eſt; cuiuſmodi eſt, v. c. *Numerus ſenarius inter Binarium, & Denarium; diſtat nimirùm ab vtroque quaternis vnitatibus*; vnde & eſſe dicit medium *Arithmeticæ proportione.* Iſtud eſt, quod neque exſuperat, neque deficit ab eo, quod eſt nobis congruum; vnde neque eſſe idem omnibus poteſt, quatenus non cuilibet quodlibet æquè congruum eſt. *Exempli enim gratiâ*, inquit; *Si decem ſunt multa, & duo pauca, non vt ſex Rei medium eſt, ita eſt etiam quoad nos: fieri enim poteſt, vt excedat, aut deficiat à congruo: adeò proinde, vt, ſi decem libras comeſſe ſit nimiùm, duas parùm; non idcirco ſex omnibus Alipta præſcribat; quoniam id ſit Miloni parùm, tyroni verò nimium.* Solet proinde iſtud Medium dici quoque *Medium rationis*, tùm quod à ratione recta præſcribatur, tùm quòd conſiſtat in ea *ratione*, ſiue *proportione*, quæ Ariſtoteli dicenda Geometrica fuit, quamque agnoſcere, ſolius ſit ſapientis. Docet itaque Ariſtoteles, conſiſtere virtutem non in *Medio Rei*, ſeu Arithmetico; ſed in *Medio Quoad nos*, ſeu Geometrico, rationíſve; quatenus, cùm Virtus verſetur circa Paſſiones, & Actiones, in quibus Exceſſus, Defectuſque, & Medium eſt (cuiuſmodi, exempli causâ, ſunt, timere, fidere, cupere, auerſari, iraſci, miſereri, ac vniuersè voluptate, doloréque affici; reperiri in ipſis poteſt aut magis,

aut

In pag. 88.

aut minùs, & vtrumque non rectè) ac opus eſt virtutis proprium, adhibere ipſis medium, idemque optimum, & quo tempore, & quibus in rebus, & quorum reſpectu, & cuius rei causâ, & quomodo oportet. Docet cohærenter; cùm Virtus verſetur in adhibendo medio, quod inter duo extrema ſit, eſſe ipſam quoque Medioeritatem quandam, hoc eſt, habitum Medium inter duos vitioſos, quorum alter ad exceſſum, alter ad defectum, qui eſt in re, ſeu obiecto, tendat.

Cap. 6.

Adeò vt virtus, κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ τὸν λόγον, τὸν τί ἦν εἶν, *ex ſua eſſentia; naturáve, ac ratione*, quâ medium præſcribit, ſit quidem & ipſa medium aliquid; verùm attendendo ad præſtantiam, perfectionémque, ſit aliquid ſummum. Vnde & intelliges quid id ſit, quod vulgò diſtinguunt *Medium, quoad obiectum*, & *Medium, quoad eſſentiam*; quoniam Medium quoad obiectum, nihil aliud eſt quàm medium illud, quoad nos, ſeu rationis, ac in ipſa re, & quaſi inter duo extrema poſitum, ſpectatúmque, conſiſtens, & de quo intelligitur illud:

Hor. l. 1. ſat. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citráque nequit conſiſtere rectum.

Medium verò quoad eſſentiam, aliud nihil eſt, quàm ipſamet Virtus inter duo vitia reſidens; & de qua proinde manifeſtum eſt intelligi illud:

Id. lib. 1. Epiſt. 18.

Virtus eſt medium vitiorum, & vtrimq; reductũ.

Rem verò deinceps inductione probat; Eſt enim Fortitudo media inter Ignauiam, & Audaciam: Temperantia inter nullius Voluptatis ſenſum, & Intemperantiam: Liberalitas inter Prodigalitatem, & Auaritiam: Magnificentia inter Parcitatem, & Sumptuoſitatem: Magnanimitas inter Puſillanimitatem, & Oſtentationem ineptam: Modeſtia inter Incutiam honoris, & Ambitionem: Clementia, Lenitas, Manſuetudo, inter Lentitudinem, & Iracundiam: Veritas, ſeu Veracitas, inter Diſſimulationem, & Iactantiam: Feſtiuitas, inter Ruſticitatem, & Scurrilitatem: Amicitia, inter Adulationem, & Pugnacitatem: Verecundia, inter Stupiditatem, & Impudentiam: Indignatio iuſta, inter Inuidentiam, &

Lib. 2. cap. 3.

Maleuolentiam. Et hæc quidem in Nicomachiis; additur autem in Eudemiis Prudentia inter Stultitiam, & Verſutiam. Cúmque Iuſtitia non verſetur propriè inter extrema, videlicet, quòd habeat ſolam Iniuſtitiam oppoſitam; agnoſcit tamen ibidem quidpiam in illius obiecto Medium, vt-putà Iuſtum, ſiue Ius, quod inter dammum, lucrúmque conſtituit: In Nicomachiis verò, quia ius idem eſt, quod æquale; & tùm ius inter aliquos, tùm æquale verſatur inter plus, & minus; ideò vult Iuſtitiam, quæ virtus eſt ad alterum, ſiue inter duos, ſic habere Iniuſtitiam oppoſitam, vt iſta reſpectu vnius habeat rationem exceſſus; reſpectu alterius, defectus; iuſtitiæque ideò ſit munus, rem ad ius, ſeu æqualitatem ſic reducere, vt neque ille ampliùs, neque iſte minùs habeat, quàm par ſit. Docet porrò alioquin, eſſe quædam vitia, quæ non admittant medioeritatem, vt adulterium, furtum, cædem; in his nimirùm ſemper peccari; neque virtutem vllam eſſe in eo, v. c. vt cum qua, & quo tempore, & quomodo ſit adulterium committendum, præſcribat: cùm & in his rebus medium quærere, idem ſit, quod requirere in Intemperantia, Ignauia, cæteriſque extremis aliarum Virtutum. Denique verò ediſſerit, Extrema non modò inter ſe, verùm etiam ipſo cum Medio pugnare; adeò proinde, vt Fortis reſpectu ignaui videatur audax, reſpectu audacis ignauus: Liberalis, reſpectu auari prodigus, reſpectu prodigi auarus; atque ita de cæteris. Videri autem in quibuſdam maiorem eſſe oppoſitionem vnius extremi cum medio, quàm alterius; exindéque eſſe, vt aliquando Virtus videatur magis ad exceſſum, quàm ad defectum accedere, vt Fortitudo magis ad Audaciam, quàm ad Ignauiam: aliquando magis ad defectum, quàm ad exceſſum, vt Temperantia magis ad voluptatis Priuationem, quàm ad Intemperantiam. Vnde & concludit; operoſam rem eſſe, fieri virtute præditum, quòd in rebus omnibus congruum medium reperire, ſit negotij non parui: præcipítque adeò, vt quiſquis, quaſi collineando, petit medium, ab illo imprimis extremo, quod eſt præſertim contrarium, recedat; & attendens in vitium, ad quod maximè pronus ſit, id agat, quod illi qui dirigentes lignum recuruum, ſic ipſum in partem contrariam deflectunt, vt reducatur tandem in medium, qui idem eſt rectitudinis, ſtatum. Et ſic ille quidem; cùm & Theophraſtus, ex Stobæo, ac Peripatetici cæteri, paria iſtis tradiderint; & Cicero quoque eorum argumenta retulerit ſatis copiosè.

De Virtutibus generatim. Lib. 2. cap. 6.

Cap. 8.

Cap. 9.

E. l. Eth.

Porrò, cùm Cicero ſubiiciat, ipſis Peripateticis Reſponderi à Stoïcis, & dicat per ſe licere, digladientur illi; Ipſe nihilominùs ſic propugnat Stoïcorum ſententiam, vt illi non potuerint acriùs Peripateticos impugnare. Ac videri quidem poſſet Epicurus circa hoc argumentum ſtetiſſe à Stoïcis, quatenus cenſendo, iuxta paulò antè deducta, Ægritudinem, Paſſionéſque alias, opinione, non naturâ conſtare, ac voluiſſe proinde videtur, abactis opinionibus, Paſſiones non ſolùm retundi, & ad medioeritatem redigi, ſed penitùs quoque ex ipſo animo aboleri: Verùm vt conſtat ex aliàs dictis, in eo imprimis diſcrimen fuit, Stoïcos inter, & Epicurum, quòd illi voluerint paſſiones eſſe ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, *in parte animi Principe*, ſiue *Rationali* (eſſe ipſas videlicet opiniones, ſiue iudicia) Epicurus autem cenſuerit eſſe τὸ ἡγεμονικὸν ἀπαθὲς, *partem Principem paſſionis expertem*, & quicquid paſſionum in animo eſt, in ipſo appetitu, ſeu parte Irrationali ſedem habere: Qua quidem in re cum Ariſtotele, Platone, cæteriſque conſenſit. Deinde in

De Virtutibus generatim.

in eo, quòd illi paſſiones omneis eodem ſenſu habuerint, contenderíntque debere ſapientem eſſe omnino ἀπαθῆ, *paſſione immunem*; ipſe paſſiones, cupiditatum nomine ſic diſtinxerit, vt inaneis quidem, ac non-neceſſarias ablegandas à ſapiente cenſuerit; at naturaleis, & neceſſarias ſic retinendas duxerit, vt in ipſis debitus modus, ſeù mediocritas ſeruaretur. Denique in eo, quòd illi ſpeciatim negârint doliturum eſſe ſapientem, aut ſe in dolore qua eſt antè dictum auſteritate habiturum; ipſe exiſtimarit id dici, ac fieri præ immoderata quadam ambitione; ac præſtabilius longè eſſe mœrore quopiam affici; & lachrymis, ſuſpiriis, gemitibúſque locum dare, quàm, quod ille ait, *ſapere, & ringi*, ac intus, & in ipſis præcordiis illa, etiam à Crantore vocata *immanitate*, torqueri. Vnde & oſtenſum ſuperiùs eſt, quemadmodum probarit potiùs hanc ipſam, qua de agitur μετριοπάθειαν, *moderationem paſſionum, ſeu affectuum*, quàm illam Stoïcorum ἀπάθειαν, *paſſionum, ſiue affectuum vacuitatem.* Vtcumque ſit; videndum paucis, quid Cicero potiſſimùm Peripateticis obiiciat.

Itaque tradita Sapientis, quam non multò antè recitauimus, deſcriptione, iſthæc ſubiungit; *Quocirca mollis, & eneruata putanda eſt Peripateticorum ratio, & oratio, qui perturbari animos neceſſe eſſe dicant; ſed adhibent modum quendam, quem vltra progredi non oporteat. Modum tu adhibes vitio? An vitium nullum eſt, non parere rationi? An ratio parùm præcipit, nec bonum illud eſſe, quod aut cupias ardenter, aut adeptus, te efferas inſolenter? Nec porrò malum, quo aut oppreſſus iaceas, aut ne opprimare, mente vix conſtes? Eaque omnia aut nimis triſtia, aut nimis læta errore fieri? Qui ſi error ſtultis extenuetur die, vt cùm res eadem maneat, aliter ferant inueterata, aliter recentia, ſapienteis ne attingat quidem omnino.* Ita Cicero: Illi verò, Neque autumabant Modum ſic vitio adhibendum, vt quadamtenus remaneret vitium; qui tuebantur eſſe virtutem eiuſcemodi medium, non quod ex refractis extremis conſtaret, vti tepidum ex calido, & frigido; fuſcum ex candido, & nigro; ſed quod conſtaret inter extrema, quemadmodum centrum inter extrema diametri; linea recta inter duas curuas; Pectus inter dextram, & ſiniſtram manus, &c. Neque contendebant vitium nullum eſſe, non parere rationi, qui volebant modum à ratione præſcribi; Neque admittebant cupiendum aliquid ardenter, aut illius adeptione efferendum ſe inſolenter, qui cenſebant ardorem omnem, omnémque inſolentiam debere ratione imperante coërceri, ac intra metas redigi; Neque negabant malum eſſe, oppreſſum iacere, aut ne iaceas, tibi non conſtare, qui ab hoc extremo exſurgendum, & ſeſe in ſtatum moderatum eſſe recipiendum ducebant: Neque non errorem putabant aut nimis triſtia, aut nimis læta fieri, qui ita errorem corrigendum eſſe ducebant, vt ne quid nimis reperiretur. Inſtat ſubinde: *In pag. 88.* *Quiſ-nam tandem futurus iſte modus ſit, ac ſpeciatim circa ægritudinem, quæ vtcumque ob vnum malum genita, temperetur, reddatúrque mediocris, tot poſſint tamen mala accedere malis, vt accedentes ex ſingulis, temperatæ licet, ægritudines, in ſummam euadant, quæ modum excedat.* Verumtamen illi Reſponſuri ſunt, ſi is, cui mala accidunt, verè ſapiens ſit, ita adhibiturum modum ægritudinibus ſingulis, vt non propterea illatum ſumma, congeriéſve modum exceedat. Quemadmodum enim, ſi aquæ mediocrem calorem habenti, accedat aqua, in qua ſit calor pari ratione mediocris; ac rurſùs alia, iterumque alia, cuius ſit quoque mediocritas; efficietur quidem aquæ moles maior, calorque euadet diffuſior; at non is tamen fiet intenſior, neque euadet denique ſummus; ita, ſi malis mala accedant, & ſingula tamen importent mediocreis ægritudines; mala quidem cumulabuntur, fiétque ægritudo dilatatior; at non fiet tamen intenſior, neque reddetur denique ſumma. Vt taceam, quicquid Stoïcus, aut ipſe quoque Cicero petiturus eſt à ratione ſubſidij, quò talis ægritudo ſit non modò non ſumma, verùm etiam nulla; idipſum ex eadem petiturum Peripateticum, quò mediocris conſiſtat, nec ſumma euadat. Pergit: *Qui modum vitio quærit, ſimiliter facere, vt qui ſe è Leucade præcipitauerit; ac ſuſtinere ſe, cùm velit, non poſſit: ſic enim animum perturbatum, incitatúmque, nec cohibere ſe poſſe, nec quo loco vult, inſiſtere omninò.* Verùm, & illi rurſùs negabunt ſe medium vitio quærere, quaſi parta mediocritate, in qua eſt virtus ſita, pars vitij remaneat: & ſimilitudinem repudiabunt, quatenus qui ſemel ſe in præcipitium coniecit, non habet vllam in ſe vim, qua poſſit caſum reprimere: at qui in perturbationem quampiam incidit, rationem in ſe habet, quæ reprimere illam poſſit, ac præſertim quidem, ſi ſapiens, virtutiſque ſtudioſus (qualis eſſe is debet, quo de loquimur) fuerit. Et Cicero quidem ſic proſequitur, quaſi in homine libertas non ſit, qua aduerſus paſſiones obortas exſurgere poſſit; ſed perſpicuum ſanè, quàm immeritò. Denique, ita quidem concludit: *Quamobrem nihil intereſt, vtrùm moderatas perturbationes approbent, an moderatam iniuſtitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem ſuſcipit vitiorum; quod cùm ipſum per ſe odioſum eſt, tùm eò moleſtius, quia ſunt in lubrico, incitatáque ſemel in procliue labuntur, ſuſtinerique nullo modo poſſunt.* Enimverò inſiſtit ſemper in eo Cicero, quod illi prorsùs non admittunt. Sic enim vrget, quaſi velint virtutem eſſe non medium inter vitia, ſed vnum vitium temperatum; ſeu, non ſedere inter extrema, ſed eſſe alterum extremum ad mediocritatem redactum; cùm videtimus tamen

Ariſtotelem

In pag. 88. Ariſtotelem tueri planè oppoſitum, dum improbando, ſi quis in adulrerio, ac ſimilibus mediocriratem requirat, perinde eſſe boc dicit, ac περὶ τὸ ἀδικεῖν, τὸ δειλαίνειν, ἢ ἀκολασταίνειν, μεσότητα, καὶ ὑπερβολὴν, καὶ ἔλλειψιν, ἀξιοῦν, *eſſe reputare mediocritatem, exceſſumque, & defectum in ipſis Iniuſtitia, Ignauia, ac Intemperantia*: quæ eſſe agnoſcis eadem tria vitia, ordinéque eodem, quo à Cicerone fuêre vſurpata.

Impugnarurus Cicero deinceps Periparericorum rariocinium, fusè imprimis ipſum deducit, dicere eos docens: *Perturbationes non modò naturaleis eſſe, ſed etiam vtiliter à natura datas. Laudare Iracundiam, cotem fortitudinis eſſe dicenteis; multóque & in hoſtem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus eſſe; leueis autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent, Prælium rectum eſt hoc fieri: conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, &c. Imperia ſeueriora nulla eſſe, ſine aliqua acerbitate iracundiæ: Eam Oratori, niſi adſit, ſimulandam; virum denique non eſſe, qui iraſci neſciat, & vocatam lenitatem eſſe potiùs lentitudinem vitioſam. Deinde, nihil poſſe quemquam ſine libidine, ſeu cupiditate quadam præclarè facere, vt Themiſtoclem, ac Demoſthenem: neque principes Philoſophiæ tantos facere progreſſus in ſtudiis ſine flagrante cupiditate; neque Pythagoram, Democritum, Platonem, terras vltimas ſine ſummo cupiditatis ardore luſtrare potuiſſe. Præterea ægritudinem non ſine magna vtilitate à natura conſtitutam, vt homines caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent; impunitatem enim peccatorum datam videri eis, qui & ignominiam, & infamiam ferunt ſine dolore: morderi eſſe melius conſcientiâ. Sic miſericordiam eſſe vtilem ad opem ferendam; ac ipſum illud æmulari, obtrectare, non eſſe inutile; cùm aut ſe non idem videat conſequutum, quod alium, aut alium idem, quod ſe. Metum denique ſi quis ſuſtuliſſet, omnem vitæ diligentiam ſublatam fore, &c.* Cùm ſint porrò multa, quæ ille regerit; Reſponſio ramen patere poteſt vel ex eo, quod ſubdit, dum: *Hæc tamen*, inquit, *ita diſputant, vt reſecanda eſſe fateantur; euelli penitùs dicant non poſſe, nec opus eſſe; vt in omnibus ferè rebus mediocritatem eſſe optimam exiſtiment.*

Nam quod obiicit, v. c. *Non viri fortis eſſe, ſed gladiatoris ſtomachari: ſine gladiatoria hac Iracundia progreſſum Aiacem depugnaturum cum Hectore; ac ſine ea fuiſſe Torquatum, Marcellum, Africanum, &c.* Reſpondebunt illi gladiatorum eſſe illâ iraſci iracundiâ, quam ipſe ſtatim pòſt rabioſam, & rationis expertem dicit; fortium autem illâ, quæ temperatior fuerir, rationémque audierit: conſtaréque de ſola priore id dici, quod his verbis inſtat: *An eſt quidquam ſimilius inſaniæ, quàm Ira? quam benè Ennius initium dixit inſaniæ? Color, vox, oculi, ſpiritus, impotentia dictorum, atque factorum, quam partem habent ſanitatis? Quid Achille Homerico fœdius, &c.* Prætereo autem quod ait, *Oratorem quidem minimè decere iraſci; ſimulare autem non dedecere*: Itemque, quod circa libidinem, ſeu cupiditatem probatam in Themiſtocle, Demoſthene, Pyrhagora, &c. dum: *Quid*, inquit, *vos ſtudia libidinem vocatis, quæ vel optimarum rerum ſunt, vt ea ſunt, quæ profertis, ſedata tamen, & tranquilla eſſe debent.* Ac rurſus, quod circa ægrirudinem: *Vtile eſſe vti eum motu animi, qui vti ratione non poteſt.* Quod verò circa Miſericordiam vrget; *Cur miſereare potiùs, quàm feras opem, ſi id facere poſſis? An ſine miſericordia liberales eſſe non poſſumus? Non enim ſuſcipere ipſi ægritudinem propter alios debemus; ſed alios, ſi poſſumus, leuare ægritudine*: Excipienr illi: Non miſerturum potiùs humanum virum, quàm opem laturum, ſed miſerturum, vt opem ferat. Effecturam miſericordiam, vt propenſiores in liberaliratem ſimus; neque eam ægritudinem à ſapienre proprer alium ſuſcipi, qua ipſe crucietur; ſed eam, quæ ſit ſenſus humanitaris lenior, & quò inductus, alium ægrirudine leuare nitatur. Ad obtrectarionem æmulationémque, quarenus riualirari ſimilis eſt, dicturi forraſſis illi aliud non ſunr, quàm quòd vtramque pro ſimplici angore non accipiant; quaſi Æmulari nihil aliud ſit, quàm angi alieno bono, quod ipſe non habeas; Obtrectare aurem, quàm angi bono, quod non ipſe ſolus, ſed alius etiam habeat; ſed pro motu quodam, cupiditatéve, qua excitetur homo ad gloriam illi æqualem, quam alius habear, vel maiorem ea, quam cum alio habeat. De Meru ſpeciale nihil obiicit: Et certè illi timiditatem quidem, ſiue merum nimium facilè improbabunr; eſſe autem non poſſe vitam ſine aliquo meru, proprer quem cautio adhibearur, variis caſibus prouideatur, &c. facillimè profectò euincenr. Denique autem ob illud ipſum, quod dictum eſt ab eo ſubdi, ita obiicir: *Nam quod aiunt nimia reſecari oportere, naturalia relinqui; quid tandem poteſt eſſe naturale, quod idem nimium eſſe poſſit? Sunt enim omnia iſta ex errorum orta radicibus; quæ euellenda, & extrahenda penitus; non circumcidenda, & amputanda ſunt.* Dicturi verò illi ſunr, narurale eſſe, quòd iraſcamur, quòd cupitaribus moueamur, quòd paſſionibus aliis afficiamur; ex errorum autem radicibus oriri, quòd iraſcamur, quòd moueamur, quòd afficiamur nimiùm. Quare & ſe; cùm iubent nimia reſecanda, iubere ea, quæ ſunr ex errorum orta radicibus, euellenda, exrrahendáque; neque improbandum eſſe, niſi ea quoque iubeant, quæ à natura implanrata euelli, exrrahique nec poſſunt, nec debenr. Cætera repetenda ex iis ſunt, quæ viſum eſt ſuperiùs ab Agellio, Lactantio, aliiſque obiici contra ἀπάθειαν Stoïcorum.

De Virtutum generatim.

HISCE vt pauca de Virtutum Connexione ſubiiciam; Vides Epicurum agnoſcere illam duplici ex capite; Vno, quia cum ipſa principe Prudentia cæteræ omnes coniunctæ

De Virtutibus generatim. ſunt, vt cum capite membra cætera; aut cum fonte riui ex ipſo manantes; Altero, quia tam Prudentia, quàm cæteræ, cum iucunda vita coniunctæ ſunt; & neque, niſi adſint virtutes, eſſe iucunda vita poteſt; neque adeſſe virtutes poſſunt, quin vita ſimul iucunda ſit. Notum proinde eſt conſequutionem de Virtutibus inter ſe connexis, trito niti Axiomate: Quæ iugata cum tertio ſunt, inter ſe quoque ſuut coniugata. Ac de capite quidem Poſteriore, nihil neceſſe eſt hoc loco dicamus; cùm res ſit ſatis intelligenda ex iis, quæ dicenda poſteriùs ſunt, circa id, quod Epicurus ait, & cuius causâ in eum declamatur: *Eſſe virtutes non propter ſe, ſed Voluptatis causâ expetendas.* Lubet heic ſolum deligere inſerereque ex Ariſtotele locum, quo is quoque ex hoc capite paria ſenſiſſe Epicuro probetur.

1. Eth. 9. *Vt in Olympieis*, inquit, *ludis, non pulcherrimi, valentiſſimique, verùm qui decertant, ac decertando vincunt, coronâ donantur; ſic in vita, qui circa ea, quæ honeſta, bonáque ſunt, rectè agunt, y præmium ferunt. Eſt autem illorum vita per ſeipſam iucunda; affici enim iucunditate ex iis rebus eſt, quæ ad animum pertinent. Et cùm iucundum cuique illud ſit, cuius amans dicitur, veluti equus amanti equos, & ſpectaculum amanti ſpectacula, hoc ſanè modo amanti iuſtitiam, ea, quæ ſunt iuſta, iucunda ſunt; ac vniuersè virtutem amanti, ea, quæ ſunt ſecundum virtutem. Et quæ apud vulgus quidem ſunt iucunda, pugnant inter ſe; quia talia reuerâ ex ſua natura non ſunt; quæ verò amantibus honeſtatem iucunda ſunt, ea ſunt naturâ ſuaptè iucunda. Huiuſmodi autem ſunt elicita ſecundum virtutem actiones, quæ proinde & ipſis iucundæ, & per ſeſe iucunda ſunt. Nullatenus itaque vita ipſorum voluptate, quaſi aliqua appendice eget; ſed voluptatem potiùs intra ſeipſam poſſidet. Quippe &, vt iam dictis hoc addam; neque eſt vir bonus, qui honeſtis actionibus non oblectatur; neque aliquis vocet virum iuſtum, quem non actiones iuſtæ delectent; neque liberalem, quem non liberales; quod idem etiam de cæteris virtutibus ſentiendum eſt. Quod ſi ita ſit, ſunt ſanè actiones ſecundum virtutem per ſeipſas iucundæ.* Ad Prius caput quod attinet, videri

2. Eth. 6. adhuc expreſſior poteſt ſententia Ariſtotelis. Nam imprimis quidem, quod Virtutem eſſe vniuersè definit: *Habitum circa mediocritatem, quam vir prudens præſcripſerit*; ſatis arguit nullam Virtutem eſſe poſſe abſque prudentia; conſtáque adeò virtutes omneis, quæ cum prudentia connexæ ſunt, eſſe quoque inter

6. Eth. 8. ſe connexas. Deinde, dubium etiam ſoluit, quo diſputare quempiam poſſe ait: Eſſe virtutes à ſe inuicem ſeparabileis; quatenus idem homo ad omneis virtutes aptiſſimus à natura non eſt; ac poteſt ideò vnam habere, cùm nondum eſt aliam adeptus. Diſtinguit nimirùm, ac docet, poſſe id quidem contingere circa virtutes naturaleis, ſeu circa virtutum quaſi ſemina, quæ à natura indita ſunt; *Siquidem*, inquit, *ad Iuſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Virtutéſque cæteras, apti, ex quo naſcimur, ſumus*: at contingere perinde non poſſe In pag. 88.
circa eas virtutes, ex quibus Vir bonus abſolutè dicitur; *Nam ſimul*, inquit, *cum Prudentia, quæ vna eſt, adueniunt omnes.* Vnde & mox antè, cùm locum illum circa Socratis opinionem concluderet, edixerat: *Neque poſſe propriè virum bonum ſine prudentia; neque prudentem ſine virtute eſſe*: Ac rursùs paulò antè, cùm eundem locum induceret, docuerat: *Rationis iudicium circa agendorum principia ab ipſa prauitate peruerti, ac falli; perſpicuumque proinde eſſe fieri non poſſe, vt prudens ſit, qui idem ſimul non ſit vir bonus.* Notandum verò Ariſtotelis diſtinctionem, tùm vſurpari poſſe ad ſoluendum, quod ipſi à Laërtio tribuitur; cenſuiſſe eum nempè *Virtutes non eſſe inter ſe conne-* Lib. 5.
xas; poſſe enim contingere, vt idem prudens ſit, ac iuſtus, qui intemperans tamen, incontinenſque ſit; tùm poſſe eandem ſic extendi, vt dicere liceat, in quibuſcumque eſſe videmus ſpecies virtutis aliquas, in quibus cæteræ non ſint; non eſſe in illis, niſi adumbratas, atque imperfectas virtutes; quatenus quas eliciunt virtutum quarùndam actiones, non animantur interno illo, atque generali honeſtatis affectu, quo anima eſſe ſic comparata debeat, vt nihil ſine ductu rationis efficiat. Quod pár eſt, ac ſi quiſpiam dicat, eſſe in illis materialem, non verò formalem virtutem; quatenus forma, ſeu perfectio, complementúmque omnis virtutis, eſt generalis illa affectio, ſeu conſtitutio animi, quâ quis niſi honeſtè, & ex virtute quicquam non agat; cùm & hac ſolâ ratione is ſit, qualem Ariſtoteles ἀγαθὸν, *Virum bonum* dicit. Certè iſtâ quoque ratione, qui eſt in re tenui, neque eſſe videtur poſſe liberalis, aut magnificus, non eò minùs eſt cenſendus habere in ſe liberalitatem, & magnificentiam; quoniam animum ſic affectum, comparatúmque obtinet, vt ſi rem illi amplifices, nihil ſit non decorè, & ex dignitate acturus. Quippè tametſi habitum magnarum largitionnm non habeat; habet nihilominus paruarum; ac vt nullius alterius rei; ſaltem induſtriæ, ſaltem officij, cuius ſe nuſquam parcum præſtet. Vnde & olim magno Regi non minùs accepta ruſtici illius munificentia fuit, qui, aliâ re non ſuppetente, aquam manibus hauſtam obtulit, quàm munificentia virorum principum inſigneis gazas offerentium.

Prætereo autem rationes varias, quas Alexander congerit, & ab illa quidem exorſus; Lib. 2. de An. c. 41.
quòd fieri non poſſit, vt Iuſtitiam, verbi causâ, habeat, qui cæteras ſimul virtutes non habet: Quoniam, ſi Intemperans fuerit, iuſtè agere deſinet, vbi aliqua voluptas eum trahet; ſi Timidus, cùm periculum imminebit; ſi Auarus, cùm lucri ſpes affulſerit; ac pari ratione de cæteris vitiis, quorum vnumquodque partem aliquam Iuſtitiæ violat, labefactátque. Prætereo illas, inquam, vti &

quòd

In pag. 88. quòd Theophraſtum in eandem citat ſententiam ; ac obſeruo dumtaxat hoc dogma de Virtutum intet ſe nexu, non ſolùm Epicuri, Ariſtoteliſque, & Sectatorum illius eſſe ; verùm eſſe quoque aliotum commune, ac Stoïcorum potiſſimùm ; tametſi illi adiungunt aliud, de Virtutum Æqualitate. Et quod ad alios quidem ſpectat ; ne Sanctos Patres memorem, ac ptæ aliis D. Ambroſium, apud quem : *Connexæ ſibi ſunt, concatenatæque Virtutes, vt qui vnam habet, plureis habere videatur.* Ac B.Gregorium apud quem *Vna virtus ſine alijs aut nulla eſt, aut imperfecta eſt, &c.* Ecce probat Plato vt Fottitudinem, ſic Virtutes cæteras eſſe cum Prudentia connexas; &, approbante Apuleio, Impetfectas quidem *Virtutes ſe comitari* negat; *at eas, quæ perfecta ſunt, indiuiduas ſibi, atque connexas eſſe.* Ac vt nomine cæterorum audiatur vnus Cicero; cùm is non vno loco : *Eſſe omneis virtutes inter ſe nexas, & coniugatas* doceat; tùm præſertim, cùm de dolote tolerando agitur, hæc habet : *Aut nulla virtus eſt, aut contemnendus eſt omnis dolor. Prudentiám-ne vis eſſe, ſine qua ne intelligi quidem vlla virtus poteſt? Quid ergo? ea patietúr-ne te quidquam facere nihil proficientem, & laborantem : An Temperantia ſinet te immoderatè facere quidquam? An coli poterit Iuſtitia ab homine propter vim doloris enunciante commiſſa, prodente conſcios, multa officia relinquente? Quid? Fortitudini, comitibúſque eius, magnitudini animi, grauitati, patientiæ, rerum humanarum deſpicientiæ, quomodo reſpondebis? Afflictus-ne, & iacens, & lamentabili voce deplorans audies; O virum fortem! Te verò ita affectum, ne virum quidem dixerit quiſquam. Aut amittenda igitur fortitudo eſt, aut ſepeliendus dolor. Ecquid ſcis igitur, ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris, poſſe habere te reliquam ſupellectilem ſaluam; virtutem autem ſi vnam amiſeris; etſi amitti non poteſt virtus; ſed ſi vnam confeſſus fueris te non habere, nullam te eſſe habiturum?* Quod dixi portò eſſe dogma Stoïcorum potiſſimùm, res videtur eſſe in confeſſo. Nam vniuersè quidem apud Laërtium ſic probant *virtutes eſſe inter ſe nexas, vt omneis habeat, qui vnam habet* : & Chryſippus ſpeciatim apud Plutarchum eſſe *virtutes connexas docet, non ſolùm quòd, qui vnam habet, omneis habeat; verùm etiam quod, qui ſecundum vnam agit aliquid, idem agat ſecundum omneis; & neque vir perfectus ſit, qui non omneis virtutes habeat; neque actio perfecta, quæ non fiat ſecundum omneis.* Seneca autem idem penè exemplum, quod Cicero vſurpans : *Cùm aliquis*, inquit, *fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortaſſe, cùm vna in promptu ſit, & maximè appareat, patientia. Cæterùm illeic eſt Fortitudo, cuius patientia, & perpeſſio, & tolerantia, rami ſunt. Illeic eſt Prudentia, ſine qua nullum initur conſilium; quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quàm fortiſſimè ferre. Illeic eſt Conſtantia, quæ deiici loco non poteſt, & propoſitum nulla vi extorquente dimittit. Illeic eſt indiuiduus ille comitatus virtutum.* Deinde hoc placitum eſt, ex quo notum eſt Stoïcos deducere illud, quo apud Plutarchum : *Neque viro malo virtutem vllam; neque viro bono vitium ineſſe vllum cenſent; ſed peccare quidem illum omnino, ac in omnibus; hunc verò rectè facere omnia.* Ac rurſùs illud apud eundem : *Quicquid facit ſapiens, omni ex virtute eum facere.* Itemque illud, quo tam apud eundem, quàm apud Clementem Alexandrinum dicunt : *Non concedere rationem ſapienti, vt vel digitum agitet fortuitò*; vt agnoſcas proinde huc reſpexiſſe Satyricum illo carmine :

In Luc. cap. 6. Lib. 22. Moral. In Protag. De Philoſ. 3. Tuſc. 2. Tuſc. Lib. 7. Epiſt. 67. De Virtutibus generatim. De aud. Poet. De fort. Alex. De commun. not. 1. Pædag. 10. Perſ. ſat. 5.

Ni tibi conceſſit ratio, digitum exſere; peccas.

Quod obiter verò inſinuaui de cohærente alio Effato, ſeu Paradoxo mavis, quo tuentur Stoïci : Eſſe omneis virtutes inter ſe æquales; res eſt ſanè trita; neque heic de ipſa quicquam attingendum, ob ea, quæ iam deduximus circa illa Epicuri Effata Stoïcis oppoſita : *Quòd Peccata ſint inæqualia : Quódque inter ſapienteis alius alio ſapientior ſit.*

Cùm ſit deinceps aliquid de ipſis Virtutis ſpeciebus dicendum; præmittenda eſt imprimis diuiſio, qua ſolet in illas diſtribui. Vt taceam itaque, quod Laërtius de Ariſtone memorat, illum ſcilicet, neque, vt Zenonem, multas induxiſſe Virtutes, neque, vt Megaricos, vnam, quæ nominibus multis vocaretur; ſed dixiſſe ſolùm, eam eſſe quodammodo ad aliquid : Itemque quod habet de Apollophane, aſſeruiſſe ſcilicet illum vnicam Virtutem Prudentiam : Conſtat vulgatiſſimam eſſe, quam Epicuro quoque agnitam iam innuimus, Virtutis diuiſionem in Quatuor ſpecies celebreis, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Iuſtitiam. Ipſe Ariſtoteles egit quidem, in Ethicis, neque vno ſanè tantum loco, de hiſce quatuor Virtutibus; Verùm ſic præterea diſſeruit de Manſuetudine, Liberalitate, animi Magnitudine, Magnificentia, Moderatione, iuſta Indignatione, Verecundia, Grauitate, Veritate ſeu Veracitate, Vrbanitate, &c. tanquam de ſpeciebus Virtutis diſtinctis; ac declinando interim earum numerum definire, præmiſit dumtaxat eum planum futurum, cùm de ſingulis diſputatum foret, cœpítque è veſtigio de Fortitudine dicere. Aut ſi eius quidem eſt, qui ipſi tribuitur, libellus de Virtutibus, numerum ſic finit, vt reſidere dicat, in parte quidem animi Ratiocinante, Prudentiam; in Iraſcente, Manſuetudinem, Fortitudinémque; in Concupiſcente Temperantiam, & Continentiam; in tota verò anima, Iuſtitiam, Liberalitatem, animi Magnitudinem; neque enim ibi enumerantur plures. Vnus locus eſt in Politicis, vbi de ciuium felicitate diſputans, videtur has quatuor ſolùm recenſere. Nam, *Nemo*, inquit, *illum dixerit felicem, in quo neque Fortitudinis, neque Temperantiæ, neque Iuſtitiæ pars vlla inſit, ſed qui muſcas prætervolanteis metuat; ac eſuriens, aut ſitiens, nulla re, etiam deterrima,*

Lib. 7. 3. Eth. 9. Lib. 7. cap. 1.

ſibi

De Virtutibus generatim. *ſibi temperet, & vel ob terunciam amiciſſimos perdat. Similitérque & quod ad mentem ſpectat, tam ſit Imprudens, & qui fallatur capax, quàm infans, aut inſanus eſt.* Ante Ariſtotelem autem Plato, tametſi viſus interdum fuerat hiſce ſpeciebus addere alias; vt cùm in Menone cohærenter enumerauit Temperantiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Docilitatem, Memoriam, Magnificentiam, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, *ac cætera id genus omnia*: quo etiam modo in Lachete, præter Fortitudinem, legimus etiam Temperantiam, Iuſtitiam, καὶ ἄλλ' ἄττα τοιαῦτα, *& quæcumque id genus alia*; Nihilominùs in Libris de Republica, Numerum Virtutum in
Lib 4. & 6. Ciuitate neceſſariarum limitarat ad haſce quatuor, Sapientiam ſeu Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam: Certè
Lib 3. & Laërtius diſtinxiſſe docens Platonem quatuor perfectæ virtutis ſpecies, tùm enumerat, tùm definit, quid illi vocetur Prudentia, quid Iuſtitia, quid Fortitudo, quid Temperantia. Deinceps quoque, licet Stoïci varij Virtutem variè diuiſerint; Poſidonius tamen inter cæteros, eadem quatuor genera ſtatuit, vt apud eundem Laërtium eſt: Vnde & Cicero videtur partim ex Platone, partim ex Stoïcis, Epicuróque ipſo ſumpſiſſe, quod
1. Offic. hac de re effatus hunc in modum eſt: *Omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in Perſpicientia veri, ſolertiáque verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendóque ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi, atque inuicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia. Quæ quatuor quamquam, &c.*

Id interim notatu dignum, quòd Virtus in Literis Sacris in hæc eadem membra diſtribuitur, vbi Virtutes eſſe Sapientiæ labores, ſeu ſtudia dicuntur: Σωφροσύνην γὰρ, inquit
Sap 8. Textus Sacer, καὶ φρόνησιν ἐκδιδάσκει, δικαιοσύνην, καὶ ἀνδρείαν, *Temperantiam enim, & Prudentiam, Iuſtitiam, & Fortitudinem docet.* Itémque, quòd cùm ſoleamus vulgò has quatuor Vir-
In cap. 6. Luc. In cap 1. Matth, loc. cit. tutes ab vſque temporibus BB. Ambroſij, & Hieronymi Cardinaleis dicere, quatenus habentur quaſi cardines, quibus aliæ omnes veluti fulciantur; id poſſit fieri factum videri imitatione Stoïcorum, qui cùm, referente Laërtio, dicerent Virtutum alias eſſe πρώτας, *primarias*, ſiue *principes*; alias ὑποτεταγμένας, *ſubiectas*, & quaſi ab iis *dependenteis*; priores quidem eſſe dixerunt Prudentiam, Fortitudinem, Iuſtitiam, Temperantiam. Poſteriores verò animi Magnitudinem, Continentiam, Tolerantiam, Solertiam, & Conſultatricem. Viſum eſt mox antè haſce poſteriores à Cicerone quidem Comites, à Seneca Ramos, priorum ſcilicet, appellari. Scholaſtici iam eaſdem vocant Parteis, eaſque triplicis generis; nempè, vt poſſint omneis virtutes, quæ inter mo-
2. 2. Qu. 48. Art. vn. raleis habentur, ad aliquod eiuſmodi quatuor generum reuocare. Ita præ cæteris D. Thomas, qui etiam hac ratione conciliat varias de numero partium alicuius virtutis ſententias, vt circa Prudentiam, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Macrobij, aliorum. Triplices autem illæ partes ſunt imprimis eæ, quæ vocantur propriè Subiectæ, ſeu ſpecies. Deinde Integrantes, ſeu quas inſtat partium totum integrum componentium, neceſſe eſt concurrere ad actum perfectum cuiuſpiam virtutis: Denique Potentiales, ſeu quæ potentiarum ipſius animæ inſtar, ſunt virtutes quaſi adiunctæ, pertinentéſque ad quoſdam ſecundarios actus, neque habentes totam virtutis præcipuæ potentiam. Sic parteis Prudentiæ Subiectas diſtinguunt, Priuatam, Oeconomicam, Politicam, Militarem, Regiam: Integranteis, Memoriam, Intelligentiam, Docilitatem, Solertiam, Rationem, Prouidentiam, Circumſpectionem, Cautionem: Potentialeis, retentis Græcis nuncupationibus, Eubuliam, Syneſin, Gnomen. Sic parteis Iuſtitiæ Subiectas, Generalem, ſeu Legalem, & Specialem; cuius ſpecies habent Commutatiuam, & Diſtributiuam: Integranteis, eaſdem cum præceptis iuris, Alterum non lædere, Ius ſuum cuique tribuere; ſiue vt verbis factis dicatur, Declinare à malo, & Facere bonum: Potentialeis, Religionem, Sanctitatem, Pietatem, Caritatem, Obſeruantiam, Obedientiam, Veritatem, Gratitudinem, Liberalitatem, Affabilitatem, Amicitiam. Sic Temperantiæ parteis Subiectas, Abſtinentiam, Sobrietatem (illam reſpectu cibi, hanc reſpectu potus,) Caſtitatem, Pudicitiam: Integranteis, Verecundiam, & Honeſtatem: Potentialeis, Clementiam, Humilitatem, Modeſtiam; itémque Manſuetudinem, Miſericordiam, Moderationem, Decorem, Studioſitatem, Eutrapeliam, ſeu Feſtiuitatem, Vrbanitatémve. Ad Fortitudinem quod ſpectat; cùm Subiectas ipſi parteis non aſſignent, propter ſpecialem admodum, circa quam verſatur materiam; Quatuor ſolùm parteis deſignant, quæ ſi ſpectentur, prout verſantur in difficiliore materia, eſſe Integrantes cenſeantur; ſi prout in minus negotij habente, eſſe Potentiales. Eas verò eſſe primò Fiduciam, ſeu Magnanimitatem dicunt; ſecundò Magnificentiam; tertiò Patientiam, ſeu Longanimitatem; quartò Conſtantiam, ſeu Perſeuerantiam; ex quibus duæ priores ad aggrediendum, duæ poſteriores ad ſuſtinendum pertineant.

In pag. 88.

DE PRVDENTIA.

HIſce præmiſſis, vt quidpiam ſpeciatim de quatuor præcipuis Virtutis generibus, déque præcipuis quibuſdam partium enumeratarum ſpeciebus dicere aggrediamur, ducendum exordium à Prudentia eſt, quam iure Epicurus, vt caput, ac fontem; ſic quaſi Reginam, atque Principem cæterarum virtutum

In pag. 88. tutum facit. Principio verò cùm ſoleant voces Prudentiæ, ac Sapientiæ eſſe pleriſque ſynonymæ; vt vel ex Platone, atque Cicerone citatis intelligitur: Ariſtoteles tamen ſic (6.Eth. 7. 1.Rhet. 11.) eas ſecernit, vt Sapientiam accipiat pro *accuratiſſima Scientiarum*, ſeu pro ſcientia *rerum honoratiſſimarum*, τῶν τιμιωτάτων; vel, vt interdum loquitur, pro ſcientia πολλῶν, & θαυμαστῶν, *rerum & multarum, & admirabilium:* Prudentiam verò pro ſpeciali virtute, quæ (6.Eth. 7.) rebus ad vitam vtilibus incumbat: *Ex quo fit,* inquit, *vt Anaxagoram, Thaletem, cæteróſque id genus viros, ſapienteis quidem eſſe dicant, prudenteis verò minimè,* σοφοὺς μὲν, φρονίμους δ᾽ οὔ, *quòd ignorare illos ea, quæ ſibi ſunt vtilia, obſeruent; callere verò interim eximia quadam, admirandáque, & difficilia, atque diuina; ſed nihilominus inutilia, prout quæ ſunt bona humana, non quærunt.* Conſtat porrò hoc quidem loco non agi de Prudentia, prout idem eſt cum ſublimi illa, ſpeculatriceque Sapientia; niſi fortaſſis quatenus eius cultus proponitur aliquibus, vt Prudentiæ priuatæ ſcopus; aut quatenus eſſe poteſt quaſi quædam fax generalioris Prudentiæ, qualis eſt Legum-latorum, virorúmque Principum; ob quam (Lib. 1.) vtramque cauſam videri poteſt Cicero in ſuo præſertim de Officiis opere habuiſſe Prudentiam ſimul, ac Sapientiam pro prima moralium virtutum (niſi quòd ſub finem libri primi Ariſtotelico penè modo diſcernit) ſed agi potiùs de Prudentia, quatenus eſt moralis virtus, quæ omneis vitæ actiones rectè moderatur, & bona à malis, vtiliáve à noxiis diſcernens, quid ſequi oporteat, fugeréve præſcribit, hominémque adeò ad benè, beatéque viuendùm inſtituit. Heinc vides quò (Ibid.) Cicero ſpectet, cùm definit Prudentiam *Rerum expetendarum ſcientiam*; & D. Auguſti- (1. De lib. arb. 13. & 83. quæſt. 31.) nus, cùm vnâ voce copioſiùs: *Expetendarum, & vitandarum* dicit. Quò item Ariſto- (6. Ethic.) teles, cùm definit: *Habitum vera cum ratione agendi circa ea, quæ homini bona, vel mala ſunt.* Vbi, quod dicit habitum agendi *vera cum ratione*, non ſic accipiendum videtur, quaſi non interdum vir prudens ratione vtatur, quæ aut falſa ſit, aut cui euentus non reſpondeat; ſed quòd vir prudens nihil agat, niſi omnibus eâ rationis trutinâ expenſis, vt pro loco quidem, ac tempore, quo deliberat, nulla ratio verior, aut veriſimilior eâ, quam ſibi ſequendam proponit, occurrat; cùm & ita affectus ſit, vt, ſi fortè verior occurrerit, eam ſit amplexurus. Quare & heinc ſolùm efficitur, vt ſit Prudentia habitus mentis, non certus, ſed coniecturalis; ac in eo differat à Scientia Ariſtotelico modo ſumpta, quòd cùm ſcientia ſit rerum neceſſariarum, & quæ ſe aliter habere non poſſunt; Prudentia verſetur in rebus contingentibus, & quæ eſſe, aut non eſſe; vel ſic iſto modo, vt alio quoque eſſe poſſint. Poſſint, inquam; neque enim Prudentia rerum impoſſibilium eſt; cùm nemo conſultet, aut deliberet de iis, quæ (*De Prudentia.*) fieri haudquaquam poſſunt: Differat verò etiam ab illo Artium genere, in quibus artifex, niſi volens, non labitur, cuiuſmodi fabrilis eſt; ac earum generi ſit ſimilior, in quibus falli artifex præter ſuam voluntatem poteſt, vt Nautica, vel Medicina: Tam enim Prudentiæ, quàm iſtis probro datur, ſi quis ſciens errauerit; cùm in illis plerumque hoc modo errare vitio non vertatur. Quod verò Ariſtoteles *bona, & mala* vocat; ita accipi quidem poteſt, vt intelligantur *fines*, & *oppoſita finium*; quaſi nimirum Prudentiæ ſit, ita agendum præſcribere, vt fineis virtutum, tanquam bonos aſſequamur; oppoſita finium, tanquam mala declinemus: Verùm debent his vocibus intelligi præſertim *Media*, quæ eatenus bona dicantur, quatenus vtilia, conducentiáque ad fineis ſunt; eatenus mala, quatenus noxia, & à finibus auertentia. Certè & Ariſtoteles ipſe paulò antè dixerat coniunctim, ἀγαθὰ, καὶ συμφέροντα, *bona, ac vtilia*; & vtcumque ſit, notum eſt Prudentiam non tam ſuos fineis virtutibus præſcribere, cùm ex ſua natura illos habeant; quàm decernere media, illis conſequendis idonea. Quippe & tametſi interdum contingat, vt de fine deliberetur; is tamen non finis abſolutè eſt, ſed reipsâ eſt medium ad conſequendum vlteriorem; qui ipſe adhuc poſſit haberi vt medium, quouſque perueniatur ad vltimum ſimpliciter, qui eſt ipſa Felicitas, de qua aſſequenda nemo deliberat, cùm nemo felix eſſe non velit; ac ſollicitus ſolùm ſit de medio, quo felicitatem poſſit adipiſci. Vnde factum eſt, vt Prudentiam talem deſcripſerimus, quæ hominem ad benè, beatéque viuendum inſtituat. Et ſane occupatur quidem Prudentia circa ſingularia; cùm eius munus ſit, occaſione quaque ſpeciali occurrente, (ſeu, vt loquuntur, heic, & nunc) dictate quid, & quomodo agendum, aut non agendum ſit: vnde & Ariſtoteles præmiſſo exem- (6.Eth. 8.) plo illius, qui præſtandæ bonæ valetudini magis conferat, ſi nôrit ſpeciatim carneis auium eſſe leueis, atque ſalubreis, quàm ſi generatim ſolùm nouerit carneis leueis eſſe ad valetudinem vtileis; ſubiicit, Prudentiam in agendo poſitam eſſe, ac dandam eſſe operam, vt vtramque, vel certè ſingularium potiùs, quàm generalium cognitionem habeamus: Verùm elucеſcit maximè Prudentia in generali quadam vitæ ratione ita inſtituenda, vt ſpeciales omnes actiones ſibi inuicem conſonent, & vniformi quodam ductu ad generalem illum ſcopum, quem diximus benè, beatéque viuere, contendant. Adeò proinde, vt cùm Prudentia definiri ſoleat *Ars vitæ*, dicatur quoque non abs re in illis Platonis definitionibus eſſe ἐπιστήμη ποιητικὴ εὐδαιμονίας, *Scientia effectrix felicitatis*; ipſéque etiam Ari- (6 Eth. 5.) ſtoteles doceat alioquin Prudentis eſſe, non ſigillatim, v. c. quæ ad ſanitatem, aut robur; ſed vniuersè: *Quæ conducant ad benè, beatéque*

De Prudent. *viuendum* (πϱὸς τὸ εὖ ζῆν) benè conſultare, ſiue deliberare poſſe.

Solent porrò aliunde tria Munera Prudentiæ generalia diſtingui, quæ in Scholis appellant Actus, accommodando ipſis treis illas, quas vocant parteis Potentialeis, Εὐβουλίαν, Σύνεσιν, Γνώμην, veluti iam attigimus; tametſi hæc tria non tam partes ſunt, quàm ipſamet munera, ſeu actus Prudentiæ; & 6 Ethic. 11. Γνώμη, ex mente ipſius Ariſtotelis, non tam eſt actus tertius, quàm ſecundi aliqua ſpecies. Vt de ſingulis tamen ordine dicamus; Primum Munus eſt Εὐβουλεύεσθαι: *Benè conſultare, Deliberaréve.* Additur autem particula εὖ, *benè*; tùm quia non quævis conſultatio, ſed quæ rectè, & quicquid decet, expendendo, inſtituitur, ad Prudentiam pertinet; cùm ſit alioquin non Prudentiæ, ſed præcipitationis, aut ſocordiæ, mittere quidpiam indiſcuſſum; tùm quia conſultatio ad Pru- 6. Ethic. 10. dentiam ſpectans, debet, vel ex ipſo Ariſtotele, eſſe quidpiam bonum, & ad bonum collineans; adeò vt, ſi quis ratione malè inſtituta, falſóque concluſa, bonum nihilominus aſſequatur, non idcircò ſit εὐβουλία, *bona conſultatio*, quoniam aſſequetur quidem, quod oportet, ſed non quâ ratione oportet. Quo modo Epicurus quoque inferiùs dicet, *præſtabilius eſſe, ratione benè inſtitutâ infelicem fieri, quàm malè inſtitutâ felicem.* Atque ex hoc capite eſt, quorſum, cùm ſpectans ad Prudentiæ virtutem conſultatio inſtitui & benè, & ob bonum debeat; idcircò ipſi, vt extremorum vnum, opponatur Πανουϱγία, *Calliditas, Aſtutia, Vafrities*, quæ nihil curat, bonis-ne, an malis artibus, ac mediis optatum finem conſequatur; vnde & fiat, vt Vafer, quandoquidem cordi probitatem non habet, neque dolúſ-ne, an virtus requirit; ſe ad Prudentem perinde habeat vt malus vir, ad bonum virum: idque atteſtante præ- 3 Offic. loc. cit. ſertim Cicerone: *Ipſam eſſe malitiam, quæ vult Prudentiam imitari.* Et diſputat quidem Ariſtoteles eſſe εὐβουλίαν aliquid diſtinctum non modò à Scientia, & opinione; ſed etiam ab Inquiſitione mediorum, à Coniectura, à Sagacitate. Verùm vtcumque ſe res habeat de duobus illis prioribus; at conſtat ſaltem conſultationem non poſſe rectè inſtitui, niſi media inquirantur; niſi quæ illa ſint coniiciatur; niſi quà lateant, & quatenus poſſint inueniri inueſtigetur. Nempè conſultatio eſt veluti examen, & diſcuſſio mediorum ad finem conducentium; vt omnibus demum expenſis, elucidatiſque, intelligi poſſit, quid ſit optimum, ac præ cæteris deligendum. Alterum munus eſt Συνιέναι, *Intelligere*, ac *dignoſcere*; ſeu, vt ſolent interpretari, *iudicium ferre, decernere, ſtatuere*, quid, præmiſſa conſultatione, facto opus ſit; ac reipsâ medium eligere, quod ſit vſurpandum. Dico autem *Intelligere* ſimpliciter, aut dignoſcere, ex mente ipſius, vt videtur quidem, Ariſtotelis, qui operosè ſatis declarans quid ſit In pag. 88 Σύνεσις, velle videtur, nihil aliud hoc nomi- 6. Ethic. 11. ne ſignificari, quàm *facilitatem intelligendi*, ſeu intelligentiam expeditam, ac promptam; idque comparatione inſtituta cum Docilitate, facilíve ipſa actione diſcendi. Quod autem ex aliorum interpretatione addo *iudicare, decernere, &c.* idcircò facio, quòd intelligi reipsâ non poſſit, quodnam medium ſit optimum, quin iudicium ſimul de eo eligendo feratur. Notandum eſt verò, cùm Ariſtoteles opponat τῇ συνέσει, *Intelligentiæ*, ſeu intelligendi facilitati, τὴν ἀσυνεσίαν, *mentis hebetudinem*, ſeu tarditatem intelligendi; hinc fieri, vt aliud Prudentiæ extremum, ipſa ſit Ἀσυνεσία, *Stoliditas*, ſeu mavis Μωρία *Stultitia*; adeò vt Ariſtotele opponente aliunde τοῖς συνετοῖς, *intelligentibus*, τοὺς ἀσυνέτους, *ſtupidos, ac bardos*, videatúrque hoc nomine opponi Prudentiæ Imprudentia; intelligi poſſit virum ſtolidum ad prudentem, ſe vt animal brutum ad Rationale habere. Vnde & cenſeri poteſt vir Prudens inter viros Vafrum, & Stupidum poſitus, conſtitutus eſſe quaſi homo inter Cacodæmonem, & Brutum.

Ad Tertium Munus quod attinet, illud videtur eſſe Ἐπιτάττειν, *Imperare*, ſeu præcipere, ac præſcribere vſurpationem delecti medij, exſequutionémve eius rei, quæ conſultatione præuiâ iudicata, decretáque fuerit. Nimi- Ibid. rùm Prudentia ex ſua natura eſt ἐπιτακτική, *ad imperandum comparata*, vt ille quidem loquitur; docendo Prudentiam in eo differre ἀπὸ τῆς συνέσεως, *ab intelligentia*, de qua mox eſt dictum, quòd iſta ſit κϱιτικὴ μόνον, *comparata ad iudicandum ſolùm.* Hinc τῆς γνώμης, *Sententiæ* loco videtur debuiſſe potiùs vſurpari ἡ Ἐπίταξις, *Imperium*, aut *Præceptio*; quoniam, vt Ariſtoteles definit, nihil eſt aliud Γνώμη, Ibid. *Sententia*, quàm κϱίσις ὀϱθή, *rectum iudicium*, ac idcircò πϱὸς σύνεσιν, *ad intelligentiam*, ſecundúmve actum, aut munus, non ad tertium pertinens. Notandum verò cùm Ariſtoteles velit σύνεσιν, *Intelligentiam* idem eſſe, quod εὐσυνεσίαν, *bonam*, ſeu *rectam Intelligentiam*; non ideò tamen velle eum γνώμην, *ſententiam*, cùm *rectum iudicium* definit, idem præcisè eſſe cum illa; ſed velle eſſe iudicium, quod in moderatiorem, mitiorémve partem propendeat, κϱίσιν nempè ὀϱθὴν τοῦ ἐπιεικοῦς, *rectum iudicium æqui bonique*; ſeu quod ex æquo, & bono fertur; quo ſenſu accipit γνώμην ἔχειν, *ferre ſententiam*, & quod εὐγνώμονας dicunt *in ferenda ſententia, æquos, & moderatos*; cùm & proinde συγγνωμονικοί, ſeu συγγνώμην ἔχοντες, *ad ignoſcendum faciles* dicantur, quaſi facilè conſentiant, faciléve de venia impertienda ſententiam ferant. Sed vtcumque hac de re ſit; cùm addi hoc loco Quartum Munus, *Exſequutio*, non ſoleat; aut ipſa debet ſub Imperio comprehenſa intelligi; aut res ſic accipienda eſt, quaſi Exſequutio ad ſpecialeis virtutes ſpectet. & Prudentia ex natura ſua *Imperatoria*, ἐπιτακτικὴ ſolùm ſit, ac aliud nihil ad ſuũ Imperium,

Digitized by Google

In pag. 88. Imperium, quàm adhibere cõſtantiam debeat.

Hæc autem cùm ſint munera Prudentiæ; conſtat requiri in animo diſpoſitiones, ac doteis quaſdam, quibus obire illa valeat. Hæ verò dotes propriè ſunt, quas ſolent alioquin dicere Parteis Integranteis: Earum enim quædam ad conſultationem ineundam, quædam ad ferendum iudicium, quædam ad imperium adhibendum referuntur ſpecialiùs; cùm & pleræque omnibus inſeruiant. Ad Conſultationem certè attinet præſertim *Αγχίνοια Solertia*, ſeu facilitas, &, vt ſic dicam, promptitudo excogitandi Media; mirórque illam prætermiſſam in facta ſuperiùs recenſione fuiſſe; neque ipſi adiunctam *τὴν Ἀγχίνοιαν Sagacitatem* ſeu facultatem ſubodorandi quà lateant, & vnde poſſint erui quæ Media alioquin in proſpectu non ſunt, nec facilè occurrunt, ac eius conditionis ſunt, ex quibus ea eſſe euentura proſpiciantur, quæ prouideri vulgò non ſolent. Ad Iudicium autem ferendum, conducunt non modò Intelligentia, ac Docilitas (quòd vtrumque parùm abeſt, quin idem ſit, quod *σύνεσις*, vt ex mox dictis colligitur) ſed etiam tùm Memoria, quæ ſubminiſtrat facta, euentáque ſpecialia, ex quibus, quaſi principiis; ſeu quaſi ab exemplo, & à pari, intelligatur ex præteritis, quid iudicandum ſit de futuris: tùm Ratio, quæ ex variis præcognitis ratiocinationem inſtituat, & quid agendum ſit, inferat, colligat, ſeu iudicium ferat. Ad Imperium verò adhibendum ſpectare poſſunt Prouidentia, Circumſpectio, Cautio. Nam Prouidentia quidem præſtat, vt Imperium feratur conſonanter ad ea, quæ prouidentur rectè ceſſura; Circumſpectio verò, vt accommodetur circumſtantiis omnibus; Cautio denique, vt accommodetur ſpeciatim declinandis, ſubmouendiſque occurſuris impedimentis. Interim autem non abs re faciunt, qui compendioſiùs, ad obeunda munera Prudentiæ requirunt & præteritorum Memoriam, & Intelligentiam præſentium, & Prouidentiam futurorum. Imprimis enim nihil eſt notius, quàm ad Prudentiam exigi Præteritorum Memoriam; Tùm quia in negotiorum ſerie, ea, quæ ſunt deinceps agenda, talem plerumque cohæſionem cum iis, quæ iam ſunt peracta tuentur, vt niſi meminerimus quid, & quomodo peractum iam ſit (vt accommodatè ad ipſum, id, quod ſupereſt, peragatur) aut iam factum infectum fiat, aut faciendum nuſquam, malève ſuccedat; Tùm quia, cùm Mens noſtra non ratiocinetur, nec iudicium ferat, niſi ex præcognitis; non poteſt ſanè quid ex quibuſdam ſeu præſentibus, ſeu futuris ſuppoſitis, euenturum ſit, iudicare, niſi quæ varia præterita ſunt ſuppoſitis ſimilia, cognôrit, ac mente prætereà tenuerit, quid ex illis euenerit. Videlicet, quaſi non poſſit firmiori inniti principiu, quàm illi: Quod ex poſitis ſimilibus cauſis, conſequuturos eſſe effectus ſimileis probabile ſit: tametſi, quia vix contingit vt vllum negotium ſit alteri penitùs ſeu ſecundum omneis circumſtantias ſimile; idcirco mente tenenda ſunt plurima negotia generatim quidem ſimilia, ſed ſpeciatim tamen variis affecta circumſtantiis, vt in ferendo iudicio haberi ſimul ipſarum quoque circumſtantiarum ratio poſſit. Ex hoc eſt proinde, cur Ariſtoteles doceat poſſe quidem Iuuenes fieri Geometras, aliiſque id genus diſciplinis eſſe inſtructos, prudenteis autem minimè; quòd verſetur prudentia quoque in rebus ſingularibus, quarum cognitio non-niſi experientiâ, vſúve ſolùm comparatur; ac ideò clareſcere ſolùm in prouecta ætate poteſt. Quare & nomine *Sapientia* intelligi vides *Prudentiam* tritis illis Afranij, qui apud Agellium ſunt, verſibus:

De Prudentia. 6.Eth.8. Lib.13. cap.9.

Vſus me genuit; mater peperit Memoria:
Σοφίαν vocant me Graij, vos Sapientiam.

Vti & apud Euripidem *ſapientius* dicitur, quaſi *prudentius* carminibus huiuſmodi:

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά, In Phœniſſ.
Ἐτεόκλεες πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.
O nate, non omnia ſenectutem mala
Eteocles, obſident; ſed experientia
Præ iuuenibus habet quid loqui ſapientiùs.

Quod videtur quidem imitatus Ouidius, dum Palladem anus habitu dicentem inducit, 6.Meta.

——Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet: ſeris venit vſus ab annis.

Deinde perſpicuum illud quoque eſt; neceſſariam omnino eſſe Intelligentiam rerum præſentium: hoc eſt naturæ, & conditionis, circumſtantiarúmque eorum negotiorum, quæ aut præ manibus ipſa ſunt, aut eiuſmodi ſunt, ex quibus alia futura dependeant. Nimirùm, Seu eueniat, vt ſit conſilium, quod dici ſolet, tanquam in arena capiendum; qui id fieri benè, ac feliciter valeat, niſi quis probè teneat omneis negotij circumſtantias; adeò vt breui quodam momento eas omneis animo percurrat, connexionéſque, & diſiunctiones eiuſce negotij cum aliis peruideat, & quid-nam ex hoc, potiuſquàm ex illo ſit conſequuturum, pernoſcat: Seu ad deliberandum tempus ſuppetat, niſi tamen nôrit naturam, ſtatúmque, & conditionem rei, qua de agitur; niſi voluntatem, & potentiam eorum, qui illi peragendæ aut prodeſſe poſſunt, aut officere; niſi ipſiùs rei dependentiam ab aliis, quæ eam promouere, retardare, aut etiam impedire valeant; niſi menſuram moduli ſui, ac humerorum propriorum vim; quid, amabo, erit, quod rectè geratur? Vt in ſpeculabilibus certè rebus temeritati vertitur, & ad pauca reſpicere, & facile tamen pronunciare: ita in rebus quoque agendis vertitur imprudentiæ, ſi qui, cùm ad pauca attendant, & multa cognitu neceſſaria prætereant, facilè

De Prudentia. tamen & decernant, & ſe ad agendum accingant. Quippe vt illi tenentur ſæpè palinodiam canere, ſic iſtos plerumque capit ſuſcepti pœnitentia. Quare & efficitur, vt quiſque ſit tantò prudentior, & ad rectè deliberandum, ſtatuendum, exſequendum instructior, quantò vt pleniorem, accuratiorémque præteritarum rerum Memoriam; ſic vberiorem, exquiſitiorémque præſentium Intelligentiam habuerit. Denique tritum etiam eſt, eſſe Prouidentiam rerum futurarum (quantum certè ab hominibus haberi poteſt) neceſſariam; ne, ſi mala ſint ſucceſſura, ipſis occaſionem faciamus; ſi bona, ea non procuremus; ac vt ſingula media ſic accommodemus ſuis finibus, vt provt coniecerimus, optarimúſque omnia ſuccedant. Dico autem, quantum prouidentia haberi ab hominibus poteſt; ſiquidem contingit non rarò, vt ea interueniant, quæ nulla valeat ſagacitas humana ſubolfacere; adeò proinde, vt & omnes habitæ coniecturæ fallant, & res ſecus eueniant, quàm vir alioquin prudens, & quanta-maxima potuerit ratione vſus, præſumpſerit. Quamobrem iſtud quidem declarat eſſe Prudentiam rem coniecturalem, ac nos interim admonet, vt memores ſimus natiuæ imbecillitatis, agnoſcamuſque Deum eſſe ſolum, qui quæ ſunt futura, certò nouerit, & caueamus à tot, ac tantis, qui diuinatrices arteis profitentur, impoſtoribus: Quod ſupereſt tamen, tria quædam ſunt, quæ præſtare Prudentia poſſit. Vnum, vt tametſi interdùm fallatur, interueniente ſcilicet caſu, cui prouidendo impar fuerit; plerumque tamen verè collineet; idque ex præſcripto rationis, cuius ductu aſſequatur ſcopum: Secùs nempè, ac Imprudentia, quæ & plerumque fallitur, & interdum ſolùm, meróque caſu ſcopum attingit. Alterum, vt Prudens incertitudinis rerum memor, nihil ſibi proponat, tanquam indubiè euenturum; ac ideò ſe in omnem comparet fortunam, prouideátque quid ſit acturus, ſi fortè res ſecus, ac veriſimile eſt eam ſucceſſuram, euenerit. Qua ſanè ratione dici poterit prouidiſſe rem non ſpeciatim quidem, ſed generatim tamen; rémque adeò illi non planè ex inopinato ceſſiſſe: Secus rurſùm, ac Imprudenti, qui vt de futuro non diffidit, ita quæ præter ſpem eueniunt, illi penitus improuiſa contingunt. Tertium, vt tametſi res præter opinionem, coniecturámque ſibi ſuccedat, non idcircò tamen pœnitentia eum ſubeat; quia ad illam ſe, niſi omnibus rationis numeris expletis, non accinxerit; quia poſitis, vt erant, rebus, & excepto caſu, quem prouidere fuerit maiùs humanâ perſpicaciâ, res minimè ſuccedere, vt ſucceſſit, debuerit: quia ſi res proinde eadem redierit, non alia inſtituenda, quàm priùs, deliberatio fuerit: Idque demùm ſecus, ac Imprudenti euenit, quem Pœnitentia ideò excruciat, quòd re malè, ac præter ſpem ſuccedente, intelligat illam idcircò ſic ſuccedere, quòd ea non proſpexerit, quæ proſpici potuerant, niſi egiſſet temerè ac, ſi vt par fuerat, attendiſſet. *In pag. 88.*

Vt verò etiam de partibus Prudentiæ ſubiectis aliquid dicamus; meminimus iam tritæ apud Scholaſticos diuiſionis, qua vulgò conſtituuntur quinque: Privata (quam & Monaſticam, ſeu Solitariam nominant) qua priuatos mores quiſque moderatur; Oeconomica, ſiue Familiaris, qua quis moderatur familiam: Politica, quam tribuunt ipſis ſubditis, provt viuunt congruè legibus ciuitatis: Militaris, qua quis regit exercitum; & Regia, qua quis ciuitatem, ſiue populum vniuerſum. Ipſe autem Ariſtoteles *6. Eth. 8* Prudentiam in parteis diſtribuens, Militaris non meminit, quaſi ad Politicam ſpectet (idque non minùs profectò, quàm ea, quæ Militari oppoſita, appellari Togata poſſit) non item Regiæ, quaſi ad eandemmet Politicam pertineat; verùm poſt Priuatam (cui attribui dicit commune nomen Prudentiæ) & ipſam Oeconomicam; Politicam ſolam agnoſcit (ac ipſam non in ſubditis, quorum non Prudentiam, ſed opinionem eſſe vult, verùm in iis ſolum, qui præſunt) tametſi illius duos gradus diſtinguit. Quippe quandam partem eius nobiliorem eſſe Legiſlatricem dicit, quæ Legiſlatoris ſolius ſit propria; quandam verò minus præcipuam ac Politicæ nomen retinentem, quæ ſit in ipſis Rectoribus, quatenus ciuitatem populúmve ſecundùm leges moderantur; idque, ſeu conſultando, prouidendóve; ſeu ius dicendo, dirimendóve liteis. Vnde & Legiſlatorem cum Architecto comparat, & ipſos rectores, adminiſtratoréſve Reipublicæ cum operariis, quòd ille, Architecti inſtar, præſcribat, non agat; iſti, vt operarij iuxta præſcripta res adminiſtrent. Ariſtoteleâ ergo diuiſione, vt commodiſſimâ retentâ, obſeruo dumtaxat circa Primam ſpeciem, non eſſe reputandum eam dici Priuatam, itemque *μοναστικὴν*, ſiue *Solitariam*, quaſi ſpectet præciſè ad hominem, qui priuatam vitam ſectetur, neque publicæ rei ſe immiſceat; aut qui etiam degat ſolitariam, omnémque humanam ſocietatem fugiat, veluti Eremites: ſed rem accipi ſic debere, quòd hominum quiſque, quacumque conditione ſit, præditus eſſe debeat priuata quadam, & ad ſe ſolùm pertinente Prudentia; adeò vt, tametſi alios etiam regat, ſeſe ipſum tamen ſpeciatim, ex præſcripto rationis regat, ſibique ipſi ita prouideat, vt in ſeipſo euadat benè, laudabilitérque moratus. Ex quo fit proinde, vt & Pater-familias, & Princeps quoque pollere hac Prudentia debeat; quatenus eſſe vterque debet non alieni modò peritus, ſed proprij etiam regiminis; ac non modò eſſe rector bonus, ſed etiam vir bonus tenetur. Fit etiam, vt intelligatur, quamobrem ſpecies iſta Prudentiæ appellari non tam Priuata, ac Solitaria

In Pag. 88. taria ſoleat, quàm Ethica, ſiue Moralis; quatenus ipſa eſt, quæ mores vniuſcuiuſque inſtituere, & ad rationis normam reddere compoſitos debet. Huc proinde ſpectat, quòd libri Ethici, Moraléſve inſcribi ſic ſolent; quódque Euſtratius Nicomachios explanaturus proponit initio diuiſionem Actionis, quæ ſit generatim Actiuæ Philoſophiæ ſubiecta materies, in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam; ac eſſe Proprium Ethicæ docet: *Vt circa hominem ſingularem ad ipſum meliorem reddendum verſetur, adeò vt ille Moralis diſciplinæ præceptionibus obſequens, honeſtus, probuſque euadat, prudenter videlicet viuens, & propria ratione in iram, cupiditatémque dominatum obtinens; earum motibus modum ponens; neque ipſas ferri temerè permittens. Vnde & in illo proinde conſtituatur habitu, vt ſi quid egerit, ſit paratus, quamobrem illud egerit, congruam rationem reddere; ac tametſi nemo eam roget, ipſe ſemetipſum caſtiget, expendens vt ſe habeant, ac in ſe inquirens, ne quando ab officio diſcedat, poſſit in ſingulis, quæ agit, illud Phocylidis vſurpare,*

Quanã tranſilij? quid feci? quid boni omiſi? *&, ſi recto vſus iudicio, deprehendat ſe inter agendum bono hærere; tùm ſe id, quod decuit, amplexum, lætetur; ſin perſentiat ab eo ſeſe interdum excidere, doleat, &c.*

Cùm Priuatæ porrò huiuſce Prudentiæ duplex vniuersè ſit Munus; Vnum, deligere vitæ genus, ac ſe in eo ſtatu conſtituere, in quo tota deinceps vita tranſigatur; alterum, omneis vitæ actiones in eo genere, ſiue ſtatu vitæ, ex rationis præſcripto, & ad virtutis normam componere; videtur ſanè Prius illud diſficultatis imprimis plenum. Ac non attinet quidem ipſum illos, qui ex conditione naſcendi, præſcriptum vitæ genus habent; cuiuſmodi antiquitus erant apud pleroſque Orientalium Philoſophi, Agricolæ, Paſtores, Artifices, Milites, ordineſque cæteri, quorum ſic addictæ certis familiis functiones erant, vt tranſire nemini in alterius functionem liceret; ſed qui nati erant, v.c. ex Philoſophis, ij ſoli, ac ſolùm philoſopharentur; qui ex Agricolis, ij ſoli, ac ſolùm Agriculturam exercerent; atque ità de cæteris, vt ex Diodoro Siculo, aliiſque intelligi poteſt: Quo modo ſunt quoque etiam-num, inter cæteros, illi Principes, qui in purpura, & vt ſceptra teneant, naſcuntur; aut quos adhuc iuniores, rerúmque inexpertos ipſi parentes deſtinant, contrudúntque certum in ſtatum; aut quibus facultas nulla ſuppetit ſupra conditionem parentum ſuorum emergendi: Verùm attinet illos, qui aut ſui ſunt iuris; aut ex parentum, Principúmque licentia eius libertatis, vt deligere, complectíque id, quodcumque voluerint, poſſint. Dico autem diſficultatis plenum; ſed reſpectu illorum ſiue adoleſcentum, ſiue Iuuenum, qui, niſi & propria ratione audita, & conſiliis etiam ſapientum amicorum adhibitis rem deliberare, decernetéque non ſuſtinent: Nam qui alioquin temerè, inconſultóque ſe in ſtatum coniiciunt, quem paſſionis cuiuſpiam grauis illecebræ perſuaſerint, ij deinceps quidem difficultates experiuntur, dum pœnas luunt temeritatis; at eæ non ſunt, quæ aut prouiſæ, aut debitè expenſæ arduam fecerint deliberationem. Quod cæteris autem difficultatem facit, ipſa eſt & vitæ, & rerum humanarum conditio; cùm in quemcunque demùm ſtatum coniecerimus oculos, plurima ſtatim incommoda, quæ illi ſubſint, prouideantur, mentémque tantò diſtrahant magis, quantò ſpeciatim internoſci, cuiuſmodi ſint futura, non poſſunt, ac ſolùm intra quoddam quaſi chaos apparent; eorumque, vt origines, ſic conſequutiones, non-niſi confuſione quadam impenetrabili obuelantur. Id variè, ex ſuperiùs dictis, antiqui Græci adumbrârunt, imitatuſque eſt ex Latinis Auſonius celebri illo Eidyllio: *De Prudentia.*

Quod vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora; ſi curis domus anxia; ſi peregrinos
Cura domus ſequitur; mercantem ſi noua ſemper
Damna manent; ceſſare vetat ſi turpis egeſtas,
Si vexat labor agricolam; mare naufragus horror
Infamat, pœnæque graues in cælibe vita;
Et grauior cautis cuſtodia vana maritis;
Sanguineum ſi Martis opus, &c.

Enimverò, cùm nihil ſit miſerius, quàm in incerto ſemper fluctuare, &, quod euenire pleriſque videmus, totam vitam tranſigere, conſultando, qua ratione, aut in quo ſtatu ſit tranſigenda; ideò incumbit vnicuique rem maturè deliberare, ac eum ſtatum deligere, non in quo nulla, ſed in quo pauciora, minoráque incommoda proſpiciat. Ac negligendum ſanè non eſt eorum amicorum conſilium, qui ſint, vt prudentes, rerúmque periti, ita viri boni, & qui nihil in ſe ipſos, vtilitatémve ſuam reſpectantes, conſilium dent; ſed debet etiam vnuſquiſque indolem ſuam conſulere, agnoſceréque quid vires propriæ ferre recuſent, aut valeant; quippe cùm meliùs nemini, quàm ſibi eſſe notus debeat, ac in ſe ſemper quidpiam agnoſcat, quod ferè lateat cæteros. Quod ſupereſt autem, pernôrit oportet, eam eſſe humanarum rerum inſtabilitatem, eam futuri caliginem, vt omni penè in negotio aliquid fortunæ committendum ſit, precandúmque, vt benè vertat. Et cùm aliqua occurrere poſſint, quæ locum pœnitentiæ valeant facere; præmunire ſe eo animi vigore debet, vt ea parui-faciat, leniterque ferat, & quaſi inoffenſo pede tranſgrediatur. Atque hæc quidem circa eum ſtatum, quem commutare leges prohibeant, cuiuſmodi eſt apud nos Coniugium, Religioſa profeſſio, Sacerdotalis cœlibatus, &c. cuique profectò ſuppar eſt, quem commutare, niſi in peiorem, aut, niſi cum probro, non liceat: Nam quod alioquin ad eum ſpectat, ex quo facere in alium licet tranſitum, non egei res

Lib. 1. & 2. (margin note beside "doro Siculo")

2. Prudentia. ſanè molimine tanto. Quamquam & is ita deligendus eſt, ac ſi illi ſit hærendum conſtanter (alioquin enim cogitatio de eo commutando ſubit facilè, animúmque adeò in varias cogitationes ſic diſtrahit, vt nunquam ſibi ipſi conſtet, tranquillitatémque amittat, déque eo dici illud valeat, quod iam citatum ſuperiùs eſt,

Horat. *Æſtuat, & vita diſconuenit ordine toto*)

& non eſt vnquam, niſi ob cauſas admodum graueis deſerendus; nam ſi ob leueis quidem, quæ leuitas eius fecerit faſtidium, faciet breui & ſuccedentis.

Ad Poſterius munus quod ſpectat, tùm ipſum diſtinctum non eſt à muneribus aliarum virtutum, quibus, vt conſtat, interuenit; tùm proinde non eſt quamobrem heic ſpeciatim edisſeratur; cùm etiam alioquin res eſſe videatur tam infinitæ varietatis, quàm ſunt & negotia, & actiones vitæ, quæ prudentiâ dirigi debent. Quare & huc ſolùm ſpectare videtur Regula illa generalis, NIHIL AGGREDI TEMERE, ſeu, *cuius cauſam probabilem*, vt Cicero habet, *reddere non poſſis*; (1.Offic.) ita vt hæc ſint quaſi illius membra: Primum, vt ingenium, conditióve negotij, quod ſuſcipitur agendum, noſcatur; idque non ſuperficie tenus, verùm intimè; quoniam, ſi latebroſum ſit, non poſſunt illi congrua adhiberi conſilia; & quod imperſpectum ex eo fuerit, omnem diligentiam facilè eludet. Vnde & cauendum præ cæteris eſt, ne aliqua animi paſſio offundat menti caliginem, faciátque, vt fucus pro veritate ſit, obſtétque ne rei pretium conſentaneum tribuatur. Secundum, vt indoles eorum, quibuſcum eſt negotium peragendum, non lateat; quoniam niſi perſpectum ſit, quam probi, doloſive ſint; quàm circumſpecti, imprudentéſve: quàm potentes, aut imbecilli, &c. nihil eſt, quod tutò ſuſcipi, aut ſperari meritò poſſit. Quo loco danda eſt opera, vt congrua quædam mediocritas inter confidentiam, diffidentiámque nimiam teneatur; quandò vt plerumque nimiùm fidere, ſic plerumque nimium diffidere nocet. Tertium, vt vires propriæ expendantur; quia, niſi cognitum ſit, quid aut per ſeipſum, aut per amicos, aut per opes proprias liceat facere; nihil eſt, quod ſibi de ſiue obtinendo polliceri liceat. Et fortunæ quidem dandum aliquid; ſed interim tamen ſuppetere induſtria, & facultas debet aut promouendi, aut diuertendi quas ea obtulerit occaſiones. Quartum, vt ſit modus agendi in promptu; cùm nihil ſit abſurdius, quàm rem aggredi, ac deinceps de modo progrediendi ſollicitum eſſe. Refertur autem huc præſertim circumſtantiarum notitia, quæ ſeu ex parte rei, ſeu ex parte agentis promouere, retardaréve ipſam exſequutionem poſſunt. Quintum, vt præ cæteris, temporis occaſio debitè captetur; ne ſi, aut præcipitando anteuertatur, omnia ſuſque, déque perturbet; aut cunctando prætermittatur, omne conſilium irritum faciat. (In pag. 83.) Sextum, vt negotio, non ſine matura deliberatione, ſuſcepto inſtetur; ne, ſi animus exſequendo fluctuet, ipſamque deliberationem veluti recoquendo, nutet, nihil ſit, quod ad finem perducat; vnde & celebre eſt illud Biantis: *Aggredere tardè, agenda; ſed aggreſſus, age conſtanter.* Poſtremùm, vt menti conſtanter inſideat, quacumque ſe demùm ingerente occaſione, à recto virtutis tramite non diſcedere; & datâ, vt ſæpè contingit, optione, nunquam honeſto vtile, æquo iniquum præhabere; quòd præſtet ſemper negotium malè, ſaluâ conſcientiâ, ſuccedere, quàm profligatâ, ſuccedere ex voto; neque ille ſit habendus infelix, qui ſibi benè conſcius eſt; aut ille felix, qui conſcius malè.

Non eſt verò prætermittendum, Prius caput quod attinet, improbari in Epicuro ſolere, non modò quod ſpeciatim ait, vt iam ſuperiùs ex Plutarcho, & Stobæo retulimus: *Iis, qui ſuapte naturâ ambitioſi, gloriæque appetentes ſunt, non eſſe quieſcendum, ſed publicæ adminiſtrationi, actuoſæque vitæ ſe dedentibus, naturæ obſequendum*; (De an. tranq. Sect. 29.) verùm etiam quod generatim ſuadet ſuam vnicuique ſequendam naturam; quod longâ ſatis inductione Lactantius illi obiicit. At verò, quatenus nos quoque illi ſuccinere viſi ſumus, quæſo, cùm natura, indoleſque in variis hominibus ſit tam varia; cùm ad eadem munia aptiſſimi alij, alij ineptiſſimi ſint. Ecquodnam dari, vt generalius, ita tutius conſilium poſſit, quàm vt quiſque ſe conſulat, & ſui ipſius deſtinationem, quatenus erit ad aliquid ſeu aptus, ſeu ineptus, faciat? Niſi fortè quis debeat in re tanti momenti, ſuiipſius, hoc eſt, naturæ, viriúmque ſuarum obliuiſci, ac neceſſitatem ſibi facere, Siſyphi inſtar ſemper nixandi, neque hilum proficere, aut Gigantum more pugnare cum Diis; (Cicer. de ſen.) quod ille quidem interpretatur nihil eſſe aliud, quàm naturæ repugnare? Periculoſa ſanè ambitio, quâ quiſque facilè ducitur excellendi ea in re, quâ alios factos videt illuſtreis; tametſi plerumque deſtituatur iis non modò naturæ, ſed fortunæ etiam dotibus, quibus alij fuerint euecti. Quo etiam nomine parentes liberos perſæpè faciunt miſeros, dum eos ad munia deſtinant, non illorum ſanè indole, aptitudinéque ſpectatâ (neque attendendo proinde ad id, quod à Cornelio Nepote eſt dictum: (In vit. Att.) *Suos cuique mores fingere, conciliaréque fortunam*) ſed ambitione, quâ efferuntur prouehendi illos ſupra ſuam ſortem. Hinc de Lactantio priuſquàm dicatur, audire id lubet, quod hacce de re habet Seneca: *Ante omnia*, inquit, *neceſſe eſt ſeipſum æſtimare; quia ferè plus nobis videmur poſſe quàm poſſumus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur; alius patrimonio ſuo plus imperauit, quàm ferre poſſit: alius infirmum corpus laborioſo oppreſſit officio. Quorundam parum idonea eſt verecundia* (De tranq. an. c. 4.)

Digitized by Google

In pag. 28. *dia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem deſiderant; quorundam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in poteſtate, & illos ad temeraria verba qualibet indignatio effert. Quidam vrbanitatem neſciunt continere, nec periculoſis abſtinent ſalibus. Omnibus his vtilior negotio quies eſt: ferox, impatienſque natura irritamenta nocitura libertatis euitet.* Lubet &, quod habet etiam Cicero: 1. Offic. *Admodum*, inquit, *tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria; quò faciliùs decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, vt contra naturam vniuerſam nihil contendamus; eâ tamen conſeruatâ, propriam naturam ſequamur; vt etiamſi ſint alia grauiora, atque meliora; tamen nos ſtudia noſtra naturæ regulâ metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud; ideò, quia nihil decet inuitâ, vt aiunt, Mineruâ, id eſt, aduerſante, & repugnante naturâ, facere. Omnino, ſi quicquam eſt decorum; nihil eſt profectò magis quàm æquabilitas vniuerſæ vitæ; tùm ſingularum actionum, quam conſeruare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Vt enim ſermone eo debemus vti, qui notus eſt nobis, ne (vt quidam) Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur; ſic in actiones, omnémque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus.* Et Paulò pòſt: *Quæ contemplantes*, inquit, *expendere oportebit quid quiſque habeat ſui, eáque moderari, nec velle experiri quàm ſe aliena deceant. Id enim maximè quemque decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acrémque ſe & vitiorum, & bonorum ſuorum iudicem præbeat; ne Scenici, pluſquàm nos, videantur habere prudentiæ; illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt.* Et ſic quidem ille.

Lib. 3. cap. 17. En iam quid obiiciat Lactantius: Poſtquam enim præmiſit *Epicuri diſciplinam multò celebriorem ſemper fuiſſe, quàm cæterorum; non quia veri*, inquit, *aliquid afferat; ſed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat; nemo enim non in vitia pronus eſt*; Sic pergit: *Propterea, vt ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquitur. Deſidioſum vetat literas diſcere; auarum populari largitione liberat; ignauum prohibet accedere ad Rempublicam, pigrum exercere, timidum militare. Irreligioſus audit Deos nihil curare; inhumanus, & ſuis commodis ſeruiens iubetur nihil cuiquam tribuere; omnia enim ſui causâ facere ſapientem. Fugienti turbam ſolitudo laudatur; qui nimium parcus eſt, diſcit aquâ, & polentâ vitam poſſe tolerari. Qui odit vxorem, huic enumerantur cœlibatus bona; habenti malos liberos, orbitas prædicatur; aduerſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturæ. Impatienti, ac delicato, dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur. Forti, etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem. Qui claritati, ac potentiæ ſtudet, huic præcipitur Reges colere; qui moleſtiam ferre non poteſt, huic Regiam fugere. Ita homo aſtutus ex variis, diuerſiſque moribus circulum cogit; & dum ſtudet placere omnibus, maiore diſcordia ſecum ipſe pugnauit, quàm inter ſe vniuerſi.* De Prudentia. Hucvſque Lactantius: Verùm vt pauca de his dicamus; Illud obſeruari generatim poteſt, non tam hæc omnia agnoſcenda pro Epicuri placitis eſſe, quàm pro conſequutionibus ex eo principio à Lactantio deductis: Quod quiſque ſuam ſequi naturam, eâque repugnante (quod dicitur vulgò, inuitâ Mineruâ) facere nihil debeat. Tametſi enim aliquæ ſunt, quas pro Epicureis agnoſcere nihil prohibet; & ipſæ tamen detorquentur, alióque affectu, quàm qui Epicuri fuerit, deducuntur; & aliæ ſunt, quas Epicurus perperàm planè inferri cenſeat, neque pro ſuis ſit agniturus.

Heinc, vt ſingula obiectionis capita paucis percurramus: Quod dicitur primò Epicurum *vetare deſidioſum literas diſcere*; Notum eſt profectò ex ſuperiùs dictis, liberale ſtudium literarum ab eo non reprehendi; cùm etiam in illorum gratiam, qui iis ſunt immerſi, quibúſque proinde non vacat vniuerſas de Phyſiologia commentationes perſpicere, compendia illius quædam contexuerit. Verùm, cùm ad literas, ſeu liberaleis diſciplinas præclarè callendas improbo labore ſit opus; quid mali eſt vetare illum, qui laborem iis capeſſendis neceſſarium ferre non poſſit, aut nolit, ad illas accedere; cùm acceſſurus fruſtrà ſit, fruſtráque exſpectaturus ſomnia, qualia Heſiodus, Enniúſque ſibi contigiſſe fabulati ſunt, vt Poëtæ repentè prodirent? Recitauimus iam ſuperiùs celebre illud ex Epicharmo:

Labore nobis cuncta Dij vendunt bona.

Quantò verò magis bonas literas, quæ vt nullo auro æſtimari; ſic neque auro, neque alio pretio, quàm labore ſolo comparari poſſunt? Quàm ſatiùs verò foret permultis, qui niſi perfunctoriè non ſectantur literarum ſtudia, parere Epicuro, ac ſe aliis rebus, quibus eſſent comparatiores, dedere? ſic nempè illis tempus non iret incaſſum, quod ſibi poſteà miſerè periiſſe ſint conqueſturi. Quod *auarum populari largitione liberare*; intelligi ſanè non poteſt, liberalitatem damnare, improbaréve eas impenſas, quæ in legitimos vſus fiunt; ſed ſolùm eſſe Author, vt ſi quis timeat, ne quando egeat, is bona ſua non profundat, neque iis vtatur largitionibus, quæ ſolos decent principes, eóſque, quibus ſemper ſupereſt abundè. Poteſt certè nomine eodem intelligi etiam Prodigalitas, quâ, vitioſa cùm ſit, non auarus modò, ſed etiam, qui habetur liberalis, eſt eximendus. Præterea autem, quàm auarus, pecuniarúmque appetens iuxta Epicurum eſſe non poſſit, cui aqua, & polenta ſint magnificæ, regiæque diuitiæ. Quod *prohibere Ignauum accedere ad Rempublicam*; tùm declaratum ſuperiùs eſt, tùm etiam poſteà reſumetur. Quod *Pigrum*

exerceri;

Digitized by Google

De Prudentia. *exerceri*; non poteſt ſanè aut ſuadere illiberale otium, aut ne quis quid agat in vita; ſed ne exercitationes illas laborioſas, & contentionis plenas, quales Athletarum ſunt, is affectet, qui à natura comparatus ad ipſas non eſt; interim verò id genus vitæ ſectetur, quod tranquillius ſit. Quod *militare timidum*; quî probari non debeat? quaſi verò ad militiam delectus habendus non ſit, iique ad bellandum innitandi ſint, quibus ad quemvis ſtrepitum, animus ex corde, rubor ex facie, telum ex manu excidat? Notum eſt certè vel vnicum meticuloſum militem plus ſæpè nocere exercitui Panicis ſuis terroribus, quàm aliquot boni, fortéſque ſuâ proſint fidentiâ. Ac fortaſſis quidem oppones debere potiùs timidum ad fortitudinem inſtitui; at notum ſanè, ſi à natura is fuerit huiuſcemodi, quantæ difficultatis ſit leonem, quod aiunt, ex lepore, aut lanceam facere ex thymbra. Quod *Irreligioſum audire Deos nihil curare*: Peccatum quidem inexcuſabile, & fuſè ſuperiùs refutatum fuit, quòd Epicurus Deum res humanas non curare cenſuerit: at non ideò tamen debere eſſe hominem irreligioſum docuit; qui, vt in Apologia oſtendimus, voluit Deum coli, vt parentem; ac non vt accepto, ſperatóve ab illo, bono aliquo; ſed propter maieſtatem eius eximiam, ſupremámque naturam. Quod *iubere inhumanum, & ſuis commodis ſeruientem nihil cuiquam tribuere*: hæc præ cæteris, vna eſt ex conſequutionibus inuidioſis, quæ à Lactantio deducuntur. Neque enim Epicurus, cuius ex eadem Apologia, ſingularis fuit φιλανθρωπία πρὸς πάντας, *erga omneis humanitas*, approbare potuit eſſe aliquem inhumanum; quaſi talem eſſe ſecundùm naturam ſit: cùm nihil eſſe magis aduerſum naturæ humanæ, quàm natura non humana; aut humanitati, quàm inhumanitas valeat. Quod id verò alioquin deducitur ex eo principio: *Facere Sapientem omnia ſui cauſâ*: oſtenſum eſt ſuperiùs, etiam ſui cauſâ facere Sapientem, cùm pro amico moritur; quantò autem poteſt magis cenſeri facere ſui cauſâ, dum cætera quod attinet, id quod ſuum eſt, cuique tribuit, cùm nihil ſit, quod tribuere ipsâ vitâ carius, pretioſiúſque poſſit? Quod *fugienti turbam, laudare ſolitudinem*, quî reprehendi quæſo debeat, niſi tot ſimul reprehendantur, non modò plurium ſigillatim magnorum virorum receſſus; verùm etiam plurium Philoſophicarum, Religioſarúmque Societatum inſtituta, quæ, vt colendo animo vacent, multitudinem conſultò deuitant? Quod *nimis parcum diſcere aquâ, & polentâ vitam poſſe tolerari.* Verum quidem eſt docere Epicurum tolerari vitam aquâ & polentâ; at inuidioſum eſt, quòd id nimis parco ſic accommodetur, quaſi idcircò Epicurus parcitatem nimiam probarit, aut illi dumtaxat conuenire vſum aquæ, & polentæ cenſuerit: cùm viſum tamen iam antè ſit, placere ipſi ſuauiſſimum eſſe, etiam in media opulentia ſeſe ad iſta reducere; ac illum magnificentiâ ſuauiſſimè frui, qui proinde intelligit ſe magnificentiâ minimè indigere. In pag. 88. Quòd *auerſanti vxorem, laudare cœlibatus bona*; id tùm iam ſuperiùs declaratum eſt; tùm eſt eiuſdem censûs cum eo, quod dictum mox eſt de ſolitudine laudata. Inuidioſè enim alioquin ſit factum, ſi illud: *Qui odit vxorem*, de iam ducta accipiat; quaſi cœlibatus laudetur, vt ſe ab illa eximat; Cùm idem ſit quoque circa id dicendum: Quod *habenti liberos malos, prædicetur orbitas*; quaſi exinde illos eſſe de medio tollendos inſinuet. Nempè aliud nihil voluit Epicurus, cùm & cœlibatum laudauit, & orbitatem prædicauit; quàm attendendum eſſe, dum quis de coniugio deliberat, quâ ſit ratione toleraturus, ſi & fuerit vxor moroſa, & liberi malè morati; vt ſi quæ fuerit incommoda exinde perpeſſurus, timeat; intelligat eſſe non incommodum vxore, & liberis carere. Quod *aduerſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturæ*; eodem penè ſenſu inuidioſum eſt; quaſi nempè exinde ſollicitetur filius, vt patrios in annos ante diem inquirat, cùm ea tamen ſolùm mens eſſe Epicuri potuerit, vt declararet quemadmodum amor & parentum in liberos, & liberorum in parentes, poſſit aliam quoque habere cauſam, quàm naturam; quod paulò pòſt dicendum eſt. Quod *impatienti, ac delicato, dolorem eſſe maximum malorum*: eodem cenſu haberi poſſet, quaſi deſperationem ſuaderet; niſi etiam eò poſſet tendere, vt qui doloris ſatis patiens non eſt, non temerè ſibi dolorem accerſat. Quod *forti, etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem*, id nihil non laudabile habet, ac fuſè ſuperiùs expoſitum eſt. Quod *illi demùm; qui claritati, ac potentiæ ſtudet, reges colere; illi autem, qui ferre moleſtiam non poteſt, regiam fugere præcipiatur*; id ſuperiùs quoque declaratum fuit.

Circa OECONOMICAM Prudentiam, quæ vel ex ipſa vi nominis, in adminiſtratione domus, familiariſque rei verſatur (vnde & non deſunt, qui *domeſticam, familiarémque* interpretentur) non eſt, quòd multùm immoremur; cùm, priuatâ ſuppoſitâ, videatur de ea dici vniuersè poſſe, quod de eius parte ad agriculturam ſpectante refert Socrates In œconom. 1. apud Xenophontem, dictum ſibi fuiſſe ab Iſchomacho; rem ſcilicet eſſe, quam addiſcere operoſum non ſit, ſi quis modò partim videre exerceнteis, partim audire docenteis ſuſtineat. Ne penitùs tamen intactam ſinamus, tùm propter effatum, quo Epicurus cenſuit *Sapientem*, (vt ſuperiùs iam viſum eſt) rei familiaris curam habiturum (ſed citra diteſcendi cupiditatem tamen) tùm, vt poſſimus hoc quoque loco quidpiam ex iis attingere, quæ etiam ex hoc capite aduerſus Epicurum vrgentur: Illud imprimis notandum eſt, quod

apud

In pag. 88. 1. Oeconom. 1. 1. Polit. 7. apud Ariſtotelem legitur non ſemel: Eſſe œconomicum, domeſticúmve Imperium, *Monarchiam quandam*, ſeu *ſingularem Principatum*, μοναρχεῖται γὰρ πᾶς οἶκος, quòd omnis domus alicuius vnius regimine adminiſtretur. Cùm loquamur autem de ea præſertim, quæ καθ' ἐξοχὴν Domus, ſiue Familia appellatur, naturaliſque, & ex primæva naturæ inſtitutione eſt; & cui cæteræ domus, ſeu familiæ, ex hominum ſponte coëuntium multitudine, atque ſocietate conſtantes, conſormantur quadamtenus; adnorandum præterea eſt, ſolere illum qui ipſi præeſt, triplicem, aut quadruplicem, pro varietate rerum, quibus præeſt, ſortiri denominationem. Nam reſpectu quidem liberorum dici ſolet Pater, & cum adiuncto, Pater-familias (nimirùm, quaſi, cùm familia nomen habeat à famulis, famulitióve, idem gerere erga omneis; qui in domo ſunt, paternam quodammodò curam debeat; propterea enim dicuntur omnes iuxta Charundam ὁμοσίπυοι, quaſi *Conuictores*, & iuxta Epimenidem ὁμόκαπνοι, quaſi *communi foco, laréve viventes*) reſpectû verò vxoris dicitur Maritus, aut Vir; reſpectu ſeruorum, famulorúmque Herus, Dominúſve; reſpectu poſſeſſionis, rerúmve poſſeſſarum, κτήτωρ, Poſſeſſor, ſeu facultatum Dominus. Quod dixi autem obiter hanc domus, ſeu familiæ ſpeciem, & naturalem, & ex primæva naturæ inſtitutione eſſe, probatione ſanè non eget; ac potiſſimùm quod ad viri, fœminæque, & parentum, ac liberorum ſocietatem attinet; quippè cum vlla eſſe magis ſecundum naturam non poſſit. Quod ſpectat verò ad ſocietatem, quæ herum inter, ſeruúmque
1. Polit. 3. eſt; declarat Ariſtoteles eſſe ipſam quoque ſecundum naturam, quatenus inter homines, quidam ea indole naſcuntur, vt imperando; quidam eá, vt obſequendo, ſeruiendoque ſint comparati; adeò proinde, vt præter ſeruitutem, quam lex, ſiue gentium ius introduxit circa bello captos, ac venundatos; & de qua accipiendum eſt, quòd homines omnes naſci dicuntur liberi; ſit aliqua etiam Seruitus naturalis, qua, vt anima corpori, & homo feris imperat, ita qui pollens ingenio eſt, illi imperet, qui corpore ſolùm eſt valens; & maximè cùm ipſi ſit ab alio regi vtile, ſicuti feris vtile eſt ab hominibus cicurari. Quod ad dominium autem rerum poſſeſſarum attinet; tametſi ex iure primæuo naturæ, non ſit hoc meum, potiuſquàm tuum, neque tuum potiuſquàm meum; nihilominùs, quia hoc modo ſic omnia forent omnium, vt nihil ita vnius eſſet, quin alius idem præripere, ſuo quippè iure vtens, poſſet; vnde & rixæ perpetuæ, continentéſque iniuriæ forent; eam ob rem res fuiſſe videtur ab initio vſque ſecundum naturam, vt quiſque haberet, poſſideréve aliquid ſibi proprium, quod alij vſurpare licitum non foret; ſcilicet cùm ſit ſecundum naturam incolumitatem tueri, qualis inter iurgia, iniuriáſque nulla eſt. Non diſputo porrò, quod ad conſtituendam domum duas requirere parteis ſolent, ἄνθρωπον, καὶ κτῆσιν: *Hominem, & Poſſeſſionem*, ſiue rem poſſeſſam (quo nomine fuêre, qui intellexerint non modò cum cæteris facultatibus iumenta, verùm etiam ſeruos; neque defuêre barbari, qui fœminas ordine eodem, quo & ſeruos, habuerint.) Non item, quòd ab illa vſque ſimplicitate, qua Heſiodus exegit præcipuè ad domum, *De Prudentia.*

——γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα,

Vxorémque, bouémque iugalem;

(cuiuſque vſus tùm fuerit, cùm, vt loquitur Iuuenalis:

——*Frigida paruas*
Præberet ſpelunca domos, ignémque, larémque,
Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra.)

Res in eam vſque ordinum varietatem excreuerit, quam in virorum principum domibus obſeruare licet. Duo quædam ſolùm adnoto; Vnum, licet aliquæ domus ſine vxore ſint, aliquæ ſine liberis, aliquæ ſine ſeruis, famuliſque, paucæ ſine reditu proprio, vnde familia ſuſtentetur (proprio, inquam, nam quædam ſunt quæ ex alieno victitant) nullam tamen eſſe videri, cuius non omnes ordines ad quodpiam iſtorum quatuor capitum referantur; cum reſpectu omnium ſiue perſonarum, ſiue rerum, quæ in domo ſunt, is, qui illi præeſt, aut Maritus, aut Pater, aut Herus, aut Dominus ſit. Intelligitur autem Herus non modò reſpectu ſeruorum, in quos poteſtas vitæ, ac necis ſit (quorumque vſus apud Chriſtianos tanquam non ſatis cum Religioſa humanitate cohærens abolitus propemodum eſt) ſed reſpectu etiam eorum, quos miniſtros, famulóſque dicimus, quorúmque multi plerumque ſunt à ſummo ad infimum, gradus. Alterum, poſſe ideò Prudentiam Oeconomicam quadruplicem diſtingui; vt putà γαμικήν, *Nuptialem*, ſiue *Maritalem*, quæ vxorem; πατρικήν, *Paternam*, quæ *liberos*; δεσποτικήν, *Herilem*, ſeu *Dominicam*, quæ ſeruos, atque famulos; & κτητικήν *Poſſeſſoriam*, quæ ipſam poſſeſſionem, ſeu facultates domus reſpiciat (dicunt aliqui hanc poſtremam χρηματιστικήν, *Quæſtuariam*, tametſi pars eius ſolummodò eſt) cùm & notum ſit duas priores parteis ſpeciali ratione mutuò cohærere, & duas poſteriores conſimiliter; quatenus & vxor liberorum causâ inducitur; & ſerui pars ſunt quædam poſſeſſionis.

Et quod imprimis quidem ad *Nuptialem* attinet, Conſtat Primum ipſius munus in Vxoris delectu eſſe. Qui ſcilicet attendit potiùs, vt formoſam, vt illuſtrem, vt diuitem, quàm vt benè moratam ducat; is profectò ſibi crucem vt diuturnam, ita moleſtiſſimam parat. Deinde, vbi ducta fuerit, debet amoris teſtatione illius amorem ita demereri, vt facilè intelligat, non potuiſſe ſe in virum meliorem, æquiorem, commodioremque incidere. Quamquam is modus eſt adhibendus, vt nihil fiat vnde illa

De Prudentia. illa inſoleſcere valeat, ſed reuerentiam erga ipſum cum amore ſemper retineat. Siquidem tametſi æqualitas quædam vxorem inter, ac virum ſit; multa nihilominùs ſunt, in quibus debet vir eminere, & in quibus ſi fortè ius ambitioſæ vxori concedat, tùm ſit & collum iugo daturus, & vnà cum authoritate, vt peruerſurus regimen, ſic amiſſurus tranquillitatem. Ad-hæc, illam ſic inſtituere, ſicque peritam eorum, quæ domi præſtanda velit, reddere, vt domus curâ illi commiſsâ, ipſe iis, quæ foris ſunt, peragendis ſit expeditior. Sic nempè illa & partem congruam adminiſtrationis ſuſcipiet, & appoſitè ipſum ſubleuabit curâ earum rerum, quæ vt minutiores ſunt, ita ſunt ingenio muliebri accommodatiores. Inſuper, ipſam conſiliorum, quæ eius captum non excedant, quæque ſilentio tegere valeat, (ſi modò ſilentio ſit opus) faciat illam participem; vt & ſe non negligi agnoſcat, & conferre ſymbolum poſſit; & ſi quid præſtare ipſa debeat, ſtudioſiùs alacriúſque præſtet; & facta comes, in ſucceſſu ſeu proſpero lætitiam augeat; ſeu aduerſo, moleſtiam minuat. Prætereà datam illi fidem coniugalem non temerare; ſecùs ſcilicet tùm præter fas eſt; tùm vxori exinde, quaſi ad par pari rependendum ſit inuitatio; tùm creatur & indignatio, & domeſticum odium implacabile, rixarúmque plenum; vt rem nimis notam prætercam, quid nempè fœmina furens poſſit. Denique, ſi parùm pudica, immorigeráque fuerit, & nullâ arte adhibitâ, emendari potuerit, aut vſurpandum remedium eſt, quod per leges licuerit, repudium, diuortium, &c. (quo loco leges quidem hodiernæ æquo fortè indulgentiores; ſed fortè quoque inhumaniores, quibus pridem apud Romanos, Græcos, Gallos, & alios, licebat illas occidere) aut certè fortiter ferendum, patientiáque leniendum malum, quod corrigere nefas ſit; ac potiſſimùm ſi communium liberorum forſan interſit, ne cum matris infamiâ domus dedecus inuulgetur.

Ad *Paternam* verò quod ſpectat, Primarium quidem illius munus ad ipſammet generationem liberorum ſpectare videtur, quatenus ex ipſa, corporis temperies indoléſque adeò, & ad mores bonos malóſve inclinatio pendet (neque enim prorsùs abs re exprobratio illa percrebruit, *genuit te parens, ebrius cùm foret*) verùm hoc eſt canere ſurdis, ea recenſere, quæ de ætate, de anni tempeſtate, de ratione victus, de antecedente continentia, & ſimilibus à Platone, Ariſtotele, Plutarcho, aliiſque traduntur; Neque enim vulgò ij homines ſunt, vt non potiùs impetu quodam cæco libidinis abrepti, eò ſe conferant, ac veluti merus ſit caſus, quòd conſequatur potiùs, quàm non conſequatur generatio; adeò proinde, vt cùm liberi quaſi fortuitò procreentur, ij tales educandi ſint, qualeis naſci cuique contingit. Itaque, ſi hoc adimas munus,

7. De Rep. 7. Polit. 16 De lib. educ.

Primum, ſupereſt ipſa liberorum per infantiam cura: Nempè, vt niſi Mater ſuum nutrire fœtum patiens fuerit (tametſi ad id muneris natura illam deſtinauit; neque enim alio fine mammas, & lacte quidem diſtentas habet) ipſi ſaltem Nutrix idonea, temperamentique probi deligatur. Proximum eſt ipſa morum informatio, & in bonis artibus inſtitutio; ad quam nulli nimis idonei magiſtri poſſunt deſtinari. Demirari profectò ſubit, pleroſque parentes etiam hac in re parcos fieri; non aduertenteis ſcilicet factas hunc in vſum impenſas non tam præſentibus ſuis bonis, quàm futuris olim liberorum eſſe imputandas; quaſque illi vbi adoleuerint, ſapuerintque, nullo non pretio redempturi fuerint, ſi earum defectu, carere ſe inſigni, qua eſſe inſtructi potuerant, eruditione perſenſerint. Conſequens eſt illos ad certum vitæ inſtitutum deſtinare; ac eſſe quidem ea in re memores ſuæ conditionis, & quid facultates propriæ ferant attendere; ſed maximè quoque rationem habere ipſius indolis liberorum, ne eos intrudant in munera, quibus defungi ſatis decorè, aut vtiliter, gratéque non valeant; qua de re dictum mox antè eſt. Succedens eſt, ſua cum illis ſic communicare conſilia, vt maturè nôrint, quî res ſuæ ſe habeant, aut ſe habituræ deinceps ſint; ne, ſi parentem mors præoccupet, illi rerum ſuarum ignari ſuperſint, ac impares, non ſine damno, negotiis domus ſuſtinendis relinquantur. Inepta certè plerumque eſt Parentum quorundam inuidentia, dum negotiorum participes filios facere auerſantur quaſi ea noſſe omninò ſui illorum nihil intereſſet. Nam quòd alioquin putant ſe exinde authoritatem meliùs tueri; non aduertunt ſe interim filiorum amorem erga ſe imminuere, occaſionémque facere, vt orbitatem ſint placidiùs laturi. Et debet profectò Parens ſui venerationem in animis eorum continenter tueri (ac, vt ille ait, ad vſque extremum ſpiritum dominari in ſuos) verùm ea ſic eſt procuranda, vt cum amore coniuncta ſit; quod fieri non poteſt, niſi ex eius actionibus, liberi intelligant ſe ab illo verè amari; omnia ſui causâ ab eo fieri; ac ſe fœlices reputent, quòd eundem parentem, quo melior; & amicum, quo beneuolentior eſſe non poſſit, nanciſcantur. Atque hæc quidem potiſſimùm, quatenus ij iam ſunt mores, vt Patria poteſtas, quæ olim tantopere viguit, abolita propemodum ſit, filiíque alioquin paſſim inſoleſcant, auſintque etiam & parentes vocare in ius, & alia peccare in eam, ad quam tenentur, reuerentiam. Ex quo fit, vt merito iure vſus illius patriæ poteſtatis deſideretur; quatenus longè aberat olim, vt parentes tam facilè illâ abuterentur ob amorem in liberos, quàm liberi hodie abutuntur licentiâ, ob affectuum deprauationem, ingratitudinémque penè impunitam.

In pag. 88.

Cic. de ſen.

Quod ad *Herilem*, dominicámve; docet Ariſtoteles ideò illam nihil magnum, ſubliméque habere,

1. Polit. 7.

In pag. 88. habere, quòd ea dumtaxat, quæ ſcire oporteat ſeruum facere, ſcire conueniat herum imperare. Cùm verò, vt ab eo etiam diſputatur, ſcientia quædam ſeruorum: ſit (vnde & inuentus eſt ille Syracuſis ludi-Magiſter, qui ſeruos docebat vulgaria, vſitatáque opera) idcirco herilis Prudentiæ eſt munus, vt aut ſeruum quærat eius miniſterij, quod exacturus ab eo ſit, gnarum; aut quæſitum, addiſcere ipſum miniſterium procuret. Affine proinde eſt munus, internoſſe ad quam functionem ſeruus quiſque idoneus ſit; ne, ſi quis à natura comparatus ſit, vt, quod ille ait, ἐπίτροπος; *Procurator* fiat, is fiat ἐργάτης, *operarius*; &, ſi quis vt fiat operarius, fiat procurator: Quò ſpectat & illud; cùm ſeruorum diuerſi ſint genij, & miniſteriorum alia quidem ἐντιμότερα *honoratiora*, alia verò magis neceſſaria ſint; ſua quibuſque congrua miniſtera tribuere, iuxta antiquam parœmiam:

Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου,
Seruo antecellit ſeruus, & domino dominus.

Aliud eſt; ſic ſe erga ſeruos gerere, vt, quod ille denique ait, ipſos neque petulanteis, neque remiſſos eſſe patiatur; vtque & aliquid honoris liberalioribus habeat, & operariis congruum ſuppeditet cibum. Quippè & illis tantillus honor, & iſtis cibi copia tùm mercedis loco eſt, tùm ad operas præſtandas alacriores facit. Atque hæc quidem propriè dicta ſunt de ſeruis; cùm & proportione ſint intelligenda de vocatis iam famulis; in quorum vicem ſeruos reſtitui pro votis eſſe plurium, ob cauſas ſanè paſſim perſpectas. Vtcumque ſit, ſeu ſerui ſint, ſeu famuli, quibus vtamur, danda videtur opera vt reuerenter ſimul, & amanter miniſteria obeant. Et reuerentiam quidem ab iis obtinere non videtur difficile (niſi interdum in famulis ob ipſam abeundi licentiam, intolerantiámque animaduerſionis) obtinere autem amorem non alia ratione videtur poſſe fieri, quàm ſi amari ſe ab hero, dominóve ſentiant, eſſe ſe illi curæ, & fore in poſterum confidant, ac præfinito tempore, illi quidem libertatem, iſti aliud præmium ſeſe conſequuturos ſperent. Inſuper autem ſeu quid promiſſum, ſeu aliunde legitimè ſperatum ab iis fuerit, committendum non eſt, vt eo defraudentur. Hoc ſanè, vt iuſtitiæ eſt, ſic etiam ad prudentiam ſpectat, quatenus ſerui, famulique alij, ſuperſtites, aut ſuccedentes, tantò libentiùs, amantiúſque præſtituri operas ſunt, quantò exinde intelligent ſe ſua mercede pariter donandos; ac rem ſe habere cum illo, qui dominus ſimul, & vir bonus ſit.

Quod denique ad *Poſſeſſoriam*: Eius eſſe munus Primarium videtur, Curare, vt domui, ſeu familiæ nihil neceſſariorum deſit. Nempè ea de cauſa illi præeſt Paterfamilias, vt ſuâ prouidentiâ, diligentiáque caueat, ne ſi quid adeſſe interſit, non adſit. Ea porrò quæ dici neceſſaria poſſint, ex cuiuſque conditione æſtimandum eſt; Nam ſecundum naturam quidem, neceſſaria dumtaxat ſunt, quæ famem, ſitim, frigus, & alia id genus incommoda tollant; at ciuilis Societas non pauca prætereà pro gradu, quo quiſque in ea eſt, neceſſaria fecit. *De Prudentia.* Cohæret proinde huic Muneri illud, quo cauendum eſt, ne impenſæ fiant ipſis reditibus maiores, cùm hac de cauſa facta obæratio rem ſenſim exhauriat, redigátque demum in ſummã inopiam. Ac non debent quidem impenſæ illiberales fieri; ſed nempè, cũ ipſæ facultates ferunt, & ex reditibus quidpiam, rebus neceſſariis deductis ſuperfluit. Quare & illud aliud Munus eſſe videtur pene palmarium, vt res ſuas ipſe dominus nôrit; neque, ſi ipſe impendere ſingulis curam non valeat, procuratoribus ita fidat, quin & in quo ſitas facultates habet, percalleat, & prouentuũ, impenſarúmque rationem probe teneat. Vſu veuire certè videmus, vt omnia eant peſſum iis in domibus, quarum Domini rerum negligentes, ita earum curam adminiſtratoribus credunt, vt illi putent ſibi quidvis facere licere impune. Tritum eſt, quod Socrates apud *In œcon. 1. œcon. 6.* Xenophontem memorat, quodque Ariſtoteles ad Perſam quendam refert, qui interrogatus, quid maximè equum pinguem faceret: *Domini oculus*, reſpondit; itemque, quod ſubiungitur de quodam Afro, qui rogatus quod eſſet agro emendando ſtercus optimum: *Domini*, inquit, *veſtigia*: interim verò exinde poteſt vniuersè intelligi, non poſſe vnquam res meliùs, quàm ſi is, cuius maximè intereſt, in ipſas inſpiciat. Quod ſupereſt, cùm ad hanc quoque Prouidentiæ partem ſpectare velint, vt parta tueri (ſeu hæreditas, ſeu induſtria, ſeu ſors illa pepererit) ſic iam parta amplificare, ſeu rem familiarem augere; illud profectò ſic eſt accipiendum, vt niſi iam parta ſufficiant, quò vita commodè tranſigatur; aut diſtributa in liberos, abundè futura ſingulis non ſint; tùm non decorum modo, ſed neceſſarium quoque ſit, rei augendæ inuigilare. Caſibus certè hiſce exceptis, ac prouiſo, ne res familiaris detrimenti quid capiat, & non nihil potiùs creſcat, quàm minuatur: inhiare ſemper, vt fieri ſolet, congerendæ pecuniæ, aggerendis prædiis, cumulandis opibus; hoc iam ad auaritiam, inſatiabilémq; illam cupiditatem attinet, de qua iam antè aliquid dictum. Cùm verò triplex quidam modus comparandarum opum habeatur, Agricultura ſcilicet, Induſtria, ſiue opera; & Vſura, ſeu fœneratio; *Omnium rerum*, inquit Cicero, *ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Cùmque illiberales ſint mercenariorum, & cauponum quæſtus, & vituperandæ etiam artes ſint, quæ miniſtræ ſunt voluptatum: tùm *Mercatura*, inquit idem, *ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna, & copioſa, multa vndique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum*

De Prudentia. *vituperanda* : Enimverò ipſa fœnerandi ratio (ἐυλογώτατα μισεῖ), *optimo iure habetur odio*, inquit Ariſtoteles; ſeu, vt Cicero loquitur : *In odia hominum incurrit* ; ac ipſa lucra fœnoris tanto magis ſunt turpia, quanto, vt cum Poëta dicam :

Auſon. ——*Velox inopes Vſura trucidat.*

Ac alij ſunt quidem prætereà diteſcendi modi, vt præſtitum viris principibus obſequium, vt adulatio, &c. Verùm nihil de ipſis dicere attinet; vt neque de hominibus, qui Magiſtratus ambiunt, vectigalium præfecturas quærunt, arma ad bellum gerendum ſumunt, &c. non vt ſtipendiis contenti ſint, ſed vt, quod ad ſe non attinet, rapiant; Quippe qui hoc animo ſunt, nihil ab illis differunt, qui artibus alioquin malis, qui fallendo peierandóque; qui furando, aut latrocinia exercendo, opes conquirunt.

Quod iam obiicitur Epicuro, idipſum eſt pene, quod illi exprobrari ſuperiùs obſeruauimus, tùm ab Epitecto, tùm à Clemente Alexandrino : nempe quod cenſuerit : *Non debere ſapientem neque vxorem ducere, neque ſuſcipere liberos* ; ſicque non tam præſcripſerit, quî regenda familia ſit, quàm ſubuerterit non modò familiæ, ſed etiam cum illa Reipublicæ fundamentum. Addendum heic ſolùm videtur, quod Epictetus inſuper habet, cenſere Epicurum μηδεμίαν εἶναι φυσικὴν

Lib. 2. c. 20. ap. Arr. an. κοινωνίαν ἀνθρώποις πρὸς ἀλλήλους : *Nullam eſſe hominum inter ſe naturalem communicationem* ; ac inclamare illum dicit : Μὴ ἐξαπατᾶσθε, ἄνθρωποι, μηδὲ παράγεσθε, μηδὲ διαπίπτετε. οὐκ ἔστι φυσικὴ κοινωνία τοῖς λογικοῖς πρὸς ἀλλήλους. πιστεύσατέ μοι, οἱ δὲ τὰ ἕτερον λέγοντες, ἐξαπατῶσιν ὑμᾶς, καὶ παραλογίζονται. *Ne decipiamini, ô Mortales, ne fallamini, ne circumducamini. Non eſt ratione præditis vlla inter ſe naturalis communicatio. Mihi credite : qui ſecùs loquuntur, in errorem inducunt vos, ac*

Lib. 5. cap. 17. *rationibus falſis circumueniunt.* Quippe ex hoc videtur ſpeciatim deſumptum, quod vrgeri non multò antè à Lactantio vidimus, cùm aduerſus impios parentes propoſuiſſe ait Epicurum filiis : *Nullum eſſe vinculum naturæ.* Et, quò minùs dubitemus placuiſſe Epicuro amorem illum, quo parentes exardeſcunt in filios, minimè eſſe naturalem, proferri poteſt locus

Lib. 7. epiſt. 2. ille, quo Cicero ad Atticum, qui ex Epicuri ſecta fuit, ſcribens, ſic eius amorem erga filiolam commendat, vt ſubnotet illum poſſe exinde agnoſcere falſum placitum propriæ ſectæ eſſe. Verba ſcilicet illius hæc ſunt : *Filiolà tuà te delectari lætor, & probari tibi* στοργὴν *φυσικὴν eſſe*, τὴν πρὸς τὰ τέκνα. *Etenim, ſi hæc non eſt, nulla poteſt homini eſſe ad hominem naturæ adiunctio; quâ ſublatâ, vitæ ſocietas tollitur.* Porrò quod ſpectat ad illud quidem *de non ducenda vxore, liberiſque non ſuſcipiendis*, ſufficere poſſe videtur, quod iam reſponſum ſuo loco eſt; cùm oſtendimus nempe Epicurum neque id voluiſſe omnibus ſuadere, ſed paucis ſolùm ſapientibus; neque contendiſſe, quin ipſi Sapientes, ſi aut Reipublicæ intereſſet, In pag. 88. aut occaſio demùm aliqua grauis exigeret, poſſent, ac deberent tùm vxorem ducere, tùm liberis operam dare. Niſi verò hoc totum ſanctius, religioſiuſque multò non fuit, quàm quod legem ferri Ariſtoteles voluit; 7. Polit. 16. (ἔστω νόμος) non modò ne quid mancum aleretur; ſed etiam, vt quia definitum liberorum procreandorum numerum eſſe oporteret, ſi qui excreuiſſent, exponerentur; aut, ſi quæpiam fortè gentilis conſtitutio exponi vetaret, abortus fœtui, priuſquàm ſenſus, vitáque adeſſet, inferretur. Quod certè ex ſenſus, vitæque defectu excuſationem parat, cauillatio eſt; cùm neque oſtendere poſſit, tùm cùm abortus procuratur nullàm adeſſe fœtui vitam; neque ſæuire in embryonem, in quo niſi iam ſit, ſaltem mox, & indubiè ſit futura vita; perinde eſſe, ac ſæuire in cadauer; corpúſve, quod ſit omnino vitæ incapax; vt debeat ideò ſubiicere quid ſanctum, priúſque hoc in negotio ſit, ex ſenſu, ac vita definitum eſſe. Sed hoc obiter.

Quod ſpectat verò ad naturalem, mutuámque communicationem, quam Epicurus ſit viſus negare inter homines generatim; res pendet ex iis, quæ dicenda ſunt, cùm de naturali iure diſſeretur. Siquidem, ex eo, quòd Epicurus cenſuit nullam eſſe iuris, aut iniuriæ rationem inter eas genteis, quæ aut non potuerunt, aut noluerunt conuenire inter ſe, vt nec læderent, nec læderentur adinuicem, deductum videtur, quod Epictetus cenſuiſſe eum ait : Non eſſe hominum inter ſe naturalem communicationem. Quod attinet autem ad illud obiectum ex Lactantio : *Nullum eſſe Vinculum naturæ* : Conſequutio eſt ex eo deducta quòd Epicurus reperietur, nullam naturalem vniuersè duxiſſe inter homines communicationem; tametſi ad ſummum eſſe vllam negarit inter homines adeò diſſitarum, barbararúmve nationum, vt non potuerint, aut noluerint de mutuò lædendo, aut non lædendo inter ſe paciſci. Quare & cùm admiſerit naturalem eſſe communicationem inter eas nationes, eoſque homines, qui iure communi tenentur : quantò, putas, admiſit magis inter homines conſanguineos, ſeu qui ex eadem ſunt cognatione, ac in ipſis, potiſſimum inter Parentes, & liberos, quos naturæ nexus immediatè reuincit? Et certè ipſe Epictetus, non modò aliundè fatetur Epicurum vniuersè intelligere, ὅτι φύσει ἐσμὲν κοινωνικοί, Lib. 1. cap. 23. *eſſe nos naturâ ad communicationem propenſos* : Verùm contendere illum quoque, genito, natóve nobis ſemel filio, οὐκέτι ἐφ᾽ ἡμῖν ἐστὶ μὴ στέργειν, μήτε φροντίζειν ἐπ᾽ αὐτοῦ, *non eſſe in noſtra amplius poteſtate, ne impensè illum amemus, curámque eius ſuſcipiamus.* Atque ex hoc patet interim Reſponſio ad id, quod ex loco Ciceronis inducitur; quaſi nimirùm Cicero id, quod ſupponere videtur, deſumere potuerit ex ſpurio quopiam Opere, quo, impunentibus

Stoïcis,

In pag. 88. Stoïcis, Epicurus viſus fuerit non probare *φυσικὴν στοργὴν τὴν πρὸς τὰ τέκνα εἶν*, *vehementem amorem erga liberos naturalem eſſe.* Nihil heic memoro de inſigni illo ipſius Epicuri amore non certè erga liberos, quibus, cœlebs caruit; ſed erga parentes, erga fratres, erga amicos, erga liberos ipſos amicorum; ac in homines vniuersè omneis, de quo eſt in eius Apologia dictum; & ex quo intelligi poteſt, quàm fuerit ab eius indole, geniôque alienum, ſimile quidpiam defendere. Addo dumtaxat, ſi contendas, ſcriptum reuerâ ab eo fuiſſe, non eſſe amorem erga liberos naturalem; licere id ſaltem ſic interpretari, vt cenſuerit talem amorem ingenerari, ac ſénſim inardeſcere, non tam cæco quodam impulſu naturæ, quàm facta in ipſu parente opinione, quòd proles ſit ſua, & pars quædam ſui; quàm ſpe, quod inde ſit habiturus, à quo ametur, à quo foueatur, à quo protegatur, à quo decus habeat, à quo ſucceſſionis perennitatem obtineat: quàm conuerſatione, qua exhilaretur, qua communicet, qua in ſpes aſſurgat, &c. Videtur certè argumento illi eſſe potuiſſe: Quòd parem omnino amorem videamus in iis, quorum liberi ſpurij, ſuppoſitiíque ſunt, ſi eſſe eos modò legitimos putent; Quòd non parem eſſe in iis, quorum ſunt legitimi, ſi eſſe modò opinentur alienos; Quòd parem videamus in iis, quorum adoptiui ſolummodò ſunt; ipſa voluntate opinionem ſupplente: Quòd non perinde doleant parentes, ſi aboriatur fœtus, ac ſi iam natus arriſerit: neque, ſi infans, aut puer moriatur, ac ſi iam ætate prouectior; neque, ſi fuerit ex multis vnus, ac ſi ſingularis; neque, ſi iam ſuſceperit liberos, ac ſi nullos relinquat; neque, ſi fuerit dyſculus, deploratiſque moribus, ac ſi benè moratus, ſapienſque, & frugi. Idque, ne plura congeram, cùm hæc ſint abundè, vt intelligatur poſſe ad naturam cauſas alias accedere, ob quas parentes in liberos tanto pondere amoris ferantur.

1. Eth. 2. 3. Polit. 11. 1. Magn. mor. 1. 7. Ethic. 11. 7. Polit. 1. Reſtat POLITICA Prudentia, quam Ariſtoteles aliunde, non Scientiam modò, & Facultatem vocat, ſed talem etiam dicit, quæ ſit *κυριωτάτη, ἣ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴ*, *longè dominæ, longéque imperans* cæterarum. Quippe & ipſi ſcientiam Moralem, tanquam partem ſubiicit; & Politici viri eſſe docens pernoſſe quâ re ciues eſſe felices valeant, contendit illum eſſe magiſtrum, Architectúmque ſummi boni; eiuſque adeò eſſe, de voluptate, & dolore cognoſcere; déque virtutibus, ac vitiis, vnde delectari, doleréque contingit. Videtur Epicurus ipſam non intactam prætermiſiſſe, ob librum, quem ſcripſit *περὶ Βασιλείας*, *de Regno*; cùm & Plutarchus non abnuat ipſum, eiuſque Sectatores *περὶ νόμων, καὶ πολιτείας*, *de legibus, & ciuili ſcientia* ſcripta edere; tametſi illos inſimolet, quòd eò tendant, *ἵνα μὴ πολιτευώμεθα*, *vt noſmet Reipublica regimini non immiſceamus.* Cæterùm, cùm vt Oeconomica Prudentia in adminiſtranda domo, ſeu familia, quæ ex pluribus ſingularibus hominibus, perſoniſve conſtat, verſatur; ita Politica, ſeu Ciuilis in regenda ciuitate, quæ ex pluribus domibus, familiiſve eſt, occupetur; habeátque adeò nomen ex illa, vtcumque ea ſæpè (ciuitas nimirum) non vna ſed multiplex ſit, & pro vna plures non ciuitates modò, ſed etiam prouinciæ, nationéſque habeantur: Cùm id, inquam, ſit; prænoſcendum eſt, in quonam reſideat, reſideréve, vt in ſubiecto debeat huiuſmodi Prudentia. — De Prudentia.

Principio verò in nullo magis quàm in eo reſidere debet, penes quem ſumma rerum eſt, ſiue in quo eſt ſuprema poteſtas, authoritas, *ἄκρα ἐξουσία*, & vt Ariſtoteles paſſim vocat, *τὸ κύριον*, *id, quod dominans, præcipuúmve, ac veluti caput* in ipſo regimine eſt; cùm & Latini eandem ſupremam poteſtatem, ſummúmve imperium, aut dominandi ius intelligere ſæpè ſoleant ipſo nomine Maieſtatis: Notum eſt autem hanc Poteſtatem ex iis præſertim elucere capitibus, quæ Ariſtoteles attingit, cùm eſſe eius ait: *Pacem, bellúmque decernere; fœdus inire, aut ſoluere; leges condere, aut abrogare; ſtatuere de morte, de exſilio, de bonorum publicatione, de repetundis rationibus.* Intelligitur autem vulgò cœpiſſe primùm hanc poteſtatem, cùm homines ferarum ritu, nemini ſque ſubditi, ac ſuæ quiſque ſpontis viuentes, cepère de ineunda quadam ſocietate conſilium, in qua vnuſquiſque ſuæ libertati quadamtenus renuncians, ſubmiſit ſeſe arbitrio totius multitudinis; ipſáque adeò multitudo ius aſſumpſit in ſingulos, prouidítque, vt ſinguli & degerent tutiùs (coërcendo videlicet potentiores, violentiorés que, ne imbecillioribus, mitioribúſque inferrent iniuriam, & viuerent affluentiùs (communicatis ſcilicet mutuis tùm bonis, tùm operis, quibus varij variè, pro ſua quiſque induſtria abundarent, præcellerentque.) Quippe in ſtatu illo ferino cariſſimè ſanè conſtabat, quæ præſumebatur libertas; quippe cùm, vt non multò antè obſeruatum eſt, digladiandum perpetuò foret; quatenus iure omnibus in omnia pari competente, nemo quidquam ſibi vſurpare in proprium vſum poterat, quin id præripere alius poſſet; adeò proinde, vt ſtatus ille rixarum plenus exſiſteret; & neque poſſet dici libertas, cui interuenirent tot obſtacula; neque poſſent omnia cenſeri eſſe cuiuſlibet, quæ vſurpaturo alius præuſurparet. Vnde & efficitur, vt vera, naturaliſque libertas deprehendatur potiùs in ea ſocietate, in qua, modò quis pareat Societatis (hoc eſt, ſuis, ſeu in commodum ſuum approbatis) legibus, agit, quod supereſt, quicquid lubet, ac ius habet in bona propria, quæ nemo alius rapere, propter publicam poteſtatem vindicem poſſit. Quo nomine ſanè videtur iure inſectatus Ariſtoteles Rempublicam illam Plato- 2. Polit. 2. & ſeq.

In Polit. 2. 3. 4. &c.

4. Polit. 14.

Digitized by Google

De Prudentia. nis, in qua communeis voluit vxores, communeis liberos, communia bona, quaſi, tollendo Meum, & Tuum, Reſpublica, vt magis vna, ita magis perfecta foret: Quippe homines hac ratione in ferinum illum regererentur ſtatum, in quo non vnitas, ſed multiplicitas pro voluntatum numero eſt, & in quo propriè nullius ſunt, quæ omnium communia putantur; Nam & tametſi Cuſtodes quoſdam præſtitutos voluerit, ij tamen ſanè impares, qui effrænem licentiam omnium in omnia ſuo iure vti volentium compeſcere poſſent. Quamquam ipſemet Plato, tùm in libris de Republica, vbi hanc ſententiam expoſuit, profitetur ſe huiuſcemodi Reipublicæ formam tradidiſſe, non quæ eſſe in generis humani ſocietate poſſit, ſed quæ ſit ὡς παράδειγμα, *quaſi Exemplar* quoddam, ad quod quantò propiùs Reſpublica acceſſerit, tantò cenſeri perfectior poſſit. Tùm in libris de Legibus ſic eiuſmodi emendat ſententiam, vt ſublatâ vxorum, liberorúmque communione, leges præſcribat de Matrimonio, de iure dotium, de diuortio, de liberorum inſtitutione, &c. Hoc interim loco omitti non debet, quod à Colote Epicureo recitat Plutarchus in hæc verba ſcriptum: Ὅτι τὸν βίον οἱ νόμους διατάξαντες, καὶ νόμιμα, καὶ τὸ βασιλεύεσθαι τὰς πόλεις, καὶ ἄρχεσθαι καταστήσαντες, εἰς πολλὴν ἀσφάλειαν, καὶ ἡσυχίαν ἔθεντο, καὶ θορύβων ἀπήλλαξαν. Εἰ δέ τις ταῦτα ἀναιρήσει, θηρίων βίον βιωσόμεθα, καὶ ὁ προστυχὼν τὸν ἐντυγχάνοντα μονονοὺ κατέδεται. *Qui condidêre leges, ac iura, & conſtituêre regimen, Magiſtratúmque in vrbibus, ij in ſecuro admodum, tranquillóque ſtatu vitam collocarunt; &, ſi quis de medio iſta tolleret, vitam viueremus ferarum, & qui alium haberet obuium, ipſum tantùm non deuoraret.* Ac Plutarchus iſta quidem reprehendit; Quod, *ſi quis legibus ſublatis, decreta modò Parmenidis, Socratis, Platonis, Heracliti reliquerit, longè, vt nos mutuò voremus, aut vitam ferarum viuamus, abfuturi ſimus, metuentes videlicet turpia, & honeſtatis gratiâ venerati iuſtitiam, Deos, bonos Magiſtratus, & cætera; vltrò ſcilicet, ac rationis ductu, vt Xenocrates ait, facientes, quæ nunc & inuiti, & metu legum facimus.* Verùm, vt taceam talia decreta non fuiſſe futura, niſi & ciuitates fuiſſent conſtitutæ, leges latæ, &c. quò tales homines naſcerentur, aut talem ſapientiæ perfectionem attingerent; ac vt non negem reperiri quoſdam paucos homines poſſe, qui ex ſe, ſolo virtutis ductu, ac naturæ ſponte regantur: ignorare ſanè videntur ingenium maximæ partis huminum, qui illam ratione, & virtute potiùs, quàm magiſtratuum, legúmque metu abſtinere poſſe ab iniuſtitia putant.

Lib. 5. — Lib. 6. & 7. — Lib. 1. adu. Col.

Sed ad inſtitutum vt redeam, Præterea Summam poteſtatem, ſummúmve illud ius in totam multitudinem, ex ſingulorum conſenſu tranſlatum, ſic intelligi fuiſſe vſui, vt multitudine ad deliberandum, decernendúmque aliquid coëunte, id eſſe arbitrium totius cœtus reputaretur, quod vel omnes ſimul cenſerent, vel ex omnibus maiur pars. Præterea rurſus intelligi eueniſſe, vt ſeu, quia incommodum foret, ad decernendum quidlibet totam multitudinem conuenire, &, ſigillatim (aut etiam per tribus) dicere ſententiam, ſuffragiúmve ferre; idcireò ipſa multitudo poteſtatem hanc vel in paucos, vel in vnum aliquem ſponte tranſtulerit; ſeu, quia vel pauci, vel aliquis vnus hanc poteſtatem callidè, aut vi quadam factâ, ſibi arrogârint; euenisse, inquam, vt talis Poteſtas non plerumque iam in multitudine totâ, ſed in paucis ſolùm, aut in vno quopiam reſideat. Obſeruo dumtaxat deduci exinde, quî ſoleat triplex forma diſtingui Politici regiminis, iuxta illud Taciti: *Cunctas nationes, & vrbeis Populus, aut Primores, aut Singuli regunt*; Quod quidem ante ipſum & Ariſtoteles, & Plato, & antiquiſſimâ memoriâ Satrapæ illi Perſici, interfectis Magis, ac de forma regiminis deliberantes, quatenus quidem ab Herodoto memoratur, ediſſeruerunt. Vnde & cùm ipſa Regiminis forma id ſit, quod Græci Πολιτείαν, dicunt, quudque venire Latinè ſolet Reipublicæ nomine (etiam Authore Cicerone, tametſi interdum Politiæ nomen retinet, vt cum *Platonem Politiam* dicit,) & vulgò etiam nomine Status; conſtat proinde celebria illa, & quaſi primaria τῆς πολιτείας, *Reipublicæ* genera attendi penes diuerſitatem τοῦ ὑποκειμένου, *ſubiecti* illius, in quo reſidet ſuprema poteſtas, ſeu, vt ab Ariſtotele hac occaſione dicitur, ἀρχὴ κυρία πάντων, *dominans omnium Principatus.* Sic quippe intelligi licet, cùm ſumma poteſtas penes vnum eſt, qui toti Populo imperet, à nemine verò imperetur, Μοναρχίαν, hoc eſt, *Vnius Principatum* eſſe: Cùm penes paucos, ſeu partem populi minorem, quæ maiori parti collectim, & ſingulis etiam ex toto populo imperet; eſſe Ὀλιγαρχίαν, *Principatum paucorum*: Cùm penes totum populum, qui parte ſui maiore ſuffragiis vincens, tùm minori collectim, tùm ſingulis ex populo vniuerſo imperet, dici poſſe Πολυαρχίαν, hoc eſt, *multorum*, ſeu *plurium*, ſeu etiam (quatenus οἱ πολλοὶ populus eſt) *totius populi Principatum.* Quid-ni enim liceat vocem fingere, vt ſit analogia eum reliquis vocibus (ac imitatione præſertim Homericæ πολυκοιρανίης) niſi quis dici poſſe malit πληθαρχίαν, occaſione ſumptâ ex Herodoto, qui Monarchiâ, & Oligarchiâ diſertè nominatis, memorat etiam πλῆθος ἄρχον, *Multitudinem dominantem*; aut Δημαρχίαν, ſumptâ ex Platone, dum formam Reipublicæ Cretenſem, & Laconicam non ſolùm Τιμοκρατίαν, (qoam vocem Ariſtoteles quoque, vt ἐκ τιμημάτων, *à cenſibus* ductam, alicubi habet) ſed etiam Τιμαρχίαν, *ambitioſum Principatum* vocat? Notandum eſt autem factum vſu fuiſſe, vt cùm vniuſcuiuſque horum trium generum diſtingui poſſint duæ ſpecies; vna proba, legitima, laudata; alia vitioſa, illegitima,

In Pag. 88. — Lib. 3. 5. Polit. 7. in Polit. — Lib. 3. — 1. De diuinat. — 5. Polit. 6. — Iliad. α. Loc. cit. — 8. De Rep. — 8. Ethic. 12.

In pag. 88. tima, illaudata; ſpecies quidem laudata primi generis appelletur Βασιλεία, *Regnum*, illaudata Τύραννις, *Tyrannis* (tamerſi vox hæc primitùs τῇ βασιλείᾳ ſynonyma fuerit) at cùm laudata ſecundi ſpecies appellari ſoleat Ἀριστοκρατία, *Optimorum*, *Optimatumve principatus*; illaudata, quæ ex Analogia debuiſſe dici χειριστοκρατία, *Peſſimorum principatus* videtur, ipſum generale Oligarchiæ nomen, ex accommodatione (ac ipſis quidem etiam Platone, Ariſtoteléque hoc ſenſu vſurpantibus) retineat, niſi quòd prætereà Ariſtoteles τὴν ὀλιγαρχίαν alicubi habens pro quarto quaſi genere, eam definit Rempublicam *in qua obtinent, qui cenſibus valent*. Denique autem, cùm Plato in Politico, itémque Xenophon, & alij doceant, ſupponántve genus tertium dici vniuersè Δημοκρατίαν, *principatum populi*; tam ipſe tamen Plato in libris de Republica, quàm Ariſtoteles, & alij, generalem hanc Democratiæ vocem illaudatæ ſpeciei generis huius tribuunt (dicunt aliqui potiùs Ἀναρχίαν, *Nullum, nulliúſve principatum*, cuius nempè ſumma agnoſcatur authoritas) laudatæ verò accommodant generaliùs τὸ Πολιτείας, Politiæ, ſiue Reipublicæ nomen. Prætereo autem in vſu iam eſſe, vt tria genera, tréſve Reipublicæ formæ, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia appellitentur.

In Polit. & 8. de Rep. 5. Polit. 6 & al. 2. Rhet. cap 8. 1. Cyrop. loc. cit.

Cùm verò ex his pateat non malè diſtingui, vt tria genera, ita & ſex generaleis ſpecies, formáſve Reipublicæ, videtur tamen *In polit.* Plato interdum tùm agnoſcere quartum genus, ſeu, vt appellat, ſeptimam ſpeciem; ſed quæ nempè ſit ſolùm quaſi Idea optimi regiminis, ſapientibus purà, ac eruditis conueniens (quippè ipſa ſapiens, eruditáque; & à formis cæteris, perinde ac Deus ab hominibus, ſecernenda) tùm duas ſolas, quæ ſint omnium quaſi matres facere; Monarchiam putà, qualis Perſarum; & Democratiam, qualis Athenienſium tùm temporis erat. Aliunde verò Polybius, & plerique alij ita adiiciunt quartum genus, vt id ſit quaſi ſeptima ſpecies ex tribus laudatis temperata, ac miſta; cùm ipſa quoque ſit laudata, imò & laudatiſſima. Ipſe autem Ariſtoteles huiuſmodi cinnum, ſeu miſturam ex tribus, non genus nouum, aut nouam ſpeciem, ſed Ariſtocratiam quandam eſſe vult, vti & miſtionem Ariſtocratiæ conſtantis ex diuitibus, & Politiæ conſtantis ex pauperibus, eſſe Democratiam contendit. Sanè verò, cùm Reipublicæ formam attendere penes ſubiectum, cui ſuprema inſit poteſtas, oporteat; quæcumque miſtura fingatur; quia ſemper ſuprema poteſtas aut penes vnum, aut penes paucos, aut penes totum populum eſt; idcircò neque quartum genus, neque ſeptima ſpecies videtur propterea induci. Quin-etiam nulla propriè videtur eſſe miſtio huiuſmodi, quatenus ſi ſumma poteſtas in vno eſt, ex quo verè ſit Monarchia; fieri nullâ ratione poteſt, vt eadem ſit in pluribus; alioquin enim iam eſſet aut Diarchia, aut Triarchia, aut Tetrarchia, &c. Et, ſi in paucis eſt, ex quo propriè ſeu Oligarchia, ſeu Ariſtocratia ſit, fieri non poteſt, vt eadem ſit vel in quodam vno, alioquin enim foret Monarchia; vel in pluribus, alioquin enim Polyarchia foret. Et, ſi in toto populo eſt, ex quo propriè ſeu Politia, ſeu Democratia ſit; fieri non poteſt, vt eadem in vno, paucíſve reſideat; alioquin enim foret iam aut Monarchia, aut Ariſtocratia. Vnde & efficitur, vt cùm ſumma poteſtas ratione ſubiecti ſit triplex, quælibet trium ſit conſortis impatiens; & quæ miſtura eſſe videtur, ſit quoddam ſolùm imitamentum, quo vna Reipublicæ forma tuetur quidpiam ex cæteris; ſed illæſa nihilominùs manente poteſtate ſumma. Sic pleraque quidem ſunt Regna, in quibus cœtus ſunt Optimatum, per quos res magnæ adminiſtrantur; & in quibus ſunt populi, qui libertatem ſuffragiorum in eligendis quibuſdam Magiſtratibus obtinent; ſed non eſt hæc tamen dicenda miſtura, quatenus ſuprema poteſtas in vno Rege reſidet; ſed imitatio ſolùm quædam, iuxta quam Regnum dici poteſt Ariſtocraticè, ac Democraticè quadantenus adminiſtrari. Sic, ſunt quidem etiam Ariſtocratiæ, quæ & vnum Principem habent, & populo etiam circa electionem quorundam minorum magiſtratuum ſuffragiorum libertatem faciunt. At non tamen miſtura eſt, neque Princeps (vtcumque Rex, aut Imperator quoque vocetur) ideò verus Monarcha eſt, (vti neque populus planè liber) quòd ſumma nimirum poteſtas penes Optimates ſolummodò ſit; ac tales Ariſtocratiæ dici ſolùm poſſunt in ſui adminiſtratione quidpiam quaſi Regium, aut Monarchicum, Democraticúmque habere. Sic demùm, cùm ſint etiam Democratiæ, in quibus tùm quidam Optimates, ſummive Magiſtratus ſunt, tùm vnus quidam Princeps, militum præfectus, aut alius; non tamen vlla eſt miſtura; cùm & Optimates, Magiſtratúſque illi, & quiſquis ille eſt princeps, precariò dumtaxat authoritatem habeant; populúſque, qui eos ſuffragiis eligendo illam concedit, ſibi ipſi ſemper ſupremam reſeruet; ac patiatur dumtaxat volens eſſe aliquovſque tenus Ariſtocraticam, regiámque adminiſtrationem. Videtur interim ex iſtis poſſe obiter intelligi, aſſignatas ſex ſpecies, treis laudatas, treis illaudatas, non eſſentialeis, vt loquuntur, ſed quaſi accidentarias eſſe; quòd non oriantur ex diuiſione neque ſupremæ poteſtatis, neque ſubiecti, in quo eſt; ſed ex adiuncto æquitatis, iniquitatíſque petantur. Adeò proinde, vt exactè loquendo, tria, quæ diximus, genera, tres quædam ſint ſpecies, quæ eſſentialiter non varientur. Hoc verò attingo, vt obſeruari poſſit, quatenus excuſari Ariſtoteles valeat circa id diſcrimen, quod inter Ariſtocratiam, Democratiámque conſtituit. Nam

De Prudentia.

3. De leg. 6. De Rep. Rom. 4. Polit. 8.

4. Polit. 4.

quòd

[*De Prudentia.*] quòd illud quidem ex Optimatum opulentia, & ex Populi indigentia repetit, dici poſſet ipſum voluiſſe non ampliùs quàm accidentariam aſſignare diuerſitatem (cuiuſmodi agnoſceretur etiam, ſi in Optimatibus ex procetitate, aut decore; in populo ex breuitate, aut deformitate corporis peteretur.) At, quòd factâ hypotheſi mille & trecentorum ciuium; ſi ex iis mille diuites forent, neque trecentos pauperes, quamvis alioquin liberos, & cætera ſimileis, participes Imperij facerent, negat omnino regimen Democraticum appellandum; vti & pernegat Oligatchiam fore, ſi pauci forent pauperes, qui diuitibus pluribus imperarent; non apparet ſanè quâ ratione id dicat; cùm alia non ſit eſſentialis ratio variandæ formæ regiminis, quàm quæ reperitur ex ipſo poteſtatis ſummæ ſubiecto; & contradictio perſpicua ſit imperare plureis, & eſſe tamen Oligarchiam; imperare paucos, & Oligarchiam non eſſe.

Verùm his dimiſſis, non eſt cur hæreamus in deſcribendis ſingularum Reipublicæ formarum Characteribus; cùm ij ſint ſatis, ſupérque noti. Pauca ſolùm quædam obſeruo: Vnum eſt, ad duas Monarchiæ ſpecies, Regiam ſcilicet, ac Tyrannicam, addi vulgò ſolere tertiam, quam Deſpoticam, ſiue Dominicam appellant. Videlicet: cùm Regia ſit, in qua Monarcha ſubditis, vt Pater filiis imperat; &, dum ſubditos habet ſibi, legibúſque ſuis obſequenteis, obſequitur ipſe legibus naturæ; ac tùm naturali frui libertate, tùm bonorum proprietate ſubditos permittit: Tyrannica verò, in qua Monarcha ſubditis quaſi pœnæ ſeruis, aut pecudibus imperat; & naturæ leges peſſundans, illos ſpoliat tùm libertate, tum proprietate etiam bonorum, quibus vſurpatis abutitur, vt ſuis: Deſpoticam eam deſcribunt, in qua Monarcha ſubditis, bello alioquin iuſto, ſubiugatis ſic imperat, vt æquus, bonúſque Pater-familias ſeruis. Alterum eſt, Notas tam Tyrannici, quàm Deſpotici dominatus facilè agnoſci ex Analogia in ipſis tam Oligarchia, quàm Polyarchia poſſe. Nam, cùm legitimus paucorum dominatus Ariſtocratia dicatur, quòd
[1 Polit. 7.] Imperantes, vt Ariſtoteles notat, aut optimi ſint, aut ad id, quod eſt ciuitati, ciuibúſque optimum, reſpiciant; ac tùm ipſi ſint totidem quaſi Reges; tùm ſubditi, quaſi in Regno, & libertate naturali, & proprietate bonorum potiantur; Tyrannicus ſanè erit Principatus, ac pauci illi totidem Tyranni, ſi ad ſui dumtaxat, non ad ſubditorum vtilitatem reſpicientes, ipſos quaſi ſeruos, aut pecudes habeant. Et, cùm legitimus Populi Principatus ſit, in quo omnia certo peraguntur ordine, ac multitudo maior, ſeu plures in pauciores non ſæuiunt; Magiſtratus à ſe inſtitutos, officióque probè fungenteis reuerentur; bonos innoxióſque degere pacificè ſinunt; diuites frui legitimè ſuâ opulentiâ patiuntur, &c. Tyrannicus profectò erit, ſi populus omnia perturbare moliatur, & multitudo maior minorem opprimat, magiſtratus contemnat, bonorum rationem non habeat, diuitum fortunas diripiat. [*In pag. 88.*] Quod idem proportione dicendum de Deſpotico, ſi contigerit ſubditos eſſe vel à paucis; vel à pluribus bello iuſto ſub iugum miſſos. Tertium; cùm Deſpoticus Principatus videatur quaſi inter Regium, & Tyrannicum medius; ipſos Regium, Tyrannicúmque oppoſitos meritò haberi. Quippe, vt Regius ad ſocietatis commune bonum dirigitur, ac illius finem tuetur, publicam nempè ſecuritatem, tranquillitatem, abundantiam, ac vno verbo felicitatem: Ita Tyrannicus priuatum dumtaxat ſpectat commodum; ac omnia terrore, conturbatione, egeſtate, miſeriâ complet. Et, cùm in Regio felicitas non in ſubditis modò reperiatur, ſed in Rege quoque maximè effloreſcat, ob reuerentiam, & amorem, quo erga ſe affici ſubditorum animos perſéntiſcit,dum ſe eum illis exhibet, qui Deum reuereatur, naturæ legi obtemperet; ac ipſam populi ſalutem pro ſumma lege habeat: qui ſit deliberando prudens, agendo generoſus, moderatus in proſperis, conſtans in aduerſis; qui ſit iuſti tenax, & fidei ſeruans, manſuetus erga bonos, ſeuerus erga improbos; amicis pæſidium, inimicis terror; qui vno verbo & Pater patriæ, & *ποιμέν᾽ λαῶν Paſtor populorum* iure appelletur: In Tyrannico ex oppoſito, infelicitas non ſubditos modò, verùm, ipſum quoque Tytannum maximè inuadit, ob occultum illum deſpectum, & implacabile odium, quo concitatos erga ſe ſubditorum animos non ignorat: quatenus ipſis ſe eum præſtat, qui Deum, naturam populi ſalutem pro nihilo ducat; qui callidè omnia, ac violenter agat; proſpero ſucceſſu inſoleſcat, aduerſo ferociat, iniquus, perfidus, crudelis, bonorum oſor, malorum fautor; amicos, inimicos, ſuam quoque vmbram metuens; qui, vt paucis dicam, Patriæ ſit non Pater, ſed Publicus hoſtis; Populi non paſtor, ſed lupus. Miſeria certè illius ſumma videtur præſertim in eo eſſe metu, cuiuſmodi fuiſſe in Dionyſio Cicero fusè in Tuſculanis commemorat, & de qua etiam in opere de officiis dicturus, præmittit illam ſententiam, quæ ipſius fuit Epicuri, vt legere licet apud Monachos, hiſce verbis, *ὐκ ἔστιν ἄφοβον εἶν, φοβερὸν φαινόμενον, fieri non poteſt, vt ſine metu ſit, qui ipſe videatur metuendus*, quæque eadem eſt cum illo Laberij verſu, qui refertur à Seneca, & in ore eſt omnium: [Lib. 5. Lib. 2. Sec. 62. 2 De ira, 11.]

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Quartum; cùm ex vitioſis Reipublicæ formis Peſſima videatur Polyarchica, media Oligarchica, & minimùm mala Monarchica; quòd ſint in prima Tytanni plures; in alia pauci; in iſta vnicus: tùm videri ex Probis Optimam eſſe Monarchicam; ſuccedere Oligarchicam; Polyarchicam poſtremam eſſe. Tametſi certè

&

In pag. 88. & commoda, & incommoda recenſeri poſſint,quæ occurrunt in ſingulis; præponderant profectò longè, quæ commoda ſunt Monarchiæ Regiæ, cæterarum commodis & cæterarum incommoda, incommodis Monarchiæ Regiæ: idque,ſiue illam ſucceſſio,ſiue electio deferat. Quippe in ipſa ordo ab vno, & ad vnum facilior,conſtantiórque eſt;prouidentia expeditior; conſilium ſecretius; exſequutio promptior; locus factionibus,ſeditionibuſque obſtructior;ſecuritas,atque libertas,quàm exteræ formæ prætexunt,vberior; compluráque alia, quæ paſſim perſpecta: Quin-etiam rem clarè inſinuat, Tùm Regimen domus, in qua vnus Pater-familias, non plures (ſcilicet,cùm Reſpublica nihil aliud ſit, quàm magna quædam omnium ciuium domus;vnde & Ille conſilium danti, vt ex Monarchia, plurium regimen faceret,fac tu, inquit, priùs domi tuæ Patres-familias plures) Tùm Regimen Exercitus,qui totus ſub vno ſummo Imperatore eſt (cùm Reſpublica nihil ſit aliud, quàm quiſpiam quaſi exercitus, in quo quiſque debeat ſtationem,ordinémque tueri,& habere ducem cuius nutui, ſi quò vocet, pareat) Dictatorem certè exſtitiſſe ſemper, naufragiis publicæ rei imminentibus, quaſi anchoram ſacram, dubitare hiſtoriæ non ſinunt. Tùm ipſum Mundi Regimen,cuius quaſi ectypus quidam Reſpublica eſt. Notum certè eſt Ariſtotelem,vtcumque in Politicis plura in Ariſtocratiæ,quàm in Monarchiæ gratiam congerat;& partim diſtinguat populorum genios,quorum aliis aliud regimen magis congruum ſit;partim etiam illud ex Homero tritum,ambigat dici-ne de vno,an de pluribus vnius inſtar dominantibus debeat; in Metaphyſicis tamen incunctanter concludere eſſe *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, Plurium dominatum non bonum* (nempè illud idem Homericum de Rectore Mundi vſurpans) Quo eodem modo tametſi Plato in libris de Republica, & de legibus varius ſit; apertè tamen in Politico regimen Regium cæteris præfert.

Lib.3. cap.15. 16. 17.

Lib.4. c.4.

Lib.12. c.vlt.

IAM, cùm ſit negotij immenſi, neque huius profectò loci,attingere omnia,quæ diſſeri de Prudentia Politica circa ſingulas Reipublicæ formas poſſunt;abundè erit,ſi aliquid de Monarchica ſeligatur,& quod præſertim facile ſit accommodare cæteris. Itaque Munera Imperantis, cùm ad duo ſpeciatim tempora pertineant, Belli videlicet, ac Pacis; tùm quædam generatim ſunt illi maximè attendenda. Ac Primum quidem, vt animo defixum ſcopum,ac finem teneat; cuius gratia præeſt, ipſique patetur. Is verò eſt Populi ſalus,ſecuritas, vtilitas, &c, vt Cicero loquitur, beata Ciuium vita: *Vt enim,inquit,gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria;ſic huic Moderatori Reipublicæ beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples,gloriâ ampla, virtute honeſta ſit.* Alterum,vt non aliud ſibi curarum, laborúmq; ſuorum præmium proponat,quàm

In fragm. 5 de Rep.

benè adminiſtrandi gloriam, & ſubditorum animum gratum,ſummo cum honore, amoréque coniunctum. Ampla profectò Traiano merces,cum apprecantem Populum audit: *Sic te ameut Dij,quemadmodum tu nos*;ac illud ſubiunctum: *O nos felices*: quod excipiens Plinius: *Quid enim,inquit,felicius nobis,quibus non iam illud optandum eſt, vt nos diligat Princeps, ſed Dij, quemadmodum Princeps.* Ampla Timoleonti; quoties tanti affectus plenas acclamationes obaudiit,dum iam propter ſenium,cæcitatémque ſellâ geſtatus,prodiret apud populum. O, quàm parùm conſideratè, imò & quàm præpoſterè agunt Principes, qui gloriæ cupidi, eam aliunde,quàm populo benefaciendo,ciuſque amorem demerendo,venantur! Secus ſcilicet famam quidem,ſed quæ ſit infamia dicenda, aſſequuntur, quatenus coniuncta eſt odio, probris, imprecationibus; qualem, amabo, expetúnt-ne? Quàm perpendere attentè deberent quod præclarè Seneca ait; dum, *Illius demum Principis,inquit,magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt;cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente,non tanquam malum aliquod,aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt; ſed tanquam ad clarum, ac beneficum ſidus certatim aduolant; obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanum iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt;latera obiecti,circumfuſique defendunt,incurrentibus periculis ſe opponunt.* Tertium,vt ſicut dignitate, ita, & virtute cæteris præcellat. Præclarè enim Cyrus apud Xenophontem conuenire cuiquam non cenſebat imperium, qui non foret iis, quibus eſſet imperaturus,melior,quique adeò non obtineret, quam Ariſtoteles quoque *ὑπεροχὴν τῆς ἀρετῆς, ſupereminentiam virtutis* appellat. Et certè cùm populi cauſâ debeat virtutem colere, quandò vt tritum ex Poëta eſt,

—Componitur orbis
Regis ad exemplum:

eaque conditio eſt Principum, vt,quicquid faciant, præcipuè videantur;(quod Quintilianus quidem videtur, ex Cicerone deſumpſiſſe, dum, *Vitia, inquit,non ſolùm ipſi principes concipiunt,ſed etiam in ciuitatem infundunt,pluſque exemplo,quàm peccato nocent*) Tùm debet quoque ſui ipſius cauſâ, vt maieſtatem ſartam tectam, debita cum æſtimatione, venerationéque obtineat; quæ abſutura ſit, ſi vitioſus audiat; cùm & tantò facilius audiat, quòd *non magis ei, quàm Soli*, vt Seneca ait, *latere contingat.* Debet porrò ex Virtutibus colere imprimis Pietatem, tùm, vt diuinitùs obtineat, vnde tanto oneri ferendo ſit par; tùm vt ſubditos fideliores, reuerentiores, obſequentiores faciat; perſuaſos nimirum amari à Deo, quem ſanctè colere Deum obſeruant; ac ſe à diuino regi Numine, cùm ab eo,qui ſit Deo carus,reguntur. Debet Iuſtitiam quoque;quoniam hæc eſt virtus,ob quam

De Prudentia.

In Paneg.

1. De clem. 3.

8 Pæd. 5. Polit. 10 & 14. cap.17.

Claud. in 4. Conſ. Hon. Declam. 4. 1. De leg.

1. De clem. 8.

De Prudentia. vt ab Heſiodo vſque obſeruatum eſt, Reges creati primùm ſunt, vt improbos nempè corripiant, benèmerenteis præmiis afficiant, ac ſumma æquitate ius ſuum cuique tribuendo, diſſidia componant; vnde & fit, vt virtute hac functus princeps, ſummo Regiæ curæ munere defunctus videatur; ac reputare debeat, nihil eſſe poſſe glorioſius, auguſtiuſque, quàm iuſtum audire; titulúmque nullum adeò eſſe illuſtrem, qui cum illo cognomine Ariſtidis Iuſti valeat comparari. Debet adnexam Iuſtitiæ Fidem; quippè quam violare in nullo eſt turpius, quàm in Principe, qui & poteſtate præpollet, vt nihil ideò metuat, ob quod fidem fallat; & vindex eſt fidei, quam ſeruare ciues non modò inter ſe, ſed etiam erga ipſum debent: vt proinde verendum ſit, ne malo ipſis exemplo præeat, ſi quandò occaſio, facultáſque ſit, qua violent ipſi quoque viciſſim. Quo loco, cùm Perfidiam merito iure omnes damnent, videas tamen viros alioqnin laudatos, qui non omneis improbent fraudeis, vbi pro ſcopo eſt Publica ſalus. Nam de diſſimulatione quidem, res nimiùm familiaris eſt: de Mendacio, & deceptione loquor; ſiquidem Plato, præ cæteris, debere cenſet imperanteis συχνῷ τῷ ψεύδει, ϗ ἀπάτῃ χρῆσθαι, ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων, *5. De Rep.* *crebrò mentiri, ac fallere in ſubditorum vtilitatem.* Verùm hac de re etiam paulò pòſt: Debet tùm Fortitudinem, tùm Clementiam; quòd vt illa ad incutiendum timorem, ne quis inſurgat temerè, pacémque conturbet, neceſſaria eſt; ſic iſta ad creandum amorem, ob veniam conceſſam, obque bonitatis factam opinionem, comparata ſit; ac ideò iure is admoneatur, qui eſt populos imperio recturus, vt meminerit

6. Æneid. *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*

Debet Modeſtiam, cum Maieſtate temperatam: Nimirùm, ne aut faſtu elatus, humanæque conditionis oblitus ſuperbiat atque inſoleſcat, ex quo odium paritur; aut præter decorum dignitatis ſeſe demittat, ex quo contemptus ingeneratur. Debet Liberalitatem; cùm nihil magis beneuolentiam, quàm beneficentia conciliet; ac ideò videantur innumera bona in Principem confluere, vt ex eo deinceps, ceu ex fonte dimanent. Exercenda eſt autem cum delectu, ac erga bene-meritos, ne obtrectationem, & inuidiam creet; ac ea ſemper ratio habenda ærarij, vt caueatur, *ne ambitione exhauſtum*, quemadmodum ille aiebat, *per ſcelera ſupplendum ſit*. Debet denique Continentiam, virtutéſque cæteras; quarum quò plenior cumulus, eò erit veneratio ſanctior.

Succedit Quartum, vt pernoſſe eximiè ſtudeat ingenium Regni. Quippè, vt adminiſtrationem adhibere idoneam poſſit, ignorare primò non debet, id-ne Electione, an Succeſſione obueniat, & ſit-ne antiquum, an recens (quo nomine oportet & leges Regni fundamentaleis, & quo fructu fuerint ſemper obſeruatæ, quo damno interdum violatæ, callere) Quid item habeat imitamenti ex Ariſtocratico, aut *In pag. 88.* Democratico dominatu; Quid magnates poſſint; quid populum moueat; quique adeò ſint mores vtrorumque. Deinde, neſcire non debet illius amplitudinem, & confinia; itemque ſitum opes, commercia cùm intra ipſum, tùm cum externis; munimenta quoque; & vicinos, qui irrumpere, aut factiones fouere valeant. Vnde & efficitur, vt cognitu illi neceſſaria ſit tùm Chronologia, tùm Geographia, tùm quæ ex vtraque illuſtratur, perficitúrque Hiſtoria, citra quam (ac ſui potiſſimum Regni, nationúmque confinium) fruſtrà aſſequi conſummatam politicam prudentiam nitatur. Succedit & Quintum, vt ea appareat, ſine quibus probè conſtare Regnum neutiquam poſſit. Huiuſmodi imprimis eſt Sapiens Conſilium; vt cùm ipſe omnia pernoſſe, coniicere, decernere, ſolus, vt par eſt, non poſſit, Conſiliarios adhibeat, quos ætas, experientia, prudentia, probitas, candor, fides commendet. Meminiſſe nimirùm debet, quod Heſiodum viſus indicare Cicero ait: *Pro Cluent. op. & di.* *Dum Sapientiſſimum*, inquit, *eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem:*

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ,

Proximè accedere illum, qui alterius benè inuentis obtemperet;

(ſeu carmine mauis,

Ille quidem eximius, qui per ſe ipſe omnia nouit;
Sed præſtans etiam, qui paret recta monenti.)
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται).

Quo ex capite admonetur, ſic ſe habere comparatum, vt veritate non offendatur, ſinceritatémque amando, Adulationem (quâ non eſt capitalior peſtis) exhorreat; ne, dum auribus delicatis eſt, dedecus Regni vltimus audiat, ac ſe in perniciem incidiſſe, prinſquàm potuerit ſuſpicari, ſentiat. Deinde, Adminiſtri idonei; vt cùm agere adhuc minùs, quàm cognoſcere omnia poſſit; viros deligat ſuſtinendis variis muneribus pareis. Tales autem ſunt prouinciarum, oppidorúmque Præfecti; tales Imperatores, ducéſque exercituum; tales Iudices, cæterique, quibus præficiendis, niſi probitatis, peritiæque rationem habeat, mirum, quot malorum futurus ſit cauſa. Ad-hæc, Ærarium affluens; vt cùm in eo ſint agendorum nerui, conſtet ſemper Regnum ſuis viribus; & cùm occaſiones, quibus pecuniâ opus fuerit, inciderint, ſit potiùs vnde liceat illam aſſeruatam expromere, quàm vt incumbat neceſſitas extraordinariæ, ac violentæ corrogationis. Poſteà, Præſidia opportuna; quo nomine complector tùm Arceis debitè munitas in ipſis confiniis (& quà præſertim ab extraneis timetur) tùm copias paratas, aut ita conſcriptas, vt poſſint ad nutum coaleſcere; ne ſcilicet vnquam inermis, imparatúſque deprehendatur; ac præſtò ſemper habeat, quo & hoſteis reprimere, & ſeditiones compeſcere poſſit. Inſuper, Confœderationes, initæ præſertim cum finitimis, iiſque (vt Ariſtoteles prætereà vult) *Rhet. ad Alex. vlt.* potentibus.

In pag. 88. potentibus. Nimirum hoc facir ad ſecuritatem vti aduerſus cæteros,ſic etiam quod ipſos confœderatos attinet, quatenus, licet ſemper agendum cum congruo moderamine inculpatæ tutelæ ſit ; interim tamen publica fides ſecura facit commercia, & obſtaculo eſt, ne hoſtiliter, apertáque vi aliquid geratur. Denique informatio crebra, fidáque eorum,quæ geruntur ; conſiliorúmque, quæ ſuſcipiuntur, tam apud ſubditos, quàm apud vicinos, ſeu illi infenſi, ſeu confœderati ſint ; ne, niſi ea cognouerit, variis machinationibus ex inopinato infeſtetur, aut fortè etiam opprimatur : Quam ſanè ob cauſam parcum eſſe in exploratores non decet. Tametſi hæc certè, & pleraque alia, tempore vtroque obſeruanda ſint, tùm ſunt præſertim tempore Pacis, quo Togata vigens Prudentia cauere debet quam-maximè, vt pax ſit florens, atque diuturna ; & non poſſit tamen plerumque aliâ ratione id aſſequi, quàm factâ partim ſubditis, partim exteris opinione,quòd nemo poſſit aggredi,pacémque turbare ; ac ferre impunè.

Verum, vt ea paucis attingam, quæ ſpécialiore quadam ratione ad tempus Pacis, atque adeò ad Togatam prudentiam ſpectant. Primum, eſſe videtur Munus, curare, vt Religio, Pietaſque in Diuinum Numen ſarta, tecta, inuiolatáque toto Regno ſemper ſeruetur. Nempè, vt & Regno, ſibique propitium Cœlum obtineat ; & ſubditi, præ reuerentia, ac metu ſummi Numinis per omnia infuſi, omniáque ſpectantis, ab occultis ſceleribus, quæ ipſe coërcere ſuis legibus non poſſit ; abſtineant. Docuit verò nos maximè experientia poſtremorum temporum, quàm verum, ſalubréque fuerit Mecœnatis conſilium, cùm de Religione, ac rebus diui-

Dion. Caſſ. l. 52. nis apud Auguſtum diſſerens : *Nouatores*, inquit, *circa hoc negotium & odio habe, & impuneis non ſine ; idque, non modò Deorum cauſâ (quos qui contemnit, nihil eſt, quod magni alioquin fecerit) ſed etiam, quia illi noua aliqua introducentes Numina* (κατά τινα δαιμόνια) *impellunt non paucos ad mutationem rerum : Vnde & coniurationes, ſeditiones, conuenticuláque exſiſtunt ; qua res haudquaquam profectò eſt conducibilis Monarchiæ.* Secundum, Dare operam, vt Artes excolantur ; & non ſolùm Ingenuæ, à quibus decor præcipuus Regni ; verùm etiam Mechanicæ, à quibus præſertim vtilitas eſt. Debet autem, cæteras inter, magna haberi ratio, tùm Agriculturæ, ex qua rerum ad vitam neceſſariarum ſuppetit copia ; tùm Nautices, commercij gratiâ ; quo, vt cum exteris ea communicamus ; quibus indigent ; ita ab illis accipimus, quibus viciſſim ipſi indigemus. Tertium, eò attendere, vt Regnum virtute, opibuſque abundet ; hoc eſt,vt rebus omnibus ad vitam benè, commodéque tranſigendam neceſſariis affluat ; & cùm luxus facilè irrepat, illum cenſurâ cohibere ; ac interim operam dare, vt qui opulentiâ exundant, eſſe pauperes non patiantur, qui culpâ non ſuâ exareſcant ; & ſic prouideatur omnium indigentiæ, vt quò Regni felicitas cumulatior ſit, felicitas in omneis redundet. Quartum, eò aduigilare, vt pax tuta ſit, quò eſſe conſtantior huiuſcemodi felicitas poſſit. Ad hoc autem faciunt ea, quæ mox innuimus ; cauendo nempè ſollicitè tam ab exterorum irruptionibus, quàm à factionibus, & ſeditionibus ſubditorum. Et cum exteris quidem ipſis, habendæ, tuendæque, quantum fieri poteſt, confœderationes ; ſed tacitè tamen curando, vt illi intelligant ſe fœdifragos fruſtrà exſtituros. Nimirùm, quia ſemper reputandum eſt, illis potiùs vireis, quàm aut animum, aut prætextum inuadendi regni, eiúſve partem,deforc ; Ideò debet tùm munimenta nunquam non habere apprimè inſtructa ; tùm non magis à vi aperta, quàm à latentibus inſidiis, proditionibúſque cauere ; &, ſi quos fortè aut emiſſarios, aut proditores deprehenderit, illos grauiſſimè punire. Quod dixi aptem de parata, conſcriptáve militia, quæ ſit in promptu ſemper habenda ; id ſupponit milites temporibus ſtatis ita exercendos, ac tyrones à veteribus ita inſtituendos, vt occaſione belli factâ, idonei ad illud gerendum accedant. Ad ſubditos verò quod ſpectat ; præoccupare coniurationes, factionéſque magnatum debet, non diſtributione modò munerum, teſtationéque beneuolentiæ, ne ſit, quod poſſint conqueri ; ſed ſimul etiam, & maximè quidem, vt intelligant, ſe & authoritatis retinentem eſſe, & ſatis perſpicacem, vt penetrare in ſecretiora illorum conſilia, ac molitiones poſſit. Prætereo autem, quod ali-

quoties Ariſtoteles repetit, de dato à Perian- 3 Polit. 11. & l. 5. c. 10.
dro conſilio, cùm Thraſibuli nunciis nihil verbo reſpondit ; ſed facto ſolùm, dum elatiores ſupra ſegetem ſpicas mutilauit ; déque aliis ſimilibus. Debet & anteuertere Populi turbas, ac ſeditiones, non modò reuerentiâ, ac metu (cùm ſoleat alioquin contemptus, & impunitatis fiducia animos facere elatiores) verùm etiam, tùm exquiſitâ diſtributione iuſtitiæ, quâ infirmiorum oppreſſio à potentioribus tollatur ; tùm leuatione tributorum, aut exactione non nimia ; nempè cùm ſoleat quoque odium exinde creatum facere impatienteis. Saltem, ſi occaſiones occurrant vt extraordinaria tributa, ſubſidiáve ſint exigenda ; curare id debet, vt ſubditi intelligant illa, niſi ad vſus ſecuritati publicæ neceſſarios non exigi ; *ſi ſalui eſſe velint, neceſſitati eſſe parendam* (quod Ciceronis verbum eſt,) ac id 2. Offic.
aliunde fieri eâ æqualitate ſeruatâ, vt quiſque pro ſuæ conditionis, facultatúmque modo, moduloque, detrimentum inde patiatur. Quo loco pari modo prætereo non illud modò conſilium de emittẽdis (populo nimiùm increſcente) coloniis, aut ad bella externa exercitibus, ſed illud etiam de emaciandis, vt loqui ſolent,

De Prudentia.

De Prudentia. ſubditis, cùm periculum eſt (vel plerumque prætextus potiùs) ne præ opulentia, quaſi pinguedine nimiâ inſoleſcant. QVINTVM, eò ſtudium conuertere, vt ſi fuerint quædam factiones, ſeditionéſque ſubortæ, illas quamprimùm compeſcat, ac ſedet; aut interuentu virorum pietate, ac meritis grauium, qui authoritate, & gratiâ valentes, animos regant, pectora mulceant, motus componant; aut, niſi illorum increpationes, admonitiones, adhortationéſque ſufficiant; vim armatam adhibeat, neque ſerpere malum ſinat, quod alioquin vireis acquirat, negotium grauius faciat, ac fortaſſis quoque inſanabile penitùs euadat. Quòd ſi fortaſſis non fuerit confugere ad arma promptum, aut res etiam videatur aleæ, periculíque plurimi plena, tùm quidpiam relaxet, condonéque ex iis, ob quæ excitata commotio. SEXTVM, in eo eſſe, vt ſi malum aſſumptis armis non reprimatur illicò, ſed in bellum ciuile abeat, quo peſtis nulla tetrior eſt, tùm remediorum altero vtatur; Vt nempè aut datis, acceptiſque quibuſdam conditionibus pactio fiat, quâ aliquid, tametſi iniuius, de iure remittat; aut Victoriâ rem terminet, ſi ſpes quidem magna illius affulgeat; illud interim ſibi inſuſurrans, *Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.* Debet autem, partâ victoriâ, aut rebus alioquin authoritate compoſitis, in præcipuos ſolùm turbarum Authores, promotoréſque animaduertere, ac multitudini veniam dare; vt partim ſupplicio terrorem incutiens, conſimileis turbas præuertat; partim lenitate, & clementiâ agere ſe patriæ parentem declaret. Cùm requiri porrò heic valeat, an vir bonus poſſit per bellum ciuile quieſcere, an ex lege illa Solonis, apud (Polit. in Solone. l. 2. c. 12.) Ariſtotelem, Plutarchum, Agellium, alios, celebri, ſe alteri partium addicere debeat: Videtur quidem, ſi ille clarus in Republica ſit, & munere quopiam publico fungatur, non debere omnino ipſum ordinem ſuum deſerere, ſed quaſi per tempeſtatem eundem clauum regere, quem alioquin tenet in tranquillitate. Sin priuatus ſit, ac nullis alioquin ſeſe negotiis immiſcens; videtur eum poſſe ſic ſecedere, vt animo quidem, meliori parti ſemper faueat; interim autem, ſine partis alterutrius offenſione viuat. Denique eò incumbere, vt ſi fortè bellum cum exteris ingruat, nihil eorum, quæ ad illud benè, feliciterque gerendum neceſſaria ſunt, prætermittat.

Hoc porrò iam eſt, quod ſpecialiùs ad Tempus Belli, atque adeò ad Militarem Prudentiam ſpectat: quæ in Suſcipiendo, Gerendo, Finiendo bello eniteſcit. Ac in ſuſcipiendo quidem, cauendum potiſſimùm eſt, ne id Temerè, aut Iniuſtè fiat. Imprimis enim, ſeu de Inferendo, ſeu de Excipiendo bello cogitet, ita metiri ſuas vireis debet, vt, ſi impareis hoſtilibus ſentiat, tùm ab irrumpendo abſtineat, ne non facilè pedem retrahat, occaſionémque ſui inuadendi faciat; (In Pag. 88.) tùm irruptionem hoſtium non exſpectet, ſed per mediatores occurrat, & quidpiam potiùs de ſuo largiatur, quàm perniciem ſibi ingentem accerſat. Quòd ſi nec prece, nec pretio potentiorem hoſtem valeat flectere; aliud ſupereſt nihil, quàm vt corrogatis omnibus tam ſuis, quàm amicorum viribus, habitâque in diuinum Numen, cauſæque inſtitiam fiduciâ, ingenteis animos aſſumat, ſicque ſe comparatum habeat, vt ſiue glorioſè occumbens, non omnino inultus pereat; ſiue rem feliciter gerens, id cœlo propitio obtineat (quod eueniſſe non ſemel conſtat) vt maior numerus à minore vincatur. Deinde cauendum, ne iniuſtè ſuſcipiat. Tunc autem iuſtè ſuſcipit, cùm inferendo quidem, id facit, vt hoſtem, alioquin inuaſurum, præoccupet; vt quidpiam repetat, quod fuerit ab hoſte iniuſtè vſurpatum, neque, re antè denunciatâ, voluerit reſtituere; vt ſociis, confœderatíſve, & imbecillioribus iniuſtè oppreſſis, auxiliúmque implorantibus, opem ferat. Excipiendo verò, cùm hoſtis aggrediens defenſionem neceſſariam facit; atque id quidem potiſſimùm, cùm illius eſt aggreſſio iniuſta. Nam ſi alioquin iuſta ſit (hoſte vt-potè laceſſito, affectôque iniuriâ) tùm demùm duntaxat defenſio vt neceſſaria, ſic iuſta erit, cùm illi oblatæ, & reiectæ tamen, conditiones fuerint, quibus fiat illi abundè, & ſatis. Vtroque autem caſu, attendere debet, eſſe omne bellum Camarinam quandam malorum, quam mouere facile ſit, ſed compeſcere difficillimum, ob occaſiones innumeras inexſpectatò interuenienteis; adeò vt ſola neceſſitas facere reuerâ excuſatum, ac reddere tutum poſſit à tot illis diris, & imprecationibus, quibus miſeri Populi impetere ſolent bellorum Authores.

Ad Gerendum autem reipſâ, Prouidere imprimis debet, ne Quatuor quædam vniuerſè deficiant: videlicet Viri idonei, Arma congrua, Commeatus ſufficiens, Pecunia neceſſaria. Et ex Viris quidem, manifeſtum eſt, habendam primùm rationem Ducum, ac in iis, Summi, ſeu Imperatoris; qui niſi ipſemet Princeps ſit, Is deligi ab eo, conſtituique debet, qui Et ſit vnicus; cùm ab omni æuo exploratum ſit, quod adnotauit Thucydides, (Lib. 6.) nihil æquè nocere, ac multitudinem imperantium: Et peritus; cùm ſcilicet ſumma in illo reſideat; ac ideò, tametſi eſſe quoque vir bonus debeat, (5. Polit. 9.) Ariſtoteles tamen maiorem peritiæ, quàm virtutis, aut morum eſſe habendam rationem cenſeat: Et authoritate vigens, diſciplinæque ſeuerus vindex; cùm nihil magis ad exercitum in officio continendum faciat: Et denique felix; cùm fortunæ illius fama & exercitum reddat alacrem, & hoſtibus iniiciat timorem. Nota eſt etiam enumeratio Imperatoriarum virtutum, quas occaſione Pompeij Cicero commemorat, (Pro lege Manil.) *Laboris in negotio,*

fortitudinis

In pag. 88. *fortitudinis in periculo, induſtria in agendo, celeritatis in conficiendo, conſily in prouidendo.* Tùm Militum quoque rationem habendam; vt ij nimiiùm ſint ætate, corporéque validi; quippè ad laburem deſtinantur: & domeſtici, potiuſquàm externi; quippè ij ſimul magis fidi, ac minùs tumultuoſi ſunt: & diſciplinâ probè inſtitui, ac, vt par eſt, exercitati; quippè ſecus nihil rectè gerunt; ac vtcumque ſoleat his temporibus eſſe diſciplina neglectui; conſtat ſaltem quanto ſucceſſu fuerit à Romanis, populiſque aliis rigidè obſeruata. Cùm neceſſarij autem tam Pedites, quàm Equites ſint, ſunt tamen in mntanis locis, ac in obſidionibus vtiliores pedites; quamquam & in prœliis quoque non ſunt plerumque vtiles minùs, ſi debitè modò inſtructi in ordine tenendo fuerint; cùm alioquin, vel Tacito obſeruatore, Equites, vti citò parant, ita citò cedant victoriam. De moribus German. Ad Arma quod attinet; notum eſt profectò, qua neceſſitate eſſe comparata, & ad vſum, ſeu aduriendo, ſeu excipiendo, accommodata debeant: ac ſpectata potiſſimùm conditione temporum; cùm nupera ætas, Pyriis Machinis inuentis docuerit eſſe Armamentaria alio genere armorum inſtruenda, quàm pridem. Vnde & fit, vt Puluis pyrius, ac tormentarij globuli ad armorum caput pertineant (vtcumque vulgus ſoleat commeatus partem facere, cùm alium cibarium, alium bellicum dicit) ne de Nauibus quidpiam memorem, ſi fortè bellum nauale ſit; neque de lembis, ratibuſque, ſi traiicienda flumina; atque ita de cæteris, quæ ad apparatum bellicum ſpectant. Circa ipſum porrò Commeatum, quo potiſſimùm continentur cibaria; perſpectum nimis-quàm eſt illam eius prouidendi neceſſitatem eſſe, vt plerumque ipſius defectu tam exercitus, quàm præſidia conficiantur, ac hoſtes victoriam obtineant, arceiſque expugnent, ferro indiſtricto. De Pecunia verò ipſa nihil adiicio; cùm ſit adeò tritum eam eſſe, vt totius Imperij, ſic ipſius belli potiſſimùm, neruum. Sine ea certè, neceſſe eſt Exercitum eſſe aut nullum, aut tumultuantem, aut non tam ex militibus, quàm ex latronibus conflatum; cùm victitare illum oporteat aut ſtipendiis, aut latrociniis; neque, vbi illa deficiunt, hæc coërceri poſſint ab eo, qui ipſa neceſſaria fecit. Conſtat verò aliunde, non pecuniâ minùs, quàm vi, & conſilio adminiſtrari res maximas: ac vulgare præſertim eſt, quod de Philippo Cicero refert: 1. Ad Attic. 13. *Qui*, inquit, *omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet adſcendere.* Quod ſupereſt, dicendum quidem ſubinde eſſe videretur de variis Ducis officiis, dùm cum exercitu incedit; dum caſtrametatur; dum inſtruit aciem; dum init prœlium; dum arcem oppugnat; dum propugnat, &c. Verùm res ex Ducis peritia, ſagacitate, ſolertia; & ex circumſtantiis, occaſionibúſque temporum, locorum, perſonarum, rerum variè incurrentium ſic pendet, vt fiat omnino præter breuitatem huius inſtituti. De Prudentia. Hoc dici heic ſolùm generatim poteſt; nihil eſſe vtilius Duci, quàm res hoſtium noſſe (quantum quidem licet) non minùs, quàm ſuas; quamque obſeruare, agnoſcere, & neque ante-vertere, neque prætermittere occaſiones. Quo loco, cùm etiam dicendum de Strategematibus videretur; hoc tamen ſolùm ſufficit; callida illa, quibus hoſtes circumueniuntur, conſilia, probatiſſima ſemper fuiſſe, quatenus tendunt in eundem ſcopum cùm aperta vi, & cùm compendio, cúmque ſalute ipſius exercitus fiunt, ac ad ius belli attinent, quo licet tam hoſtibus te, quàm tibi illos circumuenire: ac periculum ideò eſt, ne te illi præoccupent, niſi tu ipſos præoccupâris. Heinc dolus quidem; ſed non malus, verùm referendus ad Prudentiam habetur; quòd dolus malus tùm ſolùm ſit, cùm fides data fallitur, vt temporibus induciarum. Exſtat hac de re ſatis longa apud Xenophontem diſſertatio, qua Cambyſes Cyro ſcrupulum illum eximit, quo, inter amicos, & inimicos non diſtinguens, obſtupeſcebat eum, qui bella gereret, eſſe debere *Inſidiatorem, diſſimulatorem, doloſum, deceptorem, furem, raptorem, ac omni in re hoſtibus prævalentem.* 1. Cyrop. Nobis videtur imitari D. Auguſtinum licere, dum circa id, quod Deus iuſſit, vt Ioſue inſidias conſtitueret: Lib 6. q. 10. *Heinc admonemur*, inquit, *non iniuſtè fieri ab his, qui bellum iuſtum gerunt; vt nihil homo iuſtus præcipuè cogitare debeat in his rebus, niſi vt iuſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Cùm autem iuſtum bellum ſuſceperit, vtrùm apertâ pugnâ, vtrùm inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt.* Poſtremò, quod ad belli Finem, exitúmve attinet; Si victoria quidem ipſi obtigerit; proſpiciendum eſt, ne hoſtis poſſit, aut præ neglectu; eas vireis colligere, vnde rurſùs negotium faciat; aut præ nimia inſectatione, eò adducatur deſperationis, vt acriùs, quàm antè depugnet, & victoriam iam quæſitam ſurripiat. Laudi autem vertitur, ſi, cùm ex indulgentia nihil timendum eſt, moderationi, lenitati, clementiæ locus relinquatur. Sin autem clades; ſalubrius nihil, quàm ferre illam fortiter, ipſamque habere inter eos caſus, quibus vita eſt humana obnoxia. Non negligere interim reliquias, & accommodando omnia tempori, non deſperare, quin fortuna poſſit, vertente tempore, aliaque occaſione euadere proſperior. Sed de Ciuili quidem Prudentia hæc ſatis.

Supereſſet iam Reſpondendum ad benè multa, quæ obiici occaſione huius Prudentiæ aduerſus Epicurum ſolent; verùm res maxima ex parte præſtita abundè iam eſt. Nam quod ſpectat quidem ad illud Epicuri Placitum, quod prima ſtatim fronte obiiciunt, *Non eſſe ſapientem ad Rempublicam acceſſurum*: De ot. ſap. c. 27. oſtenſum ſuperiùs ex Seneca eſt, non id abſolutè

De Prudentia. dixiſſe Epicurum, ſed ea ſolùm conditione, *Niſi quid interuenerit*: Vt intelligamus Sapientem tùm ſolùm immiſturum ſe negotiis Reipublicæ cùm occaſio fuerit ſuborta, quæ illius induſtriam neceſſariam oſtenderit: non autem ſe prorsùs in ea intruſurum, neceſſitate nulla exigente; neque, præ ambitione, ab otio Philoſophico diſceſſurum. Quòd ipſemet certè Rempublicam non attigerit, alio omnino affectu fecit, quàm Theodorus, & alij, qui cenſuere virum Sapientem nõ debere ſeſe labori, periculiſque exponere, & vnà cum vita ipſam ſapientiam amittere ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ ἕνεκα τῆς τῶν ἀφρόνων ὠφελείας, *ipſius patriæ gratiâ, & adiuuandorum inſipientium cauſâ*; ſed fecit præ ſumma modeſtia ὑπερβολῇ ἐπιεικείας, vti à Laërtio obſeruatum eſt. Id nempè, quia æquum non duxit vltrò ſe eò ingerere, quò ſe intelligeret non vocari; ac ambitioſos imitari, qui ſerò denique agnoſcunt, quod Theophraſtus quoque ſub vitæ finem conqueſtus eſt. Cùm Lib. 5. enim apud eundem Laërtium à diſcipulis rogaretur, quidpiam-ne eſſet, quod mandaret: *Nihil, quod mandem*, inquit, *habeo, niſi quòd vita hominum multas voluptates ambitioſè ob gloriam amittit. Nos quippè, cùm viuere demùm incipimus, tùm morimur; vt proinde nihil ſit minùs conducibile, quàm cupiditas gloriæ.* Præclarum ſauè documentum, quo admonemur tranquillitatem, beatúmque illud otium ad effœtam vſque non differre ætatem, niſi quid interuenerit, quod vel nolenteis aliò abripiat, conſiliáque ſalutaria diuertat. Ecquos nòn videas aulicos, ecquos præfulgenteis dignitatibus, implicitóſque rebus gerendis, quos generis vitæ non tædeat? Qui non inuideant illis quietem, quos quaſi in portu tranquillè ſedenteis, ipſi quaſi in ſalo procelloſo iactati conſpiciunt? Qui receſſum non meditentur, felixque otium cogitent; in quo beati ſint, ſi ſe annis vitæ poſtremis recipere poſſint, ac in eo placidè, & iucundè id tranſigere, quod ſupererit vitæ? Quàm ſapientiùs, amabo, foret, aut eò ſe nunquam intromittere; aut quam-primùm licet, ſe exinde ſubducere; maturéque adeò, & à flore vſque ætatis feliciter viuere; quàm facere ſibi ad beatè viuendum nihil reliquum, præter ipſam fæcem ætatis, ad quam aliunde te peruenturum, aut per quam fore licitum ob negotiorum implexionem, ſecedere, incertum ſit? Felices profectò, quibus ab vſque initio, maturéve ea obtingit mens, vt eo in ſtatu totam vitam tranſigant, in quo alij felicitati vertunt tranſigere poſſe vel exiguam deterrimámque illius partem? Quo loco omni auro pretioſius illud Cyneæ conſilium occurrit, qui, cùm ex Plut. in Pyrrho. Pyrrho aduerſus Romanos bellum cogitante, quæſiiſſet? Quid facto videretur opus, vbi illi deuicti forent? Quid item ſubactâ Italiâ, quam ſe ille quoque ſubinde cogitare reſpondit; Quid rursùs Siciliâ, quid Libyâ? Quid Macedoniâ? Quid cæteris? Ac ille excepiſſet; Tùm denique agemus otium, dieſque feſtos continenteis, ac in mutuis colloquiis, lætitiáque ducemus æuum: *At verò, ô Rex, quid prohibet*, inquit, *quò minus ex hoc vſque tempore biſce & lætitia, & diebus feſtis, & otio perfruamur? Ea quippè nobis iam ad manum, & citra quidem laborem ſunt, ad quæ, non-niſi per ſanguinem, pérque moleſtias, periculáque aliorum, ac noſtra peruenturi ſumus?* Verumtamen plura de otio, tranquillitatéque Sapientis dicta aliquoties In pag. 88. iam ſunt; facítque huc præſertim illud, quod circa Effatum memoratum de non acceſſuro ad Rempublicam Sapiente, declarauimus, ne eſſe quidem Reipublicæ inutile Sapientis otium. Addo heic dumtaxat non videri illos, qui gerere ſummos in Republica honores affectant, proſpicere ſatis, quid ſibi illâ Damoclis hiſtoriolâ inſinuetur, dum temperare ſibi ab *inuidenda*, vt Lyricus vocat, *Aula* non valentes, & ad ſplendorem ſolùm, qui in proſpectu eſt, oculóſque vulgi perſtringit, intuentes; ad ſollicitudines, ac ærumnas, imò & Erinnyas intus corrodenteis nuſquam, aut non ſeriò attendunt. Refert Ariſtoteles ex 6. Eth. 9. Euripide verſus, quibus ipſum ſe imprudentiæ damnat, cui cùm degere vt priuato, ſic beato liceret, ſeſe miſerum, dum rebus gerendis ſe immiſcuit, reddiderit:

Πῶς ἂν φρονοίην; ᾧ παρῆν ἀπραγμόνως, &c.

Num ſapio? qui potui eſſe ſine negotiis, &c.

At nudi labores, qui in rebus gerendis exantlandi ſunt, pro nihilo penè habendi videntur, comparati ad metum, pauorémque indeſinentem, quo torqueantur neceſſe eſt, qui in præcipiti ſic ſtant, vt quantò altiùs elati ſunt, tantò immaniore ruina, grauioréque caſu corruere poſſint. Præclarè ſanè Satyricus; Iuuenal. Saty. 10.

Ergo quid optandum foret, ignoraſſe fateris
Seianum? Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſa turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, Quid Pompeios euertit, & illum,
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempè locus nulla non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cæde, & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Quod verò Plutarchus, poſtquàm longâ inductione oſtendit alios Philoſophos aut quidpiam inſigne egiſſe, conſuluiſſéve pro Republica aut ex eorum Scholis, inſtitutiſque prodiiſſe, qui leges condiderint, exercitus duxerint, tyrannos interfecerint, deprehenſi, mortem fortiter oppetierint, &c. ſubdit: *At ex ipſius Epicuri ſermonibus, atque decretis, Ecquis non dicam tyrannicida, quis facinorum egregius patrator, quis Princeps, qui Reipublicæ conſiliarius, quis pro iuſtitia tortus, quis mortuus vnquam prodiit? Sed & quiſ-nam horum Sapientum pro patria vnquam aut nauigauit, aut legationem obiit, aut ſumptus fecit? Quænam vſquam vllius veſtrûm ciuilis actio conſcripta exſtat?* Demirandum imprimis eſt,

Digitized by Google

In pag. 88. eſt, quamobrem Plutarchus non ſaltem meminerit Caſſij, quem & Epicureum agnouit, & vnà cum Bruto tùm Cæſaris, qui libertatem opprimebat, interfectorem; tùm comparati ad libertatem recuperandam exercitus Ducem non ignaunm deſcripſit? Saltem, inquam; nam ſub idem tempus, aut non-nihil antè fuit Panſa, de quo, cum Imperatoria dignitate profecto, exſtat, Lib. 15. Epiſt. 17. Tùm illud Ciceronis in Epiſtolis: *Panſa noſter Paludatus à III. Kalend. Iannar profectus eſt; vt quivis intelligere poſſet id, quod tu nuper dubitare cæpiſti, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe. Nam quod multos miſeriis leuauit, & quòd ſe in his malis hominem præbuit, mirabilis eum virorum bonorum beneuolentia proſequuta eſt*: Tùm illud reſcribentis ad Epiſt. 19. Ciceronem Caſſij: *Panſam noſtrum ſecundâ voluntate hominum paludatum ex vrbe exiiſſe, cùm ipſius cauſâ gaudeo, tùm mehercule etiam omnium noſtrum. Spero enim homines intellecturos quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia; atque ea, quæ maximè mali petunt, & concupiſcant, ad bonos peruenire.* Ac ſtatim: *Itaque & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, virtutem retinet; & ij, qui à nobis φιλήδονοι vocantur, φιλόκαλοι, & φιλοδίκαιοι, omneiſque virtutes & colunt, & retinent.* Fuit & In Piſon. lib. 5. T. Albutius, quem Cicero in orationibus dicit *in Sardinia triumphaſſe*, & cùm poſteà fuiſſet exſilio damnatus, ſcribit in Tuſculanis *fuiſſe Athenis animo æquiſſimo philoſophatum*; Fuiſſe videtur & ille Memmius, quem opere toto Lucretius inſtituit, & cui pacis tempus idcircò optanit, quod alioquin vigente bello, arma commutare teneretur cum ſtudiis: Nempè huc illud pertinet:

Lib. 1.
Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
Poſſumus æquo animo, neq; Memmi clara propago
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.

Atque, vt ipſos Idomeneum, Leonteúmque prætercam, qui in ciuitate Lampſacena, vt Lib. 17. Strabo habet, Principes (ac Idomeneus qui- Epiſt. 21. dem præſertim, quem Seneca deſcribit: *Rigida tunc potentiæ miniſtrum, magna tractantem, &c.*) Epicuro adhæſerunt; vtque rurſùs Encratidam, cui, vt in Apologia memorauimus, Brunduſini ſtatuam poſuerunt; memoro ſolùm Lyſiam, qui apud Tarſum im- Lib. 5. perauit. Et quamvis Athenæus cauſetur, quòd Stephanophorus à patria electus Sacerdotium cum principatu, Regiiſque ornamentis retinuerit; id ſaltem laudabiliter egit, quòd miſeratus pauperum, opulentiores coëgerit ad largiendum illis, ſuis ex fortunis, neque paſſus fuerit in ipſos ſæuiri. Humanior ſanè ea in re, ac ſimul longè æquior Peripatetico Athenione, cuius tyrannidem idem Athenæus longâ proſequitur hiſtoriâ. Atque hos quidem commemoro, vt intelligas quo iure Plutarchus ſuam illam tantam contexuerit exaggerationem.

Deinde, vtcumque Plutarchus magnæ laudi vertat cæterorum Philoſophorum, Platoniſque præſertim; ſcholis, quòd Tyran- De Prudentia. nicidæ ex illis (ceu è Durateo Equo) prodierint; ac alij vniuersè ad vitam actuoſam comparati emerſerint; probro nihilominus verti Epicuri Scholæ non debet, quòd ad genus vitæ innocentius, pacatiuſque inſtituerit; ac Societas fuerit eorum hominum, qui, ambitione depoſitâ, tranquillitatem ſectarentur. Id nimirùm ſemper ſine probro licuit, & noſtris etiam temporibus licet maximè; idque, cùm periculum profectò non ſubſit, ne paucis quibuſdam in otia ſecedentibus, deſint ambitioſi, qui res gerere, & capeſſere Reipublicæ habenas contendant. Et vide, vt Cicero quoque in ipſam Epicuri ſcholam alioquin non admodum æquus, licere ſaltem ipſi velit, vt quietè ſuis in hortis agat. Verba nempè illius ſunt in Libro tertio de Oratore, & loco illo quidem, ex quo aliquid ſuperiùs delibrauimus. *Ea*, inquit, *Philoſophia, quæ ſuſcepit patrocinium voluptatis, etſi cui vera videatur, procul abeſt tamen ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici conſilij, & regendæ ciuitatis ducem, & ſententiæ, atque eloquentiæ principem in Senatu, in populo, in cauſis publicis eſſe volumus. Nec vlla tamen ei Philoſophia fiet iniuria à nobis; non enim repelletur inde, quò aggredi cupiet; ſed in hortulis quieſcet ſuis, vbi vult; vbi etiam recubans molliter, & delicatè nos auocat à roſtro, à iudiciis, à curia. Fortaſſe ſapienter, hac præſertim Republica: Verùm ego non quæro nunc quæ ſit Philoſophia veriſſima, ſed quæ oratori coniuncta maximè. Quare iſtos ſine vlla contumelia dimittamus; ſunt enim & boni viri; &, quoniam ſibi ita videntur, beati; tantumque illos admoneamus; vt illud, etiam ſi eſt veriſſimum, tacitum tamen, tanquam myſterium teneant, quod negant verſari in Republica eſſe Sapientis. Nam, ſi hoc nobis, atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, otioſi.* Eadem penè ſunt, quæ Lib. 1. attingit in opere de Legibus. *Sibi autem indulgenteis, & corpori deſeruienteis, atque omnia, quæ ſequantur in vita, quæque fugiant, voluptatibus, & doloribus ponderanteis; etiam ſi vera dicunt (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis iubeamus dicere, &c.* Vide quin-etiam, vt generalius idem vitæ genus in Opere de Lib. 1. Officiis probet. *Multi*, inquit, *& ſunt, & fuerunt, qui eam, quam dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe remouerunt, ad otiumque perfugerunt. In his, & nobiliſſimi Philoſophi, longèque Principes, & quidam homines ſeueri, & graues, nec populi, nec Principum mores ferre potuerunt, vixerúntque nonnulli in agris, delectati re ſuâ familiari. His idem propoſitum fuit, quod Regibus, vt ne quâ re egerent, ne cui parerent, libertate vterentur, cuius proprium eſt ſic viuere, vt velis. Quare, cùm hoc commune ſit potentiæ cupidorum, cum iis, quos dixi otioſis. alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant: alteri, ſi contenti ſint & ſuo & paruo. In quo quidem neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior,*

&

De Tranquil. *& tutior, & minùs alijs grauis, aut moleſta vita eſt otioſorum; fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinémque aptior eorum, qui ſe ad Rempublicam & ad res magnas gerendas accommodauerunt. Quapropter & iis forſan concedendum ſit Rempublicam non capeſſentibus, qui excellentes ingenio, otio, doctrinaque ſeſe dediderunt, &c.* Et poſteà: *Illud autem ſic eſt iudicandum, maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui Rempublicam regant, quòd earum administratio latiſſimè pateat, ad plurimóſque pertineat: Eſſe autem magni animi & fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui aut inueſtigarent, aut conarentur magna quadam, ſeſéque ſuarum rerum finibus continerent, aut interiecti inter Philoſophos, & eos, qui Rempublicam adminiſtrarent, delectarentur re ſuâ familiari, &c.* Sed ad ipſam ſpeciatim Scholam Epicuri vt redeam; Opponi heic poſſent illæ ciuitates, quæ Epicureos olim eiecerunt; verùm hac de re dictum eſt in Apologia ſatis abundè; vti & de eo, quod ſuperiùs quoque circa Metrodorum attigimus, quatenus ad Timocratem ſcripſiſſe legitur his verbis: *Nihil attinet, ô Timocrates, Græcos ſeruare, ac ſapientia ergò coronas ab iis reportare; ſed comedere, bibere, &c.* Prætereo autem haberi poſſe pari ratione ſuppoſititium, quod ipſe, aliíque Epaminondam apud Plutarchum, σιδηροῦν σπλάγχνον, *ferreum viſcus* appellitarunt, quærentes, τί παθὼν ἐβάδιζε διὰ τῆς Πελοποννήσου μέσης, καὶ οὐ πιλίδιον ἔχων οἴκοι κάθηται, δηλαδὴ περὶ τὴν τῆς γαστρὸς ἐπιμέλειαν ὅλως καθεστώς, *Quo æſtro percitus per Peloponneſum mediam vagaretur; & non potiùs domi, pileolo ſumpto, conſideret; non alij videlicet cura, quàm ipſius ventris intentus.* Nam, quod alioquin ſubiicitur ſic ſcripſiſſe illum in libro de Philoſophia, ὅτι τῶν σοφῶν τινες ὑπὸ δαψιλείας τύφου, οὕτω καλῶς ἐνεῖδον τὸ ἔργον αὐτῆς (πολιτείας) ὥστε οἴχονται φερόμενοι πρὸς τὰς αὐτὰς Λυκούργῳ, καὶ Σόλωνι ἐπιθυμίας, περὶ τοὺς περὶ βίων λόγους, καὶ ἀρετῆς: *Videre licet quoſdam Sapienteis, qui præ faſtus abundantia, videntur ſibi adeò pulcrè perſpicere opus politici regiminis, vt vitæ ac virtutis habitâ ratione, ad eadem cum ipſis Lycurgo ac Solone molienda ferantur.* Hoc, inquam, videtur eò ſolùm ſpectare, vt coarguatur eorum ambitio, qui ſapientiam profeſſi ita ſibi plaudunt, vt Legiſlatores fieri, & quaſi Lycurgi, ac Solones quidam euadere affectent. Verùm de his denique ſatis.

Lib. 1. adu. Col.

DE FORTITVDINE.

SEquitur Fortitudo, quæ ex Epicuro, vt antè monuimus, eſt veluti pars Honeſtatis prior; cùm Temperantia reliqua ſit. Non quòd virtutes quoque aliæ, partes τοῦ καλοῦ, *honeſti* non ſint; ſed quòd ſpeciali quadam ratione, ij, qui iuxta hanc vtramque ſe gerunt, agere *decorè*, viuereque *honeſtè* dicantur. Videtur autem adſtipulari Plato, apud quem *in confeſſo eſt* (ὁμολογοῦ) ipſam ſpeciatim Fortitudinem (itémque Temperantiam) *honeſti*

In Charm.

genus reputari. Videtur porrò Fortitudo, quatenus heic accipitur, fuiſſe non incongruè à Cicerone definita, *Conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio*; Siquidem exinde duo præcipui actus Fortitudinis eliciuntur, quorum alter eſt Aggredi, alter Suſtinere; ac prætereà inſinuantur cauenda vitioſa Extrema, in quæ defectu debitæ conſiderationis inciditur, Audacia nimirum, ac Timiditas; vt proinde non malè quoque definita videatur ab Ariſtotele Fortitudo, *Mediocritas inter Timorem, & Præfidentiam conſtituta.* Atque id quidem, ne alias definitiones memorem, vt eam, quâ apud Senecam Fortitudo dicitur, *Virtus pericula iuſta contemnens*; aut, *Scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, pronocandorum.* Itemque varias illas, quas Cicero ex Sphæro, & Chryſippo refert, quarúmque præcipua ea videtur eſſe, quâ Fortitudo deſcribitur: *Conſtitutio ſtabilis iudicij, in iis rebus, quæ formidoloſa videntur, ſubeundis, & repellendis*; quippè quæ eodem recidant. Cùm Fortitudo verò, quatenus virtus ſpecialis eſt, eſſe huiuſmodi videatur; ſolet ea tamen accipi aliquando latiùs, aliquando contractiùs. Nam latiùs quidem vſurpatur, cùm tam latè penè, quàm ipſa Virtus extenditur. Nimirum, vt Græcis Ἀνδρεία dicta eſt ἀπὸ τοῦ ἀνδρός, *à Viro*; ſic Latinè quoque dicta *à Viro* Virtus; ac ipſe ideò Cicero: *Vide*, inquit, *ne, cùm omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium, ſed ab ea virtute, quæ cæteris excellat, omnes nominata ſint. Appellata eſt enim à Viro Virtus, viri autem virtus propria maximè eſt Fortitudo, cuius munera, &c.* Ex quo effici proinde videtur, vt D. Ambroſius, dum Fortitudinem deſcribit, illam traducat ad ea omnia, ad quæ virtus extenditur: idque imitatione B. Clementis, apud quem *munus Fortitudinis eſt, non ſolùm vt caſus perferat humanos: ſed vt reſiſtat etiam & voluptati, & cupiditati, & dolori, & iræ, & vniuerſè omni rei, quæ nos ſine vi, ſine fraude quapiam illiciat.* Contractiùs verò accipitur, cùm pro ſola ferè bellica virtute vſurpatur; Quippe quòd illi ferè ſoli, qui fortitudinem in bello teſtantur, præliandóque oppetunt mortem, illuſtres euadant, honores obtineant, nominis claritatem, gloriam, famam perennem conſequantur. Neque enim paria illis contingunt, qui aut in morbis, aut in mari, aut in aliis periculis non minùs forteis animos gerunt, nihilóque minùs intrepidè excipiunt mortem. Heiuc eſt, cur Ariſtoteles velit Fortem virum propriè illum dici, *qui honeſtam mortem, & quæ ad ipſam ducunt, intrepidè obit, cuiuſmodi*, inquit, *ea ſunt, quæ in bello præſertim occurrunt.* Itemque, cur Cicero doceat *ea, quæ fortiter, excellentérque geſta* (videlicet in bello) *ſunt, neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudari. Hinc enim*, inquit, *Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris. Hinc noſter Cocles: hinc Decij, hinc Cn. & Pub. Scipiones,*

In pag. 88.

2. De inuent.

3. Ethic. 9. & al.

2. De Benef. 34.

4. Tuſc.

2. Tuſc.

7. Strom.

3. Eth. 9.

1. Offic.

In Pag. 88. *Scipiones, heinc M. Marcellus, &c.* Non addo porrò, quod Cicero fusè poſteà ediſſerit: *Cùm plerique arbitrentur res bellicas maiores eſſe, quàm vrbanas; minuendam eſſe hanc opinionem; quoniam, ſi verè volumus iudicare, multa exſtiterunt vrbana maiores, quàm bellica*; quod & cohærenter exemplis declarat, & ſpeciatim ſuum non obliuiſcitur. Elicio heinc ſolùm, vtcumq; Fortes κατ' ἐξοχὴν eſſe cenſeantur, qui ſe fortiter, excellentérque in bello gerunt; non in iis tamen ſolis virtutem fortitudinis ſitã eſſe.

Vt de Fortitudine itaque congruis finibus contenta dicamus, duo ſunt, quæ videntur ad illam vniuersè exigi: Vnum, vt ſit inuicta quædam firmitudo animi, aduerſus omnia, quæ ardua ſunt, hoc eſt, tam àggreſſu, quàm perpeſſu difficilia, mala; Alterum, vt ſit non inconſulta, neque niſi ad debitum finem, vt putà ad ipſam honeſtatem, æquitatémque, collineans. Et circa prius quidem caput; Cùm eſſe imprimis Fortitudinem quandam animi firmitudinem dico; intelligitur ſanè hanc virtutẽ non conſiſtere, vt vulgus ferè putat, in ipſo robore, & viribus corporis: Nam etiam corpore imbecillus, ſi ſuſceptæ modò rei honeſtate propoſita, inſtituto ſuo firmiter adhæreat, ſit cedere neſcius, & aduerſam licet fortunam expertus, non demittatur animo tamen, ſed vno tenore eſſe perſeueret; is verè fortis dicendus eſt: Neque eum hoc genere hominum comparari poſſunt calones, & quotquot licet polleant magnis corporis viribus, non magnos tamen animos gerunt; vtcumque ex vocis abuſu: *Dicamus*, vt a Seneca habet, *& gladiatorem fortem virum, & ſeruum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit.* Intelligitur etiam conſiſtere adhuc minùs in Thraſonica illa iactatione, qua videas pleroſque inſoleſcere; iis quippè ſi oſtentationem, qua inanem gloriolam aucupantur, ademeris, degeneres eſſe animos agnoſces: aut enim, dum reipsâ ſunt pericula vera adeunda, renuunt; aut deſpondent; aut quà poſſint ſibi fugâ conſulere, proſpiciunt. Cùm inuictam autem firmitudinem dico; innuere contendo, vt Fortitudo vera ſit, debere ipſam nullatenus ſuccumbere, ſed manere inflexam non modò aduerſus magnitudinem laboris, aut periculi; ſed etiam aduerſus durationem, iterationémque eiuſdem: ſcilicet, cùm virtus ex tota, circa quam verſatur, materia, & ex habitu, conſtantiáque actuum; non ex conditione ſpeciali materiæ, aut ex actu vno, paucíſve innoteſcat. Dico denique hanc firmitudinem aduerſus mala comparatam eſſe; quoniam hæc virtus, ſua ex natura, eſt quaſi munimentum quoddam aduerſus ea omnia, quæ in vita ſunt, aut habentur mala; neque ipſi alia videtur eſſe præter hanc ſubiecta materies. Quippe etiam 4 Plato, & alij, qui Fortitudinem interdum cum Temperantia confundentes, eſſe illius proprium volunt, vt inter dolores, voluptatéſque verſata, reſiſtat voluptatibus, docente quoque a B. Clemente: *Eſſe non poſſe virum fortem, qui non ſit temperans, neque temperantem, qui fortis non ſit*; non alio fine faciunt, quàm quia eſt moleſtum, atque adeò malum priuari quibuſdam voluptatibus, ſeu ſe ab illis continere, aut à proſequendis etiam temperare. Et cùm is quoque dicatur fortis, qui generosè, conſtantérque permanet in propoſito, in quo obtinendo, dum inſiſtitur, nihil mali prima ſpecie apparet; attamen & tædium, quod ex dilatione conſequutionis ſuperandum eſt, malum eſt; & ſunt ſemper latentes quædam importunæque difficultates, ac formidines, iis ſolis, à quibus ſentiuntur, perſpectæ. Nam ſi alioquin nihil mali, difficultatíſve occurrerit, quod negotium inſigne faciat; tùm non tam eſt virtus fortitudinis, quàm boni venturi ſimplex expectatio: Heinc & adiicio, debere illa, quæ Fortitudinis virtute ſuperanda ſunt, eſſe ardua; quoniam tametſi Fortitudo extendi quoque ad mala leuia, facilia, familiaria poſſit; imò vtile etiam ſit ipſis adoriendis, tolerandiſque aſſueſcere, vt inde ſit quoddam quaſi habitus Fortitudinis rudimentum; attamen, vt virtus Temperantiæ non ad hoc exigitur, vt à vetula moribunda quis abſtineat, quod Chryſippo ſuprà obiici eſt viſum; ita Fortitudo non ex malis leuiculis, ſed ex arduis ſolum ac difficilibus eniteſcit. Huiuſcemodi autem ſunt Mors, Dolor, Ignominia, Orbitas, Paupertas, Carcer, Exſilium, &c. quæ aut futura metum, aut præſentia moleſtiam, eamque non leuem, ſed inſignem creant. Quod addo verò, ſeu aggreſſu, ſeu perpeſſu ſint difficilia; id arguit quem dixi Actum duplicem, ſiue mavis duplicem modum, quo ſe Fortitudo erga mala ardua, ſeu difficilia habet. Quippè aut mala ventura ſunt, ſed ita nihilominus, vt ſi iis debitè occurratur, vel impediri, vel diuerti, vel mitigari ſaltem valeant: aut præſentia ſunt, & ea quidem ratione, vt vel eluctabilia ſint, vel neceſſariò pertoleranda. Priore autem caſu, Fortitudo quaſi extra fineis aduerſarium quærit, ipſúmque alioquin inuaſurum præoccupat, & aut planè frangit, aut æquiorem reddit. Hæc proinde eſt, quæ dicitur Aggreſſio, periculorúmve Suſceptio, quatenus, vt malum vitetur, ſubeunda pericula ſunt, quibus ſuperatis, tametſi id malum, quod metuebatur, euanuerit; ipſa tamen interim mala, ſeu moleſta eſſe, dum ſuperantur, non deſinunt; ſed minora tamen, ac leuiora iis, ob quæ auertenda ſuſcipiuntur. Poſteriore, intra proprios fineis veluti exſurgit; &, vt aut aduerſarium deiiciat, ſtrenuè colluctatur; aut ſeſe, vt minùs illius vehementiâ lædatur, obdurat. Cúmque quatenus colluctatur, id ad Aggreſſionem quadamtenus pertineat; quatenus tamen ſeſe obfirmat, vt malum leuius faciat, ideò hæc eſt propriè, quæ dici Perpeſſio laborum, ſeu malorum ſolet: & ad quam etiam ſpectat illa animi Præparatio, qua ſeſe quis munit excipiendo malo, quòd neceſſariò

a. De benef. 34.

4. De Rep.

De Fortitudine.

a Strom.

De Fortitudine. venturum eſt, nullâque aggreſſione arceri, diuerti, aut eludi poteſt.

Circa Poſterius verò caput; Non eſſet imprimis Fortitudo virtus, ſi inconſulta, inconſiderataque foret; ſed Temeritas, & vocata
7.Eth. 1. illa Ariſtoteli θηριότης, *Feritas*, ferináve animi diſpoſitio, quam in vitioſarum enumeratione copulat cum Malitia, & Incontinentia, & cui eam opponit, quam *ſupra nos* dicit, *Heroicam, ac diuinam virtutem*. Nimirùm tametſi Heroica virtus vſurpari ab illo videatur generaliùs; videtur nihilominùs nihil eſſe propriè aliud, quàm eximia quædam Fortitudinis ſpecies, qua qui præcelluerunt, Heroës ſunt dicti, vti eorum geſta, ſiue facta, Heroïca: Non itaque Fortes habendi, qui cæco impetu, & corporis præſertim viribus confiſi ad quidvis adoriundum procurrunt, & pericula quaſi prouocantes, nihil tam videntur metuere, quàm ne metuere quidpiam videantur; ſed illi Fortes, qui & pericula nôrunt, & cùm illa non ament, neque vltrò accerſant; adeunt tamen non ſegniter, quoties & quatenus oportet. Præclarè ſiquidem incul-
3.Eth. 10. cat Ariſtoteles virum Fortem eſſe, non qui nihil metuit, aut nihil vel perfert, vel aggreditur; ſed qui quod oportet, & cuius causâ, & quando, & quomodo oportet. Vnde & ſicut vna ex parte opponit Forti Timidum, qui ea, quæ oportet, præ metu non ſubit; ita ex alia opponit Audacem, qui metus defectu, ſeu præ nimia ſui de ſe confidentia, quæ non oportet, ſubit. Ne memorem dici ab eo, appellari poſſe Inſanos, & doloris, ſenſúſve experteis, illos, qui nihil, ac ne ipſum quidem Terræ motum, aut procellas timent, *cuiuſmo-*
Cap. 9 *di*, inquit, *Celtas* eſſe aiunt. Ac ne prætercam id, quod ait, eſſe aliqua omnino timenda, veluti turpitudinem, &, quæ eam ſequitur, infamiam, *quam qui*, inquit, *non metuit, Impudens*
Epiſt 85. *eſt*; ecce, conſentit Seneca, dum vult virum fortem timere turpitudinem, quia malum eſt; &, quod ſupereſt, adipiſcere pericula ſecurè, quorum reſpectu, *cautio*, inquit, *illum decet, timor non decet*. Conſidera porrò quid ſtatim ad rem, de qua cœpimus dicere, ſequatur; *Non dubitarent*, inquit, *quid conueniret Forti viro, ſi ſcirent, quid eſſet Fortitudo. Non eſt enim inconſulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio: Scientia eſt diſtinguendi quid ſit malum, & quid non ſit. Diligentiſſima in tutela ſui Fortitudo eſt, & eadem patientiſſima eorum, quibus falſa ſpecies malorum eſt*. Deinde, non eſſet, vt conſtat, Fortitudo virtus, niſi illi pro ſcopo honeſtas, æquitaſque proponere-
Cap. 10. tur. Rectè ſcilicet Ariſtoteles vult quidem virum fortem eſſe debere ἀνέκπληκτον, *impani-*
Cap. 11. *dum*, interritúmque; ſed illud tamen τοῦ καλοῦ ἕνεκα, *honeſti causâ*; ac poſtquàm improbauit tanquam ignauos, non autem forteis, illos, qui vel paupertatem, vel amorem, vel mœrorem fugientes, moriuntur; dixítque forteis haberi poſſe eos, qui inuitati præmiis, aut deterriti pœnis, gerunt ſeſe fortiter; & quodammodo etiam milites, qui ad dimicandi neceſſitatem In pag. 88.
redacti ſunt, ſubdit; *Par eſt virum Fortem non neceſſitate, ſed honeſtate excitari*. Quem in ſenſum Cicero docet *Forteis, & ſapienteis viros non* Pro Mil.
tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta. Adiungo porrò Æquitatem ſpeciatim; quoniam ferè ſolent, qui vulgò reputantur fortes, ſuis viribus aduerſus iuſtitiam abuti, tritáque illa vſurpare, *Potentia eſt melior; Ius in armis eſt*. Heinc profectò non abs re Plato, cùm vellet voces ἀνὴρ, & ἄῤῥην, ex In Cratyl.
eadem eſſe origine, cenſuit ἀνδρείαν *Fortitudinem, dempto* δ, *eſſe* ἀνρείαν, quaſi ἄνω ῥοὴν *fluxum ſurſùm*, ſolitóve oppoſitum; quòd Fortitudo ſit quaſi fluxus, ſiue impetus aduerſus impetum iniuſtitiæ, quâ nihil familiarius inter homines, comparatus. Quo factum eſt, vt merito redarguerit Protagoram multos reputan- In Protag.
tem fortiſſimos eſſe, qui iidem eſſent profaniſſimi, iniuſtiſſimi, intemperantiſſimi, inſipientiſſimi; nempè quòd metiri fortitudinem deceat non robore, aut viribus corporeis; ſed, vt animi firmitudine, ſic fine honeſto, ac laudabili, & in quo iuſtitia, æquitáſve præſertim eluceat. Obſeruare certè licet, quemadmodum Heroës commendati ſemper fuerint, quòd innocenteis propugnârint, ſontibus autem, iniuſtiſve, ac tyrannis fuerint infeſti; Et Ageſilaus laudetur ex eo, quòd quærenti ex ipſo *Iuſtitia ne foret, an Fortitudo melior?* reſponderit, *ſi omnes iuſti eſſent, Fortitudine nihil opus fore*. Quia verò id, quod ſolet præſertim aduerſus iuſtitiam habitos forteis inducere, ipſa eſt iracundia; ideò inſinuatur, cauendum diligenter ab illa eſſe; ne quæ haberi ſolet Fortitudinis cos, euadat quaſi gladius, quo ipſum fas, & æquum quaſi iuguletur. Ipſe certè Ari- Cap. 11.
ſtoteles, qui *nullum maius irâ calcar* (ἐγχυτικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς) *ad pericula adeunda* agnoſcit; probat tamen ferinam eſſe, non veram fortitudinem, niſi adhibito conſilio, & conſideratione finis dirigatur. Heinc eſt & illud Tauri apud Agellium, dum, *Fortitudo*, inquit, *non* Lib. 12. c. 5.
ea eſt, quæ contra naturam, monſtri vice, nititur, vltráque modum eius egreditur aut ſtupore animi, aut immanitate, aut quadam miſera, & neceſſaria in perpetiendis doloribus exercitatione; qualem fuiſſe accepimus ferum quendam in ludo Cæſaris gladiatorem, qui, cùm vulnera eius à medicis exſecabantur, ridere ſolitus fuit: ſed ea vera, & proba fortitudo eſt, quam maiores noſtri ſcientiam eſſe dixerunt rerum tolerandarum, & non tolerandarum; per quod apparet eſſe quædam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant, aut ſuſtinendis. Ex his autem demùm intelligi licet, quod ſuperiùs inter Effata de Sapiente deduximus, haberi quidem à natura ſemina fortitudinis; ſed, vt ea tamen in virtutem creſcant, opus culturâ, doctrináve eſſe; idque iuxta illud tritum Lyrici, *Fortes creantur fortibus, &c.* cui ſubiicitur:

Doctrina

Digitized by Google

In pag. 88.

Doctrina ſed vim promouet inclytam,
Rectíque cultus pectora roborant:
Vtcumque defecère mores,
Dedecorant benè nata culpa.

Cùm dicendum iam aliquid videatur de Fortitudinis ſpeciebus; Vidimus iam antè eas nullas diſtingui, quòd velint ipſam circa materiam admodum ſpecialem verſari. At, ſi verſatur circa id omne, quod habetur in vita malum; quàm generalis potiùs ea eſt, circa quam verſatur materies; Cur non tot proinde diſtinguantur ſpecies, partéſve ſubiectæ Fortitudinis; quot in vita ſunt genera malorum? Nam reducere quidem omnia ad certum affectum, aut finem; id proprium eſt quoque aliarum virtutum: adeò vt pari iure aut cæteræ ſpecies non habeant, aut iſta quoque ſit habitura. Sanè verò cùm eſſe videas, qui patienter ferant iacturam pecuniæ, non item honoris; aut mortem in bello, non item in lecto, & id genus ſimilia: Quidni opus ſit ad tam varia, habitus varos perficere, atque adeò diſtinguere varias fortitudinis ſpecies? Quod ſpectat ad illas, quas volunt, nunc in difficiliore materia eſſe parteis integranteis, nunc in minùs difficili potentialeis; Magnificentiam Scilicet, Magnanimitatem, Conſtantiam, Patientiam; Conſtat imprimis MAGNIFICENTIAM, aut non ſpectare ad hanc Virtutem, aut ſubnotare ſolummodò vel conditionem periculi, laboríſve, ſeu mali, quod illuſtre ſit, vel modum illius adeundi, ſeſéque in ipſo gerendi; cum ſplendore videlicet. Sic nimirùm poteſt huc accommodari illa Ciceronis definitio, cùm hanc primam partem Fortitudinis faciens: *Magnificentia*, inquit, *eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio.* Quod ſupereſt autem, Magnificentia, ex notione communi, &, vt accipit, declarátque Ariſtoteles, ordinis eiuſdem cum Liberalitate eſt (poſt cuius etiam tractationem de ea diſſerit) ſiquidem verſatur, quemadmodum illa, in effundenda pecunia; addítque hoc ſolùm, vt circa ſumptuarias actiones verſetur; cuiuſmodi ſunt, publicorum ludorum exhibitio; triremium, ad iuuandam Rempublicam inſtructio, & quæcumque alia ob ſui magnitudinem admirationi eſſe, magnique fieri à populo ſolent. Præterea autem, cùm vox Græca Μεγαλοπρέπεια connotet *decorum*, cuius cauſa Magnificentia mediocritas, virtuſque eſt; oppoſita illius vitia ab eodem deſignari, excedendo quidem *βαναυσίαν*, & *ἀπειροκαλίαν*, quaſi *Inſolentiam, Inuenuſtatem, ipſiúſve decori in ſumptu faciendo Inſcientiam*; quòd nempè pecuniæ non parcatur quidem, ſed inſumatur tamen non in ea quæ decet, aut quando, & quomodo decet. Deficiendo verò Μικροπρέπειαν, quaſi *Indecoram parcitatem*; quòd impenſa fiat, non quanta, non quando, non quomodo decet, ſed ſemper quidpiam detrahendo, procraſtinando, rationes ſubducendo, quiritando, &c. Ad MAGNANIMITATEM, ſeu, vt etiam dicunt, Generoſitatem quod ſpectat, ea pari modo, aut ad hanc virtutem non attinet, aut nihil eſſe videtur aliud, quàm ipſa alio nomine Fortitudo. Cùm enim, vt iam dictum eſt, Fortitudo verſetur propriè circa ea, quæ difficilia, arduáque ſunt; manifeſtum eſt in iis adoriendis, perferendiſque, eſſe animo magno, generoſóve opus; vt proinde Fortitudo nihil aliud quàm Magnitudo animi ſit. Quo rursùs modo, cùm Magnanimitatem, Fiduciámque pro eodem habeant, Cicero Fidentiam potiùs nuncupans; *Fidentia*, inquit, *eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiducia, certa cum ſpe collocauit.*

2. De inuent.

4. Eth. 4.

De Fortitudine.

Quod ſupereſt verò, dum Ariſtoteles verſari in eo Magnanimitatem, ſeu animi magnitudinem vult, quòd quis ſe magna mereri putet, cùm magnis ſit reipsâ dignus; ac oppoſita idcircò habere hinc χαυνότητα *Elationem*, ſiue *Superbiam*, quâ quis mereri ſe maiora, quàm mereatur exiſtimat, hinc μικροψυχίαν, *Puſillanimitatem*, ſeu *Humilitatem*, *Deiectionémque animi*, quâ quis, quàm mereatur, minora; cùm & ſi quis meritus parua, parua ſe reputet mereri, is σώφρων, Modeſtus appellandus ſit: Perſpicuum eſt ſanè iſtam opinionem, de eo, quod ſibi debetur, aut ad Iuſtitiam, aut etiam ad ipſum Decorum Temperantiæ ſpectare, non verò ad Fortitudinem, quæ non in opinione honoris, quem quis ſit meritus, ſed in virili, ac generoſa periculorum ſuſceptione, laborúmque perpeſſione conſiſtit. Quod attinet verò ad CONSTANTIAM, ſeu, vt in Sacris potiſſimùm legitur, Longanimitatem; ea quoque nihil aliud eſſe, quàm Fortitudo ipſa videtur; quatenus, vt iam diximus, non ex vno actu, aut breui quodam tempore Fortitudo dignoſcitur, ſed ex ſerie complurium, aut etiam omnium actuum, & ex tanta temporis diuturnitate, quanta ſit opus. Neque enim dici Fortis quis poteſt, niſi in inſtituto perduret; ſed ignauus, ac debilis, ſi, cùm aliquamdiu ſuſtinuerit, cadat animo, ac ſeſe demittat. Vnde & cùm Conſtantia, ac Perſeuerantia eſſe videantur ſynonyma: *Perſeuerantia*, inquit Cicero, *eſt in ratione benè conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio.* Denique autem ipſa PATIENTIA idem penè eſſe cum Conſtantia, Perſeuerantiáque videtur; niſi quòd ex ipſa nominis ratione in patiendo potiùs, quàm in adoriendo conſiſtit; atque adeò haberi poteſt quaſi ſpecies quædam Conſtantiæ, quæ vtrôque modo eniteat; idémque eſſe proinde videtur, patientiâ vti, ſeu patienter ferre, ac conſtanter pati. Ea Ciceroni demùm eſt *Honeſtatis, aut vtilitatis causâ rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpeſſio.*

4 Eth. 7.

ITAQVE, ne his immoremur, illud imprimis notandum eſt, quod Epicurus præclarè ait, dum iſthæc apud Monachos legitur illius ſententia, Ἡ ταπεινὴ ψυχὴ τοῖς μὲν εὐημερήμασιν ἐχαυνώθη, ταῖς δὲ συμφοραῖς καθῃρέθη, *Humilis*, abiectúſve

Ser. 118.

De Fortitudine. iectûſve *animus rebus quidem ſecundis inſoleſcit; aduerſis autem deprimitur.* Scilicet à contrario argumentando intelligit, excelſi eſſe animi proſperitate non efferri, calamitate non demitti; ſed vtrumque caſum vno tenore, ſiue æquabiliter ferre. Et quia, dum ſecundæ res ſunt, animum moderari, ſeu ab elatione animi ſibi temperare, ſpectat ſatis manifeſtè ad partem illam Temperantiæ, quæ Moderatio dicitur: Supereſſe ſanè videtur, vt donec aduerſæ res ſunt, animum erigere, erectúmque, & conſtantem tenere, id maximè proprium Fortitudinis ſit. Cùm res autem aduerſæ nihil aliud ſint, quàm nomine alio appellata mala externa; id Primùm mente tenendum eſt, quod ſuperiùs iam diximus: Non eſſe illa reipsâ mala, niſi prout coniuncta ſunt aut cum dolore, quem in corpore creant; aut cum ægritudine, quam in animo, opinione intercedente, pariunt; adeò proinde, vt cùm ſolus dolor, ſoláque ægritudo ſint reipsâ mala, Fortitudinis munus in eo ſit, tùm vt, ne dolorem inferant, obſiſtat, aut illatum conſtanter, neque demiſſo animo ferat; tùm vt obſtet, ne fruſtrà ægritudine animum conficiant, vtpotè ſanando opinionem, ſine qua animum ne attingunt quidem. Heinc ſecundo loco adnotandum eſt, generale quoddam quaſi munimentum aduerſus externa huiuſmodi mala, eſſe tùm bonam, ſecurámque conſcientiam, quæ quaſi murus ahencus omneis has fortunæ quaſi arietationes excipiat, quam impauidam orbis ruinæ, ſi fractus illabatur, feriant, & de qua dignum eſt adnotatu, quod à Crantore dictum eſt, *Grande in calamitatibus ſolatium eſſe, Culpâ vacare*; tùm ſeriam præmeditationem, & quaſi prouiſionem eorum, quæ contingere nihil prohibet. *Ap. Plut. conſol. ad Apollon.* Nempè qui ictum prouidet, ac aduerſus ipſum ſe obfirmat, non tam facilè deiicitur, ac ſi improuiſum excipiat; neque animo forti tanquam loricâ præmunitus tam facilè læditur, ac ſi nudus impeteretur. Exinde eſt verò quamobrem vir ſapiens nunquam proſperæ fortunæ ſic fidat, quin de aduerſa cogitet. Scilicet cùm illa inſtabilis ſit, nihilque ſit admodum tutum, diuturnúmque in rebus humanis. Non deſunt vnquam ipſi exempla aut aliena, aut propria, circa viciſſitudinem ſuccedentium bonis malorum; agnoſcítque nihil ſiniſtri ſic, alij cuipiam contingere, quin ſibi idem, aut ſimile, occaſionéque eadem, aut alia contingere poſſit. Non exſpectat proinde quaſi tempus belli, vt arma ad illud ſuſtinendum comparet; neque tempeſtatis, vt ad reſiſtendum neceſſaria paret. Verùm præſtet fortè heic loci Ciceronem ipſum audire, qui poſtquàm præmiſit, *videri omnia repentina grauiora*, ſubiicit: *Ex hoc & illa iure laudantur:*

Tuſc. 3. *Ego, cùm genui, tùm moriturũ ſciui, & ei rei ſuſtuli.*
Prætereà ad Troiã cùm miſi, ad defendendũ Græciã,
Sciebam me in mortiferũ bellũ, non in epulas mittere.

Proſequitur verò, *Hæc præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quæ venientia longè antè videris. Itaque apud Euripidem à Theſeo dicta laudantur:* In pag. 88.

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exſilij malam fugam,
Vt, ſi qua inuecta diritas caſu foret
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Quod autem Theſeus, pergit, *à docto viro ſe audiſſe dicit, id de ſeipſo loquitur Euripides: Fuerat enim auditor Anaxagoræ, quem ferunt nuntiata morte filij, dixiſſe, Sciebam me genuiſſe mortalem. Quæ vox declarat iis eſſe hæc acerba, à quibus non fuerint cogitata.* Pergit adhuc: *Ergo id quidem non eſt dubium, quin omnia, quæ mala putantur, ſint improuiſa grauiora. Itaque, quamquam non hæc vna res efficit maximam ægritudinem; tamen, quoniam multum poteſt prouiſio animi, & præparatio ad minuendum dolorem; ſint ſemper omnia homini humana meditata. Et nimirùm hæc eſt illa præſtans, & diuina ſapientia, perceptas penitùs, & pertractatas humanas res habere; nihil admirari; cùm acciderit; nihil antequàm euenerit, non euenire poſſe arbitrari.* Adhibet cohærenter præclarum illud ex Terentio,

Quamobrem omneis, cùm ſecundæ res ſunt maximè,
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant.
Pericla, dãna, exilia. Peregrè rediens ſemper cogitet,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortẽ, aut morbũ filiæ:
Communia eſſe hæc; fieri poſſe; vt ne quid animo ſit nouum:
Quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Ac tùm ſubdit: *Ergo hoc Terentius à Philoſophia ſumptum tam commodè dixerit; Nos è quorum fontibus id hauſtum eſt, non & dicemus hoc meliùs, & conſtantiùs ſentiemus? Heinc eſt enim ille vultus ſemper idem, quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in viro ſuo fuiſſe Socrate, eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo, & reuertentem. Nec verò ea frons erat quæ M. Craſſi illius veteris, quem ſemel ait in omni vita riſiſſe Lucilius; ſed tranquilla, & ſerena: ſic enim accepimus. Iure autem erat ſemper idem vultus, cùm mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio.* Et ſic quidem iſta ab illo dicuntur; cùm iuuet tamen celebri Socratis exemplo illud addere, quod de Agrippino refert Stobæus ex Epicteto. Is nimirùm ſolitus fuit, quicquid aduerſi ſibi obtigiſſet, conſcribere illius encomium; vt ſi febri corriperetur, febris; ſi infamiâ notaretur, infamiæ; ſi in exilium pelleretur, exſilij. Et cùm aliquando iam pranſuro ſuperueniſſet, qui ex Neronis præſcripto iuberet ipſum excedere; nihil aliud, quàm excepiſſe, *Ariciæ ergo prandebimus.*

Cùm diſtinguere porrò Mala externa in publica, ac priuata ſoleant; Et publica ſint, Bellum, Tyrannis, Euerſio patriæ, Peſtis, Fames, &c. Priuata, quæ partim aliunde, partim ex Publicis oriuntur, Exſilium, Carcer, Seruitus, Ignominia, & alia: non eſt imprimis,

quamobrem

Digitized by Google

[In Pag. 88.] quamobrem diù circa publica immoremur, quòd illa non tam nos reipſâ afficiant; quatenus publica ſunt, quàm quatenus nos ſpeciatim attingunt. Nam verum eſt quidem has publicas cladeis, quòd plureis inuoluant, aliquo maiore cum ſtrepitu fieri, ac eò calamitoſiores, intolerabilioreſque haberi, quò communis ipſa eſt Parens, Patria nempè, cui malè eſt: at, ſi ſeriò attenderis, ea ſolùm reuerâ vnumquemque afficiunt, quatenus priuatim in ipſum redundant. Ac ne Paradoxum videatur, Id malum, quod ſeſe in plureis, quorum caritate tangamur, diffundit, non eſſe toleratu grauius: tùm ſufficere poſſet opponere id, quod in ore eſt omnium, & penè ipſa praxi probatur, *Pareis habere, ſocioſque miſeria, ſolatium eſſe miſerorum*; tùm præſtat ad vnum dumtaxat attendas. Conſidera videlicet, vt dum Paries proximus ardet, vicini ſolummodò accurrant; qui procul in eadem ciuitate ſunt, ne moueantur quidem. Nempè quamvis iſti ſint perinde conciues, non perinde tamen ipſorum, ac cæterorum agitur res. Pari autem ratione cùm bellum apud Perſas ſæuit, aut apud Indos peſtis graſſatur; quamobrem inde non commouemur, cùm ſint illi tamen nobiſcum ex eadem Mundana Republica imò ex eadem ſtirpe, & familia humana? Scilicet, quia nimis procul malum eſt, vt ad nos vſque ſerpere poſſit. Inuadat idem confinia Regna: tùm aut nihil mouemur, aut eatenus ſolùm, quatenus poteſt quodammodo, ſeu aliquo caſu ad nos peruenire. Vigeat in eo, quo degimus, Regno, ſed in alia tamen prouincia; tùm quidem magis afficimur, quòd poſſit faciliùs in nos deriuari; at non perinde, ac ſi eam ipſam, in qua degimus, occuparet. Occupet ipſam, ſed alias tamen ciuitates à noſtra corripiat; tunc adhuc magis, ob faciliorem ad nos obreptionem afficimur; ſed non perinde tamen, ac ſi ipſa noſtra foret ciuitas correpta. Denique autem, ſi ipſa quoque ciuitate correptâ, Deus quiſpiam promiſerit, ac præſtiterit incolumitatem tibi, vxori, parentibus, filiis, amicis; fortunis tuis; dic bona fide, an perinde doliturus ſis ob publicam cladem; & non potiùs lætus futurus, quod tibi in tanta aliorum infelicitate eſſe felici contigerit? Sed, ne in hoc hæream; Si contigerit clade publica nos inuolui, duo ſunt, quæ videntur eſſe attendenda potiſſimùm. Vnum, hanc eſſe rerum ſortem, quam impedire opis noſtræ non ſit: Summum eſſe Mundi Rectorem, qui has rerum vices diſpoſuerit, & ob fineis quidem, vt ſapientiſſimus eſt, eximios, tametſi nobis incompertos; Noſtrum non eſſe inuertere ordinem ab eo conſtitutum; ſed volenteis ſequi, quocumque duxerit eius Prouidentia. Cùm fata, ſeu, mavis, decreta æternæ prouidentiæ immutare non liceat; ſatius eſſe proprio aſſenſu eorum lenire aſperitatem, quàm reniſu adhibito ipſa magis exaſperare. *Naturaleis eſſe quaſdam conuerſiones rerumpublicarum, vt ea tùm à principibus teneantur, tùm à populis, aliquando à ſingulis*: quod didiciſſe quidem ſe [De Fortitudine,] à Platone Cicero ait, cùm in eo, quo erat Reſpublica ſtatu; *Neque ego*, inquit, *me abdidi, neque deſerui, neque afflixi, neque ita geſſi, quaſi homini, aut temporibus iratus.* Verùm ad hanc rem dicta plura ſunt, de Prouidentia cùm egimus, quæ eo ex loco repeti valeant, & in hunc proinde fruſtrà inſerantur. Alterum, non fore vt ſapiens, ſi vel ſolùm detur ex publica clade emergere, vt mente ſanum, ſic corpore incolumem; non fore, inquam, vt conqueratur malè egiſſe ſecum fortunam, quaſi iacturam vllius rei, quæ ad ſe ſpectaret, fecerit. Tritum, laudatúmque eſt illud Biantis, qui abſportare ſe omnia ſua ex incendio publico dixit; ac meminimus iam Stilponis, qui amiſſis licet patriâ, vxore, liberis, ac cæteris fortunæ bonis, rogatus à Demetrio, à quo capta Vrbs, nunquid perdidiſſet: *Omnia*, inquit, *bona mea mecum ſunt*: intelligendo, vt Seneca habet, *Iuſtitiam, Virtutem, Temperantiam, Prudentiam, hoc ipſum, nihil bonum putare, quod eripi poſſit*; [Epiſt. 7.] *Miramur* (ita pergit ille) *animalia quædam, quæ per medios igneis, ſine noxa corporum tranſeant, quantò hic mirabilior vir, qui per ferrum, & ruinas, & igneis illæſus, & indemnis euaſit?* Verùm plura quoque aliàs ad hanc rem, quæ repetere nihil eſt neceſſe.

Ad Priuata mala quod ſpectat, pauca etiam videntur hoc loco dicenda; ob ea, quæ paſſim iam attigimus. Addo ſolùm circa EXSILIVM, non eſſe id reuerâ, ſed opinione dumtaxat malum, cùm ex ſe nihil aliud, quàm quædam loci mutatio ſit, qualem vltrò appetunt multi. Defert ſecum Sapiens in alienam regionem quidquid ſolidorum obtinet bonorum; hoc eſt, ingenium, ac virtutes, quibus beatè ſemper fruatur, quibuſque poſſit etiam amicos, illorum vice, quos in patria reliquerit, ſibi parare. Animo non eſt tam anguſto, vt ſe vnius ſolùm vrbis, aut regionis ciuem agnoſcat. Ciuem potiùs Mundi totius ſe habet; & quocumque venerit, ibi ſe verſari, vt in patria putat. Eandem vbivis naturæ faciem, maieſtatémque deprehendit, idem vbique cœlum intuetur, eundem Solem, eandémque Lunam, eandem choream tot Siderum. Occurrunt vbique conſimiles montes, valles, planities, fluuij, fontes, arbores, herbæ, lapides, animantes, homines, vrbes, &c. ac ſi quid varietatis eſt, id ipſum eſt, quod noſſe delectat, cuiúſque gratiâ tam multi ſunt, qui peregrinationes ſuſcipiunt. Neque verò moleſtè habet expulſum eſſe à ciuibus, qui id commune cum optimis, & laudatiſſimis viris habeat, Ariſtide, Thucydide, Demoſthene, innumeris aliis; ac idem reſpondere cum Diogene poſſit, cui cùm quiſpiam obiiceret, Synopenſes te exſilio damnarunt; Imò ego ſum,

De Servitudine. inquit, qui illos damnaui, vt perpetuò in Ponto, ac littoribus Euxini extremis degerent. Nihil moratur, quòd exſilium ſplendidæ fortunæ plerumque occaſionem præbuerit (ex quo euaſit celebre dictum illud Themiſtoclis, *Perieram niſi periiſſem*) Etiam reuocante interdum, poſtquam mentem recepit, patriâ; vt res nota eſt de Euagora, Pelopida, Alcibiade, Camillo, Cicerone, &c. Id attendit potiùs, licere extra patriam longè quietiùs viuere; ex quo factum eſt, vt Marcellus, Rutilius, aliique, id ſe ſolum tempus vixiſſe, quod extra patriam, ac in exſilio exegiſſent, exiſtimarint. Gratias habet ipſi fortunæ, quòd paris ſit conditionis factus cum Platone, Galeno, aliis, qui tam multos annos extra patriam conſumpſerint; cum Zenone, Crantore, aliis, qui longum vale patriæ dixerint, nec pœnituerit illos tamen, cùm tales inde euaſerint quales alioquin non euaſiſſent.

De Carcere res videtur durior; at reſpectu tamen Sapientis, haudquaquam. Videlicet animum gerit, quem neque clauſtrum vllum cohibere, neque reuincire compedes vlli valeant. Is ſemper liber, ac ſui iuris, concludi ergaſtulo quî poſſit; quem mœnia etiam Mundi non capiunt; qui immenſitatem Vniuerſi perluſtrat, qui ſæculorum omnium ſeriem, æternitatémque retexit? Quid, quòd etiam hac libertate tantò vt tranquilliùs, ita præclariùs vtitur, quantò concluſum carcere corpus & maiore quiete eſt, & animi cogitationes minùs diſtrahit, ac magis liberas adeò facit? An-non verò celebre eſt, Anaxagoram carcere detentum, egregium conſcripſiſſe librum de Quadratura circuli; quæ quidem ſpeculatio, vt ſubtiliſſima eſt, ita profectò animum expeditiſſimum depoſcit. Quid commemorem Socratem, qui non modò in carcere eſt eximiè philoſophatus; ſed ibidem etiam carmina conſcripſit; quæ ſanè niſi animo deducta ſereno non proueniunt? Quid Boëtium, cuius nulla opera illuſtriora ſunt, elegantioráque iis, quæ conſcripſit in vinculis? Cùm ſint verò, qui elucubraturi inſignia quædam opera domi ſe abdant, foras non prodeant, ac abduci ſe graue ducant; nihil intereſſe reputat Sapiens, ſeu ſponte propria, ſeu alieno iuſſu concluſus teneatur. Quin-etiam dum conſiderat tot artifices, tot trapezitas, tot ſcribas maximam partem temporis non domibus modò, aut tabernis concluſos, ſed quibuſdam etiam ſedibus quaſi alligatos, atque ideò non ægrè ferre, quia non cogitant hos aliquos eſſe quaſi carceres; idcircò fert leniùs carcere concludi, quem ſibi eſſe domum, non carcerem ducat. Nam & quòd alioqnin conſpiciat illuſtreis pietate tùm viros, tùm fœminas ſponte ſubire clauſtra perpetua, ac in iis iucundè degere ætatem; vel hinc ſanè diſcit, quàm carcer ex ſe intolerabilis res non ſit. Et cùm obſeruet etiam rudiores, qui gementes, & queruli intruduntur in carcerem, aliquot poſt dies hilareſcere, cantilenìſque, & ludis ſeſe oblectare; indignum ducit, niſi Sapientia præſtare ſibi id valeat, quod viris plebeiis præſtat aſſuetudo. Atque id quidem, ne attexam, quàm non ſit nouum, inſolitúmque coniici viros optimos, ſanctiſſimoſque in carcerem; quàm multi fuerint, quorum virtus nuſquam ſplendidiùs, quàm in carcere enituerit, quàm multis è carcere educi ita glorioſum fuerit, vt videatur fuiſſe optabile induci. *In pag. 88.*

De Servitvte idem dicendum. Nempè maior eſt animus Sapientis, quàm vt cogi poſſit alieno imperio. Mancipari poteſt, ac mitti ſub iugum pars eius deterior, corpus ſcilicet; at nobilior illa, animus nimirùm, ſolutior, ac liberior eſt, quàm vt prehendi manibus, quàm vt flecti valeat pro herili arbitrio. Neſcit nemo quàm excelſus, quámque infractus Epicteto in illa ſeruiendi neceſſitate remanſerit. Nam quid Diogenem memorem, qui cùm in auctione rogaretur, quid rerum ſciret agere; reſpondit, viris imperare: & ad præconem conuerſus, Proclama, inquit, ecquis-nam ſit, qui emere dominum velit; ac ſubinde ad Xeniadem emptorem; Quid agas, inquit, vide; oportebit enim te mihi deinceps, tametſi ſeruo obtemperare, eadem ratione, quâ medico, & gubernatori, ſeruo licet, obtemperatur. Cùm ſit verò aliunde ſapienti rerum humanarum meditata conditio; cùm perſpectum habeat non habere ſe in fortunam dominium; &, ſi quid aduerſi aliis accidit, poſſe idem quoque accidere ſibi; cùm proinde nihil humani à ſe alienum exiſtimet, ac ſe non debuiſſe agnoſcat naſci hominem, niſi humanis caſibus eſſe vellet obnoxius; ideò animum ſemper habet ad omnem fortunam ita comparatum, vt nulla ſit, cui ſe non patienter accommodet; quam ſibi non modò tolerabilem, ſed quadamtenus etiam ſuauem reddat. Iubet Dominus, paret lubens; & cùm potuiſſet ex ſeipſo parem laborem ſuſcipere, nihil intereſſe exiſtimat, iuſſûne, an ſponte in illum incumbat. Lætatur ſibi adeſſe vireis, quibus imperium exſequatur; ac eſſe in lucro deputat, quòd facultatem, quæ alioquin fortè obtorpuiſſet, exerceat. Feliciorem quin-etiam ſe ſuo hero, dominóve habet, quatenus agnoſcit ſibi vnicum illius nutum obſeruandum; interim autem ſubiici illum & plurium & grauiorum dominorum tyrannidi, ambitionis putà, inuidiæ, iracundiæ, libidinis, cæterarúmque perturbationum; & cùm ſibi operi imperato vacanti nihil aliud curæ ſit; illum intereà innumeris ſollicitudinibus diſtrahi; adeò proinde, vt longè tranquilliùs, ac feliciùs æuum traducat. Mitto interim, quàm-multis contingat bonos, humanóſque dominos nanciſci; quàm multis contigerit non libertatem modò, ampláſque opes adipiſci, ſed ab ipſis quoque dominis

In pag. 88. dominiis hæredes inſtitui: quàm multis in doctos, bonoſque incidentibus dominos optabilis ſeruitus fuerit, vt Muri Epicuri; Tyroni Ciceronis, & aliis.

Minùs porrò adhuc curanda ſapienti, quàm pati quidem, ſed culpâ non ſuâ INFAMIAM, ſeu Ignominiam poteſt. Nam ſi ſit illa quidem in eo, quòd Magiſtratu, aut publico alio munere, honoréve priuetur; ſubeſt, quamobrem lucro vertat, ac ſibi ipſi gratuletur, quòd fortuna vltrò talem occaſionem tranquillitatis offerat, quæ ſibi alioquin, tametſi ardenter deſideranti, non obtigiſſet. Sed hac de re plura aliquantò priùs circa Ciuilem Prudentiam; cùm quicquid debet abſterrere à muneribus publicis ambiendis; idipſum debeat, illis amiſſis, eſſe non modò leuamento, verùm etiam oblectamento. Sin verò conſiſtat in rumuſculis apud vulgus diſſeminatis; maiore ſanè eſt animo, quàm vt taleis rumores curet. Nouit quo ſit ingenio vulgus, flexile, mutabile, varium; idem mox probans, mox improbans, & cui placere conſtanter nequeat, qui Luna, aut mari non ſit inconſtantior. Conſcientiam ſemper intemeratam pro mille gerit teſtibus; ac abundè ducit nihil ſibi conſcire, nullâ culpâ palleſcere. Sin demùm in eo, quod quis conuitietur, calumniáſve, & iniurias fundat: grandiore adhuc eſt animo, quàm vt exinde ſtomachêtur. Nimirùm ſic conuitia audit, non quaſi de ſe, ſed quaſi de alio ſpargantur: Quippè eſſe non in ſe agnoſcit, quæcumque ille deblatterat; ſed in eo, quem ſibi ille fingit. Vnde & efficitur, vt cùm ille ſperet ſe moleſtiam ex eo creaturum, quòd ipſi affingat ea, quæ non inſunt; ipſe moleſtè id non accipiens, illum eo fine, quem intendit, fruſtretur. Et poſſetne illi quicquam grauius, moleſtiúſque rependere, quàm ſuo ſilentio teſtando contemptum, dolorem illi loco voluptatis certò ſperatæ incutere? An-non putes ſubeſſe illi, cur paret ſibi laqueum, ita deſpectui habitus, vt non pro puero, ac muliere modò, ſed pro demente etiam, ac furioſo, cuius iniuriæ nihili ducuntur, fuerit reputatus? Conſiderat prætereà ſapiens, quàm magnus vbique numerus ſtoltorum occurrat; ac, ſi ſe ab illis offendi poſſe exiſtimet, fore, vt paſſim offendatur, commoueatur, tranquillitatem ſuam amittat; Quare & ſemel ſtatuit eſſe ſe offenſa omni ſuperiorem, ac improborum maledictis, non magis, quàm Lunam latratibus canum debere moueri. Qua vel vna ſanè ratione licet conſtantiam, ſanitatémque animi ita demonſtrare; vt ille demonſtrat ſe corpore ſanum, qui calorem, frigus, aliaſque aëris mutationes, ſeu, vt etiam vocant, iniurias inoffenſus excipit; non item ille, quem minimus calor, frigus minimum afficit, ac lædit.

Quid dicemus verò de facta IACTVRA liberorum, amicorum, omniúmque vniuersè, quos diligimus? Nempè ſapiens quoque exinde mouebitur minùs. Primùm, quod agnoſcat querelas, lamenta, deſideria, fruſtrà eſſe, & aduerſus fatum inutiliter ſuſcipi: *De Fortitudine,* Quippè inexorabile cùm ſit, neque erepta capita cariſſima reſtituturum: Vnde & ſe maturè aduerſus hos caſus, quos poſſe euenire non hæret, ita comparat, vt eùm euenerint, non impotenter, muliebriter, inanitérque torqueatur. Deinde attendit; eùm propter amiſſos liberos, alióſve dolemus, non illorum nos, ſed noſtrâ cauſâ ſolùm dolere. Nam dolere quidem, quòd illi in portu quietiſſimo ſint, neque ampliùs ſalo, hoc eſt, malis, ſiue miſeriis, quibus eſt hæc vita obnoxia, agitentur; inuidum, ferinúmque eſt. Dolere autem, quòd quibuſdam vitæ voluptatibus non fruantur; inofficioſum, ridiculúmque; quatenus illi neque eas exoptant, neque ipſis indigent, aut carere moleſtum habent. Eſt itaque ſplendida quidem, ſed ficta tamen pietatis ſpecies, quam dolori noſtro tùm obtendimus, dum nos ob ipſoſmet dolere teſtamur; cùm reipsâ ob id doleamus, quòd ipſi ſimus deinceps eorum conſuetudine carituri, quòd non experturi conſueta, ſperatáque officia; quòd non perinde ſuſpiciendi, colendi, celebrandi, &c. Quare & indignum ducit ſapiens ſui causâ ita dolere, quaſi eos habere dumtaxat voluerit, vt ſibi vni viuerent, vt ſibi vni morerentur; ac tamdiù habere expetierit; quamdiu ſuâ vnius referret, non quamdiù ipſis conducere Naturæ author arbitraretur. Ad hæc, id tempus cogitat, quo, priuſquàm liberos, v. c. ſuſciperet, fuit; Quippè, vt tùm graue nihil fuit iis carere; ſic iis deinceps eſſe orbatum non debere eſſe graue iudicat; cùm illi quidem ſui ipſius reſpectu, conditione ſint prorsùs pari. Quod enim eſſe durius videatur, eo carere, quod aliquando; quàm eo, quod nunquam habueris, id pertinere exiſtimat ad ingratitudinem vulgarem, quâ bono aliquo priuati, non tam gratè accipimus, quòd illo frui licuerit, quàm iniquè ferimus, quòd illo ampliùs frui non liceat. Vnde & non tam dolet, ob tempus quo abeſt, quàm lætatur ob id, quo adfuit, quôque etiam abeſſe potuit; ſatiuſque adeò longè ducit, id ſibi aliquando adfuiſſe, quàm nunquam. Atque id quidem maximè, ſi filium amiſit; quem ſe aliundè cenſet non tam amiſiſſe, quàm reddidiſſe Naturæ Authori, qui illum quaſi pignori, commodatóve dederat, non ſanè ad omne, ſed ad certum vſque præſtitutum tempus: Conſiderat quoque, niſi ſuperſtes alius ſit, neque ſufficere alium poſſit; ſupereſſe ſaltem ſibi bonam mentem, quâ & caſum fortiter ferat, & ea opera, quaſi fœtus legitimos edere poſſit, quæ intermoritura non ſint, ſed in æuum ſuperfutura. Quod ſi Parens ſit, quem amiſit; agnoſcit ab eo relictum abundè, vnde ſe deinceps tueatur, cùm & niſi aliud, ſaltem animum, quo, eſſe paruo contentum, edoctus, nihil ſibi vnquam defu-

turum

De Fortitudine. turum præſentiat. Et, ſi Amicus; cogitat ſuperſtitem ſibi adeſſe virtutem, qua parare alium ſic poſſit, vt non tam amiſiſſe, quàm commutaſſe amicum videatur.

Quid de Iactura Diuitiarum, ſine inducta PAVPERTATE? Scilicet neque etiam erit, quòd moueatur; iuxta ea quæ deducta ſunt de ſimplici victu cùm diſſcreremus. Etenim, quia nemo ſic pauper euadit, vt non adhuc ea, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, ſuppetant vt quæ natura parabilia, & facilè cuique occurrentia fecerit; iniuriâ ſe torqueat ob illa amiſſa, quæ neceſſaria minimè ſint, & ſine quibus adhuc benè, felicitérque viuere poſſit. Quantumlibet certè ſit res facta anguſta; in promptu ipſi erit obſeruare multos, quibus niſi etiam anguſtior, ſaltem non minus anguſta ſit, quique in pauperibus habeantur; Et ſeſe nihilominùs perinde non excrucient, ſed longè iucundiùs, quàm diuites viuant. Pauperes nimirùm, quod lætantur, ac rident, tantò & effuſiùs, & ſinceriùs faciunt, quantò ſolutiores ſunt curis, ac ſollicitudiuibus illis, quæ diuitiarum aſſeclæ ſunt, neque vllam eſſe voluptatem ſatis liquidam, purámque patiuntur. Eſto verò; facta ea fuerit fortunæ commutatio, vt iam ſit illi pro palatio tugurium, pro ſerico lana; pro perdice panis cibarius, pro Falerno aqua; pro lectica baculus; pro poculo aureo, argenteóve, fictile, aut ipſa quoque vola manus; atque ita de cæteris: Ecquàm multa habebit illorum exempla, qui hiſce contenti, & fucatum illum ſplendorem riſerunt, & maiore gaudio quàm illi intra opulentiam demerſi tranſegerunt vitam? Quam-multi quoque etiam-num ſunt, qui vt pientiſſimè, ita beatiſſimè æuum degunt, commutatione hac vltrò facta; dum, abiectis ſponte diuitiis, paupertatem vltrò ſectantur; vt minùs ideò neceſſe ſit illos citate ex antiquis, qui philoſophiæ, ac liberioris, tranquilliorîſque vitæ amore, remiſere diuitiis nuncium, paupertatémque adeò coluerunt? Et non-ne ſunt etiam detectæ nuper gentes, quarum hic ipſe ſtatus ſit; talis ſcilicet, qualem perhibent fuiſſe primorum hominum, apud quos nullus fuit iſtarum, quæ reputantur, diuitiarum vſus; & fuit nihilominus aurea illa, ſeu beatiſſima omnium ætas? Quod ſi grauius exiſtimes cecidiſſe ex ampla fortuna, quàm conſtitiſſe in humili, agnoſcere licet iſtud eſſe iam ex ſola opinione malum; cùm, quod rem ipſam attinet, nihil interſit, pridem-ne fueris, an recens euaſeris pauper; ac parùm ſanæ mentis ſit, non quod ſuperſit, attendere, ſed quod perierit, deſiderare. Niſi fortè putas ſuſcipiendum *Ad Helu. cap. 10.* Apicium, qui cum in Culinam, vt refert præ cæteris Seneca, congeſſiſſet ſeſtertiûm millies (hoc eſt, vt more noſtro loquar, nouem milliones, trecenta, & ſeptuaginta quinque millia Turonicarum librarum) vbi rationes ſuas inſpexit, & computauit ſibi ſolùm ſupereſſe ſeſtertiûm centies, (hoc eſt, vltra nongenta ac triginta Turonicarum librarum millia) tunc, quaſi victurus in vltima fame, veneno vitam finiit. *In pag. 88.*

Superſunt duo illa capita præcipua, videlicet DOLOR, & MORS, in quibus contemnendis docet Cicero duo maxima Fortitudinis munera verſari. *2. Tuſc.* Et ad Dolorem quidem quud ſpectat, quoniam is penè eſt vnicum, neque perinde, ac cætera (vt ſuprà obſeruauimus) ab opinione pendens malum; ideò Fortitudinis Virtus in eo patienter tolcrando eluceſcit potiſſimùm. Quare & heic Sapiens ſeriò cogitat, non aliâ ſe eſſe conditione natum, quàm vt incommodis vitæ variis, doloríſque imprimis ſubiaceat: Naturæ eſſe malum ſentire; ſed Virtutis conſtanter ferre; & quicquid perpeſſu neceſſarium eſt, non fruſtrà obluctando grauiùs reddere; ſed quietè excipiendo quaſi mitigare. Non eſſe rem intolerandam; cuius tot habeantur exempla illuſtria; & non modò quidem Zenonum, aut Anaxarchorum; ſed ſeruorum etiam, ex quibus memorandus ille præſertim, qui Aſdrubalem, à quo herus fuerat occiſus, cùm interfeciſſet, nullis tormentis adigi potuit, quò minùs vultu exprimeret quam ſummam lætitiam ex domini cæde vindicata conceperat. Non ſingulorum item hominum, ſed penè etiam dicam integrarum gentium, vt de Lacedæmoniis præſertim eſt notum; apud quos ipſi etiam pueri ſeſe mutuis verberibus ad internecionem penè ſic cædebant, vt nullam tamen neque vultu, neque voce ſignificationem doloris præberent; idque vt nihil non ferre pro patria ſeſe condocefacerent. Et cùm apud illos, non furari quidem, ſed in furto deprehendi probro haberetnt; tritum eſt fuiſſe puerum, qui paſſus fuerit ſibi corrodi viſcera à vulpecula, quam in ſinum abdiderat, nulla doloris interim, quâ proderet furtum, factâ teſtatione. Ad hæc, ſi dolor quidem ſit lenis, tolerantiam eius eſſe facilem; ſin autem grauis, eſſe decoram. Nempè iſtam eſſe maximè illuſtrem virtutis exercitationem, quæ tantò euadit commendatior, quantò in difficiliore materia verſatur. Talem dolorem, aut mitiora quædam interualla habere; aut leuiorem fieri aſſuetudine; aut non eſſe valdè diuturnum; quòd, vt dicendum poſteriùs eſt, breui aut ſoluatur, aut ſoluat. Ac ſi ſoluàtur quidem, vt plerumque fit, tùm eam, quæ conſequitur indolentia, ac valetudo tantâ eſſe gratiâ, vt parùm abſit, quin habendæ quædam dolori gratiæ videantur; quando quantum bonum: Non dolere ſit, neque ſentitur, neque æſtimatur, niſi ab eo, qui grauiter doluerit; adeò proinde vt dolor ſic habendus ſit, vt cibus acidior, qui ad percipiendum dulcorem comparat guſtatum. Nam quid illud commemorem, quod de Milite quodam Gallo Mirandulanus recitat, qui aliàs abſtemius, cùm febri vigente vinum probaſſet

In pag. 88. probaſſet ſuauiſſimum, febrim perpetuam optauerit, vt ea voluptate perpetuò frueretur. Sin ſoluat; tùm accedi ad metam quæ finis omnium malorum ſit, ac dolorem ſaltem id boni præſtare, quòd amittendam alioquin vitam, reddat minùs amabilem; & mortem, rem alioquin omnium terribiliſſimam, minùs inuiſam faciat: Neque enim eſt illud vnius dumtaxat,

Nec mihi mors grauis eſt, poſituro morte dolores.

Quod videretur heic cohærenter de Ægritudine dicendum; idipſum argumentum fuit antecedentium capitum; ac videri poteſt etiam penè omnium, quæ in Ethica ediſſeruntur; quatenus omnia eò penè tendunt, vt eleuetur opinio, quâ plerumque ea, quæ mala non ſunt, reputari ſolent in malis.

Ad ipſam autem Mortem quod ſpectat, tam multa ad illam conſtanter ſubeundam recenſita ſunt, tùm circa id, quod Epicurus iuſſit aſſueſcendum in Meditatione, quòd nihil ad nos pertineat mors: tùm circa id quod aduerſus ipſum, aduerſúſque Lucretium eſſe Animos hominum immortaleis probauimus, vt quidpiam de ea heic ſubiicere videri poſſit ſuperuacaneum. De Fortitudine igitur hæc pauca ſufficiant.

DE TEMPERANTIA.

SVccedit Temperantia, altera Epicuro τοῦ καλοῦ, *Honeſtatis* pars; & ea quidem, quantum ad vim nominis attinet, præcipua: 1. Offic. *Hoc enim loco*, inquit Cicero, *continetur id, quod dici Latinè Decorum poteſt; Græcè enim* πρέπον *dicitur, cuius vis ea eſt, vt ab honeſto non queat ſeparari; nam & quod decet, honeſtum eſt; & quod honeſtum eſt, decet.* Dicta porrò Græcis Temperantia eſt Σωφροσύνη, quaſi Σωοφροσύνη, quòd ſit *conſeruatrix Prudentiæ*: vnde & apud Serm. 5. Homerum, adnotante Stobæo, dicitur σῶα In Crat. φρόνησις, *Prudentia ſalua*; apud Platonem σωτηρία φρονήσεως, *incolumitas, ſalúſve prudentia*; 7 Eth. 5. apud Ariſtotelem σώζουσα τὴν φρόνησιν *ſeruans Prudentiam, &c.* & hacce de cauſa, Temperans, tùm σώφρων, quaſi *ſapientiam*, aut *bonam mentem incolumem tuens*, vocatur; tùm χαλίφρονι *Imprudenti*, ſiue *ſtulto* opponitur. Nempè qui Intemperans eſt, ille abieciſſe prudentiam, & amiſiſſe bonam mentem videtur; vt 10. De leg. Plato proinde videatur non malè vagantibus noctu, atque ideò malè feriatis ſpecialem carcerem deſtinaſſe dictum σωφρονιστήριον, quoniam illis mentem veluti reſtitueret; neque iniuriâ iuuentutis Cenſores, ab Athenienſibus conſtituti per tribus, σωφρονισταὶ vocati ſint, quòd ſapientiam, ſeu bonam mentem in iu- 3. Tuſc. uenibus tutarentur. Teſtatur autem Cicero ſeſe σωφροσύνην interpretari tùm *Temperantiam*, tùm *Moderationem*, non nunquam etiam *Modeſtiam*; ac dubitare, num etiam *Frugalitatem* debeat dicere: *Quòd Græci*, inquit, *viros Frugi*, χρησίμους, *tantummodo vtileis, quod anguſtius eſt* (*cùm illud ſit latiùs*) *appellent.* Cæterùm iſta De Temperantia. quoque Virtus, vt aliquando fuſiùs, aliquando preſſiùs; ita aliquando mediocri modo vſurpatur; quo pacto & iam vſurpanda eſt. Et quod interdum quidem fuſiùs, generaliúſve pro omni virtute, aut eo, quòd decorum in omni virtute eſt, vſurpetur, tùm ipſa vox indicat, quatenus Temperantia mediocritatem ſonat, & omnis virtus mediocritas eſt; tùm deducta mox Græca etymologia, ipſam Prudentiæ tutricem faciens, ſine qua Virtus nulla exſiſtit; tùm multiplex illa commendatio, quâ & Pythagoræ dicta eſt ῥώμη ψυχῆς, *robur animæ*; Socrati κρηπὶς ἀρετῆς, *fundamentum virtutis*; Platoni, κόσμος ἀγαθῶν πάντων, *omnium bonorum ornamentum*; Iamblicho, qui hæc ipſa refert, ἀσφάλεια τῶν καλλίστων ἕξεων, *Pulcerrimorum habituum munimen*; cùm & dici alia innumera ſoleat. Accipi verò interdum preſſiùs, ſpecialiúſve, ex eo conſtat, quòd cùm eluceat potiſſimùm in voluptatibus, quæ ad guſtatum, tactúmque ſpectant, cohibendis; intelligatur ferè ſolùm Sobrietatem, & Caſtitatem, & ſi qua ſunt ipſis affinia, adiunctáve, complecti. Ita videtur potiſſimùm Ariſtoteles 3 Eth. 13. vſurpare, cùm verſari docens circa Voluptates Temperantiam, eas primùm excludit, quæ ſunt animi, vt in ambitioſis, & doctrinæ cupidis; ac ſubinde etiam ex corporeis illas, quæ viſu, auditu, olfactûque percipiuntur, quaſque conteſtatur nullas à Brutis percipi, niſi fortè ex accidenti (neque enim leonem ceruæ viſu, aut bouis mugitu, ſed eſcâ exinde ſibi paratâ delectari, neque canem propter odorem inſectari leporem, ſed quòd ſperet ſibi ceſſurum in cibum.) Quamobrem & ſolas relinquit Voluptates Guſtus, & Tactus (quæ ſolæ ſint nobis cum Brutis communes) in quibus verſetur Temperantia, & quibus adeò prout obſiſtunt, obſequuntúrve homines, Temperantes propriè, aut Intemperantes vocentur. Viderentur etiam dici poſſe ἐγκρατεῖς & ἀκρατεῖς *Continentes, & Incontinentes*; ſed tùm Græcæ voces paulò latiùs accipiuntur; extenduntur enim ad eos, qui ſe continere, aut non continere ab Ira, v.c. poſſunt, vt vel ex Ariſtotele deducendum inferius eſt; tùm Latinæ paulò contractiùs; ſolent enim vulgò ſolùm vſurpari pro iis qui circa paſſiones ad tactum ſpectanteis, ſeu circa Venerea, cohibent, laxántve habenas. Quod præclarè verò Ariſtoteles Guſtus, Tactúſque voluptates & ἀνδραποδώδεις, καὶ θηριώδεις *ſeruileis, ac belluinas* vocet; & rem exaggeret non in Ethicis modò, ſed etiam in Problematis; hcinc eſt, cur tam apud Agellium, quàm apud Macrobium tùm problema Lib 19. c. 2. exſtet integrum ex ipſo deſcriptum, tùm quæ 7 Saturn. vlt. ex Problemate deducuntur ita apud vtrumque Authorem eadem penitùs ad verbum legantur, vt conſtet totum locum fuiſſe à Macrobio ex Agellio (quem tamen haud quaquam nominet) exſcriptum. Mediocri autem modo videtur Temperantia accipi, cùm præter iſtas

De Temperantia. Guſtus, & Tactus, intelligitur etiam alias cupiditates moderari, quibus elatus animus decori metas tranſgreditur. Nam, vt Fortitudo propriè comparatur aduerſus omnem metum, quo præter decorum animus deprimitur; ita videtur propriè comparata eſſe Temperantia aduerſus omnem cupiditatem, qua præter decorum effertur. Ex quo efficitur, vt Vir Temperans intelligi poſſit non modò qui ſobriè, caſtéque vitam ſuam inſtituit; ſed etiam, qui nihil non compoſitè, decentérque aut dicit, aut facit; nihil, quod cum bonorum ſapientúmque omnium approbatione non excipiatur.

Efficitur verò heinc quoque, vt Partes Subiectæ, ſeu ſpecies Temperantiæ haberi poſſint non duæ modò ex Ariſtotele memoratæ; ſed pleræque etiam ex iis, quas Potentialeis nominant, cuiuſmodi ſunt Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, & aliæ: vtque proinde duæ, quæ dicuntur partes Integrantes, latiùs pateant; Verecundia nempè, & Honeſtas. Quippe hæc ſunt quaſi duo quædam generalia media habenda, quorum vno quidem auocatio ab Intemperantia; altero prouocatio ad Temperantiam fiat. Nam
Lib.4 cap.vi. ad Verecundiam quod ſpectat, tametſi Ariſtoteles in Nicomachiis contendat eam eſſe non Virtutem quampiam, ſed perturbationem potiùs, quòd nihil aliud ſit, quàm metus quidam infamiæ; huiuſmodi tamen perturbatio eò confert, vt eâ ſeu voluptas, ſeu elatio animi declinetur; ex qua ſit alioquin grauior, diuturniórque perturbatio conſequutura; ægritudo nempè, quæ propter infamiam, dedecúſve contrahi ſolet. Honeſtas verò, vt hoc quidem loco accipitur, nihil aliud eſt, quàm *τὸ πρέπον*, *ipſum decorum*, quod ſui ſpecie ad ſe alliciens, facit vt eadem ſiue voluptas, ſiue elatio reprimatur, & ob ſe ſeruatum (ac ideò ob bonam famam incolumem) voluptatem quandam ſinceriorem pariat. Cùm ſit autem laudabiliſſimum Intemperantiam fugere, & Temperantiam proſequi decori ſolius amore; tùm laude quoque ſua non caret idem agere propter Verecundiam, metúmve infamiæ, quæ alioquin impendeat; quòd, vt tenebras odiſſe non poteſt, niſi qui lucem amauerit: ita auerſari infamiam, dedecúſque non valeat, niſi cui proba fama, ac decus ſit cordi. Vnde efficitur, vt tametſi videatur Ariſtoteles, quo dictum eſt loco, Verecundiam improbare; cenſeri tamen poſſit facere id ſolùm, quatenus Verecundia idem reputatur cum eo pudore, ex quo naſcitur ruboris ſuffuſio, quam vt in adoleſcentibus probat, quos ætatis feruor excuſet, ſic improbat in ſenibus, qui nihil debeant committere, vnde ſuppudere eos poſſit.
Lib.1. c.30. Lib.2. c.3. Alioquin certè idem met & in Magnis Moralibus, & in Eudemiis, Verecundiam inter virtutes connumerat; ipſam quoque definiens Mediocritatem inter extrema, quæ illi aſſignat, *ἀναισχυντίαν*, & *καταπλῆξιν*, *Impudentiam, atque Stuporem*: Quaſi ſcilicet Verecundia ſit *αἰδὼς Pudor* aliquis, non qui incutiatur ob turpitudinem admiſſam, verùm qui præcurrat vt cautio, ne turpitudo admittatur. In Pag. 88.
Cicero quoque ipſam commendans; poſtquàm eſſe dixit adhibendam quandam aduerſus homines reuerentiam (quòd negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis ſit, ſed etiam omninò diſſoluti) docet; *vt iuſtitiæ ſunt partes non violare homines, ita Verecundiæ non offendere*; *In quo*, inquit, *maximè vis perſpicitur decori. Vt enim* (quæ verba antecedunt mox) *pulcritudo corporis apta compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt; ſic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, quibuſcum viuitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum.* Sic verò etiam poſteà, vbi dixit *Modeſtiam* (Græcis *εὐταξίαν*) comprehendere quoque Occaſionem, temporiſve opportunitatem (quam illi *εὐκαιρίαν* dicunt) eamque ſic definiri à Stoïcis, vt definitio ad Prudentiam pertineat; cùm illeic quidem loci quærarit de Moderatione, & Temperantia, & earum ſimilibus virtutibus, ſubdit: *Itaque quæ erant Prudentiæ propria, loco ſuo dicta ſunt; quæ harum virtutum, de quibus iamdudum loquimur, quæ pertinent ad Verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuſcum viuimus, nunc dicenda ſunt.* Cùm ergo Temperantia conſtare vniuersè Verecundiâ, Decoróque intelligatur; perſpicuum eſt rem attinere non modò ad illas duas præcipuas ſpecies, verùm etiam ad cæteras, in quibus moderatio quæpiam laudabilis elucet. Vniuersè nempè, vt in Scena hiſtrioni laudi vertitur, ſi eius Perſonæ, quâ à Poëta fuerit indutus, modum teneat, omniáque illi aptè, conuenientérque agat; ſic in vita ille laudatur, qui omneis actiones ea moderatione regit, vt aptè congruant illi perſonæ, quam indutam ſeu à natura, ſeu à fortuna, ſeu à voluntate ſua habet. Quatuor enim quædam (vt ille obſeruat) ſunt quaſi Perſonæ, quibus vulgò induimur; duæ quidem ab ipſa natura; Vna communis, quâ ſumus omnes & rationis participes, & præcellentes beſtiis; Altera propria, quæ ipſa eſt indoles cuiuſque priuata: Tertia verò ab ipſa fortuna, quâ nimirum quiſpiam eſt Rex, nobilis, diues, &c. Quarta denique à delectu, ſeu iudicio proprio, quâ quis euadit iuriſperitus, miles, mercator, aut aliud: Et cùm huiuſmodi Perſonæ in vnam quaſi coaleſcant, ſic ſe gerere quiſque debet, vt nihil peccans in ſingulis, generalem ex omnibus quaſi reſultantem præclarè ſuſtineat.

Porrò circa duas quidem illas præcipuas Temperantiæ ſpecies, dicenda hoc loco multa viderentur; ſed conſtat circa Sobrietatem vix quicquam adiiciendum eſſe ad ea, quæ deducta

In pag. 18. ducta ſunt, cùm oſtenſum eſt: *Quæ, quantáque ſecum commoda afferat victus tenuis*: ac pari ratione circa Caſtitatem, ad ea, quæ attigimus, cum egimus de illis Effatis, *Sapientem non eſſe amaturum*, *Nunquam prodeſſe Venerea*, *&c.* Itaque pauca ſolùm quædam de ipſis partim vniuersè, partim ſpcciatim adnoto. Et Primùm qnidem vniuersè, ob id, quod Ariſtoteles citatus, cæteríque de communione cum ipſis Brutis exaggerant, Videri laudem harum Virtutnm, Sobrietatis, inquam, atqne Caſtitatis in eo plerumque conſiſtcrc, non quòd nos à ritn beluarum circa vſum cupiditatum, voluptatúmque auocent; ſed potiùs quòd nos prouocent ad ritum ipſarum beluarum. Neque verò eſt, cur hoc eſſe paradoxum exiſtimetur; ſi quis modò attendat eſſc nos plerumqnc intemperantiores, & peiores beluis, quæ naturam ducem ſequuntur; cùm ipſi natnram potiùs peruertamus. Ac eſſe quidem Cupiditatem cùm cibi, & potus, tùm rci Vencreæ naturalem, nemo negârit: quandò ea ccrnitur generatim impreſſa omnibus animalibus; & ex naturæ quidem, ſeu potiùs Authoris eius inſtituto, vt ex vſu cibi, ac potus ſit vitæ prorogatio, ac diuturna adeò conſeruatio cuiuſque indiuidui; ex vſn rei Venercæ, ſit & propagatio, & conſcruatio adcò perpetua generis cuiuſquc animalium. Cùm res verò ita ſe habeat; homincs-ne, quæſo, an animalia cætera ſunt, quæ intra naturæ præſcripta conſiſtunt? Videmus certè animalia non aliis vti cibis, neque alio potu, quàm ſimpliciſſimis, & à natura ipſa paratis: homines verò millc artibus ea, quæ in cibum, potúmque aſſumunt, variare, alterare, condire, inficcre, miſcere, turbare, &c. Et cùm animalia poſt ſatiatam famem, expletámque ſitim, nihil ampliùs comedant, aut bibant, ſed itcrùm famem, ſitimque exſpectent; ipſi homines ſeſe eſculentis, potulentiſque ingurgitant; & obſoniis, conditurìs aliis; gulæ irritamentis exſtinctam cum famem, tùm ſitim excitarc ſatagunt, vt ſeſe ad guttur, fauceiſque inferciant. Videmus rursùs animalia ſtata habere tempora, quibns Veneri operam dent, & conceptu facto, ſibi ab illa temperarc; at hominibus nullum tempus, nullam metam præſtitutam eſſe, neque eſſe eos minùs in libidinem geſtationis tempore, quàm alio effræneis. Et cùm cætera animalia nullam Venerem, quam à natura inſtitutam nôrint, homines ſunt, qui præpoſteram, & in proprij ſexus opprobrium ſectantur. Niſi igitur ipſi potiùs homines beluæ non ſunt; & contrà, tales beluæ, qualeis eſſe ipſos homines deceret? Niſi proinde homines circa iſtas cibi, & potus, Veneriſque cupiditates non ſunt prouocandi ad vſum beluarum, cæterorúmve animalium, vt cenſeri poſſint viuere temperanter? Si viuere certè ſecundum virtutem, eſt viuere ſecundum naturam, nemo dicat eſſe ſecundùm virtutem, viuere vt homines, ſed vt cætera animalia ſolent. De Temperantia. Quare & indignum videri debet, non homines quidem eò prouocare, vt exemplo beluarum viuant; ſed homines peiùs, ac intemperantiùs, quàm ipſas beluas viuere, vt ſint reuocandi ad earum exemplum. Sed hæc vt mittam, & ad ipſum Ariſtotelem redeam; ſubiicienda eſſe hoc loco videtur, quæ ab eo traditur egregia viri Temperantis deſcriptio. 3 Eth. 14. Cùm enim velit Temperantiam duabus his ſpeciebus contentam, Mediocritatem eſſe inter eas, quas vocat ἀκολασίαν, & ἀναισθησίαν, *Intemperantiam*, *& Priuationem ſenſus*, ſeu *ſtupiditatem*; Poſtquam docuit Intemperantem ſic cupere ea, quæ voluptatem afferunt, vt dolore afficiatur, non modò cùm frui non poteſt; ſed etiam donec concupiſcit; Stupidum verò, ſeu qui voluptatibus non afficiatur, vix inueniri (quòd res ab humanitate aliena ſit) neque idcircò eſſe illi proprium nomen impoſitum, ſubdit: *Temperans autem circa hæc medio modo ſe habet; nam neque iis, quibus intemperans maximè capitur, delectatur, ſed illis potiùs offenditur; neque omnino quibus ex rebus capere non decet, voluptatem capit, neque vllâ earum vehementer mouetur; neque ſi ea abſint, animo angitur; neque omnino quicquam tale aut concupiſcit, aut certè moderatè, ac non magis, quàm decet; neque quo tempore non decet. Quæcumque autem voluptatem cùm pariant, eadem faciunt ad ſanitatem, bonumve habitum corporis, ea concupiſcit moderatè, & ſicut par eſt: uti & iucunda cætera, quæ obſtaculo his non ſunt, neque præter decorum ſunt, neque facultates excedunt. Nam qui eſt quidem ſecùs affectus, magis, quàm par eſt, has voluptates deperit: at talis Temperans non eſt: ſed vt recta ratio præſcribit.* Quo loco vides Temperantem Ariſtoteli eſſe eum, non qui ex toto huiuſmodi voluptatibus abſtinet; ſed qui abſtinet quidem iis, quas non decet proſequi, cuiuſmodi ſunt aut non-naturales, aut illìcitæ, legibúſque probibitæ, aut valetudini noxiæ, aut famæ labefactatrices, aut rei familiaris decoctrices; ſed capere tamen, & moderatè quidem, eas non detrectat, quibus nihil huiuſmodi ſubeſt. Nimirùm, quaſi hac ratione nihil non ſit humanum, & ſecundùm ipſam naturam, quæ fruſtrà prorsùs indidiſſe cupiditatem ipſarum non poſſit. Vnde & efficitur, vt decimo Nicomachiorum, ſicut ſuperiùs retulimus, Ariſtoteles eos ſugillet, qui in Cap. 1. voluptates debacchantur, quibus nihilominùs capiuntur (quaſi nemini non adſit natura, quam tametſi verbis exuere quis fingat, nihilominùs reipsâ retineat; ac illi proinde videantur ſibi ipſis contradicere) mirúmque idcirco non ſit, ſi cùm virtus eſſe dicatur viuere ſecundum naturam, & naturam ſequi adcò pronum ſit, tam pauci tamen virtutem ſectentur; qnandò quam illi virtutem laudant, aduerſatur potiùs, quàm obſequatur ipſimet naturæ. Ex quo rurſus efficitur, vt eſſe quidem virtus poſſit abſtinere omnino ab

De Temperantia. huiuſmodi voluptatibus ; verùm ea non ſit naturalis, ſed alterius generis, vt ſi ad Religionem ſpectet, quæ naturam ſub iugum mittat, & ſibi ipſi obtemperare tanquam præcellentiori cogat.

Deinde, ſpeciatim circa Sobrietatem adnoto dumtaxat, id eſſe inter ipſam, Caſtitatémque diſcriminis, vt cùm eſſe poſſint, ac ſint, qui vitam ſic inſtituant, vt Veneris omnis expertem traducant; nemo tamen ſit, neque eſſe poſſit, qui ſic inſtituat, vt omnis cibi, potúſque vſu ſibi interdicat. Ratio verò eſt, quòd cùm poſſit quis victu viuere adeò parco, vt nihil creet ſeminis, quo ſollicitari ad venerem poſſit; nihil tamen ſit aliunde quod præſtet, quò minùs calor naturalis radicale humidum indeſinenter depaſcatur; vnde & præ fame, ſitique extabeſcat, breuíque exarear, niſi ſuffectis cibo, ac potu, humidi iacturam in dies reſarciat. Quamobrem in eo conſiſtit hæc virtus, non vt ex toto à comedendo, bibendóque abſtineatur; ſed vt comedendo, ac bibendo non excedatur modus. Cùm poſſit porrò penes varia huiuſmodi modus attendi, vt penes ætatem, vitæ conditionem, corporis ſtatum, regionis morem, &c. is generatim tamen in eo eſt, vt ſanitatis ratio habeatur; ac ideò, vt in cibi, ac potus neque Quantitate peccetur; quod fit præſertim, cùm præter famem, ſitimque quid ingeritur; neque Qualitate; quod fit, dum id ingeritur, quod ſeu ſuâ naturâ, ſeu artis mangonio, ſeu alienæ rei miſturâ, nimis calidum, aut gelidum cùm ſit, neque concoqui, neque digeri facilè poteſt, veneni ſubit ſpeciem; ructationes, & tormina creat, caput prægrauat, ſomnum turbat, mentem emouet, cæteráque id genus. Et quod ad ipſam quidem Quantitatem attinet, tùm habetur ſanè ratio ſanitatis, cùm cauetur, ne vltra famem, ſitimque quicquam aſſumatur; quippe natura quemadmodum famem, ac ſitim nobis ingenuit, ſic quaſi menſuram, iuxta quam quiſque intelligat quantum ſumere, aut non ſumere oporteat, conſtituit. Enimverò, quia in omnibus ferè alimentis, quorum eſt vſus (etiam in pane, atque vino) aliquid artis interuenit; ac idcircò fit, vt aliquid ſubſit, quo fames, ſitíſque proritetur, & vltrà, quàm natura inſtituit, prouehatur: heinc fieri videtur, cur pridem Sapientes cenſuerint rem eſſe ſaluberrimam, Veſci citra ſaturitatem. Scilicet, quia opponi poſſet animalia cætera, quæ naturæ ductum ſequuntur, atque adeò quicquam contra ſanitatem non peccant, ad ſaturitatem vſque comedere, ac bibere; poteſt eam ob rem excipi, veſci animalia alimentis merè naturalibus, quæque appetitum ſic exſtinguant, vt non prætereà exſtimulent; ipſi verò homines ſecus. Et poteſt nobis profectò res vel ex ipſa aqua conſtare, quæ potus merè, imò omnium maximè naturalis eſt. Etenim, cùm quis ſitiens iucundiſſimè illam hauriat, non tamen, ſiti ſemel ſedatâ, ſorbere ex ipſa ampliùs appetit; *In pag. 88.* vt facere ſolet ex vino, potulentiſque cæteris, & tantò quidem amplius, quantò ars fecerit ſuauiora, palatique delinientiora. Vtcumque ſit verò; non ſunt modò exempla virorum ſapientum, qui vt citra ſatietatem veſcuntur, ita vitam degunt ſaluberrimam, ac diuturnam; ſed nemo etiam eſt omnium, qui, ſi ſit expertus, non meminerit, pœnituiſſe nunquam abiiſſe è menſa non penitùs ſaturum; cùm ſæpè pœnituerit ad ſatietatem vſque ſtomachum impleſſe. Quo loco taceri non poteſt Diogenem haud abs re miratum comedere velle homines voluptatis gratiâ, & nolle tamen ob eandem cauſam à comedendo deſinere; nempe cùm tanta voluptas ſit, tùm benè valere, & morbis, doloribúſque immunem fieri; tùm remanere comparationem ad voluptatem ſimilem citiùs, ſinceriúſque capiendam. Ad Qualitatem verò quod ſpectat; tùm quoque habetur maximè ſanitatis ratio, cùm alimenta aſſumuntur ſimplicia, concoctu facilia; & quæ quiſque probat ſibi conducentia. Hac ſanè de cauſa videmus viros ruſticos, qui ſimplici pane, fructibúſque, & aquâ veſcuntur, eximiè valere, neque egere medicis; cùm ij, qui lautis fruuntur menſis valetudine dubiâ ſint, & medicos frequenter implorent. Heinc fuêre ſemper quædam Sapientum (vt Pythagoreorum, & aliorum) ſectæ, qui ab animalium eſu abſtinentes, & ſimplicibus naturæ donis contenti ſanam, ſuauémque degerint vitam. Ac nihil quidem attinet hoc loco ediſſerere (quod præſtamus alibi fuſiùs) non videri carnem eſſe homini naturalem cibum; ſed cùm videatur aſſuetudo feciſſe penè naturalem, obſeruari ſaltem debet vſum carnium tantò, cæteris paribus, ſalubriorem euadere, quantò apparatu ſimpliciore, & minore artis cum adulteratione fuerit. Nihil etiam ediſſerere (quod rurſus aliàs facimus) eſſe qualitatem in vino malignam, (quam etiam Cyrus appoſitè apud Xenophontem *1. Cyrop.* venenatam habuit, cùm Aſtyagi, & cæteris tùm corpus labaſcens, tùm mentem emotam præ vini potu animaduertit) ſed pari modo, cùm aſſuetudo, factáque ex aqua temperatio malignitatem illam emendet; intelligi ſaltem heinc licet, tantò eſſe vini potum ſalubriorem, ſeu potiùs minùs inſalubrem, quantò ipſum ſimplicius, temperatiúſque exſtiterit. Interim autem obſeruari poteſt arteis coquorum, cæterorúmque alimenta adulterantium, videri in hominum perniciem (quippè aduerſus ſanitatem illorum) eſſe comparatas: ac eſſe adeò, quòd miremur, poſſe homines odio proſequi, inſectaríque veneficos, & conducere tamen, caróſque habere cupediarum artifices, qui nihilò ſecus ſanitati, ac vitæ, ſpecie dulcedinis, inſidiantur. Sed nimirum per-rari ſunt, qui non capiantur illecebris,

&

In pag. 88. & faſcinati voluptatis præſentiâ, cauere à malis futuris ſuſtineant. Vnde & fit, vt Democritus iure deriſiſſe homines videatur, qui pro ſanitate Diis vota faciant, & præ victu tamen diſſoluto illam profundant; neque ſecùs Diogenes illos, quibus curæ eſt, vt mortui condiantur; cùm nihil non agant interim, vt etiam viui computreſcant.

Poſtremò circa CASTITATEM, obſeruo dumtaxat, cùm illa depugnet aduerſus affectum omnium vehementiſſimum, & cui nonnemo ferè ſuccumbat, duo aut tria quædam eſſe videri munimenta potiſſima, quibus reſiſtere ipſi liceat. Sunt autem illa deducenda in eorum gratiam maximè, qui & viuere cælibes, & ſeſe puros continere ab omni Venere inſtituunt; tametſi poſſint cæteri quoque tanto viuere continentiùs, quantò ſeſe præſtiterint iiſdem munimentis corroboratiores. PRIMVM itaque, præcipuúmque, ac penè dicam vnicum, exquiſita Sobrietas eſt. Hæc enim eſt, quam niſi colas, fruſtrà pertentes appetitum imperioſum reprimere: ſi colas, parùm tibi laboris ipſi edomando reliqueris. Antiquius eſt Chremete Terentiano, quod eſt peruulgatum. Sine Cerere, & Libero Venerem frigere: ratióque eius eſſe videtur non obſcura. Siquidem, quod Venerem fouet, ad ipſámque irritat, ac ſollicitat, turgeſcens eſt ſeminis copia, quâ preſſa natura ſeſe exonerare geſtit; talis autem copia non aliunde eſt, quàm ex abundantia, vel qualitate alimenti. Quamobrem, ſi quis eam ſeruet in victu temperantiam, vt cibo neque redundanti, neque ſuâ naturâ nimis calido, ſemificóve vtatur; is veluti ligna, ac oleum, quibus ignis hic inardeſcat, ſubducit. Receptum eſt, procreari ſemen ex alimenti reſiduo; profectò verò ſi quis vix tantum alimenti aſſumpſerit, quantum corpori enutriendo, conſeruandóque videatur ſatis; non erit quorſum ea eius portio in ſemen vertenda ſuperſit, quæ creare moleſtiam, faceſſeréve negotium poſſit. Heinc verò cauſa eſt, cur mox antè citra ſatietatem dixerim veſcendum; nam exinde quoque ritè declaratur quî contra naturam res ſit, aut non ſit, prout natura cætera animalia ita inſtituit, vt ad vſque ſatietatem veſcantur. Nam cùm curæ ſit eidem naturæ non ſolùm indiuidui, ſed generis etiam totius conſeruatio, ideò ipſa alimenti appetitum indidit, non ſolum quantum ad indiuidui conſeruationem faciat, ſed quantum prætereà ad propagationem ipſius generis ſufficiat. Vnde &, ſi qui vitam ſic inſtituant, vt à propagando genere abſtinere velint, ij exſatiare integrè appetitum non debent, ſed illum ita compeſcere, vt infra ſatietatem conſiſtat. Prætereo autem, vt ipſi quoque ſuo fructu non careant, cùm & valentiores, & viuaciores euadant; quòd nullus ſit Veneris vſus, qui non præter illud reſiduum, ſuperfluúmve ex alimento, non aliquam labem, iacturámve inferat vitæ, ſeu ſpiritibus ad eam deſtinatis. Ex quo efficitur, vt & cæteræ animantes, & arbores etiam, quò prolificæ magis ſunt, eò citiùs exhauſtis viribus ſeneſcant. Intelligitur verò etiam naturam ideò inſtituiſſe ad ſatietatem vſque veſcendum, quòd quantumcunque id non ſit ſalubre indiuiduo; propagationem tamen ſine aliquo indiuidui detrimento procurare non poſſit; ex illa videlicet lege, quâ generatio vnius non fit niſi ex corruptione alterius. Addo porrò, licet in ipſa quoque exquiſita ſobrietate videatur natura ſeponere quidpiam in ſemen; nihilominùs id eſſe tantillum, vt facilè exſolui, exhalaríque valeat; eadem ratione, quâ medulla etiam in mediis oſſibus, tametſi ipſi aliquid continenter aggeneretur, non deſinit tamen ſemper aliquid exhalando amittere; atque ita quidem, vt etiam per nouilunia deminuatur. ALTERVM, occupatio quædam liberalis, ac ſedula. Siquidem hæc partim ſpiritus abſumit, quibus valeſcere ſemen poteſt; partim mentem aliò conuertit, conuerſámque detinet, quæ vt minimâ occaſione cogitare Venerem poteſt; ſic cogitationi inhærens, neque aliò deflexa, facilè ex parua ſcintilla in magnum ignem exardeſcit. Quocirca id eſſe propoſitum debet, vti & mens pura ab omni obſcœna, libidinoſáque cogitatione ſeruetur; & deuitetur omnis occaſio, quâ ſeu ſermone, ſeu adſpectu, ſeu tactu excitari valeat; &, ſi excitata fortè fuerit, non concedere illi moram, ſed commutare illicò, ac in eo ſe oſtendere virum. Nimirùm præceps locus eſt, & in quem quò magis te delabi permiſeris, eò te difficiliùs cohibere, ac ſiſtere poſſis: veréque hoc dicitur eſſe tale genus certaminis, ex quo reportare victoriam, niſi quaſi terga vertendo, capeſſendóve fugam, non liceat. Non eſt verò quorsùm heic hæream, & delectum occupationis aliunde gratæ ſuadeam; cùm perſpicuum ſit nihil eſſe, quod hoc intemperantiæ genus magis foueat, animúmque ad reſiſtendum impotentiorem faciat, quàm illiberale otium; quod ſi tollas, magna ex parte perierint artes Cupidinis, vt ita cum perito loquar. TERTIVM eſt ipſa reſiſtendi, atque vincendi aſſuetudo. Etenim, vt quiſque in libidinem tantò pronior fit, ſalaciórque euadit, quantò faciliùs manus dat, crebriuſque Veneri indulget; ſic quiſque euadit tantò continentior, inque propoſito conſtantior, quantò & reſiſtit generoſiùs, & ſe patitur vinci infrequentiùs. Vis certè permagna huiuſce affectus; verùm ea eſt quoque animi mollities, vt ad primam quamque interpellationem quiſque ferè ſe è præſidio deiiciat, conſtringendúmque victori dedat. Cedis illicò, nec quicquam contendis, ac experiri quid in te virium fortè ſubſit, non ſuſtines: quid mirum, ſi affectus triumphet, tibíque & tuæ rationi compedes tam facilè iniiciat? At con-

De Temperantia.

De Temperantia. traxiſti iam habitum? Quin ergo ſtudes hunc habitum deſuetudine abolere, contrariúmque inducere; neque enim res factu impoſſibilis, ſi animum modò virilem aſſumere velis. Diſce te ſenſim continere; ac niſi quidem primùm poſſis alternis hebdomadibus; contine ſaltem alternis diebus; fiet enim mox, vt trium dierum obtinere inducias poſſis; fiet breui, vt etiam plurium; ac procedente tempore, vt totis hebdomadibus, menſibuſque ſuperior euadas. Memineris modò, cùm vix fieri poſſit, quin interueniant plurima, quæ te ab inſtitnto reuocare valeant, tenendum eſſe propoſitum, obicem quemque perrumpendum; eundem vlteriùs, ac indignum ducendum, teſtari tam citò ignauiam; &, vir cùm ſis, nihil minus tamen, quàm te oſtendere, ac probare virum. Cogita quantâ ſis deinceps futurus animi lætitiâ, vbi & calor deferbuerit, & victoriam ſtare à te ſenſeris. Scilicet loco pœnitentiæ, quæ te turpiter deuictum ſubiret, ſuccedet gratulatio, quâ te ipſe veluti bees, quod triumphâris feliciter. Fies & exinde alacrior, vt emergente aliâ occaſione pariter vincas; &, ſi perrexeris, fiet ſenſim, vt commutando habitum, vindicaturus te demum ſis ab immani tyrannide, ac fœdiſſima ſeruitute; & habiturus animum, pro caligante, ſerenum; corpus, pro ægreſcente, ſanum; vitam pro labante, diuturnam; ne quidpiam attingam de fama, de re familiari, déque cæteris, quæ noſſe eſt promptum.

Nihil heic morandum, quòd vtraque harum Temperantiæ ſpecierum ita ſubdiſtingui in geminas ſoleat, vt quatuor proinde vulgò aſſignentur partes ſubiectæ Temperantiæ, quarum duæ penes guſtum ſint, Abſtinentia nempè, & Sobrietas, illa circa cibum, iſta circa potum; & duæ circa Venerem, Caſtitas nempè, & Pudicitia; illa circa ipſummet actum, iſta circa quæpiam adiuncta, cuiuſmodi ſunt oſcula, contactus, amplexus, adſpectus, ſermones, & alia. Nam negandum quidem imprimis non eſt, quin alia Temperantiæ ſpecies circa cibum, alia circa potum verſetur; verùm vtramque comprehendit generalis vox Sobrietatis, quæ eſt virtus ſpectans vniuersè ad guſtum; neque enim ſola, quæ eſt circa potum Temperantia, Sobrietas eſt. Quin-etiam vox ipſa Abſtinentiæ non modò perinde generalis eſt, ac ipſi penè
Horat. Temperantiæ ſynonyma, iuxta illud, *Abſtinuit Venere & vino*; ſed generalius etiam illi competit, qui ſe continet ab alieno, à lucro, à muneribus, &c. vt conſtare poteſt vel ex
Lib 4. c 3. capite, cui Valerius titulum fecit, *De abſtinentia, & contimentia*; & ex eo, quod Cicero
2.Offic. docet, *nullâ re facilius conciliari beneuolentiam multitudinis iis, qui Republica præſunt, quàm abſtinentiâ, & continentiâ.* Idque ne adiiciam Temperantiam circa cibum, non tam in eo eſſe, vt quis à cibo abſtineat, quàm vt ipſum moderatè ſumat. Tametſi condonandum eſt, vt in penuria nominum fiat quæpiam huiuſmodi, doctrinæ cauſâ, accommodatio. *In pag. 88.* Deinde, videri poteſt Pudicitia aut idem eſſe cum Caſtitate, ac potiſſimùm virginali, iuxta illud:

—— Nullâ reparabilis arte,
Læſa Pudicitia eſt; deperit illa ſemel.

Aut, ſi accipiatur, quatenus adiunctis recenſitis adhibet modum; fieri debuiſſe non tam pars ſubiecta Temperantiæ, quàm potentialis Caſtitatis. Addo autem, ſi ſpecies quædam ob adiuncta illa circa Venerea fuit adhibenda; adhibendam fuiſſe pari ratione aliam, ob adiuncta quædam circa cibum, & potum, cuiuſmodi eſt liguritio (ad quam ſpectat votum Philoxeni Erixij, gruem colli prolixitate 3. Eth. 23. ad diuturniorem deguſtationem, ſuperare 28. Probl. 7. auentis, vt non ſemel habet Ariſtoteles, & ob In Eunucho. quam notantur mulieres à Terentio,

Quæ cum amutore ſuo, quum cœnant, liguriunt)

Itemque ructatio, vomitio, cantillatio, prouocatio ad pocula, aliáque id genus. Verùm leuiora iſta cùm ſint; Adnotandum potiùs circa Pudicitiam, (quæ à pudore dicta cùm ſit, cuſtos quaſi quædam caſtitatis haberi poteſt) tametſi natura nihil fecerit, cuius quaſi obſcœni pudere nos debeat; ac ideò poſſit quadamtenus ſeruari ritus apud eas genteis, quæ aut in partibus corporis, aut in vſu, ac vocibus, quibus nominantur, obſcœnitatem nullam agnoſcunt; apud illas tamen, quæ aliquam agnoſcunt, eſſe eam omninò cauendam, ac nulla ratione pudorem, quo cauetur, eliminandum. Quippe ſeu natura, ſeu lex, ſeu conſuetudo decorum faciat, ipſa eſt natura, quæ tueri id iubet, quatenus ſeruatur ob commune bonum, ex cuius incolumitate, pendet ſingularis incolumitas, quæ eſt vnicuique ſecundum naturam. Heinc præclarè Cicero: *Nec verò nudiendi ſunt Cynici,* 1. Offic. inquit, *aut ſi qui fuerunt Stoïci penè Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quòd ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus; illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœnè; liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eandem ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur.* Pergit porrò: *Nos autem naturam ſequamur; & ab omni quod abhorret ab ipſa oculorum, auriúmque approbatione, fugiamus; Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.* Ac ſtatim: *Nec verò hiſtrionibus, oratoribúſque concedendum eſt, vt iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Seenicorum quidem mos tantam habet à vetere diſciplina verecundiam, vt in Scena ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne ſi quo caſu euenerit, vt corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decorè. Noſtro quidem more, cum parentibus filij, cum ſoceris generi non lauantur.* An adiiciam verò, quod cùm alij habent, tùm ipſe alia occaſione ſubdit poſtmodum? Poſtquam enim

præmiſit

In pag. 88. præmiſit turpe eſſe, valdéque vitioſum in re ſeuera conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem: *Benè Pericles*, inquit, *cum haberet collegam in Pretura Sophoclem Poëtam, hique de communi officio conueniſſent, & cuſu formoſus puer preteriret, dixiſſétque Sophocles, O puerum pulcrum, Pericles: At enim Pretorem, Sophocles, decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinenteis habere.*

Verùm bis dimiſſis, vt cæteras quoque parteis Temperantiæ antè inſinuatas (ſiue eas ſubiectas, ſiue potentialeis mavis dicere) paucis proſequamur; Ecce, cùm primo ſtatim loco conſtitui MANSVETVDO ſoleat; videtur ea quidem ad Fortitudinem potiùs, quàm ad Temperantiam ſpectare; quatenus circa Iram verſatur, quæ præ dolore concipitur, ac in ea eſt appetitus parte, quæ & ab Ira nomen habet, & ſubiicienda ideò videtur virtuti Fortitudinis: Sed tamen ea fortè de cauſa referri ad Temperantiam ſolet, quòd cùm eſſe proprium videatur Fortitudinis erigere, & Temperantiæ reprimere, conſtet animum circa iram non tam erectione, ſeu excitatione, quàm repreſſione, ſeu cohibitione indigere. Et tametſi ira præ dolore concipiatur; nihilominùs, ſicut fames ita eſt cum dolore, vt cibi tamen cupiditas ſit, quæ dum exſatiatur, voluptatem parit; ſic ira, vtcumque res moleſta ſit, cupiditas tamen quædam ſit vindictæ, quæ dum obtinetur, voluptatem creat, etiam *effuſo melle dulciorem*,

Iliad. σ. ——πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο.

Vt ita cum Homero loquar: adeò vt vel hoc nomine, quæ virtus illam cohibet, pertinere poſſe ad appetitum non tam iraſcibilem quàm concupiſcibilem; atque ideò non tam ad Fortitudinem, quàm ad Temperantiam videatur. Sed ne hac in re hæream, Ariſto-
Lib. 1. c. 23. teles quidem in magnis Moralibus, ac Eu-
Lib. 2. c. 3. demiis, docet Manſuetudinem, ſiue Lenitatem ideò eſſe virtutem, quòd mediocritas, ſeu medium quid ſit inter duo extrema, quorum vnum ſit *ὀργιλότης Iracundia*, ſiue ad iram procliuitas, dum quis celeriùs, nimiùm, in quos, ob quod non decet, excandeſcit: Alterum verò *ἀοργησία*, *Non-iraſcentia*, ſeu *iræ priuatio*; dum quis neque quando, neque in quos, neque ob quod decet, iraſcitur:
Lib. 4. c. 11. In ipſis tamen Nicomachiis docet tale medium nomine carere; adeò proinde, vt Manſuetudo accommodatè ſolum dicatur; cùm nempè alioquin Manſuetudo ad defectum potiùs, quàm ad exceſſum pertineat, & manſuetus ſit, qui non ad vlciſcendum, ſed ad ignoſcendum propendet. Vtcumque autem ſit, illum poſſe dici manſuetum contendit, qui ob quas res, aduerſum quos, quemadmodum, quo tempore, & quamdiù decet, iraſcitur: & cùm deficienteis circa iram habeat *ἠλιθίους*, & *ἀναισθήτους*, *Stupidos ac ſenſu carenteis*, tùm excedenteis eſſe vult non modò *ὀργίλους, qui celeriter exardeſcant*; ſed etiam ſpeciatim dictos *ἀκροχόλους, qui celerrimè*; *πικρούς, qui amurè, ſeu perſeueranter*; *χαλεπούς, qui moroſè, grauiter, & ad vltionem vſque obtentam*. Cæterum, cùm velit Ariſtoteles iraſci licere, imò oportere (adhibitis illis conditionibus) nihil mirum eſt Stoïcos, ſpeciatim verò Senecam vrgere hoc præſertim loco tùm aduerſus ipſum, tùm aduerſus Theophraſtum, celebre illud ſuum Paradoxum, circa Sapientis *ἀπάθειαν*, de quo ſuperiùs diximus. Porrò, vt Ariſtoteles videtur Iram, non prorsùs abs re, temperatam potiùs, quàm nullam probare (tùm quia natura non videtur fruſtrà ingeneraſſe homini propenſionem ad iraſcendum; tùm quia ira eſt quaſi calcar ad propulſandum, vlciſcendúmque illatam ſibi, patriæ, parentibus, amicis, bonis viris iniuriam, ex quo priuata, publicáque incolumitas paritur, & ad generoſas, illuſtreiſque actiones, bellicáſque imprimis campos aperitur.) Ita videntur Stoïci eatenus rectè præcipere, vt ira penitus excludatur; quatenus niſi id ex toto impetrare à ſe quis valeat, tantò tamen ſit futurus felicior, quantò minùs in ſe tam ſæuæ perturbationis admiſerit. Et quod vix quidem ſperandum ſit, vt Sapiens irâ penitùs careat (niſi fuerit in eo naturæ mirifica placiditas) vel ex eo intelligi poteſt, quod de Socrate habito mortalium ſapientiſſimo ipſe quoque Seneca refert, dum ipſi illud, tribuit, 1. De ira, 15.
Cæderem te, niſi iraſcerer (cui ſimile eſt, quod Lactantius de Archita in villicum ſubirato commemorat) itemque, quod de diuino Pla- Lib. de ira Dei, c. 18.
tone, cui illud: *Speuſippe, ſeruulum hunc verberibus obiurga; nam ego iraſcor*: cùm & de eodem iſtud habeat: *Non potuit impetrare Plato à ſe* Lib. 3. c. 12.
tempus, cùm ſeruo ſuo iraſceretur, ſed ponere illum ſtatim tunicam, & prabere ſcapulas verberibus iuſſit, ſua manu ipſe percuſſurus. Poſtquàm intellexit iraſci ſe, ſicut ſuſtulerat, manum ſuſpenſam detinebat, & ſtabat percuſſuro ſimilis. Interrogatus deinde ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret: Exigo, inquit, *pœnas ab homine iracundo, velut ſtupens, &c.* Quòd autem nihil ſit optabilius, quàm aut nihil iraſci, aut quam-minimùm, vel ex eo intelligitur, quòd nulla ſit paſſio, quæ corpus quidem ipſum vehementiùs commoueat (cùm & ſtatim ſe in facie, ac oculis prodat, & voce, ac geſtu, trucem, ferinúmque habitum exhibeat) Animum autem magis perturbet, abalienet, ſui impotem faciat; vt proinde non modò Epicurus rectè dixerit, quod ſuprà iam retulimus, *Immodicam iram gignere inſaniam*: verùm illi quoque rectè fecerint, qui *breuem inſaniam, breuem furorem* definierunt; reuerâ quip-
pe, vt Philemon ait: Ex Seneca Epiſt. 18.

Μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζόμεθα,

Deſipimus omnes, donec irati ſumus.

Ex quo proinde efficitur, vt ferinus adeò affectus eliminari ſatis non valeat; neque habendus ſit neceſſarius, Seu ad propulſandum, vlciſcendúm

De Temperantia.

De Temperantia. vlciſcendúmque iniurias ; cùm ſerena ratio id præſtare, & magis quidem appoſitè, ac ſine metu pœnitentiæ id poſſit : Seu ad puniendum ſonteis, caſtigandúmque improbos ; cùm non ideò deceat magis iraſci, quàm ipſam Legem, aut ſi velis, quàm Medicum, qui vrere, & ſecare, non iratus, iubet ; ac imitari Mallium liceat, ad quem Claudianus :

Quin etiam ſonteis expulſâ corrigis irâ,
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Inſtrepis horrendùm fremitu nec verbera poſcis:

Seu ad concitandum Iudicem, aut continendum in officio ſeruum, cùm ipſa vultus irati ſpecies, ſimulatáque ira ſufficiat. Cæterùm, cùm id, quod prouocat Iram, ſit ipſa Iniuriæ acceptæ opinio ; dictum eſt iam circa Fortitudinem, vt Sapiens reputare ſe omni iniuria ſuperiorem debeat, vtque vſurpare præclarius vltionis genus non valeat, ipſâ teſtatione contemptus : Addo heic ſolùm, ardorem illum, ſiue appetitum vindictæ temperandum eſſe, ac reuocandum denique ad ipſam Manſuetudinem, quâ vt homo verè redditur humanus, ita alia virtus non eſt, quæ hominem & magis deceat, & amabiliorem efficiat. Siquidem, vt omnes oderunt animum implacabilem, & caninum illum affectum, quo etiam ſaxa, ſeu inſtrumenta iniuriæ factæ commordentur, ſic nemo non indolem amat, quæ & miteſcat facilè, & facilè ignoſcat, condonétque iniuriam illatam. Quanto id verò interim lucro ; cùm hac ratione liceat eximere ſe à ſollicitudine illa, quâ imanſuetus corroditur, exagitatur, vireis exhaurit, & malo accepto non contentus, malum ſibi vltrò acceſſit ; & dum vlciſci iniuriam vult, excipit plerumque grauiorem. Quæ certè eſſe cæcitas maior, quàm hominum noſtrorum poteſt, dum quis offenſus, alium ad ſingulare certamen vocat, quo plerumque euenit, vt ad acceptam iniuriam, mortem quoque adiiciat, & vitam illi ſacrificet, cuius non ſuſtinuit negligere offenſam.

Ad CLEMENTIAM quod attinet, ea non aliâ re à Manſuetudine differt, quàm quòd, cùm manſuetudo erga omneis ſit, Clementia ſit erga inferiorem. Ex quo fit, 1. De Clem. 1. vt definiatur apud Senecam, non modò : *Temperantia animi in poteſtate vlciſcendi* ; ſed etiam : *Lenitas ſuperioris erga inferiorem in conſtituendis pœnis.* Notum certè alioquin eſt, ſicut Manſuetudo ad defectum magis, quàm ad exceſſum iræ ſpectat, ita Clementiam ſpectare magis ad remiſſionem, quàm ad exactionem pœnæ ; ſeu, quod idem eſt, magis ad defectum, quàm ad exceſſum punitionis ; ſicque longè abeſſe, vt tam illi opponatur Indulgentia, quàm Atrocitas animi, ſpeciéſve illa Crudelitatis, quæ in exigendis ab eo, qui deliquerit, pœnis exercetur. Vnde & cùm fortitudo vera comparata ſit aduerſus obſtantia, non aduerſus cedentia ; & tyrannis, quia In pag. 88. cuncta ferit, dum cuncta timet, ex metu ſit ; & bellum ciuile ideo atrox ſit, quia fæx populi eſt, quæ præpollet ; ideò cenſenda clementia eſt generoſi animi propria ; & cùm omneis homines deceat, qui ius habent in ſupplices, erroriſque veniam petenteis ; tùm eſt præſertim regibus, principibúſque viris decora. Haud abs re ſanè Cicero poſt Hannibalem crudelem vocatum, præclaram illam 1. Offic. Pyrrhi ſententiam, quæ humanitatis æquè, & magnanimitatis plena de captiuis reddendis fuit, tùm regalem, tùm genere Æacidarum autumat dignam. Siquidem, vt in eos ſæuire, quos deuiceris (& qui præſertim, vt ille ait, nec crudeles in bello, nec immanes fuerint) animi imbecilli, ac ferini eſt ; ita clementiâ in illos vti, heroici eſt, ac penè diuini. Neque abs re verò, vt crudelitas homines exoſos, execrandóſque facit, ita facit clementia amabileis, ac venerandos : quoniam vt res ferina eſt, ſæuiendo creare perniciem ; ſic res eſt diuina ignoſcendo donare ſalutem. Et non nego quidem occaſiones eſſe, quibus concedi venia ſine periculo non poſſit (quo caſu non Crudelitas, ſed Seueritas eſt vocanda) verùm, cùm nihil eſt, quod timeatur ; cùm ſpes eſt potiùs conciliandi, demerendíque animos, ac efficiendi titulo gratitudinis obſequenteis, non modò ſanè glorioſum eſt, quos perdere poſſis, ſeruare, ſed vtile quoque, & ſummè iucundum, beneuolentiam experiri ; ac non illorum quidem modò, qui beneficium acceperint, ſed exterorum etiam, qui exinde ſuſpexerint indolem bonitatis plenam. Mirum certè dictu, quanto etiam-nùm amore illos proſequamur, ac veluti exoſculemur, quos legimus fuiſſe priſcis ſæculis teſtatos indulgentiam ; quanto horrore auerſemur, deteſtemúrque eos, quos teſtatos immanitatem. Vt intelligi proinde liceat, quid ſit ad famam diſcriminis inter illos principes, qui Seruatores ciuium, ac Patriæ patres audire ſtudent ; & illos, quorum in ore eſt dictus Senecæ, *Execrabilis verſus* : 1. De Clem. 12.

Oderint, dum metuant.

Non eſt verò prætermittendum, quod ad rem pertinere ille ait, quærere hoc loco, Quid ſit MISERICORDIA ; quippe ea videtur Lib. 2. c. 4. eſſe quidpiam affine Clementiæ, imò & interdum pro Clementia accipi ; quoniam tametſi Miſericordia nihil eſſe videatur aliud, quàm conceptus angor ex aliena miſeria ; videtur tamen exinde fieri aliquid affine Clementiæ, quatenus miſeria illius, qui in errorem lapſus eſt, ad parcendum mouet, ac impetrat gratiam. Ex quo efficitur, vt interdum eadem eſſe virtus cum ipſa clementia videatur ; idque non modò apud Authores Sacros, qui ipſam præcipuè commendant ; ſed etiam apud Ethnicos, vt cùm Cicero Cæſa- Pro Ligar. rem affatus : *Nulla*, inquit, *de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior Miſericor-*

dia

Digitized by Google

In pag. 88. *diâ eſt. Homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalute hominibus dandâ. Nihil babet nec fortuna tua maius, quam vt poſſis; nec natura tua melius, quàm vt velis conſeruare quam-plurimos.* Certè, &, quamvis Seneca eſſe Miſericordiam *puſilli animi vitium* dicat, atqne adeò *peſſimo cuique eſſe familiariſſimum; anuſque, & mulierculas eſſe, quæ nocentiſſimorum lacrymis moueantur*; adeò, vt, *ſi liceret, carceres etiam effringerent*: at fatetur tamen pleroſque eſſe, qui *& virtutem eam laudent, & bonum hominem Miſericordem vocent.* Scd nempè Stoïcorum ſenſu vult Sapientem non miſereri, qui iuxta eoſdem docet quoque, *Sapientem non ignoſcere*. Quamquam, cùm mera eſſe videatur controuerſia de nomine, dum Sapientem vult non ignoſcere, *ſed parcere tamen*; non tamen eſſe mera videtur, dum ſtatuit Sapientem non miſereri quidem, ſed facere tamen libentem, alacríque animo, quæ, qui misererentur, facerent dolentes. Quippe, cùm vox Miſericordia duo quædam inſinuet; vnum, animi ægritudinem ob alienarum miſeriarum ſpeciem; alterum, leuamen à miſeriis, ſiue præſtitum miſeris auxilium; poſterius quidem non controuertitur; omnes videlicet fatentur dandam eſſe naufrago manum, egenti ſtipem, &c. Sed ad prius quod attinet; cùm Stoïci velint nullam penitus ægritudinem cadere in Sapientem, ac non debere adeò illum ob alienam miſeriam vllatenus affici; ſiue animo commoueri, Peripatetici tamen, & alij admittunt poſſe Sapientem affici, ac moueri mediocriter; nempè vt exinde magis excitetur ad exhibendum miſeris ſolatium. Porrò nihil quidem miſero prodeſt, quòd quis angatur animo ob illius miſeriam, ſed prodeſt dumtaxat quòd porrigat manum, & quantum poteſt, ſubleuet, ac ideò damnandum non eſt, ſi quis ab ægritudine caueat, quæ & ſibi noceat, & alij non proſit; ac ſublenet nihilominus: Verumtamen, quia & res eſt humana, & penè dicam naturalis, condolere dolentibus; & periculum eſt aliunde, ne ſubleuamen externum frigeat, niſi ex affectu interno incaleſcat; idcirco non eſt, cur interna commotio omnino damnetur, ac talis præſertim ſuſcipi cùm valeat, vt non cruciatus quidam ſit, ſed grata potius bumanitatis, caritatiſve, vt loquuntur, affectio.

Sequitur Modestiæ, quæ cùm latè pateat, generatim nihilominùs in moderanda appetitione, proſequutionéque honoris verſatur. Perſpicuum eſt autem accedere eam potiùs ſuperiorum virtutum inſtar, ad defectum, quàm ad exceſſum; quatenùs ipſi Superbia potiùs, quàm honoris contemptio, negligen-
4 Eth. 7. tiáve opponitur. Ac Ariſtoteles quidem, ex antè adnotatis, Modeſtum videtur dicere eum ſolùm, qui reipſâ meritus parua, parua mereri ſe reputat: Verùm is ſanè quoque videtur Modeſtus eſſe appellandus, qui vtcumque magna mereatur, non tamen de ſe magnificè ſentit, neque omnem honorem, quem meretur, exigit; ſed humanæ conſcius imbecillitatis, conditioniſque mortalis memor, tùm ſuſpectam babet, ſi quam ipſe ſibi meritorum ſuorum opinionem facit; tùm abſonum ducit honorem ambire, quem ſi meritus fortè ſit, meritum fuiſſe bonori ducit. Profectò ipſa quoque Magnanimitas, in qua commendanda Ariſtoteles eſt tam multus, in eo potiùs eſſe videtur, vt per ipſam quis ad magna patranda feratur, quàm vt magna ſe reputet mereri. Quin-etiam ad laudem magnarum actionum, quaſi coronamentum, accedit, ſi quis non ideò ſe efferat, ſi non magna meritum iactet, ſi etiam delatos bonores recuſet, ſi ſaltem verecundè admittat, ſi (vt verbo dicam) modeſtiam teſtetur. Haud verò abs re comparari ſolet vir meritis plenus ſpicæ grauidæ, quæ eò fit demiſſior, quo eſt granis plenior; videlicet pari ratione tantò minùs ſe euehit, quantò eſt virtutis veræ cumulatior: húcque attinere generatim poteſt, quod apud Stobæum ſpeciatim de viro ſolidè erudito obſeruauit Demoſthenes; tantum nempè abeſſe, vt magnum de ſe quidpiam prædicet, vt cæteris etiam prædicantibus erubeſcat. Neque eſt, quod propterea putes idem fore Modeſtiam cum Puſillanimitate, quam ille tùm contendit eſſe, cùm quis ſe minora, quàm mereatur, mereri putat; Nam Puſillanimitas quoque in eo potiùs eſt, vt quis reformidet magna aggredi, quàm, vt ſe non magnis exiſtimet diguum: Et Modeſtia commendat quidem ipſum Puſillanimem, quatenus nibil grande molitus, nibil etiam grande ſe mereri exiſtimat; ſed eluceſcit quoque in ipſo potiſſimùm Magnanimo, quatenus licet meritus magna, non idcirco tamen merita oſtentat, neque quos bonores meretur, affectat. Porrò, ſi in viro etiam merente omnis oſtentatio meritorum gloriam imminuit, obſcurátque ſummoperè; quantò par eſt rem magis indecoram, inuiſámque in illo eſſe, qui meritorum licet inanis, conceptâ nihilominus de ſe opinione ita inflatur, inſoleſcítque, vt ſeſe ipſum Thraſonicè efferendi finem non faciat? Hoc certè babet Vanitas mali, quòd probetur à nemine, omnibúſque exoſa ſit; cùm Modeſtia id boni habeat, vt nullum ſit hominum genus, cui non grata ſit, à quo non ametur. Ex quo interim intelligi poteſt, non eſſe Modeſtiam neglectum bonoris, quaſi quis putet nihil intereſſe, honori ne, an probro ſit: ſiquidem eſt tantum neglectus honoris immeriti, aut affectati, non verò illius, qui in bonorum iudicio conſtitutus eſt, quemque ſe quis putet verè conſequi, cùm illo iudicatur dignus. Et res certè vel ex eo patet, quòd & præclara agat, vt tale iudicium mereatur; & modeſtiam interim colat, vt dedecus vitet, quod vanitas parit. Adeò proinde, vt dici poſſit, eum magis aſſequi bonorem, qui honorem minùs proſequitur; & glorioſius ſit, quod ille aiebat, ſi

De Temperantia.

De Temperantia. requiratur quamobrem ſtatua non ſit alicui poſita ; quàm ſi cur poſita, requiratur. Poteſt rursùs intelligi, non obſtare modeſtiam, quò minùs, qui in Dignitate conſtituti ſunt, ſartum tectum honorem teneant, qui dignitati debitus ſit ; quippe quòd interſit Reipublicæ, vt iis, qui præſunt, honor deferatur ; ne ſi contemptus irrepſerit, regimen ipſum labefactetur. Sed nempè honorem dignitatis tueri, non vanitas, ſed æquitas eſt ; ac illum negligere, non tam eſſe priuata Modeſtia, quàm publica iniuria videtur. Quicquid dicitur verò de Modeſtia, idem eſt cenſendum de Humilitate, quatenus virtus eſt religioſa, & Græcè non tam μικροψυχία, quàm ταπείνωσις dicitur. Siquidem tametſi prophani Authores animo abiecto, ac vili ipſam tribuant ; meritò tamen apud Sacros habetur pro ſumma Modeſtia, ac tantò eſt habenda perfectior, quantò ex affectu pietatis eſt, &, modò germana, non ſimulata ſit, omnem vanitatem penitùs exſcindit. Siquidem propbana Modeſtia, non cum ipſo externo honoris neglectu, appetitum omnem illius excludit (reprehendi ſiquidem ſolet, non generoſum aliquid gloriæ intuitu facere, ſed gloriam deinceps inſolenter ambire) at religioſa Humilitas ne tale quidem quid patitur, quæ bonorem, gloriámque omnem ad vnum Numen ſupremum refert. Dico autem, modò germana, non verò ſimulata ſit ; nam ſolet quoque circa ipſam ſimulatio interuenire, quam Hypocriſeos nomine reprehendi ſolemne eſt ; vt minùs ſit mirum, ſi etiam Diogeni, & aliis Philoſophis obiectum ſit, quòd niſi alio faſtu, non calcarent faſtum.

Quod inſinuatum porrò eſt latè patere Modeſtiam, ideò factum eſt, quòd circa ea omnia, ex quibus honor captari ſolet, & propter quæ quis laudari expetit, agnoſcatur. Sanè circa *Virtutem* quoque (in qua nihil eſſe nimium poteſt, nihil, cuius illum pudere, qui ipsâ eſt præditus, debeat) eatenus modeſtia elucescit, quatenus Virtus non oſtentatur, verùm tacitè colitur, ac ſe ſolùm quà congruum eſt, idque procul à faſtu, prodit. Idem de *Scientia* dicendum eſt ; niſi quòd præterea eſt quædam Intemperantiæ ſpecies, quâ quis ea ſcire appetit, quæ vel diſquirere non licet, vel noſſe nihil iuuat ; & reprehendi vulgò cùm ſoleat *Curioſitatis* nomine, tùm quæ ſpecies Modeſtiæ illam reprimit, & pro alio extremo babet *Negligentiam* oppoſitam, vocari in Scholis *Studioſitas* ſolet. At verò in ipſa *Oratione* compluribus elucet modiſ. Nam Primùm quidem, cùm nihil ſit *Loquacitate* importunius, meritò commendari ſolet ipſa *loquendi Parcitas*, quâ quis, niſi apud quos decet, & qua de re, quo tempore, quantumque decet, loquitur. Nempe hæc quidem etiam Virtus ad defectum potiùs quàm ad exceſſum comprobatur accedere ; ſpectátque huc adeò, quod tritum ab vſque Simonide eſt, Tacuiſſe, nunquam ; loquutum fuiſſe, ſæpè pœnituit ; itémque tributa Epaminondæ laus, quòd nemo plus noſſet, loqueretur minùs. *In pag. 88.* Sed cùm ſermo ſit homini conceſſus, vt cogitata exprimat, cauendum ſolummodò eſt, ne id non appoſitè fiat ; vt ſit, ſi aliquis aut præter officium, aut non inuitatus loquatur ; ſi aut loquentem interrumpat, aut viciſſitudini non det locum ; ſi dicenda tacenda, & quicquid in buccam venerit, effutiat ; ſi, vt paucis dicam, pruritum loquendi, ac interim audiendi impatientiam oſtentet ; iſ-[illegible] ſit, cui obiici paſſim Pythagoticum illud [illegible]cat :

Ἢ λέγε τὶ σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε.

Aut dic melius aliquid ſilentio, aut ſile.

Deinde, cùm ſint, qui res nimiùm exaggerent, itémque, qui nimiùm extenuent ; iure probatur, qui de rebus ſiue vt ſunt, ſiue vt de illis opinatur, ſermonem inſtituit. Solet is proinde dici ἀληθὴς, ἢ ἀληθευτικὸς, *verax, ſeu veridicus*, itémque candidus, & ſimplex. Ac Ariſtoteles *4. Eth. 13.* quidem ſtatuit oppoſita huius virtutis extrema, ἀλαζονείαν, καὶ εἰρωνείαν, *Arrogantiam, & Diſſimulationem* ; ſed agit nempe ſolùm de eo, qui de ſeipſo loquitur ; cùm peccari tamen generaliùs aduerſus veritatem poſſit, ſeu quidpiam addendo, quod exaggeratione fit ; ſeu detrahendo, quod extenuatione. Atque id quidem vtrovis modo accedendo ad ipſum *Mendacium*, quod tam è regione veracitati opponitur in Ethicis, quàm in Logicis falſitas veritati ; idque, ſeu quis gloriam, lucrúmve ex eo quærat, ſeu ipſo ſolùm delectetur, ac mentiri pro ludo habeat. Quo loco id præclarum eſt, quod Ariſtoteles eum laudabilem habet, qui, etiam vbi nihil intereſt, verax eſt, quoniam vbi intererit, multo magis erit vt pote quaſi ex habitu, & ex ſeipſo auerſatus mendacium. Itemque, quòd cùm illos habeat quaſi politos, ſeu eleganteis χαρίεντας, qui aut glorioſa de ſe negant ; (vt Socrati in more erat) aut certè intra modum extenuant, ac potiſſimùm vbi nota inque propatulo non ſunt ; tùm eos, qui ea, quæ ſunt parua, ac omnibus nota, eſſe in ſe diſſimulant, non veteratores modò, abiectóſque homines, ſed plerumque etiam arrogantes habet ; quoniam vt nimium ſibi tribuere, ita nimium detrahere arrogantiæ ſit ; quaſi hæc ſit quoque gloriæ aucupatio, qualem quæſiſſe Lacedæmonios ex vili veſtitu cauſatur. Præterea autem, quod ſubiicit videri Diſſimulatorem ad Veracem magis, quàm Arrogantem accedere ; vt proinde hæc etiam virtus ad defectum accedere magis, quàm ad exceſſum videatur. Tertiò, cùm, vt Cicero habet, duplex iocandi genus ſit ; vnum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum ; alterum elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum ; notum eſt poſterius boc eſſe, quod Ariſtoteles εὐτραπελίαν, *1. Offic.* *1. Eth. 14.* boc eſt, *Vrbanitatem* dicit cùm prius illud βωμολοχίαν, boc eſt, *Scurrilitatem* vocet, ipſique, vt vni

extremo,

In pag. 88. extremo, *ἀγροικίαν*, *Ruſticitatem*, tanquam alterum extremum, opponat. Scilicet, quaſi is ſit Vrbanus, qui appoſitè iocis vtitur, ſaleíſque reſpergit (vnde & non modò dicitur *εὐτράπελος*, *vrbanus*, *& comis*, ſed etiam *ἐπιδέξιος*, *dexter*, & quaſi *ingenioſus*) ille Scurra ſit qui immodicè, & ſine delectu riſum captat, iocatur, commordet; ille agreſtis, inſulſúſque, qui non modò ſalibus caret; ſed iis etiam, qui aliquid ſalsè dicunt, infenſus eſt: *Facilis igitur*, inquit Cicero, *eſt diſtinctio Ingenui, & Illiberalis ioci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus homine; alter ne homine quidem.* Prætereo autem, quod de ipſomet Cicerone Quintilianus notat, fuiſſe eum habitum non ſolùm extra iudicia, ſed in ipſis etiam orationibus nimium riſus affectatorem; adnotóque potiùs, cùm Domitius Marſus Vrbanum virum definiiſſet, *Cuius multa benè dicta, reſponſáque ſint; & qui in ſermonibus, circulis, conuiuiis; item in concionibus, omni denique loco ridiculè, commodéque dicat*: Placere ipſi Quintiliano definiri Vrbanitatem: *In qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, neque verbis, neque ore, geſtúve poſſit deprehendi; vt non tam ſit in ſingulis dictis, quàm in toto colore dicendi.* Denique præter modos alios, quibus elucere modeſtia in ipſa oratione poteſt, admonere hic locus videretur decori illius, quod ſit oratori tam in eloquutione, quàm in pronuntiatione ſeruandum; ſed & hoc munus Rhetorum eſt, & ipſi videmur circa orationem excedere modum.

Lib. 6. c. 3.

Sunt verò & alia, in quibus variæ Modeſtiæ ſpecies obſeruantur; vt imprimis ſunt, quæ ad corporis cultum, ornatúmque, & ad einſdem motum, geſtum, inceſſúmque attinent, quaſque paucis Cicero attingit. Cùm Pulcritudinis enim duo genera ſint, quorum in altero Venuſtas ſit, in altero Dignitas: *Venuſtatem*, inquit, *muliebrem ducere debemus, Dignitatem virilem.* Subiicit proinde, omnem viro non dignum ornatum eſſe remouendum à forma: *Cuius dignitas*, inquit, *coloris bonitate tuenda eſt, color exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea*, pergit, *Munditiee non odioſa, neque exquiſita nimis, tanquam quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. Eadem ratio eſt habenda Veſtitus, in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt.* Eſſe porrò etiam in geſtu, motúque vitium cauendum monet: *Nam & palæſtrici*, inquit, *motus ſæpè ſunt odioſiores; & hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant; & in vtroque genere, quæ ſunt recta, & ſimplicia laudantur.* Et poſteà: *Cauendum eſt autem, ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur; aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates, quæ cùm fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna ſignificatio eſt, non adeſſe conſtantiam.* Dicas Horatium heinc deſumpſiſſe, quod reprehendit in Tigellio, cùm inter cætera ſic de illo:

1. Offic.

> *Nil æquale homini fuit illi; ſæpè velut qui*
> *Currebat fugiens hoſtem; perſæpe velut qui*
> *Iunonis ſacra ferret.*——

De Temperantia. 1. Serm. ſat. 3.

Deinde, quæ ſpecies attinent ad vſum, cultúmque vitæ magis externum; vt quæ eſt circa domum, illiúſque ornatum, totámque ſupellectilem; in qua, vt ſi quid illiberale eſt, reprehenditur; ita, ſi modum excedat, dedecori eſt, quaſi poſſeſſori incongruum, cùm & verum ſit, quod Cicero habet: *Non domo dominum, ſed domino honeſtandam domum.* Quod idem dicendum de famulitio, de apparatu menſæ, de cæteris rebus, in quibus oſtentatur ſumptus; vt-pote in quibus qui modum excedunt, ſcopum prætereant, ad quem collineant; cùm ex ſumptu, & magnificentia gloriam, honorémque venati, incidant in reprehenſionem, & tanquam vani, ſuæque conditionis obliti, rideantur. Idque ne illud addam, quod apud Horatium ſequitur de eodem Tigellio;

> ——*Habebat ſæpè ducentos,*
> *Sæpè decem ſeruos: modò reges, atque Tetrarchas,*
> *Omnia magna, loquẽs modo, Sit mihi mẽſa tripes, &*
> *Concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus,*
> *Quamuis craſſa, queat. Decies centena dediſſes,*
> *Huic parco, paucis contento; quinque diebus*
> *Nil erat in loculis.*

Non eſt autem heic prætereundum, quod Cicero præclarè habet, cùm de materia laudationis loquens: *Gens*, inquit, *forma, vires, opes, diuitiæ, cæteráque, quæ fortuna det, aut extrinſecùs, aut corpori, non habent in ſe veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur: ſed tamen, quòd ipſa virtus in earum rerum vſu, ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ, & fortunæ bona, in quibus eſt ſumma laus, non extuliſſe ſe in poteſtate: non fuiſſe inſolentem in pecunia; non ſe prætuliſſe aliis, propter abundantiam fortunæ; vt opes, & copiæ non ſuperbiæ videantur, ac libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem, & materiam dediſſe.* Sed hæc quidem de Temperantia.

2. De orat.

DE IVSTITIA.

SVpereſt quarta Virtus Iuſtitia, quæ cùm in eo ſit, vt ſuum cuique tribuat, idcircò latiſſimè pateat, ac habetur veluti fons, radíxque omnium officiorum. Ipſa eſt, *in qua*, vt Cicero habet, *Virtutis ſplendor eſt maximus*; & *ex qua*, vt Iuſti, ſic *boni viri nominantur.* Scilicet Iuſtitia bonitas eſt quædam, plenúſve candoris erga omneis affectus; ac nihil eſt proinde, quod homines magis ſuſpiciant, venerentur, ament. Ariſtotelis eſt elogium, quòd *præſtantiſſima ſit virtutum*; & *neque Heſperus, neque Lucifer ſit adeò admirabilis*: ac perantiquum eſt, vt dicatur *κτῆμα τιμιώτατον*, *poſſeſſio pretioſiſſima*, agnoſcatúrq; id vinculũ, ſine quo conſtare hominum ſocietas non poſſit. Quin etiam *eius tanta vis eſt, vt*, quemadmodum Cicero obſeruat, *ne illi quidem qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiæ*

1. Offic.

5. Eth. 5.

2. Offic.

De Iuſtitia. *iuſtitia viuere. Nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is ſibi, ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem qui Archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut occidetur, aut à ſociis relinquetur.* Notum porrò eſt, vt Iuſtitia quoque nunc generaliùs, nunc ſpecialiùs ſumatur. Nam primùm quidem eſſe aliquam Generalem Iuſtitiam, in omnium penè ore eſt; tametſi non omnes eodem modo interpretentur. Siquidem ex mente Platonis, ea (4. De Rep.) eſſe alia non videtur, quàm quæ in tota Ciuitate, ſeu Republica eſt veluti anima quædam, parteis eius omneis, veluti cuſtodes, milites, artifices, ſuis in officiis ita continens, vt vnuſquiſque quod ſui ſit muneris curet, nihil verò aliud. Alij autem eſſe eam volunt, qua vnuſquiſque ciuium erga commune totius ciuitatis, Reipublicæve ius tutandum ſit benè affectus; vti & Particularis eſt, quâ quis afficitur ad ſeruandum ius, quod ſingularis cuiuſque eſt. Cæteri illam ita accipiunt, vt intelligatur eſſe nihil aliud, quàm Virtutum omnium complexio, videlicet quatenus ipſi πᾶσαι, vt loquitur Iamblichus, ἔνεισι συλλήβδην, *inſunt vniuerſæ collectim.* In his eſt Ariſtoteles, qui ipſam præterea appellat Legalem, ſeu Legitimam; quòd lex, ad ipſam attinens, de omnibus ſtatuat, præſcribátve omnium virtutum functiones. (Epiſt. ad Anat. 5. Eth. 3) Fortitudinis enim vice, exempli causâ, fungitur, cùm in acie locum tenere, non aufugere, non arma abiicere iubet; & Temperantiæ, cùm adulterium, cùm ſtupri illationem vetat; & Manſuetudinis, cùm non verberare, non maledicere; atque ita de cæteris. Itaque concludit Ariſtoteles eſſe iſtam quidem Iuſtitiam idem cum perfecta, hoc eſt, generatim ſumptâ virtute; *Sed tamen*, inquit, οὐχ ἁπλῶς, *non ſimpliciter, verùm quatenus ad alterum ſpectat.* Scilicet, cùm velit Iuſtitiam eſſe virtutem ad alterum, & poſſint functiones aliarum virtutum ſpectare quoque ad alterum; idcircò poteſt ſeſe illis commiſcere Iuſtitia, & quodammodo dici ὅλη, *tota*, ſeu, τελέα, *perfecta* virtus; quatenus qui illam ſimul obtinet, non modò eſt benè erga ſe affectus, ſed etiam erga alios; quippè, cùm benè multi ſint, qui virtutem, quod ad ſe ſpectat, non verò quod ad alios, colant; ex quo profert illud Biantis, ὅτι ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείξει, *Magiſtratus virum monſtrabit.* Deinde, eſſe quoque Iuſtitiam Specialem, ſeu quæ generalis ſit pars, Ariſtoteles ex eo probat, quòd ſint pleræque iuſtæ actiones, quæ ita ſint ad alterum, vt referri nihilominus ad Fortitudinem, Temperantiam, virtutéſque alias non poſſint. Cùm ſoleat verò Iuſtitia hæc laxiùs, ſtrictiúſque vſurpari; & laxiùs quidem prout comprehendit genera omnia officiorum; quo pacto etiam Religio, Pietas, Obſeruantia, Amicitia, Liberalitas, Gratitudo, ſpecies quædam Iuſtitiæ ſunt; ſtrictiùs verò, quatenus ea ſolùm officia complectitur, quæ aut obligationi exæquantur, quo pacto excluduntur v. c. Religio, atque Pietas; aut niſi impleantur, ad multam, pœnám-ve nullam obligant; quo pacto excluduntur Amicitia, Liberalitas, cæteræ. (In pag. 88.) Ideò ſunt, qui vt rem componant, dicunt has virtutes, putà Religionem, Pietatem, & alias, eſſe parteis Iuſtitiæ, non Subiectas, ſed Potentialeis; aut ſpecies quidem, ſed Adnexas ſolùm. Verùm, ne hæreamus in controuerſia, quæ videatur de nomine, Sufficiat videri officium, munúſve eſſe Iuſtitiæ, quoties id cuipiam tribuitur, quod aliquo ipſi titulo debetur, ac poteſt ideò comprehendi definitione celebri, quâ apud Iuriſconſultos Iuſtitia eſſe dicitur *Conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi.* (Lib. 10. ff. de iuſt. & iur.) Prætereo autem, Quod illi ſubiiciunt, tria eſſe iuris præcepta, ſeu mavis officia, atque munera, nempè, *Honeſtè viuere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere*; videri primum illud ſpectare ad Legalem Iuſtitiam; cùm alioquin ex ſe non referatur ad alterum; &, ex ante-dictis, ad Fortitudinem, Temperantiámque propriè pertineat; duo autem alia ipſas eſſe, quas Integranteis Iuſtitiæ parteis, vt ſuprà attigimus, appellant, quatenus ſolent verbis illis ſacri Contextus exprimi: *Declina à malo, & Fac bonum.* Videlicet in eo conſiſtit vniuerſa Iuſtitia, vt ne noceatur alteri, nulláve ipſi fiat iniuria; vtque illi tribuatur, reſtituatúrve id, quod poteſt iure dicere ſuum. Id, inquam, prætereo, ac duo ſolùm quædam circa allatam Iuſtitiæ definitionem adnoto.

Vnum eſt, videri Iuſtitiam haud abs re dici *Voluntatem*; quoniam licet hoc nomine ipſa volendi actio poſſit præſertim intelligi (cùm eò traduci alioquin ſoleat, vt facultatem ſignificet) quatenus tamen additur, eſſe voluntatem debere *conſtantem, & perpetuam*, ipſe habitus, ſeu affectus volendi intelligitur, in quo laus Iuſtitiæ germana conſiſtit. Commendationem quippè meretur, non qui ſimpliciter *iuſta agit* (nam ſi ignoranter, ſi metu, ſi amici cauſa, ſi lucri ſpe, aut alio conſimili fine rem iuſtam agat, iuſtus non eſt, cùm ceſſante fine ſit ſecùs acturus) ſed qui voluntate, ſpontéve, & ex affectu iuſtitiæ agit, ac dicitur adeò *iuſtè agere*; Ex quo celebre eſt diſcrimen apud Ariſtotelem inter τὸ δικαίωμα (ἢ δικαιοπράγημα) καὶ τὸ δίκαιον, *actionem iuſtam, & iuſtè factam*; neque ſecus inter τὸ ἀδίκημα, καὶ τὸ ἄδικον, *actionem iniuſtam, & factam iniuſtè.* (5. Eth. 10.) Nempè, vt quid iuſtè, aut iniuſtè fiat, ſola voluntas facit; ex hocque eſt vt & ille Iudex, qui rem, alioquin iuſtam, ſtatuit, poſſit non reputari iuſtus, iuxta illud Tragici,

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit;

Et vniuersè ille habeatur iuſtus, non qui ſimpliciter non facit iniuriam, ſed qui, poteſtatem cum habeat, voluntatem tamen faciendi

non

In pag. 88. Ap. Stob. ſerm. 9. non habet. Nam quod Democritus quidem *eſſe bonum*, ait, *non tam iniuriam non facere, quàm ne facere quidem velle*, οὐ τὸ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλὰ τὸ μὴ ἐθέλειν, idipſum eſt, qnod præclarè Philemon, dum Iuſtum eſſe canit virum, non qui non facit iniuriam,

Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος, μὴ βούλεται,

Sed qui facere licet potis, non vult tamen :

Ac rursùs illum, non qui exinde gloriam captat; ſed qui

Εἶναι δίκαιος, οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

Vult eſſe iuſtus, quàm videriet magis.

Alterum, haud abs re adhiberi illud, *tribuendi cuique ſuum ius* ; quoniam his verbis non modò functio, opúſque Iuſtitiæ proprium continetur; ſed inſinuatur etiam, quo ex capite ſit petenda Mediocritas illa, quam Ari- 5. Eth. 6. ſtoteles exigit, vt Iuſtitiam habeat in virtutum choro. Quippè, non, vt aliæ virtutes, verſatur Iuſtitia inter duo extrema oppoſita vitia, ſcilicet, quæ oppoſitum vnicum vitium, Iniuſtitiam habeat; ſed verſatur tamen in tribuendo iure, quod duplici quadam ratione ſit medium, ad mediocritatémve reductum. Etenim, cùm Ius idem ſit, quod ipſum Æquum, ſiue Æquale; & æquale tùm alicui æquale, tùm inter plus, ac minus ſit; poteſt Ius & eſſe medium inter duos, & inter duas res inæqualeis verſari; atque adeò etiam coniunctim inter homines, & res ipſas. Quo ſenſu *Neceſſarium eſt*, inquit Ariſtoteles, *in Quatuor minimùm Ius verſari. Sunt enim duæ res, & duo homines, in quibus vtriſque æqualitas eſt; quippè cùm, vt ſe res ad rem, ita homo ſe ad hominem habeat; ac niſi æquales homines ſint, non ſint æquales res habituri.* Pergit autem : *Exinde prælia, querelàſque exſiſtere, dum aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia ſortiuntur.*

Cap. 5. Heinc quia paulò antè Iuſtitiæ ſpecialis duas ſpecies diſtinxerat, Vnam, quæ conſiſteret in diſtributione honoris, pecuniæ, alteriúſve rei, cuius fieri participes, qui eiuſdem Reipublicæ commnnione tenentur, poſſunt; Alteram, quæ in correctione, emendationéve eorum, quæ in contractibus, commerciis, commutationibúſque contingunt; ex quo illa dici Diſtributiua, iſta Commutatiua ſolet : ideò occaſionem inde accipit oſtendendi quemadmodum exæquatio fiat in vtraque ſpecie; ſeruando ſcilicet analogiam ſiue proportionem, in Diſtributiua quidem, Geometricam; in Commutatiua verò, Arithmeticam. Siquidem tametſi non ſit propriè loquendo alia Proportio, quàm vocata Geometrica, quæ inter quatuor intercedit, eáque ſeu diſiuncta ſit, quemadmodum cùm dicimus, vt Quatuor ad duo, ita Sex ad tria; ſeu coniuncta, aut continens (termino nimirum ſecundo bis ſumpto) veluti cum dicimus, vt Quatuor ad duo, ſic duo ad vnum; Nihilominùs eſſe quoque proportio, & Arithmetica quidem dici ſolet, cùm Proportio ſic eſt coniuncta, ſeu terminus medius duorum vice ſic fungitur, vt exceſſus maioris extremorum ſupra medium, æqualis ſit exceſſui medij ſupra extremum minus : Veluti ſi dixerimus, Vt ſex ad quatuor, ita quatuor ad duo, vel vt nouem ad ſex, ita ſex ad tria. Hoc autem ſuppoſito; cùm in Diſtributiua Iuſtitia, attendantur & Homines, Meritáve ipſorum (quæ aut penes virtutem, aut penes nobilitatem, aut penes cenſum, aut penes alia, prout conditio Reipublicæ eſt, accipiuntur) & Præmia, ſeu res ipſis diſtribuendæ (nempè eas nihil vetat nomine communi præmia dicere) ideò quæ Proportio in ea locum habet, Geometrica eſt, ipſáque Diſiuncta. Res quippe concipi ſic debet, vt, Sicut ſe habet meritum vnius ad meritum alterius; ita illius præmium ad iſtius præmium ſe habeat. Et cùm in Commutatiua non ipſi homines, eorúmve merita attendantur, ſed ipſæ res commutabiles ſolùm; ſiue potius quod in iis poteſt Lucrum, Damnúmque contingere (quippe his quoque nominibus dicere generatim licet, quod maius eſt, & minus æquo) ac præterea Medium inter lucrum, & damnum (quod non aliud, quàm ipſum æquum inter maius; ac minus eſt) ideò locum in illa habet, quæ eſt Arithmetica proportio deſcripta. Quippe res ſic eſt concipienda, vt tantum ex lucro adimatur, quò redeatur ad medium, quanto, quò aſſurgatur ad medium, ipſum damnum eſt reſarciendum. De Iuſtitia.

Occurrunt heic verò tria, aut quatuor quædam ex Ariſtotele obſeruanda. Ac imprimis quidem Talionem, ſeu vt Græci dicunt, τὸ ἀντιπεπονθὸς, *Perpeſſionem reciprocam*, non eſſe ipſum Ius ſimpliciter dictum, vt Pythagoræi voluerunt (vt ſcilicet approbare id, quod eſt attributum Rhadamanto Ius; 5. Eth. 8.

Εἴκε πάθοι, τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο;

Æquum ius fuerit, ſi quæ egit, quis patiatur)

Non eſſe, inquam; quòd reperiri in Diſtributiua Iuſtitia, in qua habetur meriti, perſonæve ratio, non poſſit. Neque enim, ſi quis magiſtratum gerens aliquem percuſſerit, reſeriendus eſt; aut ſi quis ipſum Magiſtratum, pariter ſolùm repercutiendus; ſed graniore pœna afficiendus eſt : Vt prætercam magnam habendam rationem eius, quod voluntariè, aut inuoluntariè ab aliquo ſit. Quin-etiam, ne habet quidem locum in illa Iuſtitiæ Commutatiuæ parte, quæ eſt circa facta, quæque ſpeciatim Emendatiua, ſeu Correctiua dicitur. Neque enim ſi cuipiam pro auulſo dente auellatur dens, aut oculus pro oculo, Ius propterea ſit, damnúmve factum reſarcitur; ſed hoc vt præſtetur, damnum, quantum poteſt, aut pecuniâ, aut alia re Iudicis arbitrio, compenſandum eſt. Quamobrem poteſt dumtaxat locum in reliqua Commutatiuæ parte quæ eſt circa res, rerúmve commercia, habere. Deinde, ad hanc Iuſtitiæ ſpeciem nihil potuiſſe opportunius, ipſo numiſmate, Ibid. ſeu nummis, Monetáve excogitari. Siquidem

De Iuſtitia. humana ſocietas ob indigentiam mutuam conſtat; huic indigentiæ prouideri ſine permutatione non poteſt: debet in hac permutatione reperiri æqualitas: at quænam valeat æqualitas inter res adeò diſpareis, ac domus, & calceus, v. c. ſunt, eſſe? Itaque, cùm, quod ad rem ſpectat, nulla reperiri æqualitas poſſet; quod ad vſum tamen, exeogitatum Numiſma fuit, quo, vt communi menſura intercedente, omnia, quantumvis diſparia, æquipararentur. Nam domus quidem, v.g. maioris eſt valoris, quàm calceus; ſed taxata domo numiſmate certo, certóve numero nummorum, taxatur etiam calceus certo; & qui accipiens domum dat calceum, ſupplet id, quod deeſt, numero nummorum. Quin-etiam poteſt permutatio Numiſmate ſolo cum re fieri, taxato ſcilicet valore, ſiue pretio rei, certo nummorum numero, quem vbi quis ſoluerit, & rem ſimul acceperit, tùm facta permutatio, tùm æqualitas ſeruata dicatur. Porrò qui rem tradens, Numiſma pro ipſa, ciúſve parte accipit, ideò facit, quòd tametſi tunc re alia non egeat; Numiſma nihilominùs ſit ipſi quidam quaſi ſponſor, quo certus ſit, fore, vt cùm in poſterum aliqua re eguerit, illam ipſius traditione, commutationéve obtineat. Sponſio hæc autem publica eſt, quippe vim habens ab ipſa lege, pactione, &
Cap. 6. fide communi, qua Numiſma in vſu eſt; vnde & ille τὸ *νόμισμα* eſſe ἀπὸ τοῦ *νόμου à lege, ac more* deriuatum docet. Tertiò, Ius in hac ſpecie Iuſtitiæ interueniens ex eo comprobari eſſe quidpiam medium, quòd qui ambigunt de aliquâ re, confugere ad Iudicem ſoleant. *Adire enim ad Iudicem*, inquit, *eſt adire ad ipſum ius (neque enim aliud eſt Iudex, quàm ius aliquod animatum) ac ipſum quærunt, quaſi medium* (ſeu mavis, quaſi mediatorem) *vnde & fit, vt Iudices vocent aliqui μεσιδίους, quaſi diuidentes, & tribuentes medium; proinde quaſi futurum ſit, vt aſſequuti medium, ius quoque ſuum aſſequantur.* Iudicem δικαστὴν dici, quaſi διχαστὴν, vti & δίκαιον, quaſi δίχα ὄν, ab ipſa quaſi *biſectione. Iudex quippè*, inquit, *exæquat, dum veluti lineâ in duas parteis inæqualeis ſectâ, quo maior pars dimidium excedit, illud detrahit, & ad partem minorem addit; ac tùm toto in duo æqualia ſecto, dicit ſe quiſque ſuum obtinere, cùm æquale acceperit.* Præclarè autem notat non ſufficere, ſi maiori parti adimat, non item minori adiiciat; quoniam non propterea æqualitas fieret, neque ſtatueretur quod quæri-
Cap. 14. tur ius; quod eſt etiam mox circa Talionem inſinuatum. Denique circa eandem Iuſtitiam, debere Iudicem interdum Æquale, ſeu Ius conſtituere, non cuiuſmodi Lex præſcribat, ſed cuiuſmodi ea, quæ dicitur ἐπιείκεια, æquitas, à qua ipſum ius ἐπιεικές. Æquum, & bonum appellari ſolet. Etenim, quia Lex de rebus, niſi generatim non ſtatuit, ac ſpeciales caſus plerumque contingunt, in quibus, certas ob circumſtantias iudicari ex verbis legis citra iniuſtitiam non poteſt; ideo, *Par eſt*, in- In Pag. 88.
quit, *ſi quid Legiſlator aut prætermiſit, aut peccauit, cùm abſolutè loquutus eſt, id quod eſt omiſſum, ſupplere, quoque Legiſlator, ſi adeſſet, iuberet; ac, ſi præſciuiſſet, pro lege tuliſſet.* Subdit proinde Legem habendam, ceu Lesbiam quandam regulam; hoc eſt perinde acommodandam rebus, ac regula plumbea, prout ſe figura lapidis habet, inflectitur; docétque ipſum Æquum, & bonum, eſſe vt correctiuum legis, ita iure legitimo, peccatóve ex ipſo conſequente melius. Adiicit Interpres exempla tùm Legis vetantis adulterium, tùm prohibentis, ne murum peregrinus conſcendat. Videlicet iuſtum non fuerit occidere illum, qui vt tyrannum interficeret, illius vxorem violarit; neque illum qui murum, vt hoſtem propelleret, conſcenderit, cùm Legiſlator ipſemet, ſi hoſce caſus prouidiſſet, leges in hunc modum conſcripturus fuiſſet: *A quacumque aliena vxore (præterquam tyranni, ſi ciuitas inde liberabitur) abſtineto.* Et, *Qui Peregrinus in bello murum (niſi vrbem propugnans, ac ſe fortiter gerens) conſcenderit, occiditor.* Spectare huc proiude vides vulgata illa carmina:

Iudicis auxilium ſub iniqua lege rogato;
Ipſa etiam leges cupiunt, vt iure regantur.

Cæterùm, propter illam eandem definitionis particulam, *tribuendi cuique ſuum ius*, operæ eſſe pretium videtur paulò vberiùs cognoſcere quid-nam ſit hoc *Ius*, & vnde oriatur. Primùm itaque, cùm ſint variæ huiuſce vocis vſurpationes; tùm illa videtur primaria, qua Ius eſſe intelligitur Facultas agendi, habendi, vtendi, fruendi aliqua re. Scilicet ad hanc acceptionem ſpectare videntur. Tùm illæ loquendi variæ formulæ, ius ſuum tueri, retinere, recuperare, perſequi: dé ſuo iure concedere, decedere, remittere; vti ſuo iure, facere ſuo iure, eſſe ſui iuris, & aliæ ſexcentæ; Tùm familiaris illa tranſlatio, qua etiam Lex dicitur ius; quatenus ſcilicet declarat, præſcribítque quid cuique iuris, hoc eſt, facultatis, poteſtatis, dominij (hæc enim ſynonyma ſunt) circa aliquid competat; quò ſpectant illa, Ius facere, ius condere, ius conſulere, ius reſpondere, ius docere, prudentia iuris, duritia iuris, ſummum ius, & id genus alia: Tùm illa quoque qua Ius appellant non Iudicem modò (ſicut paulò antè ex Ariſtotele viſum eſt) ſed maximè etiam tribunal, locúmve, in quo ius redditur, hoc eſt facultas cuiuſpiam læſa, dominiúm-ve in aliquid violatum, reſtituitur; *Appellatione* L. 11. ff. de Iuſt. & Iu.
collata, inquit Paulus, *ab eo quod fit, in eo, vbi fit*; ſpectántque hûc proinde illa, rapere in ius, vocare in ius, ambula in ius, aliáque ſimilia: Tùm variæ, quæ circumferuntur & diuiſiones, & denominationes iuris; Nam quòd Ius naturale, gentium, ciuiléque diſtinguatur; quòd priuatum, & publicum;

quòd

Digitized by Google

In pag. 88. quòd ſcriptum, & non ſcriptum; quòd legitimum, iudicatum, pactum; quòd pontificium, augurium, militare, &c. nihil aliud, quàm veluti varia deſignantur capita, ex quibus quis in aliquid ius, ſeu facultatem, ac dominium habet. Deinde, videtur proinde eſſe Ius ſuaptè natura Iuſtitiâ antiquius: Nam ſiue Iuſtitia ita accipiatur, vt idem ſit cum Innocentia, ſeu affectu illo, quo non modò quis lædere alterum non vult, ſed vult etiam illum vti iure ſuo, quemadmodum ipſe proprio vtitur; conſtat ſupponere hanc Iuſtitiam eſſe in alio Ius ab ipſa independens, quodque, tametſi ipſa non foret, nihilominùs in illo exſtaret. Siue accipiatur, quatenus eſt violati iuris emendatrix; conſtat eſſe priùs debere in alio ius ad aliquid, quàm vt quis violare illud poſſit, ac ſuccurrat ipſa Iuſtitia, quæ violatum redintegret; adeò vt ſi cuiuſque ius intemeratum in eo maneret, nihil foret opus Iuſtitia, qua illud ipſi vindicaretur. Quare & videtur primo loco conſtituendum Ius, quod vnicuique competit; atque id quidem, ſeu purè à natura datum, ſeu pacto, legéque firmatum; ſecundo Iniuria, quæ nihil aliud ſit, quàm ipſa iuris violatio; tertio Iuſtitia, ſeu voluntas, ſuum cuique tribuendi, quæ iniuriam emendet, ac reſtituat ius, & à qua ille, in quo eſt, appelletur Iuſtus: quarto ipſum opus Iuſtitiæ, ſeu Ius reſtitutum, quod pariter Iuſtum ab ipſa Iuſtitia vocetur. Nempe habentur quidem perſæpè Ius, ac Iuſtum Synonyma; verùm tunc ius eſt, non illud primarium, ſed repoſitum à Iuſtitia. Ex quo efficitur, vt cùm Vlpianus ait, *Ius appellatum à Iuſtitia*, intelligi *L. 1. eod.* id debeas non de illo Iure antecedente Iuſtitiam, à quo ipſa potiùs videatur eſſe nominata, ſed de hoc conſequente, quod Iuſtitiæ ſit opus. Niſi ille fortè Iuris nomine ipſam potiùs artem, ſcientiámve Iuris intellexit; propterea enim ſubiicit eleganter à Celſo definiri Ius *Artem Boni, & Æqui.* Quo loco, nihil ſanè obſtat, quin nomine Boni intelligamus ius illud primarium, ſiue integrum, quod vnicuique eſt proprium bonum, tendítve ad id, quod vnicuique bonum eſt: nomine Æqui hoc ſecundarium, quod priori æquale per Iuſtitiam fiat, & de quo proinde Offic. intelligatur illud Ciceronis, *Ius ſemper quæſitum eſt æquabile: neque enim aliter eſſet ius.* Hac certè ratione videbitur Celſus ad Prudentiam iuris perfectam requiſiiſſe notitiam tùm illius Iuris, quod vnicuique ante violationem competit, tùm illius, quod in violati compenſationem eſt reponendum. Eadem ratione, cùm Æquitas videatur nihil eſſe aliud, quàm commenſuratio, ſeu relatio æqualitatis, quæ eſt inter Æquum, & Bonum, ſiue inter Iuſtum, & Ius, ac ideò vtrumque comprehendat; ideò id fit, quod paulò antè ex Ariſtotele dicebamus, vt nimirùm Iudex æquitatem ſequi, ſeu ex æquo, & bono iudicare cenſeatur, cùm quantum iuris *De Iuſtitia.* cuique debetur, tantundem illi tribuit, tametſi fortè leges obſtent, quæ vt idem-met quoque Celſus ait, ſunt *interpretandæ benignius, quo voluntas earum conſeruetur.* Ex quo *L. 18. ff. de leg. S. q. con. Leg. 17. eod.* aliunde efficitur, vt cùm idem ait *ſcire leges, eſſe non verba, ſed vim, ac poteſtatem earum tenere*; intelligamus non illum eſſe reuerâ prudentem, peritum, conſultum iuris reputandum, qui ſimpliciter leges ciuitatis, gentíſve ſuæ memoriâ tenet; ſed illum, qui vim legum ita tenet, vt ipſas ex æquo, & bono interpretari valeat; Quippe qui rationes, ob quas latæ ſunt, nôrit, ac perſpectum habet non modò quid iubeant, ſed etiam quid iubere debeant: & cùm non ignoret quid iuris ex earum præſcripto reponendum ſit; tùm maximè callet quid iuris cuique competat ex præſcripto naturæ. Præclarè ſanè Ser. Sulpitius à Cicerone commendatur, quòd *non magis* Philip. 9. *Iuris conſultus quam Iuſtitiæ* (ſeu æquitatis) *fuerit*; ita erat in illo *admirabilis quadam*, inquit, *& incredibilis, & penè diuina in legibus interpretandis, æquitate explicanda, ſcientia; ita ea, quæ proficiſcebantur à legibus, & ab iure Ciuili ſemper ad facilitatem, æquitatémque referebat.* Nec minùs verò C. Aquillius; *Quod* Pro Cæc. *iuris Ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit; ita iuſtus, ac bonus vir, vt naturâ non diſciplinâ conſultus eſſe videretur: ita peritus, ac prudens, vt ex iure Ciuili videretur, non ſcientia ſolùm quadam, verùm etiam bonitas nata.*

Verùm, quia Epicurus omnem Iuris, & æqui originem ab Vtilitate repetiit; ſiquidem in Ratis ſententiis commemorandis inferiùs, docuit *ipſum quoque naturale ius teſſeram eſſe vtilitatis*, τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος, ideò videtur eſſe altiùs repetendum negotium, vt innoteſcat, meritóne, an immeritò tùm ab antiquioribus, vt à Cicerone; tùm à recentioribus, vt à Cujacio reprehendatur. Nam iſti Stoïcos ſequuti originem Iuris à natura ſic repetunt, vt inuehantur in Epicurum, quaſi quam dixit vtilitatem à natura ſeiunxerit. Et primùm quidem Cicero Lib. 2. in Opere de Finibus aduerſus Torquatum Epicureum diſputans: *Cur Iuſtitia*, inquit, *laudatur? aut vnde eſt hoc contritum vetuſtate prouerbium, Quicum in tenebris? Hoc dictum in vna re latiſſimè patet; vt in omnibus factis re non teſte moueamur. Sunt enim leuia, & perinfirma, quæ dicebantur à te, cùm animi conſcientia improbos excruciari; tùm etiam pœnæ timore, quâ aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu, ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi; non bonum illum virum, qui quicquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniáque formidet; ſed omnia callidè referentem ad Vtilitatem; acutum, verſutum, veteratorem, facilè vt excogitet, quo modo occultè, ſine teſte, ſine vllo conſcio fallat.* Et poſteà: *Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hæreditatem reddas ſuæ filiæ, nec vſquam id ſcripſerit, vt ſcripſit Fadius; nec*

cuiquam

Digitized by Google

De Iuſtitia. *cuiquam dixerit; quid facias? Tu quidem reddes: ipſe Epicurus fortaſſe redderet; vt Sex. Peducæus, &c. Sed ego ex te quæro, quoniam idem tu certè feciſſes; nonne intelligis eò maiorem vim eſſe naturæ, quòd ipſi vos, qui omnia ad veſtrum Commodum, &, vt ipſi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, è quibus appareat non voluptatem vos, ſed officium ſequi; plúſque naturam, quàm rationem prauam valere?* In opere autem de Legibus, hunc in modum affatur, colloquentémque (præter Fratrem)
Lib. 1. T. Pomponium Atticum, Epicureum licet, inducit: *M. Das-ne igitur hoc nobis, Pomponi (nam Quincti noui ſententiam) Deorum immortalium vi, ratione, poteſtate, mente, numine, ſiue quod eſt aliud verbum, quo planiùs ſignificem quod volo, naturam omnem regi? Nam ſi hoc non probas, à Deo nobis cauſa ordienda eſt potiſſimum. A. Do ſanè, ſi poſtulas: etenim propter hunc concentum auium, ſtrepitúmque fluminum non vereor condiſcipulorum* (Epicureorum nempè) *ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum eſt; ſolent enim, id quod virorum bonorum eſt, admodum iraſci. Nec verò ferent, ſi audierint te primum caput libri Optimi* (Ratarum nimirùm ſententiarum) *prodidiſſe, in quo ſcripſit, Nihil curare Deum nec ſui, nec alieni. A. Perge quæſo, nam id quod tibi conceſſi, quorſum pertineat, expecto. M. Non faciam longiùs; huc enim pertinet. Animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo Deo. Solum eſt enim ex tot animalium generibus, atque naturis particeps rationis, & cogitationis, cùm cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed in omni cælo, atque terra, ratione diuinius; quæ cùm adoleuit, atque perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia. Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine, & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt. Quæ cùm ſit Lex, Lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio iuris eſt. Quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & ciuitatis eiuſdem habendi ſunt.* Ac poſt plura, Atticum demùm anacephalæoſi quadam omnia repetentem, vnoque verbo concludentem (quaſi Epicuro abiudicato) facit: *An mihi aliter videri poſſit* (videlicet, quàm ipſi Quincto, approbanti ortum ex natura ius) *cùm hæc iam perfecta ſint, Primùm, quaſi muneribus Deorum nos eſſe inſtructos, & ornatos: ſecundo autem loco, vnam eſſe hominum inter ipſos viuendi parem, communémque rationem: deinde omneis inter ſe naturali quadam indulgentia, & beneuolentia, tùm etiam ſocietate iuris contineri? Quæ cùm vera eſſe rectè, vt arbitror, conceſſerimus, qui iam licet nobis à natura leges, & iura ſeiungere?* Atque Cicero quidem in hunc modum: Cuiacius autem
l. 9. ff de Iuſt. & iur. ſcribens in Legem, qua Gaius explicat diſcrimen inter ius Ciuile & Gentium, illud ſcilicet eſſe dicens, *Quod quiſque populus ipſe ſibi* In Pag. 88.
conſtituit: hoc verò, *Quod inter omneis homines naturalis conſtituit ratio*, iſthæc ſubiicit: *Epicurus quoque, authore Diogene, vtebatur eadem diuiſione Iuris; ſed ius commune non deducebat à natura, vt Gaius hoc loco ait ius commune eſſe, quod naturalis ratio inter homines conſtituit; ſed id deducebat ab Vtilitate communi, à compendio, emolumento, fructu, neceſſitatéve, quæ & nos impulit ad ius gentium, ſeu commune ſequendum, ſed non principaliter, quandoquidem inditum eſt nobis ob vtilitatem noſtram. Non tantum autem Vtilitas ſimplex id peperit Ius*; nam quod Horatius ait,

——Atque

Ipſa quoque vtilitas iuſti propè mater, & æqui,

Epicureum eſt; ex qua familia erat quoque Horatius. Nos Stoïcos ſequimur, qui ius commune omnium hominum deducebant à natura; ius proprium cuiuſque ciuitatis ab vtilitate communi; ab eo, quod cuique ciuitati expedit, & conducit. Sic ille: Prætereo autem quem ex Laërtio Diogene locum innuit haberi inferius inter Ratas ſententias, vbi verba Epicuri ſunt, κατὰ μὲν τὸ κοινὸν, *&c. Vniuersè quidem Ius* (ſeu quod iuſtum eſt) *idem eſt apud omneis genteis; Vtile nempè aliquid in ſocietate hominum mutua: verùm ſpectatis ſingulatim tùm regionibus, tùm cauſis apud varias variis euenit, vt non idem ius* (ſiue iuſtum) *ſit apud omneis.*

Itaqve, vt rem, quod recepimus, altiùs repetamus, prætermittendum heic non eſt, quod de primæuo hominum ſtatu ab omnibus ſupponitur, cùm diſquiritur prima origo Iuris. Ac nonnulli quidem contendunt cœpiſſe hominum ætatem ab aureo illo ſæculo, quo homines:

——Vindice nullo, Ouid. 1. Met.
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectúmque colebant:
Pœna, metuſq; aberant, nec vincula minacia collo
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui; ſed erant ſine iudice tuti.

Ecce enim Poſidonium imitatus Seneca: *Primi*, inquit, *mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eundem habebant & ducem, & legem, commiſſi melioris arbitrio. Naturæ eſt enim potioribus deteriora ſubmittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cæteros mares vincit: elephantorum gregem excelſiſſimus ducit: inter homines, pro ſummo eſt optimus. Animo itaque rector eligebatur; ideoque ſumma fælicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior. Tantum enim, quantum vult, poteſt, qui ſe, niſi quod debet, non putat poſſe. Illo ergo ſæculo, quod auream perhibetur, penes Sapienteis fuiſſe Regnum Poſidonius indicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur: ſuadebant, diſſuadebántque; & vtilia, atque inutilia, monſtrabant. Horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis, prouidebat; fortitudo* Epiſt. 90.

arcebat

In Pag. 88. *arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabátque ſubiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum poſſet aduerſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe: nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut cauſa; cùm benè imperanti benè pareretur; nihilque Rex maius minari malè parentibus poſſet, quàm vt abiret è regno. Sed poſtquam, ſurrepentibus vitiis, in tyrannidem regna verſa ſunt; opus eſſe cœpit legibus, quas &*
3. Annal. *ipſas inter initia tulêre Sapientes.* Sic Tacitus, ſumpta occaſione ex Papia Poppæa lege moderanda, poſtquàm illud præmiſit: *Ea res admonet, vt de principiis iuris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam, ac varietatem legum ſit, altiùs diſſeram,* ſubiicit: *Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine; ſine probro ſcelere, eoque ſine pœna, aut coërcitionibus agebant; neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur; & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia, ac pudore ambitio, & vis incedebat; prouenère dominationes, multoſque apud Populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquàm Regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis*
Lib. 1. *ſimplices erant, &c.* Spectat huc, quod Iuſtinus habet, dum hoc hiſtoriæ initium facit: *Principio rerum, gentium, nationúmque imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium tantæ maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur; arbitria principum pro legibus erant, &c.*
3. & 6. de leg. Spectare verò etiam poteſt id, quod Plato ediſſerit, cùm non admittit quidem abſolutè initium rerum, aut cœtus primos hominum, quibus priores non fuerint, ſed ſupponens tamen contigiſſe diluuia, & ſimileis cladeis ſæculis retrò innumeris, quibus ciuitates, ac gentes moribus excultæ perierint; ac ſuperfuerint ſolùm montani, agreſtéſque homines, à quibus ſocietates inſtaurari potuerint; autumat *eos fuiſſe, vt aliarum artium, ita auaritiæ, ambitionis, fraudiſque experteis ac non modò iis, qui præceſſerant, verùm etiam illis, qui ſequuti ſunt, quique iam viuunt, vt ſimpliciores, ita fortiores, modeſtiores, per omnia iuſtiores.* Docet & ſubinde, vt artes inuentæ, excultæque paullatim fuerint, vtque ex humilibus caſis, ad ciuitates condendas tranſierint; & quia vnaquæque familia proprios, ac cæteris plerumque repugnanteis mores inferrent, Legumlatoribus indiguerint, qui ex perſpectis omnibus eos delegerint, tenendoſque omnibus ſuaſerint, qui præ cæteris probarentur.

Alij autem volunt hominum ætatem cœpiſſe à ritu ferino, & incommodo, quem immutare ſapientes quidam, eloquentéſque aggreſſi ſint. Id nempè adumbratum eſt ab antiquiſſimis Poëtarum; cùm, vt ille interpretatur,

Hor. in ar. Poet.
Syluestreis homines ſacer, interpreſque Deorum
Moribus, & fœdo victu deterruit Orpheus,
Dictus, ob id, lenire Tigreis, rabidoſque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.——

De Iuſtitia. Cicero autem rem exſequitur non ſemel (ſcilicet perpetuò veluti oblitus, quod paulò antè de cognatione, communionéque hominum cum Diis exaggerantem audiuimus.) Nam, vt quæ in commendationem Philoſo-
5. Tuſc. phiæ habet, prætercam, veluti illud: *Quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbeis peperiſti; tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti; tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde coniugiis, tùm literarum, & vocum communione iunxiſti; tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti.* En quid
Lib. 1. in libris de Inuentione: *Fuit quoddam tempus, cùm in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Nondum diuinæ religionis, non humani officij ratio colebatur; nemo legitimas viderat nuptias; non certos quiſquam inſpexerat liberos; non ius æquabile quid vtilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inſcitiam, cæca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam viribus corporis abutebatur, perniciosiſſimis ſatellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir, & ſapiens, cognouit quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & meliorem præcipiendo reddere, qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſylueſtribus abditos ratione quadam vnum in locum compulit, & congregauit; & eos in vnamquamque rem inducens, vtilem, atque honeſtam, primò propter inſolentiam reclamanteis, deinde propter rationem, atque orationem ſtudioſiùs audienteis, ex feris, & immanibus, miteis reddidit, & manſuetos.* En
Pro Sext. quid in Orationibus: *Quis veſtrùm, Iudices, ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, vt quodam tempore homines nondum neque naturali, neque ciuili iure deſcripto, fuſi per agros, ac diſperſi vagarentur, tantúmq; haberent, quantum manu, ac viribus, per cædem, ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent. Qui igitur primi virtute, & conſilio præſtanti exſtiterunt, ij perſpecto genere humanæ docilitatis, atque ingenij, diſſipatos vnum in locum congregarunt, eoſque è feritate illa ad iuſtitiam, atque manſuetudinem traduxerunt. Tùm res ad communem vtilitatem pertinenteis, quas publicas appellamus, tùm conuenticula hominum, quæ poſteà ciuitates nominatæ ſunt; tùm domicilia coniuncta, quas vrbeis dicimus, inuento & diuino, & humano iure, mœnibus ſepſerunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam intereſt, quã ius, atq; vis. Horum vtro vti nolimus, altero eſt vtẽdum* En quid in Officiorum libris: *Cùm premere-*
Lib. 2. *tur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebãt ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem; qui cùm prohiberet iniuriã tenuiores æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari iure retinebat: Eadémq; conſtituendarũ legũ fuit cauſa, quæ Regum.* Sed hæc ex Cicerone nimis. Cæteros prætereo, ac

Digitized by Google

De iuſtitia. ſpeciatim Vitruuium, qui & occaſionem miteſcendi primam, & ſermonis originem, & cohærenter cætera ad Ignem primò inuentum refert. *Lib. 2. c. 1.* Nam, *Homines*, inquit, *vetere more, vt feræ in ſyluis, & ſpeluncis, & nemoribus naſcebantur, ciböque agreſti veſcendo, vitam exigebant. Intereà, quodam in loco tempeſtatibus, & ventis denſa crebritatibus arbores agitata, & inter ſe terentes ramos, ignem excitauerant; & eò, vehementi flamma perterriti, qui circa eum locum fuerunt, &c.* Itemque illos, quos Lactantius perſtringit, quòd cenſuerint primam coëundi rationem fuiſſe incommoda, quæ homines à feris animalibus paterentur. Nam imprimis quidem ſic habet: *Lib. 6. c. 10.* *Vrbis condendæ originem, atque cauſam, non vnam intulerunt; ſed alij eos homines, qui ſunt è terrâ primitùs nati, cùm per ſyluas, & campos erraticam degerent vitam, nec vllo inter ſe ſermonis, aut iuris vinculo cohærerent, ſed frondes, & herbam pro cubilibus, ſpeluncas, & antra pro domibus haberent, beſtiis, & fortioribus animalibus prædæ fuiſſe commemorant: Tùm eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi ſui, ad alios homines decurriſſe, præſidium imploraſſe, & primò nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe, deinde ſermonis initia tentaſſe, ac ſingulis quibuſque rebus nomina imponendo, paullatim loquendi perfeciſſe rationem. Cùm autem multitudinem ipſam viderent contra beſtias eſſe tutam: oppida etiam cœpiſſe munire, vel vt quietem noctis tutam ſibi facerent; vel vt incurſiones, atque impetus beſtiarum non pugnando, ſed obiectis aggeribus arcerent.* Tùm ſic exclamat: *O ingenia hominum indigna, quæ has ineptias protulerunt! Miſeros, atque miſerabileis, qui ſtultitiam ſuam literis, memoriæque mandauerunt! Qui cùm viderent mutis quoque animalibus ingenitam eſſe rationem vel conueniendi, vel inuicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cauendi, vel cubicula ſibi, & latibula parandi; homines autem ipſos exiſtimauerint non-niſi exemplis admoueri, ac diſcere potuiſſe quid metuere ſibi, quid cauere, quid facere deberent; aut nunquam conuenturos inter ſe fuiſſe, nec loquendi rationem reperturos, niſi eos beſtiæ comediſſent. Hæc aliis delira viſa ſunt (vt fuerunt) dixerúntque, non ferarum laniatus cauſam fuiſſe coëundi, ſed ipſam potiùs humanitatem; itaque inter ſe congregatos, quòd natura hominum ſolitudinis fugiens, & communionis appetens eſſet.* Hoſce inquam, & alios, qui ſunt opinati hominum ætatem à ritu ferino, & incommodo cœpiſſe, prætereo.

Ac poſſent quidem Priores illi cum his Poſterioribus conciliari, ſi poſtquam ætas aurea per argenteam, ac æream. degenerauit in ferream, hoc eſt, in ſtatum pluſquàm ferinum, admittantur rursùs exſtitiſſe ſapientes, qui ferrum emollierint, hoc eſt, homines ad iuſtitiam, humanitatémque crudierint: Verùm immorandum hac in re non eſt. Subiicio ſolùm Epicurum videri eſſe potiſſimùm his poſterioribus accenſendum: & non modò quidem ob id, quòd ea, quæ Lactantius reprehendit, ex ipſo Lucretio deſumpta videantur; ſed maximè ob id, quod ex Hermacho familiari, & *In pag. 88.* ſucceſſore Epicuri recitat Porphyrius. Siquidem Porphyrius Epicureis quidem vniuersè attribuit quæ pluſcula ad hanc rem habet; ſed poſteriùs tamen inſinuat eſſe ea ex libris Hermachi deſumpta. Locus prolixus, ſed referendus tamen, quòd & Epicurum attineat, & ad illa etiam, quæ ſupererunt circa Ratas ſententias, allaturus ſit non exiguam lucem. Quamquam operæ-pretium eſt, ea prius commemorare, quæ Lucretius hac de re habet; quòd is primæuum hominum ſtatum, qui ſupponi ab Hermacho videtur, vberiùs deſcribat. Ita ergo loquens Lucretius de primis hominibus, infit:

Et genus humanum multò fuit illud in aruis *Lib. 5.*
Durius, vt decuit, tellus quod dura creaſſet;
Et maioribus, & ſolidis magis oſſibus intùs
Fundatum, & validis aptum per viſcera neruis
Nec facilè ex æſtu, nec frigore quod caperetur:
Nec nouitate cibi, nec labi corporis vlla.
Multáque per cælum Solis voluentia luſtra,
Volgiuago vitam tractabant more ferarum.

Pergit autem;

Nec robuſtus erat curui moderator aratri
Quiſquam, nec ſcibat ferro molirier arua;
Nec noua defodere in terram virgulta, neq; altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod Sol, atq; imbres dederant, quod terra creârat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum.
Glandiferaſque inter curabant corpora quercus
Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta Pœniceo fieri matura colore,
Plurima tùm tellus etiam maiora ferebat.
Multáque prætereà nouitas tùm florida mundi
Pabula dia tulit miſeris mortalibus ampla.
At ſedare ſitim fluuij, fonteſque vocabant;
Vt nunc montibus è magnis decurſus aquai
Claricitat latè ſitientia ſæcla ferarum.

Quo loco ferè quidem habes, quæ circa ætatem auream cæteri:

Ipſa quoque immunis, raſtróque intacta, neq; vllis *Ouid. loc. cit.*
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Quin etiam non negat poſtmodùm Lucretius quin ſylueſtris hominum vita felix plerumque fuerit; cùm de cantu loquens, priuſquàm inuenta foret eius ars, hæc habeat, quæ ad ſæculum aureum videri poſſint referenda.

Hæc animos ollis mulcebant, atque iuuabant,
Cum ſatiate cibi; nam tùm ſunt omnia cordi.
Sæpè itaque inter ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora habebant;
Præſertim quom tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tùm ioca, tùm ſermo, tùm dulces eſſe cachinni
Conſuerant; agreſtis enim tùm Muſa vigebat.

Tùm

Digitized by Google

In Pag. 88.

Tum caput, atq; humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcinia lata monebat;
Atque extra numerum procedere membra mouēteis,
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Vnde oriebantur riſus, dulcéſque cachinni;
Omnia qaòd noua tùm magis hac, & mira vigebāt;
Et vigilantibus heinc aderant ſolatia ſomni,
Ducere multi' modis voces, & flectere cantus,
Et ſupera calamos vnco percurrere labro;
Vnde etiam vigiles nunc hac accepta tuentur.
Et numerûm ſeruare genus didicere; neque hilo
Maiorem intereà capiunt dulcedini' fructum,
Quàm ſilueſtre genus capiebat terrigenarum.

Verùm ne quis putet beatam vndique huiuſcemodi vitam fuiſſe, attingit ecce incommoda, quæ homines tunc patiebantur à feris. Quippè poſtquàm dixit non timuiſſe illos, ne adueniente nocte dies deinceps non rediret, ob iam perſpectam diei, ac noctis viciſſitudinem, ſubiicit:

Sed magis illud erat cura, quòd ſacla ferarum
Infeſtam miſeris faciebant ſæpè quietem;
Eiectique domo fugiebant ſaxea tecta
Spumigeri ſuis aduentu, validique leonis,
Atque intempeſta cedebant nocte pauentes
Hoſpitibus ſæuis inſtrata cubilia fronde.

Et ſtatim:

——Tùm quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viua feris præbebat dentibus hauſtus,
Et nemora, ac monteis gemitu, ſiluáſque replebat,
Viua videns viuo ſepeliri viſcera buſto.
At quos effugium ſeruârat; corpore adeſo
Poſteriùs tremulas ſuper vlcera tatra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum,
Donicum eos vitâ priuârant vermina ſæua,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.

Vide autem alia quoque incommoda pulcrâ antitheſi comparata cum noſtris:

Tùm penuria deinde cibi languentia leto
Membra dabat; contrà nunc rerum copia merſat.
Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpè venenum
Vergebant; nunc dant aliis ſolertiùs ipſi.

Hæc verò vt mittam, poſtquàm illud præmiſit:

Nec-dum res igni ſcibant tractare, neque vti
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum;
Sed nemora, atq; cauos monteis, ſyluáſq; colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare, imbreiſque coacti:

Tùm ſubdit:

Nec Cōmune bonum poterant ſpectare, neq; vllis
Moribus inter ſe ſeibant, neque Legibus vti.
Quod quoique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte ſua, ſibi quiſque valere, & viuere doctus.
Et Venus in ſyluis iungebat corpora amantum;
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viris vis, atque impenſa libido,
Et pretium glandes, atque arbuta, vel pira lecta.

Ac poſtea attingens vitæ ciuilioris, iuſtitiæque ſeruandæ initium, hiſce præmiſſis:

Inde caſas poſtquā, & polleis, ignémq; parârunt,
Et mulier coniuncta viro conceſſit in vnum,

De Iuſtitia.

Caſtáque priuata Veneris connubia læta
Cognita ſunt, prolémque ex ſe vidêre creatam;
Tùm genus humanum primùm molleſcere cœpit,
Ignis enim curauit, vt alſia corpora frigus
Non ita iam poſſent cæli ſub tegmine ferre.
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facilè ingenium fregêre ſuperbum;

Tùm ſequitur;

Tunc & amicitiam cœperunt iungere habentes
Finitima inter ſe, nec lædere, nec violare.
Et pueros commendârunt, muliebréque ſæclum
Vocibus, & geſtu cùm balbè ſignificarent,
Imbecillorum eſſe æquum miſererier omnium.
Non tamē omni' modis poterat cōcordia gigni;
Sed bona, magnáque pars ſeruabant fœdera caſti;
Aut genus humanū iam tùm foret omne peremtū;
Nec potuiſſet adhuc perducere ſæcla propago.

Poſt-modum verò, poſtquàm de Ignis inuentione loquutus eſt, hæc habet.

Inque dies magis hi victum, vitamq; priorem
Commutare nouis monſtrabant rebus, & igni,
Ingenio qui præſtabant, & corde vigebant.

Pergit verò:

Condere cœperunt vrbeis, arcémque locare
Præſidium, Reges ipſi ſibi, perfugiúmque.
Et pecudes, & agros diuiſere, atque dedêre
Pro facie quoiuſque, & viribus, ingenióque:
Nam facies multum valuit, vireiſque vigebant.
Poſteriùs res inuenta 'ſt, aurúmque repertum;
Quod facilè & validis, & pulcris dempſit honorē.
Diuitioris enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlibet & fortes, & pulcro corpore creti.

Habes heic deprauari cœptum auaritiâ ſæculum; habes & ſtatim cœptum ambitione, ob quam·

——E ſummo quaſi fulmen deiicit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tetra,

Et quia per id tempus nullæ erant leges, ſed Regùm arbitria pro legibus erant; ideò deſcribit quemadmodum redeunte ſumma poteſtate imperióve ad populum, occœperint Leges, Iuraque creari.

Ergo, Regibus occiſis, ſubuerſa iacebat
Priſtina maieſtas ſoliorum, & ſceptra ſuperba;
Et capitis ſummi præclarum inſigne, cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem;
Nam cupidè conculcatur nimis antè metutum.
Res itaque ad ſummam fæcem, turbáſq; redibat,
Imperium ſibi quom, ac ſummatum quiſq; petebat,
Inde magiſtratum partim docuêre creare,
Iuráque conſtituere, vt vellent legibus vti.
Nam genus humanum defeſſum vi colere æuum
Ex inimicitiis languebat; quò magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub Leges, artáque Iura.

Præclarè autem cauſam declarat, ob quam viſum eſt præſtabilius Leges, ac Iura colere:

Acriùs ex ira quòd enim ſe quiſque parabat
Vlciſci, quàm nunc conceſſum 'ſt legibus æquis;
Hanc ob rem 'ſt homines pertæſum vi colere æuum;
Vnde metus maculat pœnarum præmia vitæ.

De iuſtitia.

Circumretit enim vis, atque iniuria quemque;
Atque, vnde exorta'ſt, ad eum plerumque reuertit;
Nec facile'ſt placidam, ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.

In pag. 88.

Sed miſſo Lucretio, en Porphyrij locum ex libro περὶ Ἀποχῆς, *de Abſtinentia* primo.

* Οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἐπικούρου ὥσπερ γενεαλογίαν μακρὰν διεξιόντες, φασὶν, ὡς οἱ παλαιοὶ νομοθέται ἀπιδόντες εἰς τὴν τοῦ βίου κοινωνίαν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους πράξεις, ἀνόσιον ἐπεφήμισαν τὴν ἀνθρώπου σφαγὴν, καὶ † ἀτιμίας οὐ τὰς τυχούσας προσῆψαν. Τάχα μὲν καὶ φυσικῆς τινος οἰκειώσεως ὑπαρχούσης τοῖς ἀνθρώποις πρὸς ἀνθρώπους, διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς μορφῆς, καὶ τῆς ψυχῆς, εἰς τὸ μὴ προχείρως φθείρειν τὸ τοιοῦτον ζῶον, ὥσπερ ἕτερόν τι τῶν συγκεχωρημένων· οὐ μὴν ἀλλὰ τήν γε πλείστην αἰτίαν τοῦ δυσχερανθῆναι τοῦτο, καὶ ἀνόσιον ἐπιφημισθῆναι, τὸ μὴ συμφέρειν εἰς τὴν ὅλην τοῦ βίου σύστασιν † ὑπέλαβον.

† Fortè ζημίας, vt deinceps paſſim.

† Videtur pro ὑπολαβεῖν.

Ἀπὸ γὰρ τοιαύτης ἀρχῆς οἱ μὲν παρακολουθήσαντες τῷ συμφέροντι τοῦ διορίσματος, οὐδὲν προσεδεήθησαν ἄλλης αἰτίας τῆς ἀνειργούσης αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πράξεως ταύτης. Οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι λαβεῖν αἴσθησιν ἱκανὴν τούτου, τὸ μέγεθος τῆς ζημίας δεδιότες, ἀπείχοντο τοῦ κτείνειν προχείρως ἀλλήλους, ὧν ἑκάτερον φαίνεται καὶ νῦν ἔτι συμβαῖνον. Καὶ γὰρ οἱ μὲν θεωροῦντες τὸ συμφέρον τῆς προειρημένης διατάξεως, ἑτοίμως ἐπ' αὐτῆς μένουσιν, οἱ δὲ μὴ † δεικτικοὶ τούτου, τὰς ἀπειλὰς φοβούμενοι τῶν νόμων, ἃς ἕνεκα τῶν ἀσυλλογίστων τοῦ χρησίμου διώρισάν τινες, παραδεξαμένων αὐτὰς τῶν πλειόνων.

† Videtur pro δεκτικόν.

Οὐδὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς βιαίως κατέστη νόμιμον, οὔτε μετὰ γραφῆς, οὔτε ἄνευ γραφῆς τῶν διαμενόντων νῦν, καὶ διαδίδοσθαι πεφυκότων, ἀλλὰ συγχωρησάντων αὐτῷ καὶ τῶν χρωμένων. Φρονήσει γὰρ ψυχῆς, οὐ ῥώμῃ σώματος, καὶ δυναστευτικῇ δουλώσει τῶν ὄχλων διήνεγκαν οἱ τὰ τοιαῦτα τοῖς πολλοῖς εἰσηγούμενοι. Καὶ τοὺς μὲν εἰς ἐπιλογισμὸν τοῦ χρησίμου καταστήσαντες, ἀλόγως αὐτοῦ πρότερον αἰσθανομένους, καὶ πολλάκις ἐπιλανθανομένους, τοὺς δὲ τῷ μεγέθει τῶν ἐπιτιμίων καταπλήξαντες. Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρῳ χρῆσθαι φαρμάκῳ πρὸς τὴν τοῦ συμφέροντος ἀμαθίαν, ἢ τῷ φόβῳ τῆς ἀφωρισμένης ἀπὸ τοῦ νόμου ζημίας. Αὕτη γὰρ κατέχει μόνη καὶ νῦν τοὺς τυχόντας τῶν ἀνθρώπων, καὶ κωλύει τὸ μήτε κοινῇ, μήτε ἰδίᾳ τὸ ἀλυσιτελὲς πράττειν.

Εἰ δὲ πάντες ἐδύναντο βλέπειν ὁμοίως, καὶ μνημονεύειν τὸ συμφέρον, οὐδὲν ἂν προσεδέοντο

Epicurei verò, vt ſi genealogiam longè petitam retexerent, aiunt veteres legum conditores, cùm ad vitæ ſocietatem, & ad ea, quæ homines inuicem aguot, attenderent, declaraſſe nefandum eſſe hominem interficere, & ignominiam noo vulgarem (*vtpotè quæ eſſet coniuncta cum minutione capitis*) interfectori decreniſſe. Ac fortè quidem fecit naturalis quædam hominum inter ſe conciliatio, (quippè ob formæ, animæque, *ſeu morum* conuenientiam) ne perinde eſſent procliues ad *conſimile* animal, ac ad aliud quodpiam ex iis, quorum cædes eſt conceſſa, perdendum: Verùm cur illi hoc facinus & auerſati fuerint, & rem nefariam promulgârint, cauſam habuêre præcipuam, quòd id ad tranſigendum vitam nullius foret emolumenti.

Nempè ab hoc vſque initio, illis quidem, qui ad conſtitutionis vtilitatem attenderunt, nullâ aliâ fuit opus cauſsâ, quâ ſe ab agendo quidpiam ſimile continerent: Qui verò non potuere ſatis cuius ea momenti eſſet, capere, ij magnitudinis pœoæ metu à patrandis temerè mutuis cædibus abſtinuerunt; quod vtromque etiam-num deprehenditur euenire. Etenim qui conſiderant quaota ſit huiuſcemodi conſtitutionis vtilitas, ij comparati ad conſtantem illius obſeruantiam ſunt; qui illius verò intelligeodæ capaces non ſunt, ij ſe comparant præ metu pœnarum, quas leges intentant, quaſque *Prudentiores* quidam aduerſus illos, qui vtilitatis rationem noo habent, ſtatuerunt; & maiore quidem parte multitudiois illas, *vt legitimas*, admittente.

Quippe à principio nulla earum legum, quæ ſiue ſcriptæ, ſiue non ſcriptæ ad nos vſqne peruenerunt, tranſdendæque porrò in poſteros ſunt, violentiâ qoadam conſtitit, ſed mero vtentium conſeoſu. Videlicet mentis prudentiâ, non robore corporis, aut imperioſo obſequio multitudini præcelluêre, qui has leges Populum rogâruot; ac illud quidem inducendo nonnullos ad conſiderandum quid vtile foret (cùm priùs, vt par erat, non aſſequerentur) aliis verò ipſa pœoarum magoitudine metum incutiendo. Neque enim alio vti medicamine ad curandum imperitiam vtilitatis licuit, quàm pœnæ à lege præſcriptæ timore: Nam & nunc quoque ipſe eſt ſolus, qoi vulgareis homines in officio continet; obſtátque ne quidpiam ſeu in publicum, ſeu in priuatum commodum peccent.

Quòd ſi omnes poſſent peræquè & noſſe, & mente tenere quid vtile ſit, legibus haudquaquam egerent, ſed ſuapte ſponte ab iis cauerent,

Digitized by Google

In pag. 88. caverent, quæ illæ vetant; agerent, quæ illæ præſcribunt; quandò vel agnoſcere ſolùm quid vtile, quid noxium ſit, ad inducendum horum quidem fugam, illorum verò proſequutionem, ſatis, ſuperque idoneum eſt. At verò comminatio pœnæ aduerſus eos, qui quid expediat non proſpiciunt, eſt neceſſaria: Siquidem pœna impendens cogit eos refrænare impetus, qui ad actiones prauas inſtigant, ac ad agendum, inuitè licet, quod ſit conſentaneum, compellit.

Exinde ſanè legumlatoreſ ne cædem quidem inuoluntariam eſſe omnis mulctæ immunem ſtatuerunt; non quidem, ne affectantibus voluntariam, prætextum vllum facerent imitandi ex propoſito, quæ alij facerent inconſultò; verùm, ne non ſatis cautionis, atque diligentiæ hac in parte adhiberetur, ſicque benè multa, quæ reuerà forent inuoluntaria, contingerent: Neque enim hoc non vtile fuit propter eaſdem cauſas, ob quas ſe mutuò conficere voluntariâ cæde prohibitum fuit. Adeò proinde, vt cùm eorum, quæ inuoluntariè fiunt, alia quidem ex cauſa improuiſa, inobſeruabilique naturæ humanæ contingant; alia verò ex noſtra negligentia, inexcogitantiâque *imminentis* diſcriminis: idcirco volentes auertere ſocordiam, quæ in proximorum cederet perniciem, ne ipſam quidem inuoluntariam actionem abire omnino inultam conſtituerint, ſed peccati huius frequentiam pœnarum metu ſuſtulerint.

Quin-etiam ego exiſtimo, cædeis quoque lege permiſſas non aliam ob cauſam eſſe factas ſolitis illis per luſtrationes expiationibus obnoxias: (idque eorum conſilio, qui iſthæc præclarè inuexerunt primi) quàm quòd eſſet in animo homines à cæde voluntaria nimiſquam frequenti abſterrere. Siquidem homines vulgares aliquo paſſim indigebant, quo ne temerè facerent, quod non conduceret, arcerentur: Vnde primi illi id intelligentes non pœnas modò decreuerunt, ſed alium inſuper timorem, cuius non eſſet ratio perinde patens, incuſſerunt, declarando illos, qui quomodocumque interfeciſſent hominem, niſi luſtrationibus vterentur, fore impuros. Nimirùm pars Animæ bruta, *ſeu in qua affectus, paſſionéſve ſunt*, diuerſimodè quaſi inſtituta, acceſſit ad eam, quæ paſſim iam viget, manſuetudinem; adhibitis contra affectus impetus ferini iis cicurandi artibus, quibus ab initio vſque vſi ſunt, qui multitudinem rexerunt; Ex quibus eſt illud inter cætera, ne homines ſe inuicem indiſcriminatim occidant.

Ad reliqua verò animalia quod ſpectat, conſentaneum eſt primos illos, qui ea, quæ forent nobis agenda, vel non agenda, præſcripſerunt, occidere nullum vetuiſſe. Etenim quæ vtilitas reſpectu eorum percipitur, ex ritu agendi contrario eſt nata. Neque enim

νόμων, ἀλλ' αὐθαιρέτως τὰ μὲν ἐκκλίνοντες τῶν ἀπειρημένων, τὰ δ' ἐπιτελοῦντες τῶν προστεταγμένων. Ἱκανὴ γὰρ ἡ τοῦ χρησίμου, καὶ βλαβεροῦ θεωρία τὴν μὲν φυγὴν παρασκευάσαι, τὴν δ' αἵρεσιν. Ἡ δὲ τῆς ζημίας ἀνάτασις † ἐστὶν ἀναγκαία πρὸς τοὺς μὴ προορωμένους τὸ λυσιτελοῦν, ἀναγκάζει γὰρ δεσπόζειν ἐπικρεμαμένη τῶν ἀγούσαις ἐπὶ τὰς ἀσυμφόρους πράξεις ὁρμαῖς, καὶ βίᾳ συναναγκάζει τὸ δέον ποιεῖν. De iuſtitia. † Haſce duas voces ſuppleo.

Ἐπεὶ καὶ τὸν ἀκούσιον φόνον οὐκ ἔξω πάσης ζημίας κατέστησαν οἱ νομοθέται, οὐχ ὅπως μηδεμίαν ἐνδῶσι πρόφασιν τοῖς ἑκουσίως τὰ τῶν ἀκουσίως δρώντων ἔργα μιμεῖσθαι προαιρουμένοις, ἀλλ' ὅπως μὴ ἀφύλακτον ᾖ, μηδὲ ἠμελημένον τὸ τοιοῦτο, ὥστε πολλὰ πρὸς ἀλήθειαν συμβαίνειν. Οὐ γὰρ συνέφερεν † οὐδὲν τοῦτο διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, δι' ἃς καὶ τὸ καθ' ἑκούσιον τρόπον φθείρειν ἀλλήλους. Ὥστε τῶν ἀκουσίων, τῶν μὲν παρὰ τὴν ἀστάθμητον αἰτίαν, καὶ ἀφύλακτον γιγνομένων ἀνθρωπίνῃ φύσει, τῶν δὲ παρὰ τὴν ἡμετέραν ἀμέλειαν, καὶ τὸ ἀνεπίστατον τῆς διαφορᾶς, βουληθέντες κωλῦσαι τὴν βλάπτουσαν τοὺς πλησίον ῥᾳθυμίαν, οὐκ ἀθῷον κατέστησαν ζημίας οὐδὲ τὴν ἀκούσιον πρᾶξιν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ τῶν ἐπιτιμίων ἀφεῖλον τὸ πολὺ τῆς τοιαύτης ἁμαρτίας. † Videtur pro οὐδέ.

Οἶμαι δ' ἔγωγε καὶ τοὺς συγκεχωρημένους ὑπὸ τοῦ νόμου φόνους τὰς ἀφοσιώσεις λαμβάνειν, τὰς εἰθισμένας διὰ τῶν καθαρμῶν, τῶν οὐδεμίαν ἑτέραν αἰτίαν παρὰ τῶν πρώτων † καλῶς ταῦτ' εἰσηγησαμένων, ἢ παρὰ τὸ τῆς ἑκουσίου πράξεως, ὅτι πλεῖστον, βούλεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ἀφιστάναι. Πανταχόθεν γὰρ ἐδέοντο τοῦ κωλύσοντος ἑτοίμως πράττειν τὸ μὴ συμφέρον οἱ τυχόντες. Ὅθεν οὐ μόνον ζημίας ἔταξαν οἱ πρῶτοι τοῦτο συνιδόντες, ἀλλὰ καὶ ἕτερον φόβον ἄλογον ἐπήρτησαν, οὐ καθαροὺς ἐπιφημίζοντες εἶναι τοὺς ὁπωσοῦν ἄνθρωπον ἀνελόντας, μὴ χρησαμένους καθαρμοῖς. Τὸ γὰρ ἀνόητον τῆς ψυχῆς ποικίλως παιδαγωγηθὲν ἦλθεν εἰς ἣν καθεστῶσαν ἡμερότητα, προσμηχανωμένων ἐπὶ τὰς ἀλόγους φορᾶς ἐπιθυμίας τιθασευμάτων ἐξ ἀρχῆς τῶν τὰ πλήθη διακοσμησάντων, ὧν ἐστὶ καὶ τὸ μὴ κτείνειν ἀλλήλους ἀκρίτως. † Videtur pro κακῶς.

Τῶν δὲ λοιπῶν ζώων, εἰκότως οὐδὲν διεκώλυσαν φθείρειν οἱ πρῶτοι διορίσαντες, ἅτε δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς, καὶ ἃ μή. Τὸ γὰρ συμφέρον ἐπὶ τούτων ἐκ τῆς ἐναντίας ἀποτελεῖται πράξεως. Οὐ γὰρ δυνατὸν ἦν σώζεσθαι μὴ πειρωμένους ἀμύνεσθαι αὐτὰ συντρεφομένους μετ' ἀλλήλων.

Διαμνημονεύοντες δέ τινες τῶν τότε χαριεστά-

Digitized by Google

In Iuſti. ua. των, ὡς αὐτοῦ τε ἀπέχοιντο τοῦ κτείνειν διὰ τὸ χρήσιμον πρὸς τὴν σωτηρίαν, τοῖς τε λοιποῖς ἐνεποίουν μνήμην τοῦ ἀποβαίνοντος ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων † συστροφαῖς, ὅπως ἀπεχόμενοι τοῦ συμφύλου διαφυλάττωσι τὴν κοινωνίαν, ἣ συνεργεῖ πρὸς τὴν ἰδίαν ἑκάστου σωτηρίαν. Οὐ μόνον δὲ χρήσιμον ἦν τὸ χωρίζεσθαι, † ἤτε λυμαντικὸν ποιεῖν μηδὲν τῶν ἐπὶ τὸν αὐτὸν τόπον συνειλεγμένων, πρὸς τὸ τῶν ἀλλοφύλων ἐξέβαλμα ζώων, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀνθρώπους τοὺς ἐπὶ βλάβῃ παραγιγνομένους.

† Videtur pro συστροφαῖς, ex Rat. ſent.

† Videtur pro μηδ.

Μέχρι μὲν οὖν τινος διὰ ταύτην † αἰτίαν ἀπείχοντο τοῦ συμφύλου, ὅσον ἐβάδιζεν εἰς τὴν αὐτὴν κοινωνίαν τῶν ἀναγκαίων, καὶ χρείας τινὰς παρείχετο πρὸς ἑκάτερον τῶν εἰρημένων.

† Vocem hanc ſuppleo.

Ἐλθόντος δὲ ἐπὶ πλέον τοῦ χρόνου, καὶ τῆς δι' ἀλλήλων γενέσεως μακρὰν προεστηκυίας, ἐξεωσμένων δὲ τῶν ἀλλοφύλων ζώων, καὶ τῆς παρασπάσεως † γενομένης ἐπιλογισμὸν ἔλαβόν τινες τοῦ συμφέροντος ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλων † συστροφαῖς, οὐ μόνῃ ἀλόγῳ μνήμῃ. Ὅθεν ἐπεχείρησαν βεβαιοτέρως εἶρξαι τοὺς προχείρως φθείροντας ἀλλήλους, καὶ τὴν βοήθειαν ἀσθενεστέραν κατασκευάζοντας διὰ τὴν τοῦ παρεληλυθότος λήθην.

† Suppleo hanc quoque.

† Videtur iterum, pro συστροφαῖς.

Πειρώμενοι δὲ τοῦτο δρᾶν, τὰς ἔτι καὶ νῦν κατὰ πόλεις τε, καὶ ἔθνη νομοθεσίας εἰσήνεγκαν, ἐπακολουθήσαντος τοῦ πλήθους αὐτοῖς ἑκουσίως διὰ τὸ μᾶλλον ἤδη τοῦ συμφέροντος ἐν τῇ μετ' ἀλλήλων † ἀθεισθῇ λαμβάνειν αἴσθησιν. Ὁμοίως γὰρ εἰς τὴν ἀφοβίαν συνεργεῖ τό τε λυμαντικὸν πᾶν κτείνεσθαι ἀφειδῶς, καὶ τὸ χρήσιμον πρὸς τὴν τούτου φθορὰν διατηρούμενον. Ὅθεν εἰκότως τὸ μὲν ἀπηγορεύθη, τὸ δὲ οὐκ ἐκωλύθη τῶν εἰρημένων.

† Videtur pro ἀθροίσει.

Ἐκεῖνο τε λέγειν οὐκ ἔστιν, ὡς ἔνια τῶν ζώων οὐ φθαρτικὰ τῆς ἀνθρωπίνης ὄντα φύσεως, οὐδὲ καθ' ἕτερον οὐδένα τρόπον λυμαινόμενα τοὺς βίους συγκεχώρηκεν ὁ νόμος ἀναιρεῖν ἡμῖν. Οὐδὲν γὰρ, ὡς εἰπεῖν ἐστι τούτων τῶν ὑπὸ τοῦ νόμου συγκεχωρημένων, ὅπερ οὐκ ἐώμενον λαμβάνειν τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀφθονίας, βλαπτικὸν γένοιτ' ἂν ἡμῖν, ἐν δὲ τῷ νῦν πλήθει διατηρούμενον † οὐ χρείας παρέχοι τινὰς εἰς τὸν βίον.

† Particulam ſuppleo: pro illa habetur in MS.

Καὶ γὰρ πρόβατον, καὶ βοῦς, καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον, μετριάζων μὲν, φέρει τινὰς πρὸς τὴν

poterat fieri, vt *homines* mutuò, cum ipſis viuentes tuerentur ſeſe incolumeis, niſi conarentur illa propulſare. In pag. 88.

Porrò, cùm aliqui ex iis, qui erant pro illo tempore venuſtiores, recordarentur, vt illeicmet, *vbi mixtim viuebatur*, à cæde abſtinuiſſent, propter ipſam, quæ ad ſalutem attinebat, vtilitatem; reuocârunt quoque in memoriam aliis, (dum in vnum congregarentur) ecquid rei tùm contigiſſet; quò abſtinentes ab animalis congeneris internecione, vitæ ſocietatem tuerentur, quæ generalis cauſa eſt priuato cuique propriæ ſalutis. Vtile verò erat aut ſecedere, aut nullo certè damno afficere coëuntia in vnum locum animalia, non modò ne ea, quæ aliorum forent generum; verùm etiam, ne homines ad inferendum noxam comparati, irritarentur.

Eatenus ergo ob haoc cauſam contiouêre manns ab animali coogenere, quodcumque io eandem neceſſariarum rerum communionem ſe præbuit, & vſus quoſdam cootulit vtrovis dictorum *initio modorum*.

Procedente verò longiùs tempore, & progenie mutua longè ſuccreſcente, ac depulſis illis, qoæ generis erant alieni animalibus, ſecretionéque ipſorum facta, cepêre quidam ratiocinando (& noo ſolâ, ſine ratione memoriâ vtendo) conſilium, de eo, quod foret vtile, dum adinuicem conueoirent. Vnde ſuot validiùs conati inhibere illos, qui ſe inuicem temerè, imprudentérque cooficerent, & mutuum auxilium imbecillius redderent, ob præteriti temporis, *quo res ſui ſimilibus malè ceſſiſſet*, obliuionem.

Adnixi ergo hoc facere, eas legum conſtitutiones, quæ etiam-oum per ciuitates, nationéſque perſeuerant, induxerunt, conſentiente ipſis ſua ſponte multitudine, quatenus perſenſit quam maior exinde vtilitas degentibus in mutua congregatione proueoiret. Pari modo videlicet ad ſecuritatem conducit, illud quod pernicioſum eſt, citra indulgentiam perdere, & id, quod illi exterminando vtile eſt, ſeruare. Vode & probabile eſt alterum prædictorum fuiſſe prohibitum, alterum verò licitum fuiſſe.

Nec verò dici illud poteſt, conceſſum nobis lege eſſe interficere aliqua ex illis animalibus, quæ naturæ humanæ exitialia non ſunt, alióve quopiam modo hominum vitæ non officiunt. Neque enim, vt fatear, vllum eſt ex lege conceſſis, quod permiſſum excreſcere in multitudioem ingentem, nobis pernicioſum non ſit; retentum verò eâ copiâ, quâ vulgò habetur, vſus aliquos non præbeat ad vitam.

Etenim & Ouis, & Bos, & quodcumque aliud huiuſcemodi, donec mediocri copia habetur, ſubſidia nobis aliqua vitæ tranſigendæ neceſſaria confert; at verò, ſi in quantamcunque,

&

Digitized by Google

In pag. 88. & ſuperantem longè eum modum, quo iam poſſidetur, vbertatem habeat, tunc ſanè vitæ noſtræ officiat, aliud quidem vſum ſuo robore (quippè ad id pro indole ſibi natiua comparatum) aliud autem vel ex eo, quòd alimentum nobis ex terra proueniens, abſumat. Quocirca & propter hanc cauſam vetitum non eſt huiuſcemodi animalia interficere; *& eo quidem modo*, vt retineatur copia, quanta ad vſum vitæ conducit, quantamque regere difficile non ſit.

Non enim, vt circa leones, lupos, vniuerſéque extera; quæ vocari ſolent fera animantia (ſiue illa parua, ſiue magna ſint) accipere non poſſumus quandam ex ipſis multitudinem, quæ reſeruata quodpiam ſubſidium ad vitam neceſſarium præſtet; ita ſe habet res circa boues, equos, & vniuersè cætera, quæ appellitantur manſueta animalia. Ex quo fit proinde, vt illa exterminemus penitùs; ex his,id ſolùm, quod conſentaneum modum excedit, reſcindamus.

Quamobrem reputandum eſt, illa etiam, quæ attinent ad eſum animalium, fuiſſe appoſitè ad iam dictas cauſas, præſcripta ab iis legibus, quæ ſunt his ſimilia complexæ: & quod ad ea ſpectat, quæ edendo non ſunt, fuiſſe vtilis, ac non vtilis habitam rationem. Adeò proinde, vt qui dicunt, quicquid pulcrum, iuſtúmque eſt, verſari in rebus, quæ ſint legibus iuxta notionem *cuiuſque* propriam, *inuaritatám-ve naturam*, præſcriptæ, deſipiant maximoperè. Non enim ſe res hocce modo habet; ſed quo potiùs modo *ſe habere obſeruatur* in cæteris rebus, quæ vtiles ſunt, vt deſtinatæ ad ſanitatem, ſexcentæque aliæ eiuſcemodi; quippe quæ à ſcopo ſæpenumerò tam communiter, quàm priuatim aberrent.

Nam & ſunt quidam, qui non peruideant ea, quæ legibus conſtituta ſunt, non eſſe perinde omnibus nationibus accommodata; ſed partim quidem illa habentes indifferentia negligant, partim etiam contrariam de ipſis opinionem habeant. Sunt &, qui ea, quæ vniuersè vbique vtilia non ſunt, vtilia nihilominus putent, atque idcirco ea complectantur, quæ accommodata *vniuersè* non ſint, ſi modò aliquorum reſpectu deprehendant ipſis & vtilia, & generale aliquid præ ſe ferentia emolumentum. Quo ex genere ea ſunt, quæ apud pleraſque nationes circa animalium eſum, occiſionémque (& ob cauſam quidem regionis cuiuſque ſpecialem) conſtituta ſunt,quibuſque adhærere nos qui ibidem locorum nuſquam degimus, nihil eſt neceſſe.

Si poſſent ergo *homines*, vt cum ipſis hominibus, ita & cum aliis animalibus ſtipulatione quadam paciſci, ne nos occiderent, neque ipſa quoque à nobis indiſcretè occiderentur, eatenus præclarè liceret *ipſa inter, & nos*, inſti rationem exigere; illud videlicet ad mu-

ἀναγκαίαν ἡμῖν διαγωγὴν ὠφελείας, εἰς *De iuſtitia.*
πᾶσαν δὲ ἐκπεσὸν δαψίλειαν, καὶ μακρὰν ὅθεν
ὑπεροχὴν ἔχουσαν τῆς καθεστώσης, λυμαί- ἀνό-
νοιτ᾽ ἂν τὸν βίον ἡμῶν, τὸ μὲν καὶ πρὸς ἀλ- τως
κὴν πεποιημένον, ἅτε φύσεως εὐφυοῦς εἰς τοῦτο ſed ex
μετέχον, τὸ δὲ μόνον τὴν αὐξηθεῖσαν ἡμῖν ἐκ τῆς perio-
γῆς τροφὴν καταναλίσκον. Διὸ καὶ παρὰ τὴν do ſu-
αἰτίαν ταύτην οὐδὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ζώων ἐκω- periore
λύθη φθείρειν, ἵνα τὸ συμφέρον πρὸς τὴν χρείαν penultima,
καταλείπηται, καὶ τὸ ῥᾳδίως κρατεῖσθαι δυνη- opinor,
σόμενον. intruſum.

Οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ λεόντων, καὶ λύκων, καὶ ἁπλῶς τῶν ἀγρίων προσαγορευομένων ζώων, ὁμοίως τε μικρῶν τε, καὶ μεγάλων, οὐκ ἔστιν οὐδὲν λαβεῖν πλῆθος, ὃ καταλειπόμενον, ἐπικουφίζειν ἂν τὸν ἀναγκαῖον ἡμῶν βίον, οὕτω καὶ ἐπὶ βοῶν, καὶ ἵππων, καὶ προβάτων, ἔχει, καὶ ἁπλῶς τῶν ἡμέρων ὀνομαζομένων ζώων. Ὅθεν τὰ μὲν ἄρδην φθείρομεν, τῶν δὲ τὸ πλεῖον τοῦ συμμετρίας ἀφαιροῦμεν.

Δι᾽ ἃ παραπλησίως ταῖς εἰρημέναις αἰτίαις καὶ τὰ περὶ τῆς ἐδωδῆς διορισθῆναι τῶν ἐμψύχων νομιστέον ὑπὸ τῶν ἐξ ἀρχῆς τοῦτο καταλαβόντων νόμων, ἐπὶ δὲ τῶν οὐκ ἐδωδίμων, αὐτῆς τὸ συμφέρον, καὶ ἀσύμφορον. Ὥστε τοὺς λέγοντας ὅτι πᾶν τὸ καλὸν, καὶ δίκαιον κατὰ τὰς ἰδίας ὑπολήψεις ἐστὶ περὶ τῶν νενομοθετημένων, ἠλιβάτου τινὸς γέμειν εὐηθείας. Οὐ γάρ ἐστιν οὕτως ἔχον τοῦτο, ἀλλ᾽ ὅνπερ τρόπον † καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν † Videtur pro
συμφερόντων, οἷον ὑγιεινῶν τε, καὶ ἑτέρων μυρίων ἤ.
εἰδῶν, † ἅτε διαμαρτάνουσιν ἐν πολλοῖς τῶν τε † Videtur pro
κοινῶν, ὁμοίως καὶ τῶν ἰδίων. ἀλλά.

Καὶ γὰρ τὰ παραπλησίως ἐφαρμόττοντα νομοθετήματα πᾶσιν, οὐ καθορῶσί τινες, ἀλλ᾽ οἱ μὲν τῶν ἀδιαφόρων δοξάζοντες εἶναι παραλείπουσιν, οἱ δὲ τὴν ἐναντίαν δόξαν ὑπὲρ αὐτῶν ἔχουσι. Καὶ τὰ μὴ καθόλου συμφέροντα, πανταχοῦ τινες οἴονται συμφέρειν. Ὅθεν διὰ τὴν αἰτίαν ταύτην ἀντέχονται τῶν οὐκ ἐφαρμοττόντων, εἰ καὶ ἐπί τινων διευρίσκουσι τά τε πρὸς αὐτοὺς λυσιτελῆ, καὶ τὰ κοινὴν ἔχοντα τὴν ὠφέλειαν. Ὧν ἐστι καὶ τὰ περὶ τὰς ἐδωδὰς τῶν ἐμψύχων καὶ φθορὰς ἐν τοῖς πλείστοις τῶν ἐθνῶν διατεταγμένα, διὰ τὸ τῆς χώρας ἴδιον, οἷς οὐκ ἀναγκαῖον ἐμμένειν ἡμῖν, διὰ τὸ μηδὲ τὸν αὐτὸν οἰκεῖν τόπον.

Εἰ μὲν οὖν ἠδυνάμεθα ποιήσασθαί τινα συν-
θήκην ὥσπερ πρὸς ἀνθρώπους, οὕτω καὶ πρὸς † Vocem
τὰ λοιπὰ τῶν ζώων ὑπὲρ τοῦ μὴ κτείνειν † ſuppleo.
ἡμᾶς, μήτε πρὸς ἡμῶν ἀκρίτως αὐτὰ κτί- † Fortè
νεσθαι, καλῶς εἶχε μέχρι τούτου, τὸ δίκαιον ἐπιτε-
διάγειν, † Ἐπιτεταμένον γὰρ ἐγίγνετο πρὸς ταγμέ-
τὴν νον.

Digitized by Google

De Iuſtitia. τὴν ἀσφάλειαν. Ἐπειδὴ δὲ τῶν ἀμηχάνων ἦν κοινωνῆσαι νόμου τὰ μὴ δεχόμενα τῶν ζώων λόγον, διὰ μὲν ταύτης ἕξεως τὸ συμφέρον οὐχ οἷόν τε κατασκευάσασθαι πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐμψύχων ἀσφάλειαν, μᾶλλόν περ, ἢ τῶν ἀψύχων. Ἐκ δὲ τοῦ τὴν ἐξουσίαν λαμβάνειν, ἣν νῦν ἔχομεν εἰς τὸ κτείνειν αὐτὰ, μόνως ἐστὶ τὴν ἐνδεχομένην ἔχειν ἀσφάλειαν. Τοιαῦτα μὲν καὶ τὰ τῶν Ἐπικουρείων.

tuam ſecutitatem dirigeretur. At quandoquidem fieri nequit, vt quæ ſunt rationis expertia animalia communi nobiſcum lege contineantur; hanc ipſam ob cauſſam non licet id adipiſci vtilitatis, vt maiorem ſecuritatem ex aliis animalibus, quàm ex ipſis rebus inanimatis impetremus. Ex eo verò ſolùm, quòd ea facultate, quæ in nobis iam eſt, eorum necandorum vtamur, poſſumus quantam quidem licet, ſecuritatem obtinere. Et quæ ab Epicureis quidem dicuntur, huiuſmodi ſunt. *In pag. 88.*

Hactenus eſt Porphyrij locus, ex quo duo quædam, inter cætera, eliciuntur; Vnum, cùm homines ſocietatem inierunt, Legeſque, & iura condiderunt, pro ſcopo habuiſſe vtilitatem mutuam, ſeu emolumentum, quod omnes forent exinde conſequuturi: Alterum, huiuſmodi iura habere ſolummodò locum inter eas genteis, quæ & potuerunt, & voluerunt in ea conſentire, ſeu de iis paciſci. Vt res autem dicatur paulò explicatiùs, ac declaretur ſimul quo ſenſu hæc iura referri ad naturam debeant, Obſeruandum imprimis eſt, hominem ſpectari dupliciter poſſe, Primùm quidem abſolutè, ſeu ſecundum ſe, ac vt homo eſt; Secundò verò comparatè, ſeu prout refertur ad alios, & pars quædam eſt, eſſéve appetit ſocietatis. Ac priore quidem modo ſpectatur quaſi ſolitarius, & in puræ naturæ ſtatu, hoc eſt, qualis eſt à natura factus cum omnibus ſuis & partibus ex quibus conſtat, & facultatibus, quibus eſt inſtructus. Cùm ſit verò talis à natura factus, vt in ſe non habeat quæcumque ad vitam, incolumitatémque tuendam neceſſaria ſunt; ſed multis rebus, auxiliiſque externè petendis indigeat; ideò quæ natura fecit indigum, prouidit ſimul ipſi de rebus ad talem indigentiam explendam neceſſariis; ingenitis interim facultatibus, quibus huiuſmodi res quærat, inueniat, in vſum conuertat. Itaque à qua natura habet homo, vt ſit, habet etiam facultatem tuendi, & conſeruandi Se; ac vſurpandi proinde omnia, quæ ad hoc præſtandum neceſſaria, conducentia, vtilia ſunt. Porrò facultas iſta eſt, in qua videtur dici poſſe conſiſtere Ius naturæ primarium; adeò proinde, vt quotieſcumque facultate hac vtimur, iure naturæ vti cenſeamur; & illo quidem primario, ſeu quo nullum ſit à natura datum antiquius. At verò, quia ſpectato hoc quaſi puræ naturæ ſtatu, homines omnes paris ſunt iuris, nihilque eſt, quod vnus ſuo iure, hoc eſt, facultate à natura data, vſurpet, quod alius ſuo, ſeu pari iure vſurpare non valeat; quippe cùm natura promiſcuè, ſeu in commune poſuerit ea bona, quibus indigent; idcircò euenire poteſt, quod iam antè, cùm de Prudentia ageretur, notauimus, vt nempè vno concupiſcente, proſequentéque aliquid, nitantur in aduerſum alij, qui id pariter concupiſcant, & proſequantur; ac inde enaſcantur rixæ, rapinæ, odia, vulnera, cædes; & vita vniuerſa inſidiis, periculiſque obnoxia euadat. Quamobrem ſpectandus iam homo poſteriore modo, ſiue quatenus ſociabilis eſt, ac in naturæ quaſi modificatæ ſtatu; ad qualem videlicet homo ita comparatus à natura fuit, vt vellet, ac poſſet quidpiam aliis de ſuo illo indefinito in omnia iure remittere, quò cæteris pari ratione aliquid de ſuo remittentibus, ſupereſſet aliquid, quod poſſet ſuum dicere, & ſine controuerſia vſurpare. Factus ergo eſt homo à natura ſociabile animal, vt ſuo illo iure in vſurpandis rebus ad tollendum indigentiam conducentibus, vti tutiùs poſſet; ac vt amantior retinentiórque ſocietatis efficeretur, machinata natura eſt mutuam auxiliorum indigentiam, vt dum vnus ab alio operam, qua egeret, exigeret, tantò faciliùs eam obtineret, quantò ipſe præſtare aliam, qua ille viciſſim indigeret, poſſet. Neque verò hoc ſolum; ſed etiam quæ hominem fecit ſuæ indigentiæ intelligentem, fecit tùm ſolertem ad excogitandum, tùm propenſum ad ineundum pacta, quibus illi conſuleret, ac in ſocietate commodè verſaretur. Itaque quicquid ſit de illa ſeu ſuppoſitione, ſeu fictione ſtatus, in quo ſeu Epicurus, ſeu alij vixiſſe aliquando dicunt primos homines, tàm eſſe profectò videtur ipſa ſocietas hominum, quàm illorum eſt origo, antiqua, ac non eo quidem ſolùm modo, quo bruta generis eiuſdem ſociabilia inter ſe ſunt; verùm illo etiam, quo quatenus ſunt & intelligentes, & ratione prædití, agnoſcunt non poſſe vllam inter ſe ſocietatem eſſe ſecuram, niſi ea conuentionibus, pactiſque mutuis conſtabiliatur. Porrò quia ex iiſdem pactis, ſocietatéque inita, facultas illa primùm conceſſa veluti firmatur, dum ab aliorum vi tuta redditur; ideò quatenus à pactis dependens appellari poteſt ſecundarium Ius; cùm & exinde ipſa pacta ipſum ſtabilientia, & quadamtenus dantia, appellentur Iura. Poteſt ipſum verò, ſecundarium licet, dici nihilominus Ius naturæ; quoniam ipſum quoque à natura eſt, ac intentioni eius conforme; neque enim aliud

contendit

In pag. 88. contendit natura, quàm vt vniſquiſque id, quod eſt ſibi neceſſarium, vtiléque obtineat, eâque facultate, quam illi conceſſit, fruatur: quod quidem fieri, niſi pactis intercedentibus, commodè non poteſt. Atque hoc quidem eſſe videtur, ad quod Epicurus reſpexit, cùm ipſamet pacta, ſiue facultatem per pacta conceſſam, Ius naturæ dixit; quippe illud primarium, quod diximus naturæ Ius, ipſe videtur facultatem quidem, ſed non tamen Iusdicendum cenſuiſſe. Ea verò fortè eſſe illi ratio non incongrua eſt viſa, quòd cùm Ius, & Iniuria oppoſita ſimul ac relata ſint, nulla videatur in ſtatu illo puræ naturæ, ſeu ante pacta, inferri poſſe iniuria; quæ proinde ſi nulla ſit, neque vllum ſit ius, quod violari poſſit. Nullam autem eſſe Iniuriam ante inita pacta perſuaderi potuit, quòd cùm in eo ſtatu ius omnibus in omnia ſit, is qui aliquam rem cuiquam præoccupat, aut rapit, damnum quidem illi, ac nocumentum inferat; ſed non tamen iniuriam faciat: quoniam & ipſe ſuo in rem iure (quæ vbicumque ſit, tam ipſius ſit, quàm cuiuſlibet alterius) vtatur.

SED vtcumque ſit, cùm naturæ Ius vtilitate definiuit, ad vtilitatem reſpexit, ob quam pacta inita ſunt, & ad quæ ineunda natura inſtigauit. Nempè quia in illo ferino, ſeu ſine pactionibus ſtatu, quem præexſtitiſſe cum aliis ſuppoſuit, incommodiſſimè ſimùl, ac moleſtiſſimè viueretur; viſi homines ſunt cœpiſſe conſilium de coëundo in talem ſtatum, in quo liceret vt commodiùs, ita iucundiùs viuere; idque eo ductu naturæ, quo refugiunt malum, & appetunt bonum. Et quia natura eadem monſtrauit, ſicut iam inſinuauimus, non poſſe hunc ſtatum eſſe alium, quàm ſocietatem, in qua pacta & inirentur, & ſeruarentur adinuicem; idcircò ad illa ineunda inter ſe ita conſenſerunt, vt ipſis quaſi legibus, ſeu arctis iuribus tenerentur. Quippe nihil aliud ſunt leges, quam pacta; ac obſeruare
2. De Rep. apud Platonem licet cœpiſſe ab illis pactionibus leges; cùm vtile nempè eſt viſum ξυνθέσθαι ἀλλήλοις μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι, *paciſci mutuò ne facerent, paterentúrve iniuriam*; & ipſe
3. Polit. 9. Ariſtoteles tùm Legem συνθήκην, *pactum, conuentúmve* definiit, tùm ex Lycophrone Sophiſta Legem eſſe dixit ἐγγυητὴν ἀλλήλοις τῶν δικαίων, *quaſi ſponſorem, quo paciſcentes ſui quiſque iuris ſecuri redduntur*: Ea autem illis Prima pactio, ſiue conuentio fuiſſe videtur, vt quiſque deinceps non in omnia, ſed in certa ſolùm aliqua retineret ius; vnde & fieri rerum diuiſio, & Meum, ac Tuum dici, audiríque cœpit: ac poſſumus adeò intelligere pactionem hanc præ cæteris fuiſſe Græcis νόμον, *Legem* appellatam ἀπὸ τοῦ νέμειν, quod eſt *diſtribuere*, ſiue diuidendo Suum cuique aſſignare. Deinde, quia futurum erat, vt imbecilliores, ac innocentiores tueri ſua iura, hoc eſt liberè ſuis vti rebus non poſſent, ſi valentiores violentioréſque quandam in ipſos facerent vim; conuentio fuit, vt ſinguli ſuam, De Iuſtitia. qualemcunque haberent vindicandi facultatem, in multitudinem transferent, quò ipſa vniuerſa, quia paucis iurium violatoribus præpolleret, illos pœnis afficeret, ac ſuum cuique ius vindicaret. Ad hæc proinde multitudo tùm rerum, ac iurium diuiſione factâ, tùm poteſtate ſummâ aſſumptâ, communi conſenſu eas leges ſanxit, quibus vnicuique ius ſuum aut intemeratum maneret, aut temeratum reſtitueretur; & pœna in eum ſanciretur, quicumque ſuo non contentus, in alienum inuaderet. Tùm verò, quia, vt antè eſt dictum, incommodum erat multitudinem vniuerſam quaque occaſione coïre; idcircò alia conuentione delecti ſunt quidam, viſi optimi, in quos ſuam illam poteſtatem multitudo vniuerſa transferret, quò ipſi prouiderent, ne cuiuſquam ius violaretur; & ſi qui eſſent violatores, in eos animaduerterent; miniſtris datis, qui adiutarent, & ſponſione facta, vt ſinguli tùm dicto obedientes forent, tùm ſi quandoque opus eſſet, ſiue improbis coërcendis, ſiue inimicis repellendis accurrerent. Quod idem dicendum eſt de poteſtate in vnum, qui fuerit viſus optimus, generoſiſſimúſque, translatâ. Transferens porrò multitudo, ſiue populus, ſuam poteſtatem in vnum, pluresſve ſeu Magiſtratus, ſeu Principes, integrum ſemper ſibi eſſe voluit, iuxta pactiones, ſiue leges à ſe conditas viuere, hoc eſt, ſuis illis iuribus vti: aut ſi quid fortè cummutandum, detrahendum, addendum videretur Principibus, id cognoſcere, inque id conſentire. Nempè ex hoc videtur factum, vt deinceps quidem latæ quædam leges à Principibus fuerint; ſed intelligatur nihilominùs interueniſſe Populi conſenſus, & ille quidem, aut expreſſus, vt cùm legimus Romulum apud Pomponium, & Auguſtum Lib. 2. ff. de orig. iu. apud Dionem leges tuliſſe ad Populum; aut L. 16. tacitus, ob poteſtatem datam, & acceptationem vltroneam: Quippe ipſi quoque Imperatores approbârunt tùm illud Vlpiani: Lib. 1. ff. de conſt. prin. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem; vtpotè cùm lege regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat*: Tùm illud Iuliani, L. 32. ff. de leg. S. que con. *Ipſæ leges non alia ex cauſa nos tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt*; tùm alia huiuſmodi. Horum autem ratio ex eo petitur, quod ait Ariſtoteles: 5. Ethic. 10. *Nihil eſſe aliud Principem, quàm Cuſtodem Iuris*, ἔστι δ' ὁ ἄρχων φύλαξ τοῦ δικαίου: *Vnde &*, inquit, *quia poteſt homo ſibi nimium tribuere, ac tyrannus euadere; ideò non ſinimus hominem imperare, ſed ipſam Rationem*. Ac in eundem ſenſum, 3. Polit. 15. ὁ μὲν οὖν τὸν νοῦν κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς νόμους. ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. *Qui Mentem*, inquit, *imperare iubet, iubere videtur imperare Deum, ac leges; qui verò iubet hominem, is addit & feram*. Quibus ſanè locis manifeſtum eſt, nomine Rationis, ac mentis intelligi

De Iuſtitia.
Legem, iuxta quam, quia in populi vtilitatem condita ſit, regi populus à principe malit, quàm iuxta nudum eius arbitrium, quippè cùm poſſit, quà homo eſt, ad ſuam magis attendere, quàm ad populi vtilitatem: &,
Lib.2. 2.Offic.
non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros (ita loquitur Cicero) *ſeruandæ iuſtitiæ causâ videantur olim benè morati Reges conſtituti.* Porrò hæc populi vtilitas fuit, ad quam Epicurus, cùm Ius definiret, reſpexit; non verò ad illam, quam cauſatus eſt Cicero pertinere ad *acutum, verſutum, veteratorem, &c.* Contendit nimirum, vt ſicut coëuntes in ſocietatem homines propoſuerunt ſibi eam vtilitatem, quam ex ſe inuicem caperent, ſeu quæ ex multitudine tota redundaret in ſingulos; ſic pacta inierint, ſanxerintque leges, quæ vtilitatem hanc ſtabilirent, præſtaréntve vt vnicuique iure ſuo vti liceret, vitámque adeò & ſecurè, & iucundè tranſigere.

QVONIAM verò hac ipſa re quidpiam eſſe magis ſecundum naturam non poteſt; mirum ſanè eſt obiici Epicuro, quòd *Leges, & Iura à natura ſeiunxerit*: ſiquidem arctiſſimè potiùs intercedente vtilitate, quaſi vinculo, quod ſit maximè ſecundum naturam coniunxit. Quare neque eſt, cur reprehendatur, quòd leges, & iura ab vtilitate potiùs, quàm à natura deduxerit; cùm deducere ab vtilitate, vt eſt declaratum, non potuerit, quin deduceret ſimul à natura. Tametſi, quid, amabò, eſt quod reprehendi debeat; cùm non nemo aliunde non conſentiat tùm Legum-latores & primos, & qui deinceps ſequuti ſunt eandem-met communem vtilitatem habuiſſe pro ſcopo; tùm illas dumtaxat eſſe leges iuſtas, quæ ad ipſam eandem vtilitatem faciant. Poſſet nomine omnium audiri
8 Lib. 10.
Ariſtoteles, qui in Nicomachiis: *Videtur*, inquit, *Ciuilis ſocietas vtilitatis gratiâ initio coiiſſe, ac iam-num perſtare. Quippè ipſi Legum-latores & pro ſcopo habent, & ius eſſe dicunt id,*
Lib.5.c.3.
quod vtile communiter eſt. Ac rursùs: *Leges ſic de omnibus ſtatuunt, vt pro ſcopo habeant vtilitatem aut omnium, aut optimorum, &c.* In Poli-
Lib.1.c.6.
ticis autem: *Manifeſtum eſt*, inquit, *quæcumque Reipublicæ formæ vtilitatem communem ſpectant, eas eſſe rectas, ac ei Iuri, quod ſimpliciter Ius eſt,*
Cap.7.
eſſe conſentaneas. Itemque: *Aut ciues dicendi non ſunt, qui vnius ſunt ciuitatis participes; aut neceſſe eſt inter eos vtilitates eſſe communes.* In To-
Lib.6. c.3.
picis verò: Τὸ γὰρ δίκαιον συμφέρον τι, *Eſt enim Ius, ſeu quod eſt iuſtum, vtile quidpiam, &c.* Verùm audiendus maximè ipſemet Cicero videtur, qui non modò ne in locis quidem circa primos Legum-latores, ſeu ſocietatis conciliatores recitatis tacere vtilitatem potuit;
1.De inuen.
ſed & aliàs rursùs: *Hanc*, inquit, *maximè ob cauſam, vt ſua tuerentur, Reſpublicæ, ciuitatéſque conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines; tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, vrbium præſidia quærebant.* Ac iterùm aliàs:
In pag. 88.
Omnes leges, inquit, *ad commodum Reipublicæ referre oportet, & eas ex vtilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari. Eâ enim virtute, & ſapientia maiores noſtri fuerunt, vt in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem, atque vtilitatem Reipublicæ proponerent. Neque enim, ipſi quod obeſſet, ſcribere volebant; & ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causâ ſaluas eſſe vult, ſed Reipublicæ quòd ex legibus omnes Rempublicam optimè putant adminiſtrari. Quamobrem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſam ſcripta omnia interpretari conuenit; hoc eſt, quoniam Reipublicæ ſeruimus, ex Reipublicæ commodo atque vtilitate leges interpretemur. Nam vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectet, quoniam eius causâ eſt inſtituta; ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipublicæ conducat, proficiſci; quoniam eius causâ ſunt comparatæ.* Idem-met verò Cicero, non modò inter leges, quas de magi- 3.De leg.
ſtratibus publicam rem curantibus conſtitutas voluit, iſtam interſerit, *Salus populi ſuprema lex eſto*; ſed etiam dum officia eorundem deſcribit, ſic habet: *Omnino qui Reipublicæ præfuturi* 1.Offic.
ſunt, duo Platonis præcepta teneant; Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquam deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſi, gerenda eſt. Nihil verò neceſſe eſt ipſiuſmet Platonis verba, quæ in hanc ſententiam 5. De Rep. in Alcib. in Hipp. Mai.
leguntur, citare; vti neque id, quod ediſſerit, τὰ δίκαια συμφέροντα, *eſſe ea iuſta, quæ ſunt vtilia*; ac rursùs: *Leges conditas vtilitatis causâ eſſe*; Præſtat adnotare, ob iſta illius præcepta obſeruata, non Traianum modò eximiè commenda- In Paneg.
ri à Plinio, quod ſuperiùs retulimus, ſed commẽdari etiam ipſum Iuſtinianum debere, quòd L. vnic. §. vlt.
de Caducis tollendis agens, hæc denique ſubiunxerit; *Nec Auguſtum priuilegium exercemus, ſed quod communiter omnibus prodeſt, hoc rei priuatæ noſtræ vtilitati præferendum eſſe cenſemus; noſtrum eſſe proprium ſubiectorum commodum imperialiter exiſtimantes.* Quod quidem refero vt minùs ſit mirum, ſi Vlpianus, Papinianus, Paulus, Iuriſ- Lib 1. 7. 11. ff. de iuſt. & iure.
conſulti alij ſic Iura deſcribant, vt ea referant ad omnium, vel plurium, vel ſingulorum vtilitatem. Et ſanè ea ſolet in Iure vtilitatis ratio haberi, vt plerumque, ne ſummum ius ſummam inducat iniuriam, ipſa, vt iam diximus, æquitas, ſeu æqui & boni nomen, dignitaſque ſuccurrat, quæ præſtet, ne rigida nimis, ſeu, vt Cicero loquitur, *Nimis callida, atque malitioſa* 1.Offic.
Iuris interpretatio eam deſtruat, quæ à lege, ſeu iure intenditur, vtilitatem. Præclarè enim Modeſtinus: *Nulla*, inquit, *iuris ratio, aut æquita-* L. 25. ff. de leg. S. quoti.
tis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeueritatem Et quamvis interdum occurrant, quæ

æquitati

Digitized by Google

In pag. 88. æquitati naturali aduerſari leges videantur; eæ tamen plerumque deprehenduntur latæ ob maiorem vtilitatem, quæ, præ minore aliqua, haberi poſſit ſecundum naturam. Tales certè haberi poſſunt, quæ, exempli gratiâ, de Vſucapione obſeruaotur. Nam cùm, vel Au- L. 14. ff. de con. indeb. thore Pomponio: *Naturâ æquum ſit neminem fieri cum alterius detrimento locupletiorem*; attamen, quia ſublato hoc acquiſitionis genere, incerta ſemper foret poſſeſſio, ſicque rerum aut negligentia, aut perturbatio conſequeretur, quæ non poſſet non eſſe aduerſa vtilitati publicæ: idcireò, *Bono publico*, vt dicam L. 1. ff de vſur. & vſuc. verbis Gaij, *Vſucapio eſt introducta*. Quin ex hoc etiam capite eſt, quamobrem leges peruetuſtæ, tametſi non bonæ, retineantur tamen, vel eo ſolùm nomine, quòd meliores illis ſubſtitui ſine perturbatione ſtatus, ac proinde, niſi peccando contra vtilitatem publicam non poſſint. Ex quo eſt egregia Vlpiani L. 3 ff. de conſt. ptin. ſententia: *In rebus nouis conſtituendis, euidentem eſſe vtilitatem debere, vt recedatur ab eo iure, quod diù æquum viſum eſt.*

Et concedit quidem Cuiacius Ius Ciuile, ſeu quod cuiuſque Ciuitatis eſt proprium, ab vtilitate communi, ſeu ab eo, quod expedit cuique ciuitati, deduci; Verùm id negat de Iure gentium, hominúmve omnium communi; hoc nimirum eſt, quod deduci ab ipſa natura contendit. At cum fateatur illud Ius, quod eſt omnibus ciuibus commune, deduci ab vtilitate, quæ omnibus ciuibus communis ſit; ecquid ſubeſt cauſæ, cur non illud Ius, quod commune eſt omnium hominum, ab vtilitate, quæ hominum omnium communis ſit, deduci admittat? Aut quid-nam ſubeſt, cur cùm velit naturalem eſſe rationem, quæ id ius conſtituat inter omneis homines in quod omnes homines tanquam ſibi bonum conſentiunt; nolit eſſe eandem naturalem rationem, quæ id ius conſtituat inter omneis ciueis in quod omnes cines taoquam ſibi bonum conſpirant? Quippe diſcrimen nullum apparet, niſi ſecundum magis, & minus; & quicquid dicitur de variis ciuitatibus, aut prouinciis, quarum iura, ſeu leges ſunt, conſuetudinéſque diuerſæ, intra eandem Rempublicam, licet quæpiam ſint communia iura, quibus regaotur: idem dici poteſt de variis ciuitatibus, Rebuſpublicíſve, quarum ſpecialia iura ſunt, reſpectu vniuerſitatis omnium gentium, licet aliqua ſint iura communia. Id ſanè videtur iodicare Vlpianus cùm poſtquam Ius in Naturale, Gentium, & Ci- Lib. 1. ff. de Iu. & Iure. uile diſtinxit, ac *Naturale* illud dixit, *quod natura omnia animalia docuit*, tùm ait Ius Gentium id eſſe, *quo gentes humanæ vtuntur, quodque à naturali recedere facilè intelligere licet, quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis ho-* L. 6. eod. *minibus inter ſe commune ſit*; tùm Ius Ciuile eſſe dicit, *quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei ſeruit; ac efficitur, cùm iuri communi addimus, vel detrahimus aliquid.* Scilicet exinde intelligi licet, ha- De Iuſtitia. beri Naturale Ius, quaſi generaliſſimum genus, cuius ius Gentium ſeu Humanum ſit ſpecies; ac deinde ipſum ius gentium haberi quaſi quoddam genus minùs latè patens, cuius ius Ciuile ſeu ciuitatis cuiuſque proprium, ſpecies ſit: Adeò vt ius gentium, naturale cootineat; & ius ciuile, tam naturale quàm gentium: ac ius gentium addat ſolùm diſcrimen, quo homines à cæteris animalibus differunt; & Ius Ciuile ſuperaddat illud, quo vna ciuitas, ſeu ſpecialis quæque ſocietas hominum ab omnibus aliis ciuitatibus, hominúmve ſocietatibus differt. Vnde & efficiatur, vt quemadmodum Ius Ciuile ſpectat ad bonum, commodúmve, ſeu vtilitatem omnium ciuium, ita Ius Gentium ſpectet ad bonum, commodum, vtilitatémve omnium omninò hominum; & Ius naturale ad bonum, commodom, & vtilitatem omnium omninò animalium. Prætereo idem elici ex eo, quod Ci- 3 Offic. cero ait: *Quod Ciuile eſt ius, non idem continuò eſſe gentium; quod autem eſt gentium, idem Ciuile eſſe debere.* Adnoto dumtaxat non commemorari ab eo Naturale ius, neque dici fuiſſe à maioribus aliud, quàm Gentium, & Ciuile diſtinctum, idque fortaſſis, quia Ius naturæ idem eſſe ac gentium voluit, neque eſſe ad animalia cætera extendendum ceoſuit. Nempe & iam antè verba eius fuerant: *Neque verò hoc ſolùm naturâ, id eſt iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpublica continetur, &c.* & alibi, cùm Ius naturæ, naturaléve definit, *Quod non opinio ge-* 2 De inuen. *nuit, ſed quædam vis innata inſeuit*, refert ad ipſum, Religionem, & alia, quæ ſint ipſorum hominum propria, non animalium omnium communia. At exiſtimari quî valeat, ſicut Ius gentium admittitur, quod hominum omnium commune ſit, non ſic admittendum eſſe naturale, quod commune ſit omnium auimalium? Videlicet quatenus Ius reſpectum habet ad alterum, cui reciprocum quoddam inſit: adeò vt cùm poſſint iura illorum mutua ſeruari, violari, reſtitui, cenſeatur poſſe ipſis iuſtitia, iniuſtitiáque interuenire. Quippe hac ratione poteſt quidem Ius hominum commune admitti, at oon perinde animalium; quoniam homines poſſunt inter ſe vinculo quodam iuris teneri, quod ſi integrum ſeruent, iuſti; ſi violent, iniuſti habeantur; At animalia inter ſe omnia nullo ſimili vinculo teoentur; ſpeciatim verò cætera, ac ipſum genus hominum; adeò vt ex eius integritate, aut violatione poſſint animalia iuſta, aut iniuſta, ac reciprocè homines iuſti, iniuſtive ceoſeri. Porrò Ariſtoteles quo- 5 Eth. 10. que videtur Ius gentium, ac naturale pro eodem habuiſſe, cùm Ius, quod pro ciuili habuit, in Naturale, & Legale (quod Ciuile iam diceretur) diſtinxit. Quippe Naturale definiit, non quod natura omnia animalia docuit, ſed *quod vbique gentium eandem habet*

De Iuſtitia.

vim, & ex eo, *quod videtur, aut non*, ſeu ab opinione, *non pendet*. Id nimirnm ſecus, ac legale, ſeu legitimum, quod apud varias genteis eſt varium, & ab eo pendet, quod videtur, aut non videtur legiſlatori. Vnde & id definit, *Quod initio quidem nihil refert hocne, an alio modo ſtatuatur; at verò cùm fuerit ſtatutum, tunc refert; Vt captiuos*, inquit, *redimere minâ; capram immolare, potiuſquàm duas oueis; Braſidæ ſacra facere, & id genus alia.* Exinde eſt autem, cur ſtatim ad diſcrimen huius legitimi iuris, quale ſolum dari volunt aliqui, admittat naturale Ius eſſe niſi omninò, at ſaltem quadamtenus (hoc eſt, vt interpretantur apud illos, qui deprauati, peruerſique non ſunt) ἀκίνητον, *immobile* ac inuariatum; & ex hoc habere, cur eandem obtineat apud omneis vim; eo modo, quo Ignis, quia in eo facultas vrendi naturalis eſt, *& hic, & apud Perſas vrit*, cúrque, vt vbique, ita ſemper vigeat; ideò enim refert ad ius naturale illud Sophoclis:

1 Rhe. 13.

οὐ γάρ τι νῦν, κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.
Non quippe nunc, herive, ſed ſemper viget
Hoc; ſcitque nemo, vnde exoriri cœperit.

§ ſingulorum, De rer. diuiſ.

§ Ius autem, De iu. na. gen. & ci.

Nec verò iſti modò; ſed ipſi quoque Iuriſconſulti Ius Naturale, ac Gentium interdum confundunt, & pro eodem habent. Hinc nempè eſt illud in Inſtitutionibus: *Quarundam rerum dominium nanciſcimur Iure naturali, quod, ſicut diximus, appellatur Ius gentium: quarundam verò iure Ciuili.* Vbi voces illæ, *ſicut diximus*, legem ex Gaio ſubnotant quam Cuiacius interpretatur, quæque præhabetur, in Inſtitutiones tranſlata.

VT obiter autem, quæ æquiuocatio facere negotium videtur, iuxta ante-dicta poſſit eximi; attendendum videtur Ius, inter cæteras acceptiones, aliquando pro facultate, aliquando pro Lege vſurpari. Et, ſi imprimis quidem, prout eſt Facultas, ſpectetur, quoniam attendi homo poteſt, non ſpeciatim modò, vt eſt homo, ſed etiam generatim vt eſt Animal (imò & generalius vt viuens, vt corpus, vt alia) idcircò, ſi attendatur *Primùm* quatenus eſt Animal, eſt in illo Ius naturale; naturalis putà facultas ſentiendi, imaginandi, appetendi, ſeſe mouendi, comedendi, ac ſeſe nutriendi, coëundi, ac ſimile ſibi generandi, &c. Adeò vt his vtens facultatibus, iure naturali facere cenſeatur. Quare & huc ſpectat, quod Iuriſconſultus, poſtquàm definiit Ius naturale, *quod natura omnia animalia docuit*, ſubiicit: *Ius iſtud, non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, auium quoque commune eſſe; hinc deſcendere maris, fœminæque coniunctionem, &c.* Inſinuaui autem poſſe hominem quoque attendi, vt eſt Viuens, vt corpus, vt alia; ad ſignificandum naturale ius eſſe etiam ipſi commune cum Plantis, & aliis rebus, quibus facultates aliquæ à natura inſunt; pari enim ratione, qua in homine, aliiſque animalibus, eſt in Plantis, ex. gratia, facultas, ſeu ius ſugendi è terra alimentum, propagandi ſeſe, & ſimilia; adeò proinde, vt quod vulgò Naturale Ius dicitur, Animale potiùs dicendum videatur: ſed nimirùm vſui gerendus mos eſt. *Secundò*, ſi attendatur, quatenus eſt homo, ſiue quatenus habet aliquid, quo à cæteris animalibus (itemque à Plantis, aliiſque rebus) differat; eſt in eo, iuxta hanc differentiam, facultas, ſeu ius, quod dici Ius Humanum poſſit, non quòd idem quoque naturale non ſit, ſed quòd hominum generi ſit proprium. Et certè à Liuio, Seneca, & aliis appellatur humanum ius, cùm & ſit vulgare, vt dicatur Ius Gentium, quod omnium gentium, nationúm-ve, in quas homines diſperguntur, commune ſit: vtcumque ad ea transferatur, quæ potiùs ad ius naturale (ſiue animale) aut ciuile, pertineant. Videlicet propriè loquendo huiuſmodi ſolùm videtur facultas Ratiocinandi, ac diſquirendi, ob quam cauſam quidque contingat; Loquendi, hoc eſt vocibus homini propriis exprimendi res, & actiones quaſlibet: Scribendi, ſiue certis notis quapiam in re exhibitis ſignificandi cogitata, atque adeò rem quamlibet: Excogitandi, tractandi, docendi, diſcendi arteis varias, & quæ maximè ignis egent vſu: Paciſcendi inter ſe, & in ſocietatem coëundi, ac in ea viuendi certis legibus: variandi huiuſmodi leges, prout neceſſitas, occaſióve, ob maiorem quandam vtilitatem ſuaſerit; & pauca huiuſmodi alia. Quippe hæ ſolæ facultates omnibus, & ſolis hominibus inſunt; ipſiſque omnes gentes aut reipsâ vtuntur, aut quò minùs vtantur, nihil prohibet: ex iis autem quæ vulgò ſolent referri ad ius gentium, ipſe v. c. Inſtinctus propulſandi iniuriam, ad ius naturale potiùs pertinet, quòd communis ſit omnium animalium (vnde & non modò Cicero hoc vocat *naturale ius*; ſed Caius quoque Iuriſconſultus: *Naturalis*, inquit, *ratio permittit ſe defendere*) cætera autem, vel ſpectatâ causâ, ad naturale; vel formâ, ad ciuile referenda ſunt, vt quæ attinent ad Obligationes, Matrimonia, &c. *Tertiò*, cùm tametſi omnes homines habeant, vt animalia ſunt, quòd ſociabiles adinuicem ſint; & vt homines, quòd certis legibus ſocientur; non poſſit tamen vna omnium, qui ſub iiſdem legibus viuant, conciliari ſocietas; idcircò ineunt cœtus varios, ſiue ſpecialeis ſocietates, quæ ſic regantur legibus, pactionibúſve ſpecialibus, vt facultati vniuſcuiuſque agendi, vtendi, præſcribatur modus. Quare & quòd ſpecialis quæque huiuſmodi ſocietas in vna, aut multiplici ciuitate viuere ſoleat; limitata hoc modo facultas Ius ciuile vocari poteſt, quatenus ius eſt cuique competens ſecundùm leges ciuitatis, quæ facultatem ſeu naturalem, ſeu humanam in omnia, ad certa quædam

In pag. 88.

Dec. 3. lib. 5.
3 De benef. 18.

In Top.
L. itaque, ff. ad leg. Aquil.

contrahunt,

Digitized by Google

In pag. 88. contrahunt, ob reputatam vtilitatem. Vnde & fit, vt hoc quoque ius cenſeri naturale poſſit, quatenus facultas à natura eſt, ac ipſa limitata quidem, ſed certa, ac libera tamen: Quippe, niſi quis in mulieres omneis, (exempli gratia) ius habeat, habet tamen ſaltem in vnam, quam rapere alius non poſſit; ſicque etiam in certum cibum, in certum fundum, &c. Poſſit & cenſeri Ius humanum, ſeu Gentium, aut ſaltem dici illi conforme, quatenus poſſunt homines inter ſe paciſci, & condere leges; & taleis quidem, quales ſpeciatim cuique ciuitati vtiles videntur; adeò proinde, vt ſeu quis in ciuitate ius habeat v. c. in vnam, ſeu in plureis mulieres; id eo iure gentium fulciatur, quo licet vni ſocietati ob certam cauſam condere leges, quibus contrarias condere ob cauſam contrariam alia ciuitas poſſit.

Deinde, ſi ſpectetur Ius, quatenus eſt Lex, videtur non poſſe propriè aliud Ius, quàm quod Ciuile eſt, appellari. Siquidem, alia propriè Lex, quàm ciuilis dicta, non eſt; &
L. 2 ff de leg. ſent. q. c. maximè quidem cùm Lex, definiente Demoſthene, & referente in Pandectis Marciano, ſit πόλεως συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει, *Pactio ciuitatis communis, iuxta quam omneis, viuere, qui in ciuitate ſunt, decet.* Viſum quoque eſt paulò antè
3 Polit. 9. definiri Legem ab Ariſtotele συνθήκην, *Pactionem*; cùm & aliàs dicat Ius legale, ſeu legem
5. Ethic. 10. conſiſtere συνθήκῃ, *pactione*. Ac tametſi ſoleant
L. 1. ff. eo. hanc συνθήκης vocem, Papiniani imitatione, *Sponſionem* vulgò interpretari; id fieri videtur, quia pactio non ſine mutua ſponſione fiat, &
5. Polit. 9. quia, vt ex Lycophrone apud Ariſtotelem adnotauimus, Lex ſit ἐγγυητὴς ἀλλήλοις, *Mutuus ciuium inter ſe ſponſor.* Sic apud ipſum quoque
In Men. Platonem appellatur Lex, πόλεως δόγμα, *Ciuitatis placitum*: & notum eſt, quod populo placet, & ex communi conſenſu vſum obtinet (nempè ſeu ſcriptum ſit, ſeu non ſcriptum, ac moribus ſolùm, conſuetudinéque probatum) legis obtinere vigorem: cùm & tametſi id quoque, quod Principi placuit, legis vigorem habeat, dictum iam ſit, quemadmodum placere ipſi ſimul populo ſit intelligendum. Itaque Lex propriè non eſt, niſi vbi eſt ciuilis, communiſque conſenſus; hoc-
5. Eth. 10. que ipſum eſt, quod Ariſtoteles καὶ τὸ ἁπλῶς δίκαιον, καὶ τὸ πολιτικὸν δίκαιον, *& ſimpliciter Ius, & ciuile Ius* vocat. *Inter illos enim*, inquit, *eſt Ius, quos inter lex eſt; eſt autem inter illos, qui communi vita ſocietate coniuncti ſunt, vt acceſſo-*
Rhet. ad Alex. c. 1. *riis rebus potiantur*: Vnde & fit, vt Legem alicubi ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν *ſimpliciter* definiat: *Orationem*, καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, *communi conſenſu ciuitatis definitam, iubentémque quemadmodum vnumquodque agendum ſit.* Nihil porrò eſt neceſſe admoneam ipſam etiam legem Diuinam (quæ prout ſpectat quoque ad ciueis, haberi poteſt Iuris ciuilis longè nobiliſſima pars) nihil aliud eſſe, quàm initum, Deum inter, & homines, Pactum. Frequens certè
De Iuſtitia. eſt, vt vtraque Lex, tam Vetus ſcilicet, quàm Noua, Fœdus, ſeu Pactum appelletur; nihilque eſt crebriùs in literis Sacris, quàm vt Deus cum hominibus paciſcatur, vt cum
Geneſ. 9. 17. 28. Noacho, cum Abrahamo, cum Iacobo, qui etiam reciprocè ſtipulatus eſt, cùm, Deo his verbis pollicito: *Ecce ero tecum, & cuſtodiam te, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, &c.* excepit: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via hac, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c.* Sed ne alia conſecter, commemoro ſolum pactionem mutuò inter Deum, populúmque initam, cùm fuit Legem Veterem, Moſe intercedente, laturus, Nempe ſic Deus profatus eſt: *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieri-*
Exod. 19. *tis* את בריתי *Pactum meum, eritis mihi quaſi peculium præ omnibus populis*; re autem per Moſen renunciatâ, reſpondit totus Populus, *Cuncta, quæ loquutus eſt Deus, faciemus.* De lege verò Noua vt vaticinium addam, Ieremiæ ver-
Cap 31. ba hæc ſunt: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam cum domo Iſraël, & domo Iuda,* ברית חדשה *Pactum nouum. Non ſecundum Pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: ſed hoc erit Pactum, quod feriam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Sed hoc obiter interſitum eſto. Ex hiſce ergo efficitur, vt nulla propriè ſit lex gentium, neque vllum adeò ius gentium; prout Ius idem eſt, quod Lex: Quippe, quia nullum initum pactum, nulla facta ſponſio inter omneis genteis nationéſve ſit:
10. Eth. 10. Et res conſtare poſſit, vel ex eo quòd, vt Ariſtoteles docet, habere Lex debeat ἀναγκαστικὴν δύναμιν, *cogentem ad parendum vim*, qualis erga omneis vniuersè genteis eſt nulla; ac potiſſimum, cùm, vt idem ait, talem vim nullam habeat lex, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος, *niſi à conſuetudine*, quæ apud diuerſas genteis eſt di-
5 Polit. 8. uerſa. Efficitur quoque, vt nulla, propriè loquendo, ſit Lex Naturæ, nullúmque adeò intercedat naturale Ius inter homines, brutáque animalia (ne de cæteris rebus quidpiam dicam) quatenus nulla mutua pactio, ſponſióve vnquam interceſſit, poteſtve intercedere, quæ pro lege ſit, aut legitimum ius habeatur. Dico autem vtrobique, propriè; quoniam, cum aliunde Lex ſit aliquod *commune Dictamen*, ſeu, vt Papinianus definit, *commune præceptum*; conſtat Rationem, quæ omnibus vniuersè gentibus, quà homines ſunt, competit, quatenus aliquid agendum, vel non agendum veluti dictat; conſtat, in-
Loc. cit. quam, ipſam Rationem, ſeu, mavis, ipſum eius Dictamen, dici poſſe Legem, atque adeò
5. Eth. 10. Ius Gentium, verùm, vt Ariſtoteles ait, καθ'

Digitized by Google

De Iuſtitia. ὁμοιότητα, *ex ſimilitudine* dumtaxat. Ac pari modo, quoniam Naturalis inſtinctus, qui in vnaquaque re ad quidpiam agendum, aut non agendum eſt, veluti quoddam ſpontaneum dictamen; idcirco ipſum quadamtenus Legem Naturalem dicere nihil vetat; vt dum, v. c. feruntur animalia ad ſumendum cibom, ad gignendum prolem, ad deuitandum nocumentum, cæteráque huiuſmodi. Quamquam, magis congruè loquendo, dici poteſt Lex naturalis eſſe in hominibus ſolùm; quatenus cùm Ratio ad eorum naturam attineat, eiúſve præcipua pars ſit; ipſamet Ratio, eiúſve Dictamen idem eſt, quod Dictamen naturæ; ſicque Lex naturæ in ipſis nihil aliud eſt, quàm Rationis Lex, ſiue ipſa Ratio. Spe-

1.Rhet. 13. ctat huc proinde, quod Ariſtoteles, poſtquam Legem in Propriam, Communémque diuiſit, & Propriam eſſe dixit, quam homines inter ſe, ſiue ſcripta ſit, ſiue non ſcripta, definierunt, ſubdit *communem eſſe eam, quæ ſecundum naturam eſt* κοινὸν δὲ τὸ κατὰ φύσιν. *Eſt enim*; inquit, *aliquid, quod eſſe augurantur omnes commune naturâ iuſtum, & iniuſtum* κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη, *tametſi nulla inuicem ſocietas ſit, nulláque pactio.* Subiicit autem non modò illud, quod ex Antigone Sophoclea, circa ius ſepulcri paulò antè retulimus,

Non quippe nunc, herive, ſed ſemper viget;

(& ex quo fit, vt Naturæ Lex dicatur Æter-

1.De leg. na, ac Cicero eandem vocare videatur *antiquiſſimam, & principem rerum Naturam, ad quam leges hominum dirigantur*) ſed ſubiicit quoq; Empedocleum illud de re animata non interficienda, quaſi id non bis quidem iuſtum, illis verò iniuſtum ſit, ac proinde quidpiam veluti indifferens;

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος
Αἰθέρος ἠνεκέως τέτακ), διά τ' ἀπλέτου αὖ γῆς.
Sed Lex cunctorum, quà diffuſiſſimus æther,
Quáque patet tellus ingens, tendatur apertè.

Quo loco, ne fortè mirere id Naturæ legem aliquibus dici, quod aliis lex naturæ non ſit; attendendum eſt hominum iudicia ferri plerumque iuxta id, quod ratio non nuda, ſed affectu quodam, aut more præoccupata demonſtrat. Ita nimirum Empedocles Pythagoricâ doctrinâ imbutus, reputare potuit legem eſſe naturæ carnibus non veſci, neque animalia proinde interficere; cùm aſſuetis tamen vſui carnium lex eſſe naturæ contraria videatur. Quo modo generale eſt, vt quiſque leges patrias, quòd illis innutritus, ſit, pro naturæ legibus ducat, ac illos habeat barbaros, quibus oppoſitæ ſunt in vſu. Ex quo efficitur, vt ad agnoſcendum aliqua-ne lex naturalis ſit, an non ſit, exuere omne præiudicium præoccupationémque oporteat; ac plerumque recurrere non modò ad id, quod omnibus hominibus placet (quaſi non poſſit non-naturale eſſe, quod commune omnibus ſit, & *omni in re conſenſio omnium gentium* videatur, iuxta Ciceronem, *Lex naturæ putanda eſſe*) ſed etiam ad id, quod aliis animali- In pag. 88.

bus; quaſi illis mores, ac inſtituta humanis 1.Tuſc.

ſimilia naturæ inſtinctum non perinde peruerterint; ac in ipſis adeò naturæ dictamen perſeuerauerit incorruptius. Sanè idemmet Cicero *Beſtias* dicit ex Epicuro *eſſe naturæ ſpe-* 2.De fin.

cula; ac iterum: *In beſtiis*, inquit, *vis naturæ* 3.De fin.

inſpici poteſt; quarum in fœtu, & in educatione laborem cùm cernimus, ipſam naturæ vocem audire videmur.

Quia verò, vt Lex Naturalis, ſic Ius Naturale attendi in hominibus potiſſimùm ſolet; ideò vt ſeligantur pauca huiuſce Iuris capita, quæ & haberi totidem quaſi naturæ leges poſſint, adnotanda aliqua ſunt, quæ eſſe omnium hominum maximè communia videantur. Primò itaque communiſſimum, innatúmque adeò omnibus hominibus eſt, vt quod bonum, quod commodum; quod gratum fuerit, proſequantur; quod verò malum, incommodum, ingratúmque refugiant Notum eſt nempè, licet non omnes neque ferantur ad idem bonum, neque auertantur ab eodem malo; vniuersè nihilominùs bonum omnibus appeti, malum omnibus odio eſſe; ac illos, qui malum videntur complecti, illud facere, non quà id eſt malum, ſed quà boni ſpecie apparet; illos qui bonum auerſari, facere non quà bonum eſt, ſed quà mali ſpecie obuelatur. Ex hoc autem capite profluit, vt Benefactores grato affectu proſequantur; Malefactores, eóſve à quibus damnum, aut iniuriam patiuntur; repellant. Videlicet amanti bonum nihil procliuius eſt, quàm boni Autorem amare; quò magis, qui ingrati ſunt, peruerſæ ſunt naturæ habendi; quamquam non tam benefactoris conditionem odiſſe poſſunt, quàm eam, qua ſe teneri putant, agnoſcendi obligationem. Sic etiam odio habenti malum nihil procliuius eſt, quàm malè animari erga inferentem, ac niſi in illum ſæuiatur, facit aut impotentia, aut boni alicuius ſpes, aut mali grauioris formido. Huc autem proinde refertur & filiorum erga Parentes amor, ac reuerentia, ob vitam, ob educationem, ob alia accepta, aut ſperata bona; Huc erga amicos, patronos, viros principes, ac vniuersè erga omneis, qui benevolentiam, beneficentiámque teſtantur, dilectio, atque veneratio; Huc, quæ eſt apud omneis genteis Religio, & cultus alicuius Numinis; quòd apud omneis opinio vigeat à ſecreta quadam, ac diuina vi, bona maxima diſpenſari. Sic & viciſſim huc pertinent rixæ, bella, exſecrationes, quæ ſunt ex illatis, ac repulſis malis.

Secundò, vt quiſque ſe amet, pluſquàm cæteros, ſeu vt ſibi benè, quàm alteri malit. Quippe tametſi forſan non nulli populares id inficientur; conſtare tamen facilè poteſt verum fateri volentibus, quicumque ſe

aliquo

Digitized by Google

In pag. 88. aliquo bono, quo aliis gratificentur; priuant, experiri illos ſenſu tacito ſe id facere, vt exinde bonum aliquod conſequantur, quod niſi aliud ſit, ſaltem fama ſit, ſaltem bene-facti conſcientia, quæ bonum quoddam ingens eſt. Vulgare eſt, quod dicitur, Quemque charitatem benè ordinatam à ſeipſo incipere; neque id profectò iniuriâ. Nam ſi quiſque liberos ſuos, pluſquàm cæteros conſanguineos, amet; ſi iſtos magis, quàm alios ciueis; ſi ciueis, magis quàm externos; quod liberi coniunctiores ſint, quàm conſanguinei cæteri; hi, quàm alij ciues; ciues, quàm externi: quid ni, cùm habeat ſeipſum ſibi coniunctiorem, quàm liberos, magis adhuc ſe, quàm liberos amet? Ac non neſcio quidem vehementem erga liberos parentum amorem; quippè cùm ſe illorum ergò tam variis malis periculis, morti quoque ipſi exponant, verùm quatenus ad ſeipſos, dum hæc peragunt, parentes reſpiciant, declaratum iam antè eſt, tùm oſtendendo quî naturalis *ἡ στοργὴ πρὸς τὰ τέκνα*, *ardor erga liberos* ſit; tùm interpretando & Torquati factum, qui filium ſuum morte multauit; & eorum mortem, qui pro patria, próque amicis ipſam obeunt: Quò ma-
1. De leg. gis verendum non eſt, ne (quod Cicero timet) amicitiæ nomen occidat, quaſi *eius ſit vis, vt ſimulátque ſibi aliquid quàm alteri maluerit, nulla ſit*; nam dum Pylades pro Oreſte, Oreſtes pro Pylade mori præfert; id fit quoniam alter mavult ſibi, quàm alteri, ipſam pro amico moriendi lætitiam, & gloriam. Ex hoc porrò capite eſt, vt eſſe maximè ſecundùm naturam videatur Benefacere, quatenus quiſquis benefacit, cum ſuo emolumento facit (aut certè facere ſe putat) quippe niſi ſe beneficium commutare reputet, cum opibus, cum protectione, cum obſequio, & ſimilibus; at ſaltem, vt dixi, cum fama, hoc eſt, cum nomine liberalis, benefici, magnifici, quod maioris, quàm beneficentium à ſe collatum æſtimet; aut demùm cum ipſa benefacti conſcientia, cuius inæſtimabile, ac incomparabile pretium habeat. Sanè & ex hac adiuncta eſt, cur ſit maximè ſecundùm naturam, vt quicquid ſine proprio detrimento commodari poteſt, id cuique, vel ignoto tribuatur; vt Erranti viam monſtrare; lapſum erigere, aqua profluente non prohibere; pati ab igne ignem capere; ſi quis velit, conſilium fidele deliberanti dare; & ſimilia, quæ, vt Ci-
1. Offic. cero loquitur, *Sunt iis vtilia, qui accipiunt, danti non moleſta.*

Tertiò, vt vitam producere, & membrorum, ac ſenſuum, facultatúmque omnium integritatem, ac vſum liberum quiſque velit. Etenim licèt aliqui ſint, qui præmaturam oppetant mortem, non tamen vitam peroſi id faciunt, ſed vel ob dolorem, aut infamiam, quam intolerabilem ducant; vel ob meliorem vitam, aut nominis famam, quâ ſint ſuper aſtra, vt Poëta loquitur, victuri. Et verum eſt quidem parentem naturam iuxta naſcendi conditionem, mortem cuique præſcribere; at ſimul tamen vnicuique eius horrorem ingenerat, vt vitæ curam ſtudioſè gerat, nec priuſquàm ipſa renocet, ab illa diſcedat. *De Iuſtitia.* Nempè dum non aliquis caſus, aut noſtra dementia, ſed ipſa eſt natura, quæ ad mortem nos vocat, putà dum decrepiti ſumus; tunc veluti repueraſcentes, vix magis inuiti dimittimus, quàm neſcij accepimus vitam. Pertinent porrò ad hoc caput præcipuæ illæ cibi, & potus, ac venereorum cupiditates; ſiquidem natura ipſas inſerit, tùm, vt quiſque ſe, vitámque tueatur; tùm, vt genus ſuum propagatione perpetuum faciat. Húcque proinde attinet maris, fœminæque coniunctio, quam licet nonnulli auerſari videantur, non tam illius tamen odio, aut præ appetitus priuatione ipſam refugiunt, quàm refugiunt ducti alicuius vel commodi ſpe, vel incommodi metu. Attinet &, quæ ſequitur, tùm liberorum procreatio (ad hunc enim finem natura coniunctionem inſtituit) tùm eorundem amor; quia nimirum proles parentum pars, imago, ſpes magna eſt: tùm educatio; quippe natura illius ſtudium, imò ſollicitudinem ad ſuum illum finem congenuit: alioquin enim quî eſſe poſſet aut conſeruatio indiuidui, aut propagatio generis, aut quid omnino tandem prodeſſet, produxiſſe liberos, ſi in tanta imbecillitate neglectui parentibus forent? Attinet quoque dolor, luctúſque, qui ex liberorum interitu, orbitatéque conſequuntur.

Qvartò denique, vt ſociabiles ſint, ſeu vt in ſocietate degant. Siquidem licet nonnulli ſint, qui ſolitudinem appetant, & *μισάνθρωποι hominum oſores* vocentur; non illi nihilominus ſocietatem omnem, ſed incongruam ſolùm oderunt; Vnde & eſt illud in Prouerbiis *ἧλιξ ἥλικα τέρπει*, *Æqualis æqualem delectat*, ſiue, vt habet Cicero, *Pares cum paribus facillimè congregantur.* *In Cat. Mai.* Cauſam porrò cur homines ſint ſocietatis appetentes, diximus iam antè mutuàm indigentiam quam machinata natura ſit. Et certè ipſa quoque ſocietatum prima, quæ in coniugio eſt, ex eo ortum habet, quòd mas, fœmináque, ad ſuam illam cupiditatem explendam, ſe mutuò indigeant. Præterea autem, quod Cicero obſeruat: *Proximam ſocietatem eſſe in libris; deinde vnam domum, communia omnia; idque eſſe principium vrbis, & quaſi ſeminarium Reipublicæ. Sequi fratrum coniunctiones; Pòſt conſobrinorum, ſobrinorúmque, qui cum vna domo iam capi non poſſint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequi connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui: hanc propagationem, & ſobolem originem eſſe Rerumpublicarum; ſanguinis coniunctionem, & beneuolentiam deuincere caritate homines; magnum eſſe enim eadem habere monumenta maiorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia: Omnium ſocietatum nullam præ-* 1. Offic.

ſtantiorem

De Iuſtitia. *ſtantiorem eſſe, nullam firmiorem, quàm cùm viri boni moribus ſimiles ſunt familiaritate coniuncti: Magnam etiam illam communitatem eſſe, quæ conficitur ex beneficiis vltrò, citróque datis, acceptiſque, quæ mutua, & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma deuinciuntur ſocietate: Denique, cùm omnia ratione luſtrâris, omnium ſocietatum nullam eſſe gratiorem, nullam cariorem, quàm eam, quæ cum Republica eſt, vnicuique noſtrum; caros eſſe parentes, caros liberos, propinquos, familiareis; ſed omnes omnium caritates Patriam vnam complexam eſſe.* Præterea hæc, inquam, ac repeto ſolùm, quod iam antè adnotatum eſt, cùm leges, quæ ad ſocietatem ciuilem ſanciendam ſtatuuntur, in vtilitatem communem, communéve bonum ferantur; idcirco tam eſſe ſecundum naturam, vt quiſque tueatur, neque infringat ſocietatis leges, quàm vt amet commune bonum, quo intelligit contineri ſuum. Meritò verò quaſi prima ſecundum naturam habetur lex illa, QVOD *tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; quippe ea vna omneis leges ſocietatis ſic continet, vt nemo violet alienum ius, niſi quia legem hanc violat; vtque ipſa proinde ſola haberi poſſit pro regula omnium omnino, quæ ad alterum referuntur, humanarum actionum. Nimirùm, cùm quiſque ius ſuum ſic velit ſibi incolume, vt violari ipſum ab aliis nolit; debet ipſe idem dumtaxat cogitare de aliis, ac ſe eorum habere loco, vt quid ſibi faciendum ſit, aut non faciendum intelligat. Hinc fit, vt cùm nihil magis præſtò, quàm ſua cuique conſcientia ſit, poſſit quiſque ſibi eſſe optimus, præſentiſſimúſque conſultor; adeò vt qui externum quærit, is eſſe videatur, non qui facere alij nolit, quod nollet ſibi fieri, ſed qui non auſit facere, niſi habeat Authorem, in quem culpam coniiciat. Vnde & præclarè Cicero: *Benè*, inquit, *præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ.* Ac rurſùs: *Si quis*, inquit, *voluerit animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe doceat, eum virum; bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit; noceat nemini, niſi laceſſitus iniuriâ.* Et iterùm: *Explica, atque excute intelligentiam tuam; vt videas, quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio viri boni.*

1. Offic.

3. Offic.

Verùm hæc dicta denique ſunto, vt poſſimus quadamtenus de Iure naturali, gentium, & ciuili citra æquiuocationem loqui, ac vniuersè coniicere quid ſit, & vnde oriatur Ius, quod in Iuſtitiæ definitione adnotauimus contineri. Nunc, quod ſupereſt, vt paucis dicamus: Cùm non in ſtatu illo ferino, ſiue puræ naturæ ſimus; ſed degamus in Societate, quæ propter agnitam maiorem vtilitatem cœperit, manifeſtum eſt ex iam dictis, vnicuique competere non indiſcriminatim in omnia, ſed in aliqua ſolùm ius; ac iura ita eſſe diſtincta, vt dicere liceat iſtud eſſe Meum, illud Tuum, aliud Alterius. Manifeſtum quoque eſt finem Societatis eſſe in eo, vt cuique ſuo iure frui, abſque impedimento liceat; ac ſapienter prouiſum eſſe de ſuprema quadam, coërcentéque poteſtate, quæ operam det, ne in ſtatum illum redeatur (dum ſcilicet ſtatim corrigit, ac punit, ſi quis ſuo iure non contentus in alienùm inuolet) ac ſimul, quantum quidem licet, ipſum ius alienum violatum reſtituat. Et quatenus quidem talem poteſtatem aut in Populo, aut in Optimatibus, aut in Principe, aut in delegatis, ab ipſis, Magiſtratibus eſſe contingat, non repeto: Obſeruo dumtaxat, quia debet in illis conſtans, & perpetua voluntas tribuendi (hoc eſt conſeruandi, atque reponendi) ſuum cuique ius, reperiri; adeò reſidere in ipſis Publicam, communémve Iuſtitiam; quaſi tutricem, ac vindicem iuris cuiuſque ſingularis. Obſeruo, inquam, vt ſimul innuam eſſe huiuſmodi Iuſtitiam veluti ſubſidiariam, ac ſubſtitutam in eius locum, quæ eſſe in vnoquoque ſingularis deberet; quæque, ſi in omnibus foret, hoc eſt, ſi vnuſquiſque, vt ſuo frui iure vult, ita quemque alium ſuo frui vellet, ac pateretur; perſpicuum eſt inutilem, ac ſuperuacaneam publicam illam fore. Vnde & reputandum eſt, debere primariò Iuſtitiam reſidere in vnoquoque ſingulari homine, & publicam excogitatam, inſtitutámque ſolum eſſe in illorum infamiam, qui quam ſingularem in ſe habere deberent, ac tueri, nolunt; & non tam ipſam reuerentur, aut amant, quàm vindicem illam exſecrantur, ac metuunt. Præclarè profectò literæ ſacræ docent, *Non eſſe iuſte poſitam legem*; quia ſcilicet vir verè iuſtus, non ob intentatas à legibus pœnas, quas exacturus Magiſtratus ſit, ſed ipſiuſmet Iuſtitiæ amore, reuerentiáque ipſam colit; & legibus etiam, magiſtratibúſque ſublatis, perinde prorsùs culturus eſt. Nec verò non laudabilis Epicurus, cùm apud Stobæum: Οἱ νόμοι, inquit, χάριν τῶν σοφῶν κεῖνται, οὐχ' ἵνα μὴ ἀδικῶσιν, ἀλλ' ἵνα μὴ ἀδικῶνται, *Poſita ſunt leges in Sapientum gratiam; non ſanè ne iniuſtè agant, verùm ne iniuſtè in ipſos agatur.* Nimirùm, quod aliis quidem, at non ipſis ſapientibus ad iuſtè agendum neceſſariæ ſint leges. Iure etiam, proinde laudatur tùm illud Menandri,

In pag. 88.

1. Tim. 1.

Serm. 48.

Δίκαιος ἂν ᾖς, τῷ τρόπῳ χρῶ σῷ νόμῳ,
Si iuſtus es, pro legibus mores erunt;

Ap. Stob. Serm. 9.

Tùm Ariſtotelis reſponſum, qui cùm, referente Laërtio, ex eo quæreretur, quid ex Philoſophia, ſeu ſapientiæ ſtudio retuliſſet emolumenti: *Hoc*, inquit, *vt iniuſſus agam, quæ alij non-niſi legum metu agunt.* Cúmque tritum illud ex Horatio occurrat, Nihil eſſe faciendum *formidine pœnæ*, intelligi licet pœnas, & ſupplicia eſſe aduerſus malos, ſonteíſve inſtituta, non, vt ipſi dumtaxat pereant, ſed etiam vt alios pereundo deterreant. Id adnotauit Seneca, & poſt ipſum Lactantius Platonem citando

Lib. 5.

1. Epiſt.

De Ira, vlt.

In pag. 88. De ira Dei, c. 18. Lib. 12.

citando Authorem, iuxta quem *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur.* Exſtat porrò Platonis locus non modò in ipſo de Legibus opere, ſed etiam in Gorgia, vbi decere ait: *Omnem pœnas debitas dantem, aut meliorem fieri, hancque vtilitatem ex iis capere; aut exemplo cæteris eſſe, vt ea, quæ patitur, contuentes, meliores præ metu euadant*: ac ſpecialiùs quoque in Protagora; vbi illius verba ſunt: *Nemo iniuſtos afficit pœnis, ad hoc attendens, & ob id præcisè, quod quis iniuſtè egerit; niſi fortaſſis tanquam fera, & præter rationem id faciat: Verùm qui ratione punire aggreditur, non præteriti ſceleris causâ punit, (neque enim poteſt, vt quod factum eſt, infectum euadat, præſtare) ſed in futurum proſpicit; ne ſcilicet rursùs aut idem, aut alius, qui ipſum pœnas dantem viderit, delinquat.*

Non poteſt verò interim is, qui ſingularem illam Iuſtitiam aut non tuetur, aut ſolo metu vindicantis non violat, excuſationem obtendere, quòd ius alteri competens ignoret; quippe, cùm adeò facilè nôrit, quid iuris ſibi competat, reputare debet, quod ad ſe non ſpectat, id eſſe alienum. Eſſe autem facile cuique, quodnam, & in quæ ius habeat, pernoſſe; id ipſum natura, lex, vſus inſinuat. Nam quod ad ipſum quidem corpus attinet, nemo non nouit duce naturâ, habere ſe ius vtendi ſuis membris, ſenſuúmque, & aliis facultatibus; niſi quid fortè prohibeant leges, quæ vel promulgatione, vel ipſo vſu manifeſtantur, vt ſunt, quæ ſpectant ad decorum, cæteræque conſimiles. Quod verò ad bona externa, nemo non nouit ſuum ius ad vtendum rebus in commune poſitis, vt aëre, Sole, & publicis aquis, viis, fanis, &c. in quibus etiam, ſi quid leges vetant, aut ex ipſiſmet, aut ex vſu perſpectum eſt. Itémque ad vtendum rebus priuatis, ſeu propriis; ſcit videlicet, vt ad ſe pertineant, aut hæreditate, aut emptione, aut permutatione, aut donatione, aut pactione, aut occupatione (cùm ſcilicet nullius forent, vel ex rebus communibus) aut præſcriptione, aut victoriâ, aut aliis, qui lege, vel vſu familiares ſunt, titulis, ac modis. Quare & non abs re tritum illud eſt, *Ignorantia Iuris neminem excuſat.* Quaſi nempe nemo ignoret ius ſuum, & ex ipſa ſui negatione, alienum; aut certè, ſi vel quicquam hæreat, vel controuerſia ipſi fiat, quâ quid iuris habeat, vertatur in dubium; adire poſſit ſapienteis viros, qui ob naturæ, legum, vſúſque peritiam reſpondere de Iure ſolent, Iuriſconſultique proinde dicuntur, vt ab iis ſuum ius doceatur, dubitationémque deponat; & ignorantiam exuat. Atque hæc quidem locum potiſſimùm habent in ſingulari quoque ciue cum cæteris communicante, vt ſciat nimirùm, quid iure poſſideat, & ſuo contentus, alienum non inuadat, aut, ſi fortè inuaſerit, ſicque iniuriam fecerit, nôrit quantum ſibi alieni arrogârit, quò tantundem reſtituat, factámque iniuriam reſarciat. Potiſſimùm, inquam, nam ſi aliunde eo loco ſit, vt præſit quaſi arbiter diſtribuendis in plureis communibus bonis, aut etiam, ſit is, in quo publica, vindéxque Iuſtitia reſideat; tùm pernoſſe diſtinctè debet, non modò quid iuris ſibi competat, hoc eſt, vndequam, quatenus adiudicandi hæc, aut illa, aut iuris dicendi poteſtatem habeat; verùm etiam ſpecialia iura, ſiue merita ſingulorum, quibus tenetur aliquid commune diſtribuere; aut quid quiſque iuris in res controuerſas obtineat, vt illas congruè adiudicet; quid in res iniuriâ ablatas, vt mulctâ congrua illas compenſet; faciátque etiam ſatis Reipublicæ in maleficis congruâ pœnâ plectendis. Nempè, ſi ſecùs faciat, hoc eſt, niſi iuſtitiam congruè iuribus adminiſtret, ipſemet de damno tenetur, cùm iniuriam ipſemet faciat (ſuo putà iure eum, cuius eſt, priuans) neque ignorantiam (vt priuati poſſunt) prætendere valeat; cùm ſi vel iura neſciat, vel à conſultis non prædiſcat, iudicandi munus obire non debeat. De Iuſtitia.

Ad rem vt redeam, par eſt vnumquemque ſic eſſe affectum, vt ſponte, ac volens nihil contra finem ſocietatis peccet; hoc eſt, vt ſingularem illam, ſeu in ſeipſo iuſtitiam colens, tam velit alteri ius ipſius, quàm ſuum ſibi integrum eſſe. Nempè non aliâ conditione in ſocietatem admittitur, aut in ipſa naſcitur, inque ea toleratur, quàm fide aut expreſsè, aut tacitè præſtitâ, de ſeruandis legibus, eo fine latis, vt cuique ſuo iure frui liceat; adeò vt, ſine violatione datæ fidei, violare ius alienum non poſſit. Quin-etiam, cùm finis Societatis ſit deſcripta antè vtilitas, intelligere debet ſuam communi illa ſic contineri, vt verè ac tutò ipſam conſequatur, ſi communis conſtiterit; non poſſe autem hanc aliâ ratione conſiſtere, quàm ſi ſuo iure quiſque contentus, non quæſierit ſuam ex iuris alieni detrimento vtilitatem. Id Cicero 3. Offic. non modò obſeruat, dum *Si*, inquit, *ſic erimus affecti, vt propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundùm naturam, humani generis ſocietatem*: ſed præclara etiam ſimilitudine ob oculos ponit: *Vt enim*, inquit, *ſi vnumquodque membrum ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſt; ſic ſi vnuſquiſque noſtrûm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahátque quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratiâ, ſocietas hominum, communitáſque euertatur neceſſe eſt.* Pergit: *Nam ſibi vt quiſque malit, quod ad vſum vitæ pertineat, quàm alteri acquirere conceſſum eſt* (id verò eſt, quod paulò antè de ſecundo capite Iuris naturalis eſt dictum) *illud natura non patitur, vt aliorum ſpoliis noſtras facultates augeamus*: Nempè, vt aliàs quoque ait: *Non rei familiaris amplificatio* Lib. 2.

nemini nocens, vituperanda; ſed fugienda ſemper iniuria eſt. Et rurſùs: *Nec noſtra nobis vtilitates omittendæ ſunt; ſed ſuæ cuique vtilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt.* Subiungit autem: *Scitè Chryſippus, vt multa: Qui ſtadium*, inquit, *currit, eniti, & contendere debet, quam maximè poſſit, vt vincat: ſupplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere nullo modo debet; ſic in vita ſibi quemque petere, quod ad vſum pertineat, non iniquum eſt, alteri autem ſurripere, ius non eſt.* Sed modum vt faciam, prætereo quæ plura, eximiáque habet, vt probet illam formulam, *DETRAHERE aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam quam mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* Hoc adnoto ſolùm, quod refert teſtati ſæpè Panætium: *Nihil eſſe vtile, quod non idem honeſtum; neque honeſtum, quod non idem vtile ſit*; negaréque *vllam peſtem maiorem in vitam hominum inuaſiſſe, quàm eorum opinionem, qui ita diſtraxerint*; id congruere cum eo, quod ſcribit aliàs (& Clemens ex Cleanthe confirmat)

2. Strom. 1. De leg. Socratem *exſecrari ſolitum eum, qui primus vtilitatem à natura ſeiunxiſſet: id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium.* Quippe, vt ille cum honeſtate, ita hic cum natura coniunctam voluit vtilitatem, quæ vera, germanáque ſit, non quæ fucata, ac ſpuria, quam vt Panætius cum honeſtate, ita cum natura pugnare cenſuit Socrates. Neque enim natura quod fictum, ſed quod verum eſt, appetit; vt cibum non pictum, ſed verum. Prorsùs, vt vera vtilitas æquè cum natura, cúmque honeſtate cohæreat, & fucata æquè vtrique repugnet. Itaque vterque iure querebatur inuaſiſſe in vitam opinionem illam, quæ ab honeſtate, ac naturâ vtilitatem ſeparans, fucatam ſolam ſtabilit, adeò vt, cùm homines omnes vtilitatem adament, fucata potiùs quàm germana quæratur. Hic porrò fons eſt omnis Iniuſtitiæ;

3. Offic. nam vt ille habet: *Hinc ſica, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur, hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptionéſque ſociorum, & ciuium; hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ; poſtremò etiam in liberis ciuitatibus exſiſtunt regnandi cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident; pœnam, non dico legum, quas ſæpè perrumpunt, ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident.* Quibus poſtremis verbis declarat vtilitatem eſſe non poſſe, quæ tantâ iacturâ paratur, quanta eſt mentis ſibi benè conſciæ, ſinceræ, tranquillæ, ſuauitate mira perfuſæ; neque enim vllæ ſunt opes, vlli honores, vlla imperia, quæ eius iacturam compenſare valeant; quæ poſſint, aut debeant cum ea comparari. Partem huiuſce iacturæ facit, quod amittitur viri boni, æquitatémque amantis, nomen; viri, inquam, digni, vt tritum vetuſtate prouerbium eſt: *Quîcum mices in tenebris*, viri, cui non nemo arcanum committat, depoſitum credat, filios commendet, &c. *Eſt ergo vlla res*, inquit idem, *tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni ſplendorem, & nomen amittas? Quid eſt, quod afferre tantum vtilitas iſta, quæ dicitur, poſſit, quantum auferre, ſi boni viri nomen eripuerit; fidem, iuſtitiámque detraxerit?* Declamat ſubinde aduerſus Cæſarem, quærítque, *qui videri poſſit cuiquam eſſe vtile, fœdiſſimum & teterrimum parricidium patriæ?* Et, *Qui exercitu*, inquit, *populi Romani ipſum populum Romanum oppreſſiſſet, ciuitatémque non modò liberam, ſed etiam gentibus imperantem ſeruire ſibi coëgiſſet; hunc tu quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe, quæ vulnera?* Generalius autem, quòd vulgò nulla haberi maior, quàm regnandi vtilitas ſoleat: *Nihil contrà*, inquit, *inutilius ei, qui iniuſtè conſequutus ſit, inuenio, cùm ad veritatem cœpi reuocare rationem. Poſſunt enim cuiquam eſſe vtiles angores, ſollicitudines, diurni, & nocturni metus; vita inſidiarum, periculorúmque pleniſſima? Cuius autem vita ipſi poteſt vtilis eſſe; cùm eius vita ea conditio ſit, vt qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria?* Sed nimirum, cùm nihil ſit verius, quàm quod dictum ab Epicuro, referetur poſteriùs inter Ratas ſententias: *Eſſe* ſcilicet *virum iuſtum omnium maximè perturbationis immunem; iniuſtum ex oppoſito perturbationis pleniſſimum*; longè eſt profectò, vt vera, germanáque vtilitas eſſe ſeiuncta à Iuſtitia, eſſe coniuncta cum Iniuſtitia poſſit. In pag. 88.

Quia verò poſſunt tempora, occaſionéſque incidere; in quibus quæ vtilitas cum alieno eſt damno, non repugnare neque honeſtati, neque naturæ, neque ipſi adeò iuſtitiæ videatur; eapropter tacendum non eſt, quod poſſit meliùs à nemine, quàm à Cicerone ipſo declarari. Et quoniam poteſt vtilitas non modò priuata cuiuſque attendi, verùm etiam quæ amicorum, quæ Parentum, quæ Patriæ, carior eſſe cuique, quàm priuata debeat; ſeligenda primùm quædam ſunt ex iis, quæ circa hanc triplicem habet. Quod attinet ergo ad Amicos; ecce, poſtquàm illa præmiſit: *Maximè autem perturbantur officia in amicitiis; quibus & non tribuere, quod rectè poſſis, & tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt*; ſubiungit: *Sed huius generis totius, breue, & non difficile præceptum eſt. Quæ enim videntur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates, cætera generis eiuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. At neque contra Rempublicam neque contra iuſiurandum, ac fidem amici cauſâ vir bonus faciet; ne ſi iudex quidem erit, de ipſo amico: Ponit enim perſonam amici, cùm induit iudicis. Tantum dabit amicitiæ, vt veram amici cauſam eſſe malit, & vt orandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cùm verò iurato dicenda ſententia ſit, meminerit, Deum ſe adhibere teſtem; id eſt, vt arbitror mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius. Itaque præclarè à maioribus accepimus morem rogandi iudicis,* 3 Offic.

In pag. 88. *eis, ſi eum teneremus*, Qvæ *ſalua fide facere poſſit. Hac rogatio ad ea pertinet, qua paulò antè dixi honeſtè amico à iudice poſſe concedi. Nam ſi omnia facienda ſunt, qua amici velint, non amicitia tales, ſed coniurationes putanda ſunt. Loquor autem de communibus amicitiis; nam in ſapientibus viris, atque perfectis, nihil poteſt eſſe tale.* Ac tùm relato celebri Damonis, Phintiæque exemplo: *Cùm igitur*, inquit, *id quod vtile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur; iaceat vtilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Cùm autem in amicitia, qua honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio, & fides anteponatur amicitia: & ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officij.* Ad Parentes verò quod ſpectat; inter agitandum quæſtiones ab Hecatone propoſitas, hæc habet: *Quid, ſi Pater ſana expilet, cuniculos agat in ærarium: indicét-ne id Magiſtratibus filius? Nefas id quidem eſt: quin-etiam defendat Patrem, ſi arguatur. Non igitur Patria praſtabit omnibus officiis? Imò verò ipſi patria conducit pios ciueis habere in parentes. Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater: ſilebit-ne filius? Imò verò obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit; minabitur etiam; ad extremum, ſi ad perniciem patria res ſpectabit, patria ſalutem anteponet ſaluti patris.* Quod denique ad ipſam Patriam: *Illa praclara*, inquit, *in quibus publica vtilitatis ſpecies pra honeſtate contemnitur. Plena eſt exemplorum noſtra Reſpublica.* Et infrà: *Cùm Rex Pyrrhus Populo Romano bellum vltrò intuliſſet, cúmque de imperio certamen eſſet cum Rege generoſo, ac potente, perfuga ab eo venit in caſtra Fabricij, eique eſt pollicitus, ſi pramium ſibi propoſuiſſet, ſe, vt clam veniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum: idque eius factum à Senatu laudatum eſt. Atqui, ſi ſpeciem vtilitatis; opinionémque quarimus, magnum illud bellum perfuga vnus, & grauem aduerſarium imperij ſuſtuliſſet: Sed magnum dedecus, & flagitium, quîcum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. Vtrum igitur vtilius vel Fabricio, qui talis in hac vrbe, qualis Ariſtides Athenis fuit; vel Senatui noſtro, qui nunquam vtilitatem à dignitate ſeiunxit, armis cum hoſte certare, an venenis? Si gloria cauſa imperium expetendum eſt; ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria: ſin ipſa opes expetuntur quoquo modo; non poterunt vtiles eſſe cum infamia.* Ac ſtatim: *Quouſque audebunt dicere quidquam vtile, quod non honeſtum? Poteſt autem vlli imperio, quod gloriâ debet fultum eſſe, & beneuolentiâ ſociorum, vtile eſſe odium, & infamia? Ego etiam cum Catone meo ſapè diſſenſi: nimis enim mihi videbatur præfractè ærarium, vectigaliáque defendere; omnia publicanis negare, multa ſociis; cùm in hos benefici eſſe deberemus, cum illis ſic agere, vt cum colonis noſtris ſoleremus: eoque magis, quòd illa ordinum coniunctio ad ſalutem Reſpublica pertinebat. Malè etiam Curio, cum cauſam Tranſpadanorum aquam eſſe dicebat, ſemper autem addebat, Vincat vtilitas. Potiùs diceret, &c.* Ac ne ſolos Romanos commendare videatur; en quid de Athenienſibus apud quos Ariſtidem cum Fabricio mox comparauit. *Themiſtocles*, inquit, *poſt victoriam eius belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione ſe habere conſilium Reipublica ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe: poſtulauit, vt aliquem populus daret, quicum communicaret: datus eſt Ariſtides. Huic ille claſſem Lacedamoniorum, qua ſubducta eſſet ad Gytheum clam incendi poſſe: quo facto, frangi Lacedamoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cùm audiſſet, in concionem magna expectatione venit, dixitque perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed minimè honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne vtile quidem putauerunt; totamque eam rem, quam ne audiuerant quidem, Authore Ariſtide, repudiauerunt. Meliùs hi, quàm nos, qui piratas immuneis, ſocios vectigaleis habemus.* Concludit; *Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquam eſſe vtile; ne tùm quidem, cùm id, quod eſſe vtile putes, adipiſcare: hoc enim ipſum vtile putare, calamitoſum eſt.* De iuſtitia.

Deinde, quod magis ad propriam vtilitatem attineat; quia eſſe difficultas poteſt, quid in extrema egeſtate, neceſſitatéve, quid citra ipsã agendũ ſit, en de priore caſu quid habeat. *Forſitan quiſpiam dixerit; Nonne igitur ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri homini ad nullam rem vtili? Minimè verò: Non enim mihi eſt vita mea vtilior, quàm animi talis affectio, neminem vt violem commodi mei gratiâ. Quid? ſi Phalarim crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poſſit, nonne faciet? Hac ad iudicandum ſunt facillima. Nam ſi quid ab homine ad nullam partem vtili tua vtilitatis cauſa detraxeris, inhumanè feceris, contráque natura legem. Sin autem is tu ſis, qui multam vtilitatem Reipublica atque hominum ſocietati, ſi in vita remaneas, afferre poſſis; ſi quid ob eam cauſam alteri detraxeris, non ſit reprehendendum: Sin autem id non ſit eiuſmodi; ſuum cuique incommodum ferendum eſt potiùs, quàm de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid huiuſmodi, quàm detractio, aut appetitio alieni: Sed communis vtilitatis derelictio contra naturam eſt; eſt enim iniuſta. Itaque lex ipſa natura, qua vtilitatem hominum conſeruat, & continet, decernit profectò, vt ab homine inerti, atque inutili, ad ſapientem, bonum, fortémque virum transferantur res ad viuendum neceſſaria, qui ſi occiderit, multum de communi vtilitate detraxerit: Modò hoc ita faciat, vt ne ipſe de ſe benè exiſtimans, ſeſeque diligens, hanc cauſam habeat ad iniuriam. Ita ſemper officio fungetur, vtilitati conſulens hominum, & ei, quam ſapè commemoro, humana ſocietati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium eſt: nulla enim, &c.* Et poſteà inter Hecatonis quæſtiones: *Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebit-ne eam ſapiens, ſi potuerit? Negat, quia ſit iniurium. Quid? Dominus nauis,*

De iuſtitia. *eripiet-ne ſuum? Minimè: non plus quàm ſi nauigantem in alto eiicere de naui velit, quia ſua non ſit. Quoad enim peruentum ſit eò, quò ſumpta nauis eſt, non domini eſt nauis, ſed nauigantium. Quid, ſi vna tabula ſit, duo naufragi, hique ſapientes; ſibi-ne vterque rapiat, an alter cedat alteri? Cedat verò; ſed ei, cuius magis interſit vel ſuâ, vel Reipublicæ cauſâ viuere. Quid, ſi hæc paria in vtroque? Nullum erit certamen; ſed quaſi ſorte, aut micando victus alteri cedat alter.*

De poſteriore autem caſu, & qui in ipſo vitæ commercio præſertim occurrit: Præclarum eſt primùm, quòd non ſemel commendat, ac pro aureis habet illas formulas: *VT inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione.* Et, *VTI ne propter te, fidémve tuam captus, fraudatúſve ſiem.* Itémque, quòd commemorata Hortorum emptione, ad quam Canius eques Romanus Pythij argentarij Syracuſani fraude inductus ſtomachabatur (nempè, quòd nullam ante eos piſcationem fieri deprehenderet, qualem Pythius fieri, conductis piſcatoribus ſimulârat:) *Quid faceret*, inquit, *nondum enim Aquilius collega, & familiaris meus protulerat de dolo malo formulas; in quibus ipſis, cùm ex eo quæreretur, quid eſſet Dolus malus; reſpondebat: Cùm eſſet aliud ſimulatum, aliud actum.* Deinde illud quoque, quod ſpeciatim habet circa Quæſtiones aliquas, ex quibus vnam, alterámve ſeligere non ſit importunum: *Si*, inquit, *vir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit in Rhodiorum inopia, & fame, ſummáque annonæ caritate: ſi idem ſciat complureis mercatores ab Alexandria ſoluiſſe, nauéiſque in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum viderit; dicturúſ-ne ſit id Rhodiis; an ſilentio ſuum quàm plurimo venditurus? Sapientem, & bonum virum fingimus; de eius deliberatione, & conſultatione quærimus; qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe iudicet; ſed dubitet, an turpe non ſit. In huiuſmodi cauſis, aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno, & graui Stoico; aliud Antipatro diſcipulo eius, homini acutiſſimo. Antipatro omnia patefacienda, vt ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus iure ciuili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere; cætera ſine inſidiis agere; & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere. Aduexi, expoſui, vendo meum non pluris, quàm cæteri; fortaſſe etiam minoris, cùm maior eſt copia. Cui fit iniuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. Quid ais? Tute, cùm hominibus conſulere debeas, & ſeruire humanæ ſocietati, eâque lege natus ſis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ ſemper ſequi debeas, vt vtilitas tua communis vtilitas ſit; viciſſimque communis vtilitas tua ſit; celabis homines, quid iis adſit commoditatis, & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic: Aliud eſt celare, aliud tacere; neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico, quæ natura Deorum ſit, quis ſit finis bonorum, quæ tibi plus prodeſſent cognita, quàm tritici vilitas: ſed non quicquid tibi audire vtile* In pag. 88. *eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Immò verò*, inquiet ille, *neceſſe eſt, ſiquidem meminiſti eſſe inter homines naturâ coniunctam ſocietatem. Memini*, inquiet ille; *ſed num iſta ſocietas talis eſt, vt nihil ſuum cuiuſque ſit? Quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.* Ac ſtatim: *Vendat ædeis vir bonus, propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur in omnibus cubiculis apparere ſerpenteis; malè materiatæ, ruinoſæ; ſed hoc, præter dominum, nemo ſciat. Quæro, ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ædeiſque vendiderit pluris multò, quàm ſe venditurum putarit, num id iniuſtè, aut improbè fecerit? Ille verò*, inquit Antipater, *improbè facit. Quid enim eſt aliud Erranti viam non monſtrare (quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt) ſi hoc non eſt, emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt, quàm viam non monſtrare; nam eſt ſcientem in errorem alterum inducere.* Diogenes contrà: *Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem eſt? Ille, quod non placebat, proſcripſit; tu, quod placebat, emiſti. Quod ſi qui proſcribunt villam bonam, benéque ædificatam, non exiſtimantur feſelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione; multò minùs qui domum non laudarunt: vbi enim iudicium emptoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid autem eſt ſtultius, quàm venditorem eius rei, quam vendat, vitia narrare? Quid autem tam abſurdum, quàm ſi domini iuſſu, ita Præco prædicet, Domum peſtilentem vendo?*

Tùm autem ſubdit: *Sic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas, ex altera ita de vtilitate dicitur, vt id, quod vtile videatur, non modò facere, honeſtum ſit, ſed etiam non facere, turpe. Hæc eſt illa, quæ videtur vtilium fieri cum honeſtis ſæpè diſſenſio. Quæ diiudicanda ſunt: Non enim vt quæreremus expoſuimus, ſed vt explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ædium venditor celare emptores debuiſſe. Neque enim id eſt celare, quidquid reticeas; ſed cùm, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſâ velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis quis non videt? Certè non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non iuſti, non viri boni; verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri: hæc tot, & alia plura non inutile eſt vitiorum ſubire nomina?* Et poſteà: *Quòd ſi Aquilliana definitio vera eſt; ex omni vita ſimulatio, diſſimulatióque tollenda eſt. Ita, nec vt emat melius, nec vt vendat, quicquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir bonus.* Ac rurſùs, relatâ à Iure-conſultis reticentiæ pœnâ: *Quicquid ineſt prædio vitij, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere.* Ac ſimul Marci Catonis ſententiâ, qui aduerſus Claudium ædium venditorem, quas eum demoliri iuſſuri eſſent Augures, ita pronuntiauit:

Digitized by Google

Ie pag. 68. tiauit : *Cùm in venundando rem eam ſciſſet, & non pronuntiaſſet, emptori damnum præſtari oportere*, ſubiicit : *Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori vitium, quod noſſet venditor. Quod ſi rectè iudicauit; non rectè frumentarius ille; non rectè ædium peſtilentium venditor tacuit; ſed huiuſmodi reticentiæ iure ciuili omnes comprehendi non poſſunt; quæ autem poſſunt, diligenter tenentur.* Et mox : *Sed aliter leges, aliter Philoſophi tollunt aſtutias. Leges, quatenus manu tenere res poſſunt : Philoſophi, quatenus ratione, & intelligentiâ. Ratio igitur hoc poſtulat, ne quid inſidioſè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter. Súnt-ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiam ſi excitaturus non ſit, nec agitaturus? Ipſæ enim feræ nullo inſequente ſæpè incidunt: Sic tu cùm ædeis proſcribas, tabulam tanquam plagam, ponas; domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens? Hoc quamquam video propter deprauationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri, aut iure ciuili; naturæ tamen lege ſanctum eſt.* Cætera, quæ ſunt innumera, prætereo; ac illud ſpeciatim, cùm de Hecatone loquens : *Quærit etiam*, inquit, *ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, cùm id reſcierit, ſoluturúſne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis? Diogenes ait, Antipater negat, cui potiùs aſſentior. Qui venenum fugiens vendat ſciens, debeát-ne dicere? Non neceſſe putat Diogenes; Antipater viri boni exiſtimat. In mancipio vendendo, dicendá-ne vitia; non ea, quæ niſi dixeris redhibeatur mancipium iure ciuili; ſed hæc, mendacem eſſe, aleatorem, furacem, ebrioſum? Alteri dicenda videntur; alteri non videntur. Si quis aurum vendens, Orichalcum ſe putet vendere; indicét-ne ei vir bonus aurum illud eſſe; an emat denario, quod ſit mille denariûm? Perſpicuum iam eſt & quid mihi videatur, & quæ ſit inter eos Philoſophos, quos nominaui, controuerſia.* Id, inquam, ſpeciatim prætereo; ac admoneo ſolùm, quod cohærenter à Cicerone quæritur : *Pacta, & promiſſa ſempér-ne ſeruanda ſint, quæ nec vi, nec dolo malo, vt Prætores ſolent dicere, facta ſint?* Soluendum eſſe iuxta ea, quæ iam antè ſunt de æquitate dicta. Nempè ipſe quoque de

1. Offic. Æquitate loquens : *Incidunt ſæpè tempora*, inquit, *cùm ea, quæ maximè videntur digna eſſe iuſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiúntque contraria: vt non reddere depoſitum; etiam promiſſum non facere; quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea negare interdum, & non ſeruare iuſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta iuſtitiæ: Primùm, vt ne cui noceatur: deinde, vt communi vtilitati ſeruiatur. Ea cùm tempora commutantur, commutatur officium, & non ſemper eſt idem. Poteſt etiam accidere promiſſum aliquod, & conuentum, vt id effici ſit inutile, vel ei, cui promiſſum ſit: vel ei, qui promiſerit.* Et ſubiecto

Lib. 3. Neptuni exemplo erga Theſeum; cui repetitò copulantur illa & Solis erga Phaëtontem, & Agamemnonis erga Dianam : *Nec promiſſa igitur*, inquit, *ſeruanda ſunt ea, quæ ſunt iis, quibus promiſeris, inutilia; nec, ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris.* Pergit : *Contra officium eſt, maius damnum anteponi minori: vt ſi conſtitueris te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim grauiter ægrotare filius cœperit; non ſit contra officium non facere, quod dixeris: magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur.* Adiicit & illud : *Iam illis promiſſis non ſtandum eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit?* Et ex Cicerone iſthæc ſanè multa. — De Iuſtitia.

Illud heic requirendum reſtat, an quis ita poſſit ſuæ vtilitati ſuóque iuri renuntiare, vt aut à ſeipſo patiatur iniuriam, aut ab altero non patiatur inuitus. Pendet autem res ex eo, quod facere, ac pati iniuriam appellant, quodque exſequitur Ariſtoteles occaſione Euripidis, cuius eſt illud abſurdè dictum. — 5 Eth. 11.

Μητέρα κατέκτα τὴν ἐμὴν, βραχὺς ὁ λόγος.
Ἑκὼν ἑκοῦσαν, ἢ θέλουσαν οὐχ ἑκών.

Matrem necaui meam equidem: at ſermo breuis:
Volens volentem, vel volentem non volens.

Cùm enim velit iuxta antè dicta, aliud eſſe rem facere iniuſtam, aliud iniuriam facere (quippè facere rem iniuſtam poteſt, qui facere ſe non exiſtimet, immò & qui iuſtam facere ſe putet) conſtat Iniuriam, niſi animo, voluntatéque faciendi non fieri; ſicque eum, qui facit, ſponte nocere; hoc eſt, ſcire cui, quanam re, & quemadmodum noceat. Ex quo ſequitur, vt quia aliud eſt pati rem iniuſtam (damnóve quopiam affici) aliud pati iniuriam; poſſit quidem quis ſponte, voléns've pati iniuſtitiam; at pati iniuriam niſi inuitus non poſſit. Vnde & rurſùs conſequitur, vt quoniam inferre iniuriam non poteſt, niſi ſit, qui eam perferat : idcircò is propriè non faciat iniuriam, qui ſponte accipienti, ſeu non inuito facit; ac ideo obſeruet Ariſtoteles, non ſufficere, ſi iniuriam faciens definiatur is, *qui noceat, ſciens cui quâque re, & quemadmodum noceat*; ſed addi debere hanc particulam, παρὰ τὴν ἐκείνου βούλησιν, *præter*, ſiue *contra eius voluntatem.* Hæc igitur cùm ita ſe habeant, Manifeſtum imprimis eſt, *Fieri non poſſe, vt aliquis patiatur à ſeipſo iniuriam.* Etenim poteſt quidem ſe damno quopiam afficere, ſeu aduerſus propriam vtilitatem peccare; at non tamen ſe afficere iniuriâ; quatenus cùm idem agens ſit, & patiens, tam agit, quàm patitur ſponte. Adde quòd, vt iuſtitia, ita iniuſtitia eſt ad alterum; & iniuria nihil aliud eſt, quàm iniuſtitia non ſponte excepta; fitque exinde vt nemo reſpectu ſuiipſius eſſe aut iniuſtus, aut iniurius valeat; neque adeò, exempli gratiâ furtum committere, aut pati, cùm nummos ex ſua crumena ſubducit. Neque obſtat quòd is, qui ſeipſum occidit, puniatur, hoc eſt ingnominiâ afficiatur poſt interitum; Id nimirum fit, non propter iniuriam, qua ſeipſum affecerit, ſed ob eam, qua publicam — Cap. 15.

De Iuſtitia. ſocietatem, ſeu patriam, cui inuitæ, ſeu contra leges, quas ipſa tulerit, abſtulerit ciuem. Nempè ad ipſum quod attinet, affecit ſe dumtaxat damno, ſeu vita priuauit, qua & priuari voluit. Ac rogabis quidem, quî fiat, vt poſſit quis velle ſuum damnum, ſeu peccare aduerſus vtilitatem propriam, ſcilicet, cùm id malum ſit, & nemo velle ſuum malum poſſit? Verùm & dictum iam antè eſt, & dicetur quoque inferiùs, neminem velle malum, provt malum eſt; ſed provt eſt bonum, aut cohærens cum bono, quî cum commutetur. Nam etiam qui ſeipſum occidit, mortem ſuam vult, non quatenus malum, ſiue extinctio vitæ eſt; ſed quatenus malorum finis, à quibus eximi, ſummum ducit bonum. Spectat huc proinde, quod Ariſtoteles ait: *Si quis in rerum diſtributione minùs accipiat, quàm ſibi debeatur, vt viri moderati ſolent facere; non poſſe eum queri factam ſibi iniuriam (& commutans quidem præſertim iacturam cum gloria, aut eo, quod honeſtum ſimpliciter eſt,)* ὅτι οὐκ ἀδικεῖται, ἀλλὰ βλάπτεται μόνον, *adeò vt non iniuriâ, ſed damno ſolùm afficiatur.* Præterea Cap. 11.

Cap. 10. reo autem Ariſtotelem id, quod de iuſtitia, iniuſtitiáve, & iniuria erga ſeipſum habet, extendere etiam ad ſeruos, & ad liberos non emancipatos; quoniam eatenus veluti illius pars ſunt; docere autem ſecus eſſe de vxore, ob æqualitatem, atque communitatem iuris. Manifeſtum ſecundò eſt, verum eſſe, quod dicitur: *Volenti non fieri iniuriam.* Nam pati quidem damnum volens, vt iam aliquoties repetiimus, poteſt; iniuriam pati, niſi inuitus non poteſt; quatenus damnum poteſt vt bonum, aut vt boni cauſa ſpectari; iniuria verò eſt per ſe malum, neque poteſt aut tanquam bonum, aut tanquam boni cauſa haberi. Quare & ex hoc fit, vt ſeu volenti res ſubducatur, ſeu ſponte quis det alteri, queri de iniuria, quam ab altero patiatur, non poſſit: *v. c. Glaucus*, inquit Ariſtoteles, *dum commutauit cum Diomede arma,*

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Aurea centenis bobus pro ex ære nouenis.

Ac poteſt quidem culpa eſſe in eo, qui alterius bona, ipſo conſentiente licet, accipit; vt ſi metu ipſum compellat, ſi pollicitationibus, blandimentiſque alliciat; ſi mentis illius imbecillitate, facilitatéve abutatur; ſi occultatione veri pretij, valoríſve ſeducat, ſi ignorantem quid agat, non moneat, cæteráque ſimilia, ob quæ de dolo malo tenetur: attamen quod ad ipſum dantem, conſentientémve attinet, ille quatenus quidem dat, aut conſentit, ſine ſciens, ac volens facit, pati non iniuriam, ſed damnum cenſetur. Cùm

Cap. 15. Ariſtoteles porrò quærat, quia tam facere, quàm pati iniuriam ſit malum, vtrum grauius ſit? Præclarè reſpondet, eſſe malum grauius facere iniuriam, quàm pati: Siquidem facere iniuriam, cum iniuſtitia coniunctum eſt; pati autem, vitio, ac iniuſtitiâ vacat. Addendum heic verò, non ex eo, quòd is, qui In pag. 88.
damnum læſionémve accipit, non inuitus accipit, ac futuram alioquin iniuriam, in ſimplicem læſionem conuertit; excuſari propterea illum, qui læſionem eo animo, vt iniuriam inferat, facit: Siquidem, quantum eſt ex ſe, nihilo minùs iniurius eſt, ac per eum non ſtat, quò minùs læſio etiam iniuria fiat. Nempè exinde ſunt illa Senecæ: *Intelligere* De conſt.
nos oportet, poſſe euenire, vt faciat aliquis iniu- ſap. c. 7.
riam mihi, & ego non accipiam: tanquam, ſi quis rem, cùm è villa mea ſurripuit, in domo mea ponat; ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Poteſt aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Si quis cum vxore, tanquam cum aliena concumbat, adulter erit; quamvis illa adultera non ſit. Aliquis mihi venenum dedit: ſed vim ſuam remiſtum cibo, perdidit: Venenum illud dando, ſcelere ſe obligauit, etiamſi non nocuit. Non minùs latro eſt, cuius telum oppoſita veſte eluſum eſt. Omnia ſcelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt.

Atqve hæc quidem de Iuſtitia; niſi quòd videtur prætereà eſſe attingendum aliquid de adnexis ipſi virtutis ſpeciebus, quas eſſe initio diximus Religionem, Pietatem, & alias. Imprimis itaque Religio, quæ & Sanctitas ſæpè dicitur, (niſi quòd Sanctitas interdum pro æquitate, quæ eſt ad Maneis à Ci- In Top.
cerone vſurpatur) Religio, inquam, Numiniſve cultus, vt primum, ac præcipuum, ita & iuſtiſſimum eſt, meritiſſimúmque hominis officium. Vocem aliter Cicero, aliter 2. De
Lactantius deducunt. Nam ille quidem, poſt- Nat. Deor.
quàm docuit Superſtitioſos homines dictos, *Qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent*, ſubiicit: *Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti Religioſi.* Iſte verò; *Heic Plato*, inquit, *ab-* Epit. c. 7.
errauit, heic perdidit, quam primùm arripuerat veritatem: cùm de cultu eius Dei, quem Conditorem rerum, ac Parentem fatebatur, obticuit: nec intellexit hominem Deo poteſtatis vinculis eſſe religatum; vnde ipſa Religio nominatur. Cùm porrò duæ ſint potiſſimùm cauſæ, ob quam Deus cultum, ac venerationem meretur; videlicet Summa naturæ præſtantia, & Somma in nos beneficentia; intellexiſſe id videntur; qui primi Optimum, Maximum dixerunt; quoniam Optimus quidem audit, quia ſummè benefacit; Maximus verò, quia ſummè excellit. Quo loco videretur quidem laudari poſſe Epicurus, quòd, vt in Apologia pro Moribus retulimus, colendum eſſe cenſuerit Deum *nulla ſpe, nullo pretio: ſed propter eius Maieſtatem eximiam, ſupremámque naturam:* & cauſâ quidem additâ, quòd *habeat venerationem iuſtam quicquid excellit.* Verùm, quòd hanc vnam agnouerit cauſam, neque aliam Senec. 4
admiſerit, quæ de Beneficentia eſt, merito de be-
reprehenditur iure. Nam & videri licet vo- nef. 19.
luerit,

Digitized by Google

In pag. 88. luerit, Deum *non aliter, quàm parentem* colere; non ideirco tamen pro Parente habuit, quem extra Mundum ita ſepoſuit, vt neque cætera vniuersè, neque homines ſpeciatim curaret, & *Neque irâ, neque gratiâ moueretur*, Cicer. 1. De nat. Deor. vt Cicero illi proinde obiiciat, *non intelligere ſe, quamobrem Dij colendi ſint, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono*. Sen ibid. loc. cit. Nec verò id modò, ſed queratur etiam, *Quòd ſuſtulerit Epicurus omnem funditus Religionem; nec manibus, vt Xerxes, ſed rationibus Deorum immortalium templa, & aras euerterit.* Rursùs autem: *Epicurus*, inquit, *ex animis hominum extraxit radicitùs Religionem, cùm Diis immortalibus & opem, & gratiam ſuſtulit.* Ac iterum eadem commemoratâ ſententiâ; *Quæ poteſt eſſe Pietas*, inquit, *quæ ſanctitas, quæ Religio? Hæc enim omnia purè, ac caſtè tribuenda Deorum Numini ita ſunt, ſi animaduertuntur ab his, & ſi eſt aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dij neque poſſunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino; nec quid agamus animaduertunt, nec eſt, quod ab his ad hominum vitam permanere poſſit, Quid eſt, quòd vllos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Declamat Ap.Phot. proinde aduerſus Epicurum Himerius; *Aras non euertiſti? ac fruſtra eas eſſe oſtendiſti: tollens videlicet è rerum natura prouidentiam, ob quam aras exſtruximus. Sacrificia noua non introduxiſti? at verò omnia ſuſtuliſti.* Cùm nihil autem ſit neceſſe excuſare, quòd Epicurus non funditùs Religionem ſuſtulerit; non templa, araſque euerterit; quatenus Deum colendum cenſuit, non quidem propter beneficia ab eo accepta, aut ſperata; ſed propter naturam ſupremam, maieſtatémque eximiam (quod fieri debere etiam-num viri & pientiſſimi, & religioſiſſimi volunt; cùm eſſe debere erga Deum amorem, cultúmque, non mercenarium, aut ſeruilem, ſed liberalem, filialémque declarant) cùm nihil item eleuare, quòd non tam Religionem, quàm Superſtitionem eius æmulam tollere è medio viſus fuerit: Satis eſto illum peſſimè ſenſiſſe, dum prouidentiam ſuſtulit, cum qua ſimul abnuit ea beneficia, ob quæ & gratiarum actiones, & alij plerique ritus Religioſi ſunt inſtituti: atque id quidem potiſſimùm, cùm iam ſuo ſuperiùs loco hanc Epicuri impietatem, quam maximè licuit, coarguerimus; Niſi quod hoc loco attexendus eſt perquàm egregius Senecæ aduerſus Epicurum, eiuſque imitatores locus: Is exſtat in libro de Cap.4. Beneficiis, vbi: *Non dat*, inquit, *Deus beneficia, ſed ſecurus, & negligens noſtri, auerſus à mundo aliud agit, aut (quæ maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuriæ tangunt. Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & vndique ſublatis in cælum manibus vota facientium, priuata, ac publica. Quod profectò non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales conſenſiſſent, alloquendi ſurda numina, & inefficaceis Deos: niſi noſſent illorum beneficia nunc vltrò oblata, nunc orantibus data, magna,* De Iuſtitia. *tempeſtiua, ingenteis minas interuentu ſuo ſoluentia. Quis eſt autem tam miſer, tam neglectus; quis tam duro fato, & in pœnam genitus, vt non tantam Deorum munificentiam ſenſerit? Ipſos illos complorantes ſortem ſuam, & querulos circumſpice; inuenies non ex toto beneficiorum cæleſtium experteis: Neminem eſſe, ad quem non aliquid ex illo benigniſſimo fonte manauerit.* Et ſtatim: Cap.5. *Non dat Deus beneficia: Vnde ergo iſta, quæ poſſides, quæ das, quæ negas, quæ ſeruas, quæ rapis? Vnde hæc innumerabilia, oculos, aureis, animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque inſtruens copia? Neque enim neceſſitatibus tantummodò noſtris prouiſum eſt: vſque in delicias amamur. Tot arbuſta non vno modo frugifera; tot herbæ ſalutares; tot varietates ciborum per totum annum digeſta, vt inerti quoque fortuita terra alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in ſicco, ſolidóque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime dimiſſa, vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœniſſimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commerciis viam, vaſto, & nauigabili curſu vadentia; ex quibus quædam ſtatis diebus mirabile incrementum trahunt, vt aabela, & feruenti ſubiecta cælo loca ſubita vis æſtiui torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium vena? quid in ipſis littoribus aquarum calentium exundatio?*

——Te Lari maximè, téque

Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino.

Cap.6. *Si pauca quis donaſſet iugera, accepiſſe te diceres beneficium; immenſa terrarum latè patentium ſpatia negas eſſe beneficium? Si pecuniam tibi aliquis donauerit, & arcam tuam, &c.* Ac iterùm: *Et cùm iſta, quæ habes magno æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Vnde tibi iſtum, quem trahis ſpiritum? Vnde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis, atque ordinas, lucem? Vnde ſanguinem, cuius curſu vitalis continetur calor? Vnde iſta, palatum tuum ſaporibus exquiſitis vltra ſatietatem laceſſentia? Vnde hæc irritamenta iam laſſæ voluptatis? Vnde iſta quies, in qua putreſcis, ac marces? Nonne ſi gratus es,* dices:

——Deus nobis hæc otia fecit:

Namque erit ille mihi ſemper Deus, &c.

Et prætereà: *Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniúmque artium ſemina, magiſtérque ex occulto Deus producit ingenia. Natura, inquis, hæc mihi præſtat. Non intelligis te, cùm hoc dicis, mu-* Cap 7. *tare nomen Deo? Quid enim aliud eſt natura, quàm Deus, & diuina ratio toti Mundo, & partibus eius inſerta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc Authorem rerum noſtrarum compellare: & Iouem illum Optimum, ac Maximum ritè dices & tonantem, & ſtatorem, &c.* Et mox: *Ergo nihil agis,* Cap 8. *ingratiſſimè mortalium, qui te negas, Deo debere, ſed naturæ; quia nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura: ſed idem eſt vtrumque, nec diſtat. Officium, ſi quod à Seneca accepiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, ſed nomen; quoniam ſiue prænomen eius, ſiue nomen dixiſſes,*

Google

De iuſtitia. *dixiſſet, ſiue cognomen, idem tamen ille eſſet. Sic hunc Naturam voca, Fatum, Fortunam: omnia eiuſdem Dei nomina ſunt, variè vtentis ſua poteſtate. Et Iuſtitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas, vnius animi bona ſunt; quicquid horum tibi placuit, animus placet.*

Sed Epicuro tandem dimiſſo, & ſuppoſitâ Dei exſiſtentiâ, prouidentiâ, iiſque omnibus attributis, quæ comprobata ſuperiùs ſunt, & propter quæ ſupremum cultum, Religionémve promeretur; videri quidem poſſet, at profectò tamen non eſt huius neque loci, neque inſtituti, ediſſerere, oſtenderéque, quemadmodum ſacra Religio, quam profitemur, ſola ſit vera; aut quemadmodum ſeſe habeant, qualéſve ſint ritus, ex quibus ea conſtat. Scilicet manifeſtum eſt, eſſe hanc doctrinam ſpecialem, neque obiter pertractandam; attinere verò ad Doctores ſacros, qui pro dignitate ipſam profitentur, ac tradunt. Attingere heic ſufficit quod naturæ demonſtret lux; cùm ea, quæ ſacræ Religionis ſunt, eâ ſolùm loce, quæ ſit ſupra naturam, demunſtrentur. Attingere, inquam, vt ſit, quod Religioni ſacræ quaſi ſubſternatur; cùm & ipſa admittat, quæ naturalis ratio oſtendit; & Sancti ipſi Patres aduerſus Ethnicos agentes, dogmata arcana iis ſuperinducant, quæ nota fuère Philoſophis. Ecce enim Lactantius: *Manentibus*, inquit, *præceptis eorum, quæ ſolent ad probitatem rectè dare, ignota illis ſuperſtruemus, ad perficiendam, conſummandámque Iuſtitiam, quam non tenent.*

Lib 6. c. 2. Quamquam ipſe quoque Lactantius ſpecialem librum de Vero cultu, ſeu Religione vera inſtituens, in eo ferè ſolùm inſiſtit, quod generale eſt, & ex Triſmegiſto, Cicerone, Seneca potiſſimùm probat. Quò magis nos poſſe videmur ipſum hoc loco imitari; præcipua quædam delibando, quæ ipſe aut de ſuo induxit, aut ex illis inſeruit. Præmittendum ſolummodò quod idem-met alibi notat, cùm heinc Sapientia, inde Religio viguerint apud Ethnicos, erraſſe illos, quòd vtramque

Lib 3. c. 11. ſeorſim excolendam arripuerint. *Naturam*, inquit, *hominis hanc Deus eſſe voluit, vt duarum rerum cupidus, & appetens eſſet; Religionis & Sapientiæ. Sed homines ideò falluntur, quòd aut Religionem ſuſcipiunt, omiſſâ Sapientiâ; aut Sapientiæ ſoli ſtudent, omiſſâ Religione; cùm alterum ſine altero non poſſit eſſe verum. Cadunt ergo ad multiplices Religiones; ſed ideò falſas, quia Sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, Deos multos eſſe non poſſe, aut ſtudent ſapientiæ, ſed ideò falſa, quia Religionem Summi Dei omiſerunt, qui eos ad veri ſcientiam potuit erudire. Sic homines qui alterutrum ſuſcipiunt, vitam deuiam, maximiſque erroribus plenam ſequuntur; quoniam in his duobus inſeparabiliter connexis & officium hominis, & veritas omnis incluſa eſt.* Et ſic quidem ille hac de re: Iam verò, poſtquàm docendum ſuſcepit, quo ritu, quóve ſacrificio Deum coli oporteat: *Nihil*, inquit, *ſancta, & ſingularis illa Maieſtas alìud ab homine deſiderat, quàm ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulit Deo, ſatis piè, ſatis religiosè litauit.* Subinde autem, reiectis variis rituum ſuperſtitionibus, & commemorato etiam illo Perſij loco: In pag. 88. Lib. 6. c. 1.

——Quæ ta mercede, Deorum Ex ſat. 2.
Emeris auriculas, pulmone, & lactibus vnctis?

Hæc eſt Religio cæleſtis, inquit, *non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ virtutibus animi, qui oritur è cælo. Hic verus eſt cultus, in quo mens colentis ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit.* Cap. 2. Ac rurſùs, enumeratis virtutibus variis, ob quas homo ſanus, iuſtus, atque perfectus ſit: *Quiſquis igitur*, inquit, *his omnibus præceptis cæleſtibus obtemperauerit, hic cultor eſt veri Dei, cuius ſacrificia ſunt, manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit. Deus enim non deſiderat victimam, neque muti animalis, neque mortis, ac ſanguinis, ſed hominis, & vitæ. Ad quod ſacrificium neque verbenis opus eſt, neque fibris, neque ceſpitibus, quæ ſunt vtique vaniſſima; ſed iis, quæ de intimo corde proferuntur. Itaque in aram Dei, quæ verè maxima eſt, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine, iuſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſſimus ritus; hæc illa lex Dei, vt à Cicerone dictum eſt, præclara, & diuina: ſemper quæ recta, & honeſta iubet; vetat praua, & turpia; cui parentem ſanctiſſimæ, ac certiſſimæ legi, iuſtè, ac legitimè neceſſe eſt viuere.* Cap. 24. Et poſteà cùm duo eſſe docuit, quæ offerri debeant, Donum, & Sacrificium; donum in perpetuum; ſacrificium ad tempus; ſubdit: *Donum eſt integritas animi; Sacrificium laus, & hymnus. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia eſt Religio vera, niſi quæ virtute, & iuſtitia conſtat.* Cap. 25. Et dicente Cicerone: *Nihil eſſe præſtabilius, quàm planè intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos: Id ergo*, inquit, *ſolùm Deo exhibere, atque offerre debemus, ad quod capiendum nos ipſe generauit.* Denique autem, poſtquàm illa præmiſit; *Summus colendi Dei ritus eſt, ex ore iuſti hominis ad Deum directa laudatio; quæ tamen ipſa, vt Deo ſit accepta, & humilitate, & timore, & deuotione maxima opus eſt: ne quis fortè integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris, & arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam virtutis amittat. Sed vt ſit Deo carus, omnique macula careat, miſericordiam Dei ſemper imploret, nihilque aliud precetur, niſi peccatis ſuis veniam, licet nulla ſint. Si quid aliud deſiderauerit, non eſt opus dicto, ſcienti, quid velimus. Si quid ei boni euenerit, gratias agat; ſi quid mali, ſatisfaciat; & illud ſibi ob peccata ſua eueniſſe fateatur, & nihilominus etiam in malis gratias agat, & in bonis ſatisfaciat, vt idem ſit ſemper, & ſtabilis, & immutabilis, & inconcuſſus. Nec tantum hoc in templo putet ſibi eſſe faciendum, ſed & domi, & in ipſo etiam cubili ſuo. Secum denique habeat Deum*

ſemper

Digitized by Google

In pag. 88. *ſemper in corde ſuo conſecratum, quoniam ipſe eſt Dei templum.* Hiſce inquam præmiſſis, concludit: *Quod ſi Deo patri, ac Domino hac aſſiduitate, hoc obſequio, hac deuotione ſeruierit; conſummata, & perfecta iuſtitia eſt, quam qui tenuerit, hic, vt antè teſtati ſumus, Deo paruit, hic Religioni, atque ſuo officio ſatiſfecit.* Et ita quidem ipſe Lactantius.

Ibid. Citatus porrò ipſi locus ex Triſmegiſto Hermete ſic habet; *Hoc verbum, ô fili, adora, & cole. Cultus autem Dei vnus eſt, Malum non eſſe.* Item in illo ſermone perfecto; *Cùm exaudiſſet Aſclepius quarentem à filio ſuo, vtrum placeret Patri eius, offerri thus, & alios odores ad ſacrificium Dei, exclamauit; Benè, benè, ô mi nate Aſclepi. Eſt enim maxima impietas, tale quid de vno illo, ac ſingulari bono in animum inducere. Hac, & ſimilia huic non conueniunt. Omnium enim quacumque ſunt, plenus eſt, & omnium minimè indigens. Nos verò gratias agentes, adoremus. Huius ſacrificium ſola benedictio*
Cap. 8. *rectè eſt.* Locus autem ex Cicerone, eximium quoddam fragmentum eſt ex libro de Republica tertio, refertur verò in hunc modum: *Eſt quidem vera lex recta ratio, natura congruens, diffuſa in omneis, conſtans, ſempiterna, qua vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat; qua tamen neque probos fruſtrà iubet, aut vetat; nec improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi nec promulgari fas eſt; neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari poteſt. Nec verò aut per ſenatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus. Neque eſt quarendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia poſt hac; ſed & omneis genteis, & omni tempore vna lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit; vnuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus; ille legis huius inuentor, diſceptator, lator; cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur; hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi catera ſupplicia, qua putantur, effugerit.* Poſtremò locus
Cap. 24. Senecæ, fragmentum eſt etiam ex Opere Exhortationum, in quo ille: *Magnum,* inquit, *neſcio quid, maiuſque quàm cogitari poteſt, Numen eſt, cui viuendo operam damus. Huic nos approbemus; nam nihil prodeſt incluſa conſcientia; patemus Deo;* & quæ ſunt prætereà in
Cap. 25. eandem ſententiam. Et infrà: *Vultis-ne vos,* inquit, *Deum cogitare magnum, & placidum, & maieſtate leni verendum, amicum, & ſemper in proximo? Non immolationibus, & ſanguine multo colendum (qua enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mente pura; bono, honeſtóque propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Ac huiuſmodi quidem ſunt, quæ ex iſtis refert Lactantius. Haud erit verò forſan ingratum, ſi pauca aliqua prætereà ex Seneca decerpſero, quæ ad eandem rem luculenter faciant. Ille itaque in Epi-
Epiſt. 95. ſtolis: *Deum,* inquit, *colit, qui nouit.* Et, *Nunquam ſatis profectum erit, niſi qualem debet Deum, mente conceperis: omnia habentem, omnia tribuentem:* De Iuſtitia.
omnia grata dantem. Ac ſtatim: *Primus eſt Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis maieſtatem ſuam: reddere bonitatem, ſine qua nulla maieſtas eſt. Scire illos eſſe, qui praſident Mundo, qui vniuerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Hi nec dant malum, nec habent: caterum caſtigant quoſdam, & coërcent, & irrogant pœnas, & aliquando ſpecie boni puniunt. Vis Deos propitiare? Bonus eſto. Satis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.* Poſtremi huius verbi occaſione occurrit, quod alibi habendum in animo dicit illud verus præceptum, DEVM SEQVERE. Iure autem De vit. be. 15.
id vetus dicit; ſiquidem non Boëtius modò 1. Conſol. proſ. 4.
eſſe Pythagoricum ait, & Cicero ad aliquem
ex ſeptem Sapientibus refert; ſed Philo quoque eſſe autumat iuxta ſacratiſſimum Moſen, 4 De fin. de migrat Abrah.
ἕπεσθαι θεῷ, *Deum ſequi.* Vt redeam verò ad Senecam; non eſt ille quidem ex iis, qui autumant Deum non eſſe orandum; ſed orandum tamen ea vult, quæ non probari à nemine, ſi omnes quidem audierint, poſſint. Hinc enim eſt illud, *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis* (Nempè iuxta illud, Epiſt. 10.
quod citatum ſuperiùs eſt,

Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano)

Et quod ſtatim relatâ illâ Athenodori ſententiâ: *Tunc ſcito eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palàm,* in hunc modum proſequitur: *Nunc enim quanta dementia eſt hominum? Turpiſſima vota Diis inſuſurrant; ſi quis admouerit aurem, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc pracipi ſalubriter poſſit: Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* Videtur porrò hoc præceptum, quod eſſe Philoſophiæ Macrobius ait, 1. Saturn.
eſſe ad Pythagoram referendum; idque au- 4 Strom.
thore B. Clemente, cùm memorat Pythagoreos iuſſiſſe μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, *clara voce precari: Et meo quidem iudicio,* inquit ille, *non quod precanteis ſubmiſſa voce audire Numina non valeant: verùm quòd eſſe preces iuſtas, & qualeis quis concipere multitudine conſciâ non vereatur, velint.* Notum verò eſt, vt qui vota non niſi muſſitantes concipiunt, à Satyricis perſtringantur.

Ille ſibi introrſum, & ſub lingua obmurmurat, ô ſi Perſ. ſat. 2.
Ebullet patrui praclarum funus; &, ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule; pupillúmq; vtinã, quem proximus hares
Impello, expungam;

Et,

Iane Pater, clarè, clarè cùm dixit Apollo:
Labra mouet, metuens audiri; Pulcra Lauerna,
Da mihi fallere, da ſanctum, iuſtúmque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Heic verò Notandum, quod Maximus Ty- Diſſert. 1.
rius præ aliis contendit, quodque ſuperiùs retulimus, nullatenus orandum Deum, quoniam ſiue orans ſit malus, exanditurus Deus non ſit; ſiue bonus ſit, Deus illi etiam non oranti ſit largiturus; id merito iure reprehendi

De iuſti-tia. hendi à cæteris, quod Deus pro ſua bonitate orati velit ab homine, vt poſſit ipſum quoque affectum orantis bonum remunerari. Certè & ipſemet, quem ille imitari contendit, Plato, Preces frequenteis adhibet, ſpeciatim verò dum Timæus, admonente Socrate, *Deos, Deaſque omneis precatur, primum, vt dicat, quæ illis placeant; deinde, vt ſibi ipſi conſtet.* Et licet interdum videatur deterrere ab orando Alcibiadem; id nihilominus non tam facit, quàm mentis humanæ imbecillitatem, & caliginem in veris bonis, quæ ſola à Deo poſtulanda ſint, diſcernendis, arguit. Vnde & ſuadet potiùs vt à Deo id ſolùm poſcat, quod ipſi congruum videbitur; idque, Tùm verſibus citatis, quibus Poëta precatus eſt, cùm vſus amicis inſipientibus, videret illos & agenteis, & oranteis quæ minimè conducerent, vtcumque illis ſic videretur;

4. De legibus in Philebo, &c. In Alcib. 2.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις, καὶ ἀνεύκτοις,
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ, καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
Qui oramus, qui non oramus, Iupiter alme
Tu bona da nobis; mala, nec ſi oremus, abeſſe.

Tùm relato Oraculo, quo Ammon conſultus, cur Lacedæmoniis potiùs, quàm Athenienſibus faueret; reſpondit; quia ſibi illorum precatio arrideret præ cæteris. Illi enim neque priuatim, neque publicè aliud precabantur, quàm vt, quæ honeſta, ac bona forent, Dij largirentur. Prætereà, improbat quidem Plato haberi priuata ſacella; at non improbat tamen publica, in quibus ſacrificia, ac preces, communiter fiant. Denique licet præter eos, qui eſſe Deos inficiantur, eoſque, qui illorum tollunt prouidentiam, tertio impietatis loco habeat illos qui placari facilè Deos votis, ac ſacrificiis putant; non ideò tamen improbat aut vota, precéſque declarato modo conceptas, aut quæ peragi ſacrificia in Deorum honorem, gratiarúmque actionem poſſunt. Vt paucis dicam, neque Plato, neque alij Philoſophi, quicquam voluerunt aliud, quàm ex hominum animis ſuperſtitionem euellere, quòd immeritò occupet veræ, ac ſinceræ Religionis locum. Sanè ipſe quoque Epicurus videri poteſt nihil voluiſſe aliud, cùm attendens, quàm multa ſibi homines mutuò imprecentur, quaſi Deus nimirùm debeat omnium votis annuere, id dixit, quod extat apud Antonium, & Maximum: Εἰ ταῖς τῶν ἀνθρώπων εὐχαῖς ὁ θεὸς κατηκολούθει, θᾶττον ἂν ἀπώλοντο πάντες ἄνθρωποι, συνεχῶς πολλὰ, καὶ χαλεπὰ κατ᾽ ἀλλήλων εὐχόμενοι. *Si hominum precibus annueret Deus, breui perirent omnes homines, vtpotè qui continuò multa, eáque pernicioſa ſibi inuicem comprecentur.* Porrò cùm innumera ſint, quæ aduerſus Superſtitionem commemorari ex Theophraſto, Cicerone, Plinio, Plutarcho & cæteris poſſent; ac poſſet prætereà referri, quid variis occaſionibus Thales, Anaxagoras, cæteri de ea ſenſerint;

Sec. 168.

imò & vt periclitati illius deriſæ ergò fuerint: id ſubiicere tamen ſufficit, quod Cicero habet, dum poſtquam recenſuit, quantum poſuerit operæ, vt ſuperſtitionem funditùs tolleret, quæ fuſa per genteis, oppreſſiſſet omnium ferè animos, ſubdit: *Nec verò (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda religio tollitur. Nam & maiorum inſtituta tueri, ſacris, cæremoniiſque retinendis, ſapientis eſt; & eſſe præſtantem aliquam, æternámque Naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandámque hominum generi, pulcritudo Mundi, ordóque rerum cæleſtium cogit confiteri. Quamobrem, vt Religio propaganda etiam eſt, quæ eſt iuncta cum cognitione naturæ; ſic Superſtitionis ſtirpes omnes eiiciendæ ſunt. Inſtat enim, & vrget, & quocumque te verteris: perſequitur, ſiue tu vatem, ſiue tu omen audieris: ſiue immolaris, ſiue auem adſpexeris: ſi Chaldæum, ſi haruſpicem videris: ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi tactum aliquid erit de cælo: ſi oſtenti ſimile natum, factúmve quidpiam, quorum neceſſe eſt plerumque aliquid eueniat; vt nunquam liceat quieta mente conſiſtere. Perfugium videtur omnium laborum & ſollicitudinum eſſe ſomnus: at ex eo ipſo plurimæ curæ, metúſque naſcuntur. Qui quidem ipſi, &c.*

In pag. 88.

2. De diuin.

Sequitur PIETAS erga Parentes, ad quam Plato eſſe quaſi prooemium vult, quod diſſerit de Deorum cultu. Nempè, vt Deus, Parens rerum, quòd produxerit omnia, dicitur; ita Parentes ſunt ipſis filiis, quos produxerint, quaſi Dij quidam habendi. Et certè nulla ſecundum illam, qua ad Deum tenemur, eſſe vt antiquior, ſic maior obligatio poteſt, quàm quæ Parentibus nos addicit; cùm aliis quidem poſſimus alia; at noſmetipſos Parentibus debeamus. Ac ſi tantopere eſt, ſecundùm naturam, vt noſmet amemus; quî eſſe non poſſit maximè ſecundùm naturam, vt illos amemus, per quos & ipſi, qui amamus, ſumus, & id, quod amamus, hoc eſt, noſmet, habemus. Quin-etiam, ſi tantopere eſt ſecundùm naturam, vt quis amantem ſui redamet; quorum nam poteſt amor in nos, quàm parentum, eſſe ardentior? Vt non videatur proinde poſſe iratâ naturâ naſci monſtrum tætrius quàm parentes non amans, ingratúſve in ipſos filius. Sanè &, ſi qui tales ſunt, quî fieri poteſt, vt in ſe redeant, & compunctæ conſcientiæ, ob facinus adeò deteſtabile, ſæuum tortorem non expectiantur? Ex oppoſito verò, quanto eſt neceſſe in medullis intimis perfundatur gaudio, qui totis quaſi viſceribus in Parentes effunditur; cui nihil magis cordi eſt, quàm vt quibuſcumque obſequiis poteſt, ſuam illis gratitudinem, quà venerando, quà amando teſtetur: cuius voluptas vnica eſt, eos afficere voluptate, ac eâ præſertim, quâ ipſis talem filium genuiſſe dulciſſimum ſit! O & quàm gratum, & quanti æſtimandum ille onus ſubit, qui in incendio publico cætera contemnit, & parentem

humeris

Digitized by Google

in pag. 88. humeris ſuis euectum incolumem præſtat: quod feciſſe non modò Æneam apud Poëtas celebre eſt:

6. Æneid. *Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela*
Eripui his humeris, medióque ex hoſte recepi.

Verùm etiam apud Ælianum Catanæos illos Philonomum, & Calliam, cùm Ætnæo igne, Olympiade prima ſupra octogeſimam, graſſante, ſpretis opibus reliquis, apprehenſos Patres per medias flammas extulerunt; quo tempore aiunt, ſeu diuinitùs, ſeu caſu factum fuerit, eueniſſe, vt ignis qua parte ingrediebantur, diuelleretur. Quàm merito iure habiti ſunt Solonis iudicio feliciſſimi fratres illi, Cleobis, & Bithon, non modò ob beatum vitæ exitum, ſed etiam ob ſummam illam voluptatem, quâ perſentiebant ſe exſilire, cùm boum defectu, iugo alligati ſuauiſſimo, currum, quo vehebatur mater, pertraxerunt! Sed nempè exſtant ſatis illuſtria inſignis pietatis exempla, ac cætera inter notiſſimum illud lactantis Patrem filiæ, quod templo Pietatis occaſionem fecit. Inculco heic ſolùm ſingularem lætitiam, quâ neceſſe eſt filium probæ indolis affici, cùm videt Parentes ſui occaſione lætari; affectu nimirum haud abſimili, ac Epaminondas,
a. Adu. Colot. qui, authore Plutarcho, teſtatus eſt erectum à ſe apud Leuctra trophæum nulla re ſibi magis placuiſſe, quàm quod ſuperſtites parentes, qui ea conſpicerent, haberet. Non hæreo porrò in deſcribendis ſpeciatim officiis, quibus liberi aduerſus parentes tenentur; cùm generatim noſſe ſufficiat eſſe illa, Imprimis quidem, vt Parentes venerentur, ac revereantur, tùm eximio animi ſenſu, quo illos ducant maximi, vtputà quaſi ſui Authores, ac Dei vicem in ſe gerenteis; tùm ipſo quoque cultu externo, quo teſtatum faciant, quâ illos dignitate eminere ſupra ſe agnoſcant. Quo ſanè loco eſt commendandum, quod de Cimone memorant, qui cùm aliunde non haberet, vnde paterni cadaueris ſepeliendi ius impetraret, ſeipſum venundederit, illud libertatis pretio redempturus. Quanti nempè oportuit illum Patrem ſuperſtitem æſtimare? Niſi verò dignus non fuit, quem Ethnicorum vnum Lactantius habuerit, in quo vera illa veræ pietatis ſigna elucerent:
Lib. 6. c. 9. *Qui & egentibus*, inquit, *ſtipem dedit, & pauperes nutriuit, & nudos induit.* Deinde, vt illorum iuſſis, ac voluntati obtemperent: Hæc ſcilicet pars eſt præcipua venerationis, ac reuerentiæ; cùm niſi obediant, contemptum teſtentur. Et refragari quidem aut poſſunt, aut debent, ſi Parentes fortè quid iubeant, quod aduerſus Deum, aduerſus patriam, aduerſus fas, & æquum ſit. Verùm & perrarum videtur, vt Parentes tale quid iubeant; & non debet temerè filius ſiniſtram Paterno imperio adhibere interpretationem: & recuſando, moderatione, quæ maximè deceat, excuſare tenetur. Ex hoc autem conſequitur, vt inuitis Parentibus, aggredi nihil debeat, ac in rebus potiſſimùm, quæ ſingularis momenti ſint, cuiuſmodi coniugium eſt. De Iuſtitia. Quippè cùm Parentes quid interſit, nôrint, & præſumendi ſint velle nihil, niſi quod liberis conducat. Conſequitur &, vt ſi quid in parentibus ſit auſterum, importunum, vitioſum, id patienter ferant, & apud alios non eleuent modò, ſed exprobrari etiam non ſinant; vt feciſſe quidem apud Ciceronem, atque Senecam memoratur, qui primus Torquati cognomentum tulit. Offic. 3. 1 De benef. vlt. Cùm enim Parenti eius L. Manlio Pomponius Tribunus plebis diem dixiſſet, quòd cætera inter Titum filium (hoc eſt, ipſummet) ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſſiſſet; ipſe audiens Patri exhiberi negotium, accurrit Romam, & primâ luce Pomponij domum venit: *Cui cùm eſſet nunciatum; quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra Patrem arbitraretur, ſurrexit è lecto, remotiſque arbitris, ad ſe adoleſcentem iuſſit venire. At ille, vt ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, iurauitque ſe illum ſtatim interfecturum, niſi iuſiurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum.* Denique, vt ipſis, ſi quid egeant, ſiue alimenti, ſiue opis miniſtrent; ac in ſenio potiſſimùm; memores nempè eius curæ, ac ſollicitudinis, quâ ſibi ab iis, per infantiam, reliquámque ætatem fuerit miniſtratum: Memores egregiæ illius ſententiæ Ariſtotelis: 9. Eth. 2. *Debere filios parentibus, ea maximè, quæ ad victum ſpectant, ſuppeditare; ac pulcrius eſſe ducere, ſi ipſis ſui authoribus, quàm ſibimet opituleantur; cùm & honorem parentibus, vt Diis immortalibus debeant*: Memores rurſùs illius adagij, quod eſt ἀντιπελαργεῖν, id nempè eſt ex decantata Ciconiarum pietate ſumptum; quaſi æquum non ſit hominem cedere volucri honorem pietatis: Memores denique diuini præcepti, cui conformis eſt antiquus Senarius:

Ἱκανῶς βιώσῃ, γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Senes parentes nutriens, viues diu.

An interim porrò poſſumus videri prætermiſiſſe ipſam Pietatem, Caritatémve in Patriam, quam conſtat eſſe nobis debere ipſis Perentibus cariorem? Nequaquam ſanè; quoniam & de ipſa quidpiam iam antè attigimus, cùm licere etiam accuſare Patrem, ſi aut Patriam prodens, aut occupans, deſiſtere obſecratus nolit: & perſpicuum ſit affectum in Patriam eo nomine pietatem dici, quod patria parens communis ſit; cùm & ipſa ſit quæ nos gignit, educat, ſuo ſinu fouet. Vnde & ex hoc ipſo manifeſtum eſt, cur ea eſſe carior & parentibus, & cognatis, & amicis debeat; quòd nempè & parentum ſit Parens, & vna parentes, cognatos, atque amicos complectatur. Ex quo eſt illud Ciceronis: Phil. 5. *An poteſt cognatio vlla propior eſſe, quàm patria, in qua etiam parentes continentur?* Itemque illud, quod eſt iam

De Iuſtitia. 1. Offic. ſuperiùs ex parte relatum : *Cum omnia ratione, animoque luſtraueris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, quàm ea, qua cum Republica eſt vnicuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; ſed omneis omnium caritates patria vna complexa eſt; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerârunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati ſunt, & fuerunt.*

a De inuen. Succedit OBSERVANTIA, *per quam*, vt habet Cicero, *homines dignitate, ætate, ſapientiâ antecedentes reueremur, & colimus.* Nempè, cùm ex paulò antè dictis, reuerentiæ, & cultus cauſa, aut Præſtantia ſit, aut Beneficentia; Manifeſtum Primò eſt, illos, qui in Dignitate conſtituti ſunt, tùm ipſâ præſtare, tùm plerumque, & quantum ex ipſa dignitate eſt, benefacere. Cùm dignitas enim ex eo ſit dicta, quòd illi digni habiti ſunt, qui & præeſſent, & publico quodam munere fungerentur; Conſtat illos & euehi, & debere munere fungi in publicam vtilitatem, ſeu, quod idem eſt, benefaciendo ciuibus: dum nempè eos regunt, ipſis prouident, liteis dirimunt, hoſteis depellunt, ſecuritatem pariunt, commercia tuentur, rerum abundantiam procurant, & quæ conſimilia his ſunt; idque pro variis gradibus, quibus præeſſe, & fungi poſſunt. Quare illis imprimis eſt honor habendus, qui in Republica principatum tenent, quorúmque eſt adeò cura generalis, & vtilitati omnium deſtinata; ac deinde cæteris quoque, prout quiſque partem adminiſtrationis publicæ demandatam tenet. Debetur verò illis honos, eo Iuſtitiæ titulo, quo, vt
5 Eth. 10. Ariſtoteles adnotat, hæc eſt illis merces, ſeu præmium laborum. Videlicet, cùm ob virtutem, qua tenentur præcellere, eſſe præfecti intelligantur; non pecunia ſanè aut quidpiam pecuniâ æſtimabile eſſe illorum merces poteſt; ſed quæ illis vnica benè adminiſtrandi, ac benefaciendi gloria eſſe pro ſcopo propoſita debet. Quippè, ſi quid aliud requirant, non viri honorabiles, ſed mercenarij, ſeu quæſtuoſi ſunt; vel, ſi illud mavis, quod ab Ariſtotele dicitur, tyranni. Itaque illi ſeu Principes, ſeu Magiſtratus quilibet, ſunt reuerá honore digni, qui nati bono publico, ſaluti ciuium ita ſtudent, vt ipſo honore contenti ſint, neque velint poſſe ſibi obiici, fruſtrà honorem à ſe requiri, ſi mercedem aliam quampiam tulerint, ob compenſationem, quæ aliunde ſit facta. Quamquam, vtcumque ſit, intereſt, vt qui in dignitate conſtituti ſunt, honorentur; cùm niſi fiat, tùm non ſint, qui labores ſuſcipere pro Republica neceſſarios velint; tùm perturbatio, quam reuerentia ſola cohibet, ſit conſequutura. Vnde & hæc eſſe videtur antiquiſſima conſtitutio, vt honos habeatur magiſtratui iuxta illud Euripidis:

In dyct. *Σέβειν τοὺς κρατοῦντας ἀρχαῖος νόμος,*

Antiqua Lex eſt, Principes venerarier: In pag. 88.

Vt proinde haud abs re Sopater apud Stobæum appellârit hunc *πολιτικὴν τιμὴν, ciuilem honorem*; quaſi ſcilicet conſtitutum, ac debitum ciuitatis lege. Ser. 44. Deinde, Manifeſtum quoque, eos, qui ætate antecedunt, eâ re præſtare, quam qui nondum ſunt aſſequuti, aſſequi vehementer cupiant, atque idcircò magni eſſe ducant. Hinc ſenectus eſt ex ſe veneranda, ac tanto magis, quantò ex ſe vt rerum experientiam habet, ita partam habet prudentiam, qua iunioribus conſulat, ac proſit: *Eſt igitur Adoleſcentis*, inquit ille, *maiores natu vereri, exque iis deligere optimos, & probatiſſimos, quorum conſilio, atque authoritate nitatur. Iuuentus enim ætatis inſcientia, ſenum conſtituenda, & regenda prudentiâ eſt. Hac de cauſa Dux ille Græciæ Neſtorem ſemper honorauit præ reliquis proceribus: neque optauit vnquam vt decem ſimileis Aiaci haberet, ſed vt Neſtoris*: quod idem alicubi obſeruat. 1. Offic. In Caton. mai. Nempè ſenectus quidem contemnenda non eſt; quod & ſapiens admoneat eſſe vnicuique cogitandum, fore, vt ipſe quoque ſeneſcat, & par ſit proinde, vt ſenes eo loco habeat, quo haberi ſe cùm ſenuerit velit; ſed illa nihilominus tùm digna præſertim eſt veneratione, cùm non ſolos habet quos oſtentet canos, verùm & conſilio, prudentiâque pollet, & benè actæ vitæ gloriâ commendatur; annoſæ quercui ſimilis, quæ veteres populi exuuias, & ſacra ducum dona geſtans, non validis quidem radicibus hæret,

Sed quamquam primo nutet caſura ſub Euro, Lucan. l. 1.
Tot circum Siluæ firmo ſe robore tollant:
Sola tamen colitur.

Poſtremò Manifeſtum eſt præditos ſapientia, ſeu virtute viros vel ex eo eſſe venerandos, quòd ſola ſapientia, ſiue virtus ſit, ob quam honos verè, iuſtéque habetur. Nam ſeu quis dignitate emineat, ſapientia eſt, ac virtus, quæ ſola, vt dictum iam eſt, euehere ad illam aut potuit, aut debuit, ac ſola euectum facere commendabilem, quatenus illius adminiſtrationem moderatur, poteſt; ſeu ætate ſit iam prouectus, eo maximè honorem meretur, vt etiam mox notauimus, ſi quam ætate longa debuit, ſapientiam comparauerit. *Cùm verò*, vt Philemon ait, *reperire plerùmque liceat, & ſagaceis iuuenes, & hebetes ſenes, quòd Prudentiam*, inquit, *non tempus* (per ſe tamen intellige) *ſed ipſa natura, rectáque inſtitutio doceat*, ideò in quacumque ætate, & ſiue in dignitate, ſiue in priuato vitæ inſtituto virtus, ac ſapientia effulgeat, venerationem, ac honorem meretur. Etenim ipſa quidem ſola eſt ſibimetipſi pulcerrima merces; ſed nun, ſi qui eam obtinent, gloriam, honorémque non ambiunt, ij qui ipſam in illis nôrunt, non ſuſpicere, coleréque tenentur. Siquidem non aliâ ratione iuſtum ipſi tribuerint pretium; neque magni habuerint rem, quâ non alia ſit maioris habenda. Neque enim ſolus; qui inter ſacros Authores Sapientis nomen fecit ſuum, *Potio-* Prou. 3.

rem

Digitized by Google

In pag. 88. *rem eſſe illam argento, auróque puriſſimo docet; pretioſiorem eſſe gemmis omnibus, & quicquid deſiderabile eſt, non poſſe cum ea comparari*; ſed etiam qui habitus eſt inter Philoſophos diui- 9. De leg. nus, autumat *omne, quod ſiue ſupra, ſiue infra terram eſt aurum, non poſſe cum ipſa conferri.* Imò ille quoque qui vulgò audit naturæ Genius, 9. Eth. 1. declarat, vt *nulla pecunia eius æſtimationem metiatur, neque vllum pretium, quod paris ſit momenti, reperiri valeat; eſſe autem ſatis debeat, ſi quod erga Deos, & parentes ſit, id, quod per vires licet, erga eam præſtetur.*

Ad hæc ipſa eſt AMICITIA, de qua & iam eſt aliquid inter Effata dictum, & ſupererit etiam aliquid inter Ratas ſententias dicendum; quò magis in pauca contrahenda ſunt, quæ forent vberiùs hoc loco dicenda. Itaque heic illud præſertim notandum, quod 8. Eth. 7. volunt Amicitiam ſpectare ad Iuſtitiam, quia, Ariſtotele obſeruante, æqualitas quædam dicatur, & ſit: Et certè, vbi vera amicitia eſt, quænam eſſe poteſt æqualitas maior? Etenim, quod ad ipſos quidem amicorum affectus ſpectat; ij pares prorſus inter ſe ſunt; cùm in eo ſit vis amicitiæ omnis, vt ſit *voluntatum, ſtu-* Lib. de Amic. *diorum, ſententiarum conſenſio ſumma*: ac idcircò à Cicerone, cuius verba hæc ſunt, dicatur nihil aliud eſſe Amicitia, quàm *omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum ſine vlla exceptione communitas.* Ad bona verò quod attinet, vox illa, *rerum omnium communitas*, communi adagio conformis, innuere etiam aliquid æqualitate maius videtur; ſcilicet, cùm bona non modò æqualia, verùm etiam eadem ſint. Ac ſunt aliquæ quidem Amicitiæ, quas Ariſtoteles καθ' ὑπεροχὴν, *ſecundùm excellentiam vocat*; hoc eſt, in quibus conditio vnius amicorum eximiè ſupra conditionem alterius excellit. Verùm aut non propriæ Amicitiæ ſunt, ob amorem vnius genere diuerſi ab amore alterius, vt poſſe admittuntur inter Deum, & hominem, Patrem, & filium interuenire (quamquam & in ipſis 8. Eth. 8. & 16. ſufficere Ariſtoteles docet, ſi homo erga Cap. 7. Deum, & filius erga Patrem, cùm nihil poſſit pro dignitate, pro viribus tamen id, quod Cap. 10. poteſt, rependat.) Aut ſi ſint, tunc iuxta Ariſtotelem quidem, debet is, qui potentiâ, dignitatéque eminet, ipsâ virtute concedere, vt compenſatio æqualitatem faciat; ſiue (quod m.liùs poſteà) vt amici inæquales in cæteris, exæquari poſſint in ipſa virtute, quæ in vtroque ſimilis ſit; iuxta Ciceronem verò debet ſe ſuperior parem facere inferiori. *Sæpe enim*, inquit Lælius, *excellentia quadam ſunt, qualis erat Scipionis in noſtro, vt ita dicam, grege. Nunquam ſe ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio antepoſuit, nunquam inferioris ordinis amicis.* Sed nempè raró admodum, vt Ariſtoteles loquitur, tales homines reperiri ſolent. Interim verò id notandum, quod à Cicerone ſubiicitur: *Vt ij, qui ſunt in amicitia, coniunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent; ſic inferiores dolere non* De Iuſtitia. *debere ſe à ſuis amicis aut ingenio, aut fortunâ, aut dignitate ſuperari.* Dixi porrò, *vbi vera amicitia eſt*; quoniam ſunt nonnullæ amicitiæ, quæ non-niſi ſpuriæ, aut, vt Ariſtoteles Cap. 9. habet, καθ' ὁμοιότητα, *ſimilitudine*, dici amicitiæ mereantur. Videlicet, cùm amicitiam aut honeſtas, ſeu virtus; aut vtilitas, ſeu quæſtus; aut iucunditas, ſeu turpis voluptas conciliet (totuplex enim ſolet bonum, quod ab homine ametur, diſtingui) Conſtat eam ſolam amicitiam, quæ bono honeſto, virtutéve paratur, atque adeò inter bonos viros reperitur, eſſe habendam veram. Quippè, cùm vera amicitia, res conſtans, ac perpetua ſit; talis eſſe dumtaxat poteſt, quæ bono conſtanti, ac perpetuo, qualis eſt virtus, nititur; cùm vtilitas, & voluptas, res mutabiles fluxileſque ſint; & aliunde viri boni, ſiue ob virtutem amici, ſeſe inuicem diligant; cæteri autem non tam ſe mutuò, quàm ſuam quiſque vtilitatem, aut voluptatem ament; ſicque amare tùm deſinant, cùm vtilitas, aut voluptas ceſſat. Videri poſſet interim Epicurus hoc loco purgandus, quatenus cenſuit amicitiam διὰ τὴν χρείαν, *ob vſum*, vtilitatémve, comparandam eſſe; ſed res præſtita ſuperiùs iam eſt; cùm declaratum eſt, non eſſe vtilitatem hanc quæſtuoſam, ſed talem, quæ ſpectet dumtaxat ad iucunditatem illam animi, quâ maior nulla alia ex re, quàm ex amicitia poſſit comparari. Nihil heic repeto, ſed attexo ſolum Ciceronis locum, ex quo appareat ipſum quoque (& non tantùm citatum ſuperiùs Ariſtotelem) in eandem-met recidere, quam tantopere improbat in Epicuro opinionem. Quod ſanè non mirum; cùm Epicurus non ita velit amicitiam ex indigentia, imbecillitatéque oriri, quin oriri ſimul velit à natura, eo modo, quo de Societate philoſophati vniuersè ſumus; cùm aliunde & morum, ſtudiorúmque ſimilitudo, quâ nihil amabilius, copulantiúſque eſt, ſecundùm naturam, amicitiam foueat; & conſuetudo altera ſit natura, quæ partim confirmet, partim etiam faciat amicitiam ſtabilem; quippè cùm ſe habeat inſtar habitus, qui à beneuolentia, iuxta Ariſtotelem incipiat, & in amorem, iuxta Ciceronem, deſinat; idque, cùm vterque parœmiam probet celebrem, οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους, πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι, *Multos modios* Cap. 4. *ſalis ſimul edendos eſſe, vt amicitia munus expletum ſit.* Sed locum Ciceronis ecce: *Vna eſt*, inquit, *amicitia in rebus humanis, de cuius vtilitate omnes vno ore conſentiunt. Quamquam à multis ipſa virtus contemnitur, & venditatio quædam, atque oſtentatio eſſe dicitur; multi diuitias deſpiciunt, quos parua contentos tenuis victus, cultuſque delectat: honores verò, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam-multi ita contemnunt, vt nihil inanius eſſe, nihil leuius exiſtiment; itémque cætera, quæ quibuſdam admirabilia videntur,*

De inſti-tu. *permulti ſunt, qui pro nihilo putent. De Amicitia, omnes ad vnum idem ſentiunt, & ij, qui ad Rempublicam ſe contulerunt, & ij, qui rerum cognitione, doctrináque delectantur; & ij, qui ſuum negotium gerunt otioſè; poſtremò ij, qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, ſine amicitia vitam eſſe nullam ſentiunt; ſi modò velint aliqua ex parte liberaliter viuere. Serpit enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia; nec vllam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quin-etiam, ſi quis ea aſperitate eſt, & immanitate natura, vt congreſſus, & ſocietatem hominum fugiat, atque oderit; qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus; tamen is pati non poſſit, vt non acquirat aliquem, apud quem euomat virus acerbitatis ſuæ. Atque hoc maximè iudicaretur, ſi quid tale poſſet contingere, vt aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine vſpiam collocaret; atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam, & copiam; hominis omnino adſpiciendi poteſtatem eriperet. Quis tam eſſet ferreus, qui eam vitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? Verùm igitur illud eſt, quod à Tarentino Archyta, vt opinor, dici ſolitum, noſtros ſenes commemorare audiui, ab aliis ſenibus auditum; Si quis in cælum aſcendiſſet, naturámque Mundi, & pulcritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuauem illam admirationem ei fore; quæ iucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem cui narraret, habuiſſet. Sic natura ſolitarium nihil amat, ſempèrque ad aliquod, tanquam adminiculum adnititur, quod in amiciſſimo quòque dulciſſimum eſt. Sed cùm tot ſignis eadem natura declaret, quid velit, ac quærat, quid deſideret; obſurdeſcimus tamen neſcio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus; eſt enim varius, & multiplex vſus amicitiæ.*

Cùm autem vera Amicitia niſi inter bonos
Cap. 10. non ſit, meritò Ariſtoteles illius conſtantiam ex eo repetit, quòd amici neque res prauas flagitent, neque ſe earum miniſtros præbeant, imò potiùs prohibeant; quoniam bonorum virorum ſit, neque peccare, neque vt amici quicquam peccent, permittere. Neque verò Cicero ſecus; cùm, *Prima lex*, inquit, *amicitiæ ſanciatur, Vt neque rogemus res turpeis, nec faciamus rogati.* Ac iterùm: *Vt ab amicis honeſta petamus; Amicorum cauſâ honeſta faciamus; ne exſpectemus quidem, dum rogemur.* Addit & poſteà: *Vt ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis*; ſubiicítque hæc duo in amicitia tenenda eſſe: *Primum, Ne quid fictum ſit, néve ſimulatum; apertè enim vel odiſſe, magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam. Deinde, Non ſolum ab aliquo oblatas criminationes repellere; ſed ne ipſum quidem, eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum.* Pergit verò (quod & ſuperiùs inter Effata retulimus:) *Accedat huc ſuauitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ; triſtitia autem, & in omni re ſeueritas abſit. Habet illa quidem grauitatem; ſed in amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatē, facilitatémque proclinior.* Poſt modum autem, In pag. 88. quòd multæ cauſæ ſuſpicionum, offenſionúmque dentur; Sapientis eſſe docet, *tùm eas euitare, tùm ferre, ac illam vnam ſubleuandam offenſionem eſſe, vt veritas in amicitia, & fides retineatur. Nam & monendi*, inquit, *amici ſæpè ſunt, & obiurgandi; & hæc accipienda amicè, cùm beneuolè fiunt.* Attende interim quid præclarè habeat, circa Terentianum Senarium:

Obſequium amicos, veritas odium parit:

Moleſta, inquit, *veritas eſt; ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ; ſed obſequium multò moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem adſpernatur; & in fraudem obſequio impellitur. Omnis igitur hac in re adhibenda ratio, & diligentia eſt; primùm, vt monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumeliâ careat. In obſequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter vtimur) comitas adſit; aſſentatio, vitiorum adiutrix, procul amoueatur; quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico viuitur: cuius autem aures clauſæ veritati ſunt, vt ab amico verum audire nequeat, ſalus deſperata eſt. Scitum eſt enim illud Catonis, vt multa, Meliùs de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpè dicere, hos nunquam.* Porrò iſthæc à Cicerone commemorata ex Catone verba, inſinuant duo illa extrema, quæ vtraque Ariſtoteles 1. Magn. mor. 32. Amicitiæ oppoſita facit. Nam φιλία, inquit, 3. Eudem. μεσότης ἔχθρας, καὶ κολακείας, *Amicitia inter Inimicitiam, & Adulationem media intercedit.* Ex 7. 4. Eth. 12. quo efficitur, vt cùm in communi conſuetudine oppoſitos habeat, tùm quos vocat ἀρέσκους, *blandos*, ſeu *placide ſtudioſos*, & δυσκόλους, καὶ δυσερίδας, *moroſos, & pugnaceis*; tùm habitum medium nomine carere, & ſimilitudinem tamen cum amicitia habere dicat. Ac videtur quidem poſſe idem dici de iis, quos vocat ἐπιχαιρεκάκους, καὶ φθονερούς, *gaudenteis malo, & inuidenteis* (ſeu mavis dolenteis de) *bono alterius*: ſed ille medium habitum ſtatuit appellatam Νέμεσιν, quam, defectu alterius vocis, *Indignationem* interpretantur, quaſi ad virum attineat, qui & ob mala, quæ viris bonis; & bona quæ malis videt contingere, indignetur. Sed ad rem vt redeam, Notum eſt, quod habet Agellius, dum occaſione illius ægritudinis animi, quæ Chilonem mox moriturum Lib. 1. c. 3. anxit, quòd aliquando iudex cùm foret, nec perdere amicum reum, nec fraudem legi adhibere volens, non ipſe quidem eum abſoluiſſet, ſed cæteris iudicibus, vt abſoluerent, perſuaſiſſet: dum iſtâ, inquam, occaſione quæſitum ſollicitè à Philoſophis dicit: *An nonnunquam contra ius, contráve morem faciendum pro amico ſit, & in qualibus, & in quibus cauſis, & quem-nam ad vſque modum?* Et quid Cicero quidem hac de re in Officiis ſenſerit, iam retulimus;

Digitized by Google

In pag. 88. tulimus; ſed cauſatur Agellius ipſum ſtrictim, atque curſim tranſgreſſum, cùm in Lælio *Eam eſſe debere inter amicos rerum, conſiliorum, voluntatum communitatem* dixit, *vt, etiam ſi qua fortuna acciderit, vt minùs iuſtæ voluntates amicorum adiuuandæ ſint, declinandum de via ſit, modò ne ſumma turpitudo ſequatur: eſt enim quatenus amicitiæ venia dari poſſit.* Et poſtquàm dixit Periclem pleniùs, quid exiſtimaret, profeſſum, cùm rogatus ab amico, vt pro re, cauſâque eius falſum dejeraret: Δεῖ με, inquit, *συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν*: *Opitulari me amicis, ſed ad vſque Deos* (ſeu, vt aiunt, vſque ad aras) *oportet*: tùm ait Theophraſtum, ex cuius libris de Amicitia Cicero multa deſumpſerit, exactiùs, preſſiúſque rem ediſſeruiſſe. Iuuat autem ipſam Theophraſti ſententiam heic apponere, quam fuiſſe ille refert ad hunc fermè modum: *Parua*, inquit, *& tenuis vel turpitudo, vel infamia ſubeunda eſt, ſi ea re magna vtilitas amico quæri poteſt; rependitur quippè, & compenſatur leue damnum delibatæ honeſtatis maiore aliâ, grauioréque in adiuuando honeſtate; minimáque illa labes, & quaſi lacuna famæ imminentis, partarum amico vtilitatum ratione ſolidatur. Neque nominibus*, inquit, *moueri nos oportet, quòd paria genere ipſo non ſunt honeſtas meæ famæ, & rei amici vtilitas ponderibus: hæc enim poteſtatibúſque præſentibus, non vocabulorum appellationibus, neque dignitatibus generum diiudicanda ſunt. Nam cùm in rebus aut paribus, aut non longè ſecùs vtilitas amici, & honeſtas noſtra conſiſtit, honeſtas procul dubio præponderat: cùm verò amici vtilitas nimio eſt amplior; honeſtatis autem noſtræ in re non graui leuis iactura eſt; tunc quod vtile amico eſt, id primùm illo, quod honeſtum nobis eſt, fit pleniùs; ſicuti magnum pondus æris paruâ laminâ auri fit pretioſius.* Prætereo interim, quod Agellius ad memoratum Chilonem hanc ſententiam refert: *Hac finiamus, tanquam fortè fortuna oſurus: hac itidem tenus oderis, tanquam fortaſſe pòſt amaturus*; ſic haberi apud Ciceronem: *Ita amari oportere, vt aliquando eſſet oſurus*; ſed addi, illam, cùm putetur Biantis, videri tamen potiùs eſſe *impuri cuiuſdam, aut ambitioſi, omnia ad ſuam potentiam referentis*; idque reprehenſione ex Scipione præmiſſa; qui negârit *vllam vocem inimicorum amicitiæ potuiſſe reperiri*. Vnde & fit, vt poſtquam deinceps exſiſtere dixit quæſtionem ſubdifficilem: *Num quandò, amici noui digni amicitia, veteribus ſint anteponendi, vt equis vetulis teneros anteponere ſolemus?* hiſce verbis reſpondeat; *Indigna homine dubitatio; non enim amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum ſatietates. Veterrima quæque, vt ea vina, quæ vetuſtatem ferunt, eſſe debent ſuauiſſima; verumque eſt illud, quod dicitur, Multos modios ſalis, &c. Nouitates autem, ſi ſpem afferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ; vetuſtas tamen ſuo loco conſeruanda eſt: Maxima eſt enim vis vetuſtatis, & conſuetudinis. Atqui in ipſo equo, cuius modò mentionem feci, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſueuit, libentius vtatur, quàm intractato, & nouo. Nec modò in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet; cùm locis etiam ipſis montoſis delectemur, & ſiluestribus, in quibus diutiùs commorati ſumus.* De Iuſtitia.

Cùm ſuperſit iam aliquid de ipſa Gratitudine, grative animi affectione, quæ recenſitas hactenus adnexas Iuſtitiæ virtutes vnà complectitur, dicendum; videtur tamen aliquid priùs de Beneficentia ac Liberalitate, quam habenda gratia ſupponit, attingendum eſſe. Itaque ſolet generaliùs Beneficentia accipi pro ea naturæ bonitate, quæ in alio ſeu operâ; ſeu opibus, ac ſpeciatim pecuniâ adiuuando, verſatur; Liberalitas verò ſpecialius pro ea, quæ non tam eſt ſita in præſtanda opera, quàm in opibus, pecuniâque imprimis largiendis. Sic certè Ariſtoteles, vt obſeruatum ſuperiùs eſt, Liberalitatem vſurpat; dum illud ipſius diſcrimen à Magnificentia inſtituit, quòd cùm iſta ſit generatim circa actiones ſumptuarias, ipſa ſit ſpeciatim circa largitionem pecuniæ, aut rerum, quas pecunia metiatur. Videtur etiam Cicero interdum Liberaliratem ad ſolam pecuniæ, aut opum largitionem referre; cùm, *Omninò*, inquit, *duo ſunt genera largorum; quorum alteri prodigi dicuntur, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationúmque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſunt relictura omninò: Liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum cauſâ, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda:* Verùm ſic aliàs Beneficentiam, Liberalitatémque coniungit, vt pro eadem re habeat; imprimiſque, cùm non multò antè verba mox recitata proponit de Beneficentia, Liberalitatéque dicendum: *Cuius*, inquit, *eſt ratio duplex; nam aut operâ benignè fit indigentibus, aut pecuniâ.* Vide autem, vt has rationes præclarè inter ſe comparet: *Facilior eſt hæc poſterior*, inquit, *locupleti præſertim; ſed illa laudatior, ac ſplendidior, & viro forti, claróque dignior. Quamquam enim in vtroque ineſt gratificandi liberalis voluntas; tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur; largitióque, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur, qua quò in plureis vſus ſis, eò minùs in multos vti poſſis. At, qui operâ, virtute, induſtria benefici, & liberales erunt; Primùm, quò pluribus profuerint, eò plureis ad benignè faciendum adiutores habebunt. Deinde conſuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad benè de multis promerendum.* Vide & quem præclarum ſubinde ex quadam Philippi ad Alexandrum Epiſtola citat, & amplificat locum: *Quæ te, malum*, inquit

4. Eth. 1.

1. Offic.

De Iuſtit. quit Philippus, *ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecuniâ corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones non te Regem ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem putent?* Cùm Cicero porrò diſtinguit duo largorum genera, videtur habere Liberalitatem, & Prodigentiam, ſeu Prodigitatem (ſeu etiam, vt vulgò, Prodigalitatem) non Ariſtoteleo more, vt medium, & extremum alterum, ſed ſolum vt duas Largitionis, ſiue Munificentiæ ſpecies, cui vtrique Parcitas, ſeu Auaritia opponatur: nempè cùm Parcitas Largitati vniuersè oppoſita ſit. Nihil obeſt verumtamen, quò minùs *Liberalitatem*, τὴν ἐλευθεριότητα habeamus cum Ariſtotele tanquam medium, cui ex vna parte opponatur ἡ ἀνελευθερία, *Illiberalitas*, hoc eſt, *Auaritia*, ſeu Parcitas nimia; & ex alia ἡ ἀσωτία, *Perditio*, hoc eſt, *Prodigentia*, ſeu nimia Profuſio: quatenus vtrimque non tenetur modus, ſed heinc quidem defectus eſt, illeinc exceſſus largitionis: & mediocritas eſt, vbi cui, quantum, cuius gratiâ, quo tempore, & quemadmodum quidpiam largiri decet, largimur. Quam-
3 Eth. 8. quam, ne Ariſtoteles quidem diffitetur, quin, cùm plerumque extremorum vnum magis opponatur ipſi medio, quàm alterum, ipſa Auaritia maiorem cum liberalitate oppoſitionem, quàm Prodigitas habeat; ex quo efficitur, vt ille habeat Prodigum paulò melio-
4 Eth 3. rem, quàm Auarum; idque non modò, quia prodigus multos, auarus neminem, & ne ſeipſum quidem iuuet; verùm etiam quòd prodigus reuocari facilè ſatis ad ſanitatem valeat; ſeu illum nimirùm maturior ætas corrigat; ſeu inopia, ad quam ſe redigit, cogat; ipſe autem auarus ex oppoſito, tantum abeſt, vt ætatis progreſſu fiat liberalior, quin potiùs auarior euadat, & diuitiarum cumulatio ipſi quaſi hydrops non illarum ſitim extinguat, ſed augeat. Adeò proinde, vt iure aua-
Ibid. & 1. magn. mor. 15. 3 Eudem. 4 rus apud Ariſtotelem dicatur φειδωλὸς, γλίσχρος, κίμβιξ, κυμινοπρίστης, αἰσχροκερδὴς, μικρολόγος, σκαριφολογιστὴς, ἀποστερητὴς, *parcus, tenax, ſordidus, turpis lucri cupidus, paruas impenſas magnifaciens, deceptor, depilator*, & plura. Prætereo autem, quod idem docet & Auarum, & Prodigum poſſe tam donando, quàm accipiendo non tenere modum; ac Liberalitatem magis in largiendo iis, quibus eſt largiendum, quàm in accipiendo, à quibus accipiendum eſt; aut non accipiendo, à quibus non eſt accipien-
4 Eth. 1. dum, conſiſtere; quia *Virtutis*, inquit, *magis proprium eſt benefacere, quàm beneficium accipere; & vniuersè agere honeſta, quàm non agere turpia.* Itemque, quod exinde deducit, Prodigum quidem donando excedere, accipiendo deſerere; Auarum autem accipiendo excedere, donando deſerere modum. Id inquam prætereo, & treis potiùs cautiones, quas ad Be-
1. Offic. neficentiam, ac Liberalitatem Cicero præmittit, ſubiungo. Prima eſt, *Ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus benignè videbitur fieri; & cæteris.* Nam gratificari cuipiam, quod obſit, *In pag 88.* non viri benefici eſt, ſed pernicioſi aſſentatoris; cùm neque minùs damnandum ſit cuipiam procurare (aut etiam optare) aliquid incommodi, vt ſit quod deinceps gratificari poſſis. Nocere autem aliis, vt ſit, quod aliis gratificeris, quod plerîſque in vſu eſt; id perinde iniuſtum eſt, ac ſi in rem tuam aliena conuertas. Altera, *ne benignitas maior ſit, quàm facultas.* Alioquin enim, vt eſt iam dictum, benignitatis fons exhauritur; ac prætereà fit proximis iniuria, quibus æquius eſt ſuppeditari, & relinqui cópias; & ex hoc plerumque naſcitur cupiditas rapiendi per iniuriam, quod ſuppetere ad largiendum poſſit. Tertia, *vt Beneficium non ſine delectu tribuatur.* Nam ſi collocetur quidem beneficium apud malos, atque adeò indignos, tùm locum habet illud Ennij,

Benefacta malè locata, malefacta arbitror:

Et cùm nemo aliunde negligendus ſit, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat; attendendi tamen ij maximè ſunt, quos modeſtia, & iuſtitia commendat: Cúmque beneficium apud bonos, quàm apud fortunatos collocare ſit longè melius; debet ſanè eſſe benignitas in calamitoſos propenſior, quàm in eos, qui nullis ſuis rebus aduerſis, res meliores quærunt; ac, ſi cætera paria ſint: *Hoc maximè officij eſt*, inquit ille, *vt quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimùm opitulari: quod contra fit à plerîſque: quò eum plurimùm ſperant etiamſi ille his non egeat, tamen potiſſimùm inſeruiunt.* Addo autem, quod præclare docet Seneca, 1. De Benef. 5. *Multum intereſſe inter Materiam beneficij, & Beneficium*: quoniam non aurum, non argentum, non quidpiam tale, Beneficium ſit; ſed ipſa tribuentis voluntas. Et ſanè, ſi quis, vt Ariſtotelés monet, furtuitò, coactúſve det, 1. Rhet. 7. quî reputari beneficus, beneficiſque largitor poſſit? Quî, pari modo, ſi ſui cuiuſpiam emolumenti causâ faciat: cùm fœnerator, non benefactor ſit? Quî rursùs, niſi aut vltrò occurrat, aut certè rogatus, & libenter, & citò, & ſine hæſitatione opem ferat? Niſi arbitris potiùs ſepoſitis, quàm conclamatis, donet? Ac niſi id quod donat, extenuet potiùs, quàm iactet, ac verbis augendo veluti diuendat? *Multos*, inquit ille, *experimur ingratos? Plures* Sen. c. 1. *facimus: quia aliàs graues exprobratores, exactoréſque ſumus: aliàs leues, & quos paulò pòſt muneris ſui pœniteat: aliàs queruli, & minima momenta calumniantes. Ita omnem gratiam corrumpimus, non tantum poſtquàm dedimus beneficium, ſed dum damus. Quis enim noſtrum contentus fuit aut leniter rogari, aut ſemel? Quis non, cùm aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit? &c.* Ac ſtatim: *Gratus eſſe aduerſus eum quiſquam poteſt, qui beneficium aut ſuperbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt moleſtia careret, dedit?*

Verum, vt tandem de ipſa quoque GRATITVDINE quidpiam dicam; haud abs re innui ipſam vnam, Religionem, & cæteras deinceps

In pag. 88. inceps deductas virtutes complecti : Id quippè Authore Cicerone factum, cuius verba hæc in Oratione pro Plancio leguntur. *Cùm omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam; tùm nihil eſt, quod malim, quàm me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt enim vna virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt Pietas, niſi voluntas grata in Parentes? Qui ſunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria benè merentes? niſi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui Sancti, qui Religionem colentes? Niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam iuſtis honoribus, & memori menti perſoluunt? Quæ poteſt eſſe iucunditas vitæ, ſublatis Amicitiis? quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Quis eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur? Cuius opes tanta eſſe poſſunt; aut vnquam fuerunt, quæ ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint; quæ certè ſublatâ memoriâ, & gratiâ, nulla exſtare poſſunt.* Hæc verò cùm ita ſe habeant, intelligi profectò licet, nullum officium eſſe magis referendâ gratiâ neceſſarium poſſe. Quippè licet is, qui beneficium dat, aliud quidpiam non exigat, conſequíve, dando, contendat; at videtur tamen ſibi polliceri, iuréque expectare gratum animum, quem niſi accipiens referat, ſit prorsùs iniquus. Quin-etiam, tametſi qui dat, compenſationem nullam depoſcat, non liberatur tamen accipiens obligatione compenſandi, quibuſcumque officiis licet. Sanè, ſi iubet Heſiudus ea, quæ vtenda acceperis, maiore menſura, ſi modò poſſis, reddere: *Quid-*
1.Offic. *nam beneficio prouocati*, inquit Cicero, *facere debemus? An non imitari agros fertiles, qui multò plus ferunt, quàm acceperunt? Etenim, ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt? Nam, cùm duo genera liberalitatis ſint, vnum dandi beneficij, alterum reddendi: demus, nec-ne, in noſtra poteſtate eſt: non reddere, viro bono non licet.* Et quoniam requires, quomodo non liceat, ſi aut officium vetat, aut quod eſt frequentius, reddendi
1.De benef. 1. impotentia ſit? Ad hoc reſpondet Seneca: *Illum beneficium reddere, qui libenter debet: eſſe enim ad liberandum fidem, non facultatibus, ſed*
3. Offic. *animo opus.* Imò & Cicero, cùm *Inops*, inquit, *ſi bonus eſt vir, etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt*: vnde & dixiſſe commodè, quis-quis id dixit, ſubiungit: *Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe; qui reddidit, non habere; gratiam autem & qui retulit, habere, & qui habeat retuliſſe.* Quid, quòd fieri exinde poteſt, vt beneficium accipiens, non ſit ipſo
5.Benef. 3. dante inferior: *Si nimirum ſciat*, vt Seneca ait, *debere: ſi referre velit: ſi quod rebus non po-*
Cap 4 *teſt, animo æquet.* Nam *beneficia*, inquit, *fortaſſe beneficiis victa ſunt, ſi inter ſe data, & accepta computes: ſi dantem, & accipientem compa-*
raueris, quorum animi & per ſe æſtimandi ſunt, penes neutrum erit palma. De Inſtitu. Lib. 1. c. 4. Docet quin-etiam eos, qui accipiunt, poſſe *eos, quibus obligati ſunt, re, animóque non tantum æquare, ſed vincere.* Benè autem admonet, quamvis illum gratiam retuliſſe dixerit, qui beneficium libenter accepit; iubere ſe tamen aliquid ſimile ei, quod accepit, reddere: *Nam voluntati*, inquit, *vo-* Lib. 2. c 35.
luntate ſatisfecimus; rei rem debemus: ſed intellige ſemper quantum licet, vel quantum indiget is, qui dedit. Siquidem etiam fœlicibus, etiam Regibus gratia redditur, *Dum quis ex-* Lib 6. c. 29.
hibet, quod ille quoque habet, *fidele conſilium conuerſationem aſſiduam, ſermonem comem, & ſine adulatione iucundum: aureis, ſi deliberare velit, diligentes; tutas, ſi credere; conuictus familiaritatem.* Et, *Omnia ſanè excluſerit*, inquit, *opulen-* Cap 30.
ta fœlicitas: monſtrabo tibi cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia, quod omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat. Et ſtatim; *Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa: dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, aut diſſuadet, &c.* Ac rursùs: *Ingentia ſuper ſe, ac ſuos regna fregerunt, nec intellexunt in illa ſcena, & vanis, & citò diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos nihil non aduerſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt.* Et poſteà: *Quæris quid fœlici præſtare* Cap. 33.
poſſis? Effice, ne fœlicitati ſuæ credat; vt ſciat illam multis, & fidis manibus continendam. Parumne in illum contuleris, ſi illi ſemel ſtultam fiduciam permanſuræ ſemper potentiæ excuſſeris, docuerisque mobilia eſſe, quæ dedit caſus, & maiore curſu fugere, quàm veniant, &c. Denique; *Neſcis quantum ſit pretium amicitiæ, ſi non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, ſed ſæculis raram, quæ non alicubi magis deeſt, quàm vbi creditur abundare.*

Sed hoc vt mittam, id non tacendum, 8.Eth.15.
quod Ariſtoteles requirit: *Vtrùm beneficium, illius, qui accepit, vtilitate; an eius, qui dedit liberalitate metiri oporteat?* nempè cùm ferè ſoleat à dante magnificeri, ab accipiente extenuari. Etenim, vt ipſe reſpondet, In illis quidem amicitiis, quæ vtilitate parantur, & conſtant, accipientis vtilitate metiendum beneficium eſt; quoniam & ipſe eſt, qui eget; & qui illum iuuat, tanquam parem gratiam recepturus, iuuat. At in amicitiis, quæ virtute conſtant, partim nullæ eiuſmodi audiuntur querimoniæ; partim beneficium ipſa dantis voluntate expendendum eſt, quòd, de virtute dum agitur, principem locum voluntas teneat: vnde & efficitur, vt ſeu quis parua, ſeu magna det, beneficium ſemper ſit magnum ex voluntate magna habendum. Quærit rursùs, *Sodáli-ne, an benefactori ſub-*
ueniendum ſit, ſi vtrumque pari neceſſitate te- 9.Eth. 2.
neri contingat? Cùm reſpondeat autem eſſe ipſi potiùs benefactori gratificandum; vt mutuum reddendum creditori potiùs, quàm ſodali donandum eſt: *Sed quid*, in-

De inſti-tu. quit, *ſi redemptor tuus, aut pater redimendus*
ſit, & niſi alterum redimere non poſſis? Pater,
inquit, potiùs redimendus eſt; quòd hæc ſpe-
cies quædam neceſſitatis ſit, illa honeſtatis;
honeſtas autem neceſſitati concedat. Quærit
&, *cur Benefici magis eos ament, quibus benefe-*
Cap.7. *cerint, quàm ab iis amentur?* Reſpundet verò
cauſam peti, non ex eo, quòd, vt aliqui
volunt, illi quaſi creditores, iſti quaſi de-
bitores ſint; & debitores mortem credi-
torum exoptent; creditoribus ſalus debi-
torum ſit curæ: quoniam creditores non
amant; ſed ſaluos dumtaxat debitores vo-
lunt, ne quod ab ipſis debetur, pereat: ve-
rùm ex eo, quòd benefici ſe habeant vt ar-
tifices, qui ſuum quiſque opus vehementiùs
amant, quàm ab ipſo, ſi animatum ex ina-
nimo fieret, amarentur (quod maximè for-
tè Poëtis contingit: *Perditè enim*, inquit, *ſua*
opera amant, ipſa, vt liberos, depereuntes,) illi
autem qui ſunt affecti beneficio, veluti eo-
rum opus ſint, qui beneficium contulerunt.
Porrò, vt prætercam, tùm quod ipſe attin-
5.Eth 8. git de Gratiarum templo palàm in vrbe con-
ſtituto, vt gratiæ reddendæ monimentum ſit
(& Gratiis præſertim conuerſis ad ſe inui-
cem, vt innuatur beneficium benè colloca-
tum, benè redditum, nouum interim pro-
uocare) tùm etiam, quod de iiſdem Gratiis
3.De be-nef c 6. 7. &c. refert, mittítque Seneca: Attingo dumtaxat,
quod iſte & quærit & prolixè probat: *Cur*
actio non detur aduerſus ingratum? Nempè *hoc*
frequentiſſimum crimen, inquit, *nuſquam puni-*
tur, vbique improbatur; ſed cùm difficilis eſſet
incerta rei æſtimatio, tantum odio damnauimus,
& inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos
mittimus. Quas verò rationes ſubinde dedu-
cit, eæ ſunt, Quòd pars optima beneficij pe-
reat, ſi actio, ſicut certæ pecuniæ, aut, ex
conducto, aut locato detur: cùm ſi prouo-
care ad iudicem liceat, non iam beneficium,
ſed creditum ſit. Quòd cùm honeſtiſſima res
ſit referre gratiam, honeſta eſſe deſinat, ſi
neceſſaria ſit; neque enim quis magis lau-
dabit gratum hominem, quàm eum, qui de-
poſitum reddit. Quòd omnia alioquin fora
ſuffectura non ſint; cùm nemo ſit futurus,
qui non agat; nemo, quicum non agatur;
omnibus extollentibus ſua. Quòd ſæpè &
qui reddit, ingratus, & qui non reddit gra-
tus ſit; & ſæpè maius beneficium ſit, pauca
dare, quàm magna; neque affectus dantis ca-
dere in æſtimationem ſic valeat, vt in tanta
demetendi varietate, iudex definire quid,
quale, quantum, quomodo, quando redden-
dum ſit, poſſit. Quòd non expediat notum
fieri, quam-multi ingrati ſint, ne pudorem
rei multitudo peccantium tollat, & probri
loco eſſe deſinat, quod commune ſit male-
dictum: vt nulla fœmina repudio erubuit,
poſtquàm id eſſe deſiit rarum. Quòd pœna
illi non parua ſit, non audere ab vllo benefi-
cium petere, nulli audere dare: oculis deſi-
gnari omnium, aut deſignari ſe iudicare: te- In pag.
ſteis ingratorum omnium Deos metuere; 88.
vri, & angi beneficij intercepti conſcientiâ;
intellectum optimæ rei, ac dulciſſimæ ami-
ſiſſe.

Quæ videri heic adiicienda poſſent de Af-
fabilitate, Comitate, & ſimilibus, intelligi
poſſunt ex iis, quæ de Manſuetudine dicta
ſunt: ſufficítque, vt coronidis vice locum Se-
necæ apponamus, quo omnia penè hominis
in hominem officia intelligi poſſint contineri.
Quid agimus, inquit, *quæ damus præcepta? Vt* Epiſt.95.
parcatur ſanguini humano? Quantulum eſt, ei
non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet
laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipie-
mus, vt naufrago manum porrigat; erranti viam
monſtret; cum eſurienti panem ſuum diuidat?
Quando omnia, quæ præſtanda ſunt, ac vitanda,
dicam; cùm poſſim breuiter hanc formulam huma-
ni officij tradere? Omne hoc, quod vides, quo diui-
na, atque humana concluſa ſunt, vnum eſt: mem-
bra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos
edidit, cùm ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc
nobis amorem indidit mutuum, & ſociabileis fecit.
Illa æquum, iuſtúmque compoſuit; ex illius conſti-
tutione, miſerius eſt nocere, quàm lædi; & illius
imperio paratæ ſunt ad iuuandum manus. Iſte ver-
ſus & in pectore, & in ore ſit;

Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.

DE LIBERTATE, FORTVNA, ac Fato.

℣.12. Ἐπεὶ, τίνα νομίζεις. Continetur heic
quaſi quædam hactenus dictorum
in Epiſtola ἀνακεφαλαιώσεως, ac vnà habetur in-
troductio ad diſſertatiunculam de Fato, For-
tuna, Liberóque arbitrio. Et quod ad Sum-
mariam quidem recenſionem eorum, quæ
pertractata huc vſque ſunt, ſpectat, ipſa eſt,
quam Turquatus apud Ciceronem imitari 2.De fin.
videtur, dum concluſurus ſuam illam de re-
bus Moralibus iuxta Epicurum diſputatio-
nem; poſtquam illud præmiſit: *Igitur neque*
ſtultorum quiſquam beatus, neque ſapientum non
beatus: multóque hoc meliùs nos, veriuſque, quàm
Stoici: Illi enim negant bonum quidquam eſſe, niſi
neſcio quam illam vmbram, quod appellant hone-
ſtum, non tam ſolido, quàm ſplendido nomine: vir-
tutem autem nixam hoc honeſto, nullam requirere
voluptatem, atque ad beatè viuendum ſeipſa eſſe
contentam, tùm pergit: *Sed poſſunt hæc quadam*
ratione dici non modò non repugnantibus, verùm
etiam approbantibus nobis; ſic enim ab Epicuro
Sapiens beatus ſemper inducitur: Finitas habet
cupiditates: negligit mortem: De Diis immortalibus
ſine vllo metu vera ſentit: non dubitat, ſi ita meliùs
ſit, de vita migrare. His rebus inſtructus, ſemper in
voluptate eſt: neque enim tempus eſt vllum, quo non
plus habeat voluptatis, quàm dolorum: nam & præte-
rita gratè meminit, & præſentibus ita potitur, vt ani-
maduertat, quanta ſint ea, quamque iucunda, neque
pēdet ex futuris, ſed exſpectat illa, fruitur præsētibus
ab

In pag. 88. *ab iiſque vitiis, quæ paulò antè collegi, abeſt plurimùm; & eùm ſtultorum vitam cum ſua comparat, magna afficitur voluptate: Dolores autem; ſi qui incurrunt, nunquam vim tantam habent, vt non plus habeat ſapiens, quod gaudeat quàm quod angatur.* Imitari etiam videtur apud eundem Epicureus Zeno, quatenus dicere ſolitus perhibetur: 3. Tuſc. *Eum eſſe beatum, qui præſentibus voluptatibus frueretur, conſiderétque ſe fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente: aut, ſi interueniret, ſi ſummus foret, futurum breuem: ſi productior, plus habiturum iucundi, quàm mali: hæc cogitantem fore beatum: præſertim, ſi antè perceptis bonis contentus eſſet, nec Deos extimeſceret.* Imò & videtur ipſe Seneca, Epiſt 75. dum ad cuiuſdam Epiſtolæ calcem: *Non cupiditas,* inquit, *nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec Deos: ſciemus mortem malum non eſſe: Deos malos non eſſe. Tam imbecillum eſt, quod nocet, quam cui nocetur, &c.*

℣. 20. Βραχεῖς τιὼ ᾗ, pro Βραχίςlw. Sic enim optimè MSS. cùm & ſit perſpicuum vocem Βραχεῖς neceſſariam eſſe ad illam antitheſin, ἢ χρόνος, ἢ πόνος, ac ſecus non poſſe ſenſum congruum cum ſuccedente membro quadrare. Prætereo autem eandem ſententiam cùm inter Ratas numerari; tùm à Torquato exprimi; 1. De fin. quòd nimirum, *Dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis ſoleat eſſe: vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allenatio conſoletur:* eùm & poſteà ab ipſo Cicerone breuiùs, *Si grauis, breuis; ſi longus, leuis.*

Lib. 2. ℣. 22. ἀνάγκlw μη εἶν, &c. ad vſque παρ' ἡμᾶς, pro ἀγγέλλοντ@ ἃ μὲν κατ τύχης, ἃ ᾗ. Quippè nullus alioquin ſenſus; & manifeſtum eſſe videtur vocem Ανάγκην fuiſſe ſupplendam, quòd & disertè ſtatim ipſa neceſſitas cum eiſdem, hoc eſt, cum Fortuna, & Eo, quod in nobis eſt, comparetur; & ipſa proinde ea ſit δεσπότης, quam ab aliquibus inductam Epicurus conqueritur. Et quos ille quidem intellexerit, Stoïci videri potiſſimùm poſſent: ipſis ſiquidem eius æmulis, vix vlli fuêre Neceſſitatis, ſeu Fati aſſertores acriores. Et res vel ex eo confirmari poſſet, quod Balbum Stoïcum alloquens apud Ciceronem Velle- 1. De nat. Deor. ius: *Itaque,* inquit, *impoſuiſtis ceruicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies, noctéſque timeremus.* Et ſtatim: *Hinc vobis exſtitit primùm illa fatalis Neceſſitas, quàm* Εἱμαρμένlw *dicitis, vt quicquid accidat, id ex æterna veritate, cauſarúmque continuatione fluxiſſe dicatis.* Vt interim taceam, quod Agellius refert aliarum Lib 6. c. 2. opinionum, diſciplinarúmque Authores Chryſippo obſtrepere; videri penè poſſe ex hoc Epicuri loco deſumptum; ac præſertim quà obiicitur, *Eſſe iniquè pœnas conſtitutas legibus, ſi omnia condicenda ſunt Neceſſitati eandam, & inſtantia, quæ oritur ex Fato: omnium quæ ſit rerum Domina, & arbitra, per quam neceſſe ſit fieri quicquid futurum eſt, &c.* Verumtamen, quòd ſtatim pòſt eſſe autumat præſtabilius adhærere fabulis, quàm *Phyſicorum Fato ſeruire,* ij poſſunt iidem reputari, cum Phyſicis illis antiquioribus, Democrito, Heraclito, Empedocle, quos Cicero citat in eandem ſententiam, *De Libertate, Fortuna, & Fato.* Lib. de Fato. Ariſtotelem ipſis copulans, cùm deberet potiùs Leucippum, quem audiuit Democritus, & quem non longè ab initio Epiſtolæ ad Pythoclem, intellexiſſe Epicurum ſuo loco declarauimus, dum *vnum* dixit *Phyſicorum.* Nempè Leucippus quoque omnia neceſſitate fieri docuit, vti apud Stobæum eſt, qui Ecl. Phyſ. & Parmenidem aliunde Democrito adiungit: ne aliquid dicam de Thalete, & aliis. Dico autem hos potiùs; nam Ariſtotelis quidem fuiſſe aliam de Neceſſitate ſententiam, tùm Naudæus noſter præclarè oſtendit; Iatrophil. q. 5. tùm intelligi licebit ex iis, quæ erunt poſteà de illius opinione commemoranda.

℣. 5. ἀπολάμβανε, pro ἀπολαμβάνων, vt vide- Pag. 85 licet verbum ſit, quicum conſiſtat participium inſequens νομίζων, & ſenſus alioqu[i]n obſcurus, efficiatur non-nihil clarior; ac præſertim quidem, adhibita parentheſi illa, quæ cœpta à verbo εἶναι, impersonali facto ex εἶναι, deſinat in χωρηγεῖσθαι, & præmiſsâ verbo δίδοσθαι particulâ μὴ, vel ex indicatione aduerſatiuæ, quæ ſtatim ſequitur, μέντοι.

Cùm in hocce porrò contextu de Fato, Fortuna, Liberóque Arbitrio agatur; quæ tria aliquibus cauſæ, aliquibus modi agendi cauſarum, aliquibus vana nomina habentur; ideò videtur operæ pretium quidpiam de illis attingere; & maximè quidem, cùm prout quis ipſa aut admiſerit, aut expunxerit, aliquæ ſint inter homines futuræ virtutes, aut nullæ; quædam, aut nulla vitia; atque adeò quædam, aut nullæ actiones, quæ cenſeri poſſint, aut debeant laudem, vel vituperium; præmium, vel ſupplicium, mereri. Nimirum ea ſola eſſe laudabilia, aut vituperabilia conſtat, quæ deliberatò, ac liberè aguntur; neutrum eſſe, ſi quid fortuitò, aut ex neceſſitate fiat. Ac reiicitur quidem primo loco ab Epicuro Neceſſitas, quam & Fatum ſubinde vocat, vt ab ea deinde eximat actiones tam Fortuitas, quàm Liberas. Sed commodum fortaſſis erit de iſtis ita dicere, vt cùm priùs in quo Libertas, in quo Fortuna ſita ſit, ac etiam in quo Fatum variè conſtituatur, nouerimus; conſtet quî non modò Fortuna, ſed etiam Libertas aut cum Fato pugnet, aut poſſit eum eo conciliari.

Vt à Libertate ergo exordiamur, perſpicuum eſt, illam præcisè hoc loco non intelligi, quæ Græcis eſt Ἐλευθερία, ac Seruituti oppoſita, attinet propriè ad ipſum corpus, eaque eſt, quæ & definitur *poteſtas viuendi vt velis* (ſic certè Cicero videtur illam Græcorum ἐξουσίαν αὐτοπραγίας interpretari) & P. rad. 5. ff de ſtat. hom.

De Liber. tate, Fortun. & Fato. ab ipſis Iuriſconſultis de hominum ſtatu cùm agunt, intelligitur; verùm illam, quam Græci ſolent appellitare τὸ ἐφ' ἡμῖν, vel, vt Epicurus hoc loco, τὸ παρ' ἡμᾶς, *Id, quod in nobis, ſeu penes nos, noſtróve in arbitrio, poteſtatéque ſitum eſt*; tale nempè quod in animo ſit, neque dominis externis obnoxium; quodque adeò ſit In Enchirid. ſolùm verè, vt verbis Epicteti dicam, ἐλεύθερον, ἀκώλυτον, ἀπαραπόδιστον, *liberum, & quod prohiberi, impedirique nullatenus valeat*. Dicunt prætereà illi interdum, vt ἑκούσιον, ſic τὸ ἐξούσιον, & αὐτεξούσιον, quaſi dicas, *plenam, atque integram quidpiam agendi facultatem*. Latinis autem, ac Theologis præſertim, familiare eſt, vt vocent Liberum Arbitrium. Cæterùm, vt iſto præſertim nomine de illa dicamus; videtur quidem Arbitrij voce, quatenus ab arbitrando deducitur, intelligi propriè iudicium, quod de re ancipiti fertur; vnde & dicere ſolemus eſſe in rebus dubiis, boni viri Arbitrio ſtandum; & ſedens iudex inter parteis, quæ de illo ambiguo contendunt, Arbiter vocatur. Verùm quia iudicium, ſeu mavis iudicatio, eſt actio, quæ à facultate in nobis exſiſtente elicitur; heinc fit, vt tranſlata in facultatem voce, ipſa Ratio, quæ eſt in nobis iudicans facultas, appelletur Arbitrium. Quoniam verò Ratio, quæ idem aliunde cum Intellectu, ac Mente eſt, verſatur non rebus ad ſpeculationem pertinentibus, ſed etiam in iis, quæ in actionem cadunt; ideò videtur Arbitrij vox ipſi præſertim tribui reſpectu rerum agendarum, quatenus in iis expendendis, ſeu diiudicandis (quod quidem deliberare, ſeu conſultare eſt) occupatur, ſedétque, quaſi arbitra. Heinc autem fit, vt dum rebus expenſis, vni præ cæteris adhæret, talis adhæſio vniuersè (hoc eſt, etiam reſpectu rerum ſpeculabilium) ſit, quam Græci συγκατάθεσιν, Latini *aſſenſionem*, ſiue *approbationem* dicunt; reſpectu autem rerum agendarum, dicatur ſpeciatim, ac frequentius προαίρεσις, *delectus*, ſeu Electio; nimirum quia vnum cæteris anteponitur; ſic enim Ariſtoteles τὸ προαιρετὸν, *id, quod cadit in electionem*, interpretatur. Dicitur verò etiam plerumque Latinis Conſilium, ac Propoſitum; vt cùm dicimus capere conſilium, ſequi rationis conſilium, neſciri quod ſit alicuius conſilium, &c. ac rurſùs adhærere, ſtare, manere in propoſito, à propoſito reuocare, eſſe propoſiti tenacem; & id genus ſimilia: Prorſùs, vt ſi ipſa Latina præpoſitio *pro*, eandem vim, quam Græca πρὸ habeat; quo etiam modo Prouidentia dicitur quaſi Præuidentia. Porrò ſtatim ac ipſa Ratio deliberatione peracta, vnum delegit, ſeu prætulit, ac præ reliquis bonum habuit, ſequitur functio appetitus, quâ in bonum eiuſmodi fertur, quæque cùm Græcis ſit βούλησις, Latini non tam Volitionem, quàm Voluntatem ſunt interpretati. Hoc autem obiter obſeruo, quia iam vulgò ſoleant Voluntatis nomine non tam functionem appetitus, quàm ipſum appetitum intelligere (ſed qui appetitus tamen Rationalis ſit, tanquam hominis proprius, eo modo, quo & ipſa Ratio) vnde & fiet vt ſimus deinceps indiſcriminatim ſiue Voluntatem, ſiue Appetitum appellaturi. In pag. 89. Quoniam verò ad appetitionem ſequitur motricis facultatis actio, quæ propriè eſt ipſa boni proſequutio; notum eſt ab appetitione, quatenus voluntas vocatur, conſequentem huiuſmodi actionem dici Voluntariam; quaſi nempè deliberatam, ſiue ex conſilio, atque voluntate ſuſceptam, ac reſpondentem illi, quæ πρᾶξις, Græcè dicitur. Nempè ipſa eſt, cuius Ariſtoteles ſtatuit *electionem eſſe principium*, 6. Eth. 2. πράξεως μὲν οὖν ἀρχὴ προαίρεσις, & ad Latinam vocem quod ſpectat, ideò contendit Cicero non 4 Acad. eſſe Actionem in rebus inanimis, quòd electione, quàm generaliùs *aſſenſionem*, & *approbationem* dicit, careant: Siquidem, *inter inanimum, & animal, hoc intereſt, inquit, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid*. Quamquam, quod ſpectat ad animalia, præter hominem, cætera, Ariſtoteles ipſis quoque Loc cit. πρᾶξιν, *actionem* non tribuit, quòd ipſa quoque τῆς προαιρέσεως, *electione* deſtituantur, tametſi ſenſum habeant: ac rurſùs tam ipſis, quàm pueris ob eandem cauſam non concedit; licet vtriſque τὸ ἑκούσιον, *motum ſpontaneum tribuat*. Notandum verò interim eſt, eſſe quidem aliquando Ariſtoteli τὸ ἑκούσιον, *motionem* 3. Eth. 4. *appetitus ſpontaneam*, idem cum voluntaria, ſeu potiùs cum voluntate ipſa; ac potiſſimùm quidem, cùm id eſſe ſtatuit inter Voluntatem (volitionémve) & Electionem diſcriminis, quòd βούλησις, *Voluntas*, ſit maximè Finis, & προαίρεσις, *Electio*, mediorum ad finem: Nam *Sanitatem*, inquit, *volumus; eligimus ea, quæ ad finem conducunt*. At verò aliàs Voluntatem eſſe illi appetitionem; non qualemcunque, ſed eam, quæ cum ratione, ſeu præuia deliberatione, approbatione, electionéve fit, βούλησις 1. Rhet. 10. nimirum illi definitur, μετὰ λόγου ὄρεξις ἀγαθοῦ, *Boni cum ratione appetitio*. Quod idem ex Stoïcorum mente probat Cicero; cùm loquens de impulſu, quo ab ipſa natura ad adipiſcendum bonum ferimur: *Id*, inquit, *cùm conſtan-* 4. Tuſc. *ter, prudentérque fit, eiuſmodi appetitionem Stoïci* βούλησιν *appellant; nos appellamus Voluntatem. Eam illi putant in ſolo eſſe Sapiente, quam ſic definiunt, Voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat: quæ autem aduerſa rationi incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis inuenitur, &c.* Notandum rurſùs Loc. cit. Ariſtotelem, non præciſè ſemper actionem, pro ea ſola, quæ à voluntate, & electione pendet, vſurpare; ſed etiam pro pleriſque aliis, vt cùm docet, *Omnia, quæ homines agunt, aut per ſe agere, aut non per ſe. Ac per ſe quidem, aut conſuetudine, aut appetitione: & ipſa quidem aut rationali, quæ ſit voluntas: aut irrationali, quæ ſit cupiditas, & ira: non per ſe verò trifariam, quatenus aut naturâ, aut vi, aut ex neceſſitate agit.*

Sed

Digitized by Google

In pag. 89. Sed hæc ne pluribus conſecter : cenſetur eſſe in homine Ratio libera, Liberúmve arbitrium ; quatenus ex pluribus rebus in deliberationem cadentibus, non ita vnam eligit, quin vel ipſam negligere, vel eligere aliam poſſit. Ac attribuere quidem ſolent hanc Libertatem Voluntati, ſeu rationali appetitui ; veruntamen perinde eſt, quatenus fatentur libertatis radicem in ipſa Ratione, ipſóve Intellectu, hoc eſt, facultate cognoſcente eſſe. Quippè admittunt Voluntatem eſſe facultatem, ſeu potentiam cæcam, quæ niſi intellectu præeunte, & facem quaſi præferente procedere quoquam non poſſit ; adeò proinde, vt cùm proprium intellectus ſit lucendo præire, & voluntatis ſic ipſum ſequi, vt deflecti à tramite cœpto, niſi ſe ille aliò conuertat, lucémque flectat, potis non ſit ; idcirco videatur Libertas, in Intellectu quidem primò, ac per ſe ; in Voluntate autem ſecundariò, ac dependenter eſſe : Atque, vt res paulò expreſſiùs dicatur ; videtur primùm natura Libertatis conſiſtere in Indifferentia, quâ facultas libera vocata, ferri, aut non ferri ad aliquid poteſt (quam Contradictionis libertatem vocant) aut ſic ferri ad vnum, vt poſſit ad oppoſitum (quam appellant Contrarietatis.) Certè, cùm Libertas non poſſit ſine facultate eligendi intelligi, conſtat ibi ſolùm eſſe electionem, vbi indifferentia eſt ; quoniam vbi aut vnum quid ſolummodò proponitur, aut facultas ad vnum quid agendum, proſequendúmve determinata eſt, nulla eſſe electio poteſt, quæ duo ſaltem eſſe, quorum alterum alteri præferatur, ſupponit. Et magni quidem viri non deſunt, qui exiſtiment voluntatem tùm maximè liberam eſſe, cùm ita ad vnum eſt determinata, veluti ſi id ſummum bonum ſit, vt deflecti ad aliud, (hoc eſt, ad malum) non valeat ; quippè quòd dilectio, proſequutio, fruitio eiuſmodi boni ſit ſummè voluntaria, ac idcirco ſummè libera dicenda. Veruntamen neſcio, an ſatis aduertant quod diſcrimen inter Spontaneam, Liberámque actionem eſt ; dum, quia vtraque voluntaria dicitur, idcirco vtramque eſſe eandem contendunt. Videlicet actio Spontanea, tametſi interdum dicatur generaliùs, & Liberam quoque ipſam complectatur : ſpeciatim tamen, & quatenus diſtinctè ab ea vſurpatur, nihil aliud eſt, quàm quædam veluti naturæ impulſio, quæ ideò eſſe citra omnem ratiocinationem poteſt ; cùm actio, quæ libera eſt, à præuio ratiocinio, examinéve, & iudicio, ac delectu pendeat. Et quod actio quidem Spontanea, impulſio quædam naturæ ſit, vel ex eo conſtat, quòd non modò Pueri, & bruta, quibus neque vſus rationis, neque libertas tribuitur, agere multa ſponte dicantur ; ſed dicantur quoque ipſa inanima, vt lapis, ſponte cadere, ignis ſponte aſcendere ; adeò proinde vt fieri ſponte, & fieri naturâ eſſe idem videatur : ac in ipſis præſertim animalibus, ſpeciatimque in homine oppoſitum id habeat, quod dicitur fieri Inuitè. Quò minùs eſt mirum, ſi, cùm omnis appetitus ex natura ſua ad bonum feratur, ſponte ad bonum ferri dicatur ; atque ita quidem, vt quemadmodum lapis, quia ſponte, ſuaptéve naturâ deorſum cadit, non poteſt per ſe ſursùm tendere ; ita appetitus, quia ſponte, ſuaptéve naturâ fertur in bonum, non poſſit per ſe tendere in malum. Vnde & fit, vt quemadmodum lapis, quia eſt determinatus ad motum deorſum, indifferentiam non habet ad ipſum, & ad motum ſurſum ; ita appetitus, quia eſt determinatus ad bonum, non ſit ſimiliter ad ipſum, & ad malum indifferens ; atque vt quemadmodum lapis defectu indifferentiæ ad vtrumque motum, dicitur quidem ſponte, at non tamen liberè moueri deorsùm ; ita appetitus defectu indifferentiæ ad bonum, & malum, dicatur quidem ſponte, at non tamen liberè ferri ad bonum in commune. Quare & ex hoc fit, vt, ſi ſupponas Voluntatem ita ad bonum aliquod, Summum putà, determinari, vt diuerti ad aliud, quod, illo relicto, proſequatur, non poſſit, tunc cenſenda voluntas ſit ſponte quidem ad illud ferri, quòd ſit ipſi maximè ſecundum naturam, vt proſequatur maximè id, quod bonorum eſt maximum (non proſequeretur autem maximè, ſi dimoueretur ad proſequendum minus) at non tamen liberè ferri, quoniam indifferens ad illud, & ad aliud bonum non eſt ; ſiue in illius poteſtate non eſt, vt, ipſo relicto, feratur ad aliud. Neque obſtat, quòd feratur volens ; quandoquidem iſta, vt ſic loquar, Volentia non Libertatem ſonat, ſed Libentiam, hoc eſt, complacentiam, ſeu collubeſcentiam, excluſionémque adeò coactionis, violentiæ, renitentiæ, moleſtiæ : & ex eo, quod talis boni dilectio, proſequutio, fruitio voluntaria dicitur, non ideò inferendum eſt, eſſe illam ſummè Liberam, ſed ſolùm eſſe ſummè, vt ita loquar, Libitam, ſeu mavis, Libentem ; nempè, quòd poſſit Libentia quidem, at non Libertas tamen, ſiue indifferentia eſſe. Quod addunt verò perfectionem ipſius Libertatis eſſe, ſic hærere bono, vt diſcedere ab illo non poſſit ; Neſcio quoque an ſatis aduertant, eam, quam extollunt perfectionem, non Libertatis ipſius eſſe, ſed Voluntatis, ſeu Appetitus, qui cùm ex eo ſit imperfectus, quòd exſiſtens liber verum bonum deſerere, vt proſequatur fucatum poſſit, in eo deinceps perficiatur, quòd libertate ea deſtitutus, ita vero bono adhæreat, vt nequeat ab ipſo diuelli, & fucatum aliud vllum proſequi. *De Libertate, Fortuna, & Fato.*

Interim autem, ex eo, quòd, non illi modò, ſed alij quoque admittunt, fieri prorsùs non poſſe, vt quæ voluntas ſummo Bono clarè perſpecto fruitur (vt Mentium in cœlis beatarum eſt proprium) ab illo, vt aliud ſequatur, deſciſcat ; intelligi poſſe videtur,

 qualis

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. qualis indifferentia ſit, in qua Libertatis natura (donec certè hanc vitam viuimus) conſiſtat. Dicebamus mox Intellectum præferre facem voluntati; conſtat verò hanc ſeu facem, ſeu lucem, non eſſe aliam, quàm Iudicium quod Intellectus fert, ſeu ſtatuit de bonis, ac malis, pronunciando videlicet, hoc eſſe bonum, illud malum: vel ex bonis, aut malis, hoc maius, illud minus eſſe: adeò vt cum voluntas auerti ab vno, conuerti ad aliud dicitur, id eatenus fiat, quatenus iudicium nunc pro vna re, nunc pro alia eſt; & voluntatis inflexio fit, provt inflexio eſt intellectus. Cùm flexilitas ergo voluntatis flexilitatem intellectus, quæ ſita eſt in iudiciorum mutabilitate, ſequatur; ideò Notandum eſt intellectum vti quidem notionibus, ſeu, vt vulgò dicunt, apprehenſionibus ſimplicibus rerum, ad ferendum de iis iudicia: prænoſſe enim debet, quid Sol, quid lux ſit, vt noſcens deinde Soli ineſſe lucem, Solem lucidum eſſe iudicet; quid item mel, quid dulcor ſit, vt noſcens quoque melli ineſſe dulcorem, mel eſſe dulce pronunciet. Verùm cùm in rebus ſpeculabilibus, intellectus in hoc iudicio conſiſtat, neque aliud quid neceſſariò inferat; in rebus tamen agibilibus, eſſe notionem quandam compoſitam, ſeu Propoſitionem, Enunciationémve, quæ ob notionem aliam communem, omnibúſve hominibus ab exortu vſque hærentem, cohæret ſtatim, ac veluti concluſio ſuperadditur; idque eſt, quod propriè Practicum iudicium vocatur. Cùm enim Intellectus, poſtquàm iudicauit Solem eſſe lucidum, poſſit ibi conquieſcere: ſtatim tamen, ac iudicauit dulce eſſe mel, quia aliunde habet illud menti quaſi defixum, dulce eſſe guſtandum; idcirco ſtatim pronunciat, mel eſſe guſtandum. Et quoniam agibilia non vniuerſalia, ſed ſingularia ſunt; & non tam verbi gratiâ, de melle in communi, quàm de hoc ſingulari melle fertur iudicium, quòd dulce ſit; ideò illi iudicio, Hoc mel dulce eſt, cohæret ſine mora iſtud, Igitur hoc mel eſt guſtandum. Neque verò id modò, ſed etiam ea eſt iudicij huius natura, vt ſine mora conſequatur, niſi quid prohibeat, ipſa exſequutio, vt in iſto caſu mellis deguſtatio; & vel Ari-
7. Eth. 5. ſtotele quidem approbante, qui rem obſeruans in Ethicis, poſtquam præmiſit, quaſi antecedens: *Si omne dulce guſtandum eſt, hoc autem eſt dulce*, ſubdit: Neceſſe eſt, *eum, qui poſſit, quique non prohibeatur*, ἅμα τοῦτῳ ϗ πράττειν, *ſimul ac dicitur, agere*, idque, etiamſi aliud ſit (ſed generale illud tamen) cui repugnet iudicium. *Nam ſi vna*, inquit, *generalis opinio*
Cap. 7. *ſit, quæ guſtare prohibeat, & alia, quæ eſſe omne dulce iucundum ſtatuat, iſti autem hæc ſingularis adhibeatur, hoc dulce eſt; hæc ipſa eſt, quæ agit.* Porrò & hæc ipſa eſt cauſa, cur in libro de animalium motione, nihil inter actionem, & concluſionem diſtinguat; nam ἐκ τῶν δύο προτάσεων, inquit, τὸ συμπέρασμα γίνεται πρᾶξις, *quæ ex duabus Propoſitionibus ſequitur concluſio, ipſa actio eſt.* Exempla autem ſubiicit varia: *Nouit quis omni homini ambulandum eſſe, ſe autem eſſe hominem; ſtatim ambulat. Nouit nulli homini ambulandum; ſe hominem eſſe, illicò quieſcit: ac vtrumque facit, niſi quid prohibeat, aut cogat. Nec ſecus, ſi dicat, Id, quod bonum eſt, mihi eſt faciendum, mihi eſt domus bona: ædificat ſtatim:* atque ita de cæteris: vt proinde mirum non ſit, ſi talis concluſio, quæ ipſa actio ſit (aut cui indiuiduè cohæreat) practicum iudicium vocetur. Notandum verò præterea eſt, cùm actio conſequi, niſi voluntatis, appetitúſve functio ſimul intercedat, non poſſit; idcirco omne iudicium, omnémve notionem, quæ habetur de bono, adiunctam habere appetitionem illius (vti & iudicium de malo auerſionem) adeò vt intellectus enunciare non poſſit dulce eſſe guſtandum, quin appetitus velit guſtare dulce; neque enunciare hoc eſſe dulce, quin hoc ſimul guſtare velit: Vnde & fit, vt neque eliciatur concluſio, neque exſeratur actio, niſi quia ſimul cùm iudicio functio appetitus præceſſit. Nempè, quòd concluſio Syllogiſmi practici actionem cohærentem, ſecus ac concluſio ſpeculatiui, habeat; non aliunde eſt, quàm ex eo, quòd ipſa appetitus, ſeu voluntatis functio cum præmiſſis, iudiciíſve intellectus cohærens fuit. Itaque quoties Intellectus iudicium aliquod fert de bono; quia id intra fineis obiecti voluntatis facit; idcirco voluntas ita excitatur, vt illius functio, non ſecus iudicium, quàm veluti vmbra corpus, comitetur; adeò vt, ſi intellectus iudicet quidpiam eſſe bonum, voluntas ſimul appetat; ſi iudicet malum, id ſimul refugiat. Ex hoc autem fit, vt, quia intellectus iudicij plerumque inconſtantis eſt, ideò voluntas quoque in appetendo plerumque nutet; ac proinde, vt cùm intellectus quidpiam eſſe bonum hodie iudicet, quod cras iudicet eſſe malum; ideò voluntas id hodie amet, cras verò auerſetur: Et cùm hodie quidpiam eſſe proſequendum iudicet, quia bonum ſit; cras autem, quia quidpiam aliud eſſe videatur meliùs, iudicet proſequendum potiùs; ideò voluntas hodie in illud, cras, ipſo relicto, feratur in aliud: Vno verbo, vt provt intellectus notiones de rebus habuerit, iudiciáve de iis tulerit, voluntas ipſas eaſdem res aut proſequatur, aut auerſetur. Fit verò rurſùs, vt quia ex bonis, aliud eſt verum, germanúmque; aliud apparens, & fucatum; ac ex ipſis malis conſimiliter (nempè interdum bonum mali, & malum boni ſpecie obuelatur; ac tùm id, quod verè eſt bonum, aut malum eſſe, aut certè minus bonum videtur: & pari modo, quod verè eſt malum, bonum eſſe, aut certè minus malum apparet) fit, inquam, vt quemadmodum Intellectus ſæpè iudicando decipitur, provt ſpecie boni permotus, malum eſſe iudicat bonum; aut motus mali ſpecie, bonum eſſe iudicat malum: ſic

In pag. 89.

voluntas

Digitized by Google

In pag. 89. voluntas quoque à ſcopo aberret, & proſequens bonum, aſſequatur malum ; fugiens malum, fruſtretur bono : aut certè, vt prout intellectus bonum minus pro maiore, maius malum pro minore habet ; ipſa voluntas proſequens bonum maius, obtineat minus; fugiens minus malum, incidat in maius.

Cùm ergo voluntas ita ſit intellectus, iudiciiue illius ſequax ; conſtat profectò indifferentiam, quæ in voluntate reperitur, iiſdem omninò paſſibus, quibus indifferentiam intellectus incedere. Videtur autem indifferentia intellectus in eo eſſe, quòd non ita vni iudicio de re viſa vera adhæreat, quin ad aliud de eadem iudicium, illo dimiſſo ferri valeat, ſi ſe aliunde obtulerit maior veri ſimilitudo. Scilicet non eſt intellectus ex iis facultatibus, quæ ſunt determinatæ ad vnum, vt eſt in rebus inanimis grauitas, in viuentibus generatrix facultas, atque ita de cæteris ; ſed ſuapte natura ita eſt flexilis, vt verum pro obiecto habens, poſſit nunc vnum, nunc aliud iudicare de quapiam re ; & nunc vnum, nunc aliud iudicium de ipſa pro vero habere. Quare & concipi libræ inſtar poteſt : quoniam ſicut libra indifferens eſt, vt in vtramvis lancem propendeat ; ac in illam ita propendet, cui pondus quod-piam imponitur, vt ſi alteri maius imponatur, propenſura in illam ſit ; ita intellectus indifferens eſt, vt ad vtrumlibet iudiciorum oppoſitorum inflecti valeat : & ſic inflectitur in illud cui ſpecies veri aliqua, quaſi pondus, inhæſerit, vt ſi maior quæpiam veri ſpecies adiecta fuerit alteri, in ipſum ſtatim ſit deflexurus. Com-
4. Acad. paratio hæc Ciceronis eſt, cùm docet, *Vt lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi, ſic animum perſpicuis cedere* ; ſeu (vt ſtatim addit) *non poſſe obiectam rem perſpicuam non approbare.* Quod quidem eò tendit, vt intelligamus, cùm intellectus indifferens ſit, vt vnum, vel aliud judicium ſequatur ; non eſſe tamen indifferentem, vt demiſſa perſpicua re, ſequatur minùs perſpicuam ; ſeu relicto iudicio, quod verius appareat, amplectatur aliud, quod veriſimile minùs ſit ; quoniam, vti lanx pondere grauiore depreſſa, nunquam attolletur ob leuius, quod ſit impoſitum alteri, ſed potiùs ob grauius, quod eam deprimat, vnde & ipſa eleuetur : ſic fieri non poteſt, vt intellectus aſſenſio, quam perſpicuitas experientiæ, rationíſve cuiuſpiam traxit, ita emoueatur, vt ſuccedat oppoſita, niſi propter maius momentum, hoc eſt, præclariorem experientiam, rationémve magis perſpicuam. Apparet verò res maximè ex eo ; quòd dubij interdum hæremus, & incerti quaſi fluctuamus ; nempè id non aliunde fit, quàm quia paria hinc inde ſunt veritatis quaſi momenta, quorum (vt in libra pondera æqualia) alterum obſtat alteri, ne mens ab vno, potiuſquàm ab altero illiciatur. Quòd ſi videatur nunc in vnam, nunc in aliam partem nutare ; id non aliâ ratione fit, quàm quia efficitur nunc in vnum, *De Libertate, Fortuna, & Fato.* nunc in aliud momentum attentior, & vnum tamdiù trahit ad ſe, quamdiù alterum non ita apparet ; quod tamen vbi fortius apparet, pari ratione viciſſim trahit ; ad eum modum, quo, ſi exæquatis in libra ponderibus, momentum quoddam leuiculum nunc vni, nunc alteri addas, detrahaſque ; adeò vt, ſi intellectus tandem in vnam partem potiùs quàm in aliam deflexerit, id factum oporteat, quod aliquid magis ex illa, quàm ex alia permouerit ; & vel ſola attentio conſtantior adiuncta impatientiæ, facere potuerit momentum. Ac verum quidem eſt intellectum, relicto perſæpè iudicio, quod ſecundùm ſe verius, aut abſolutè verum ſit, amplecti aliud, quod ſit minus verum ex ſe, aut etiam abſolutè falſum. Sed tamen, quod intellectum mouet, eſt ſemper ipſa veri ſpecies, quam attendit quapiam in re, & quia talis ſpecies aut germana eſſe, aut fucata poteſt ; efficitur, vt quoniam id, quod ſecundùm ſe verum eſt, obuelari poteſt aut falſi, aut minus veri ſpecie ; & quod ſecundùm ſe falſum eſt, ſpecie aut veri, aut minus falſi ; efficitur, inquam, vt intellectus ferri etiam in falſum, aut minus verum valeat, donec falſum ſpecie aut veri, aut minùs falſi obtenditur ; ipſúmve verum obducitur ſpecie aut falſi, aut minùs veri. Quare & quoties intellectus vero adhærens iudicio, illud deſerit, vt ſequatur falſum, neceſſe eſt quidpiam interuenerit, quod ipſi verò germanam ſpeciem (quaſi ex Lance pondus) detraxerit ; falſo autem fucatam (quaſi lanci pondus) adhibuerit ; vnde & facta fuerit mutatio aſſenſus. Quòd ſi ſe res quidem vniuersè ſic habet ; conſtat exinde confirmari, quod dictum ſpeciatim mox eſt, circa mutationem aſſenſuum, ſiue iudiciorum de bono, & malo ; conſtátque adeò in intellectu tamdiù perſeuerare iudicium, quod res aliqua bona ſit, aut melior, quamdiu ſeu vera, ſeu fucata, quâ talis appareat, viget ſpecies ; commutari autem, cum ſpecies commutatur. Conſtat verò ſimul, cùm voluntas eâ neceſſitate, quâ dictum iam eſt, intellectu præeunte indigeat ; fruſtrà tentari, vt voluntas appetitionem ſuam mutet, niſi curetur, vt intellectus ſuum mutet iudicium ; aut, vt voluntas appetitioni hæreat, niſi vt intellectus adhæreat iudicio. Quare & fieri, vt qui Virtutem præ cæteris bonis amplectendam ſtatuerit, cauere debeat, ne fucus ſubrepat, quo mens decepta iudicet eſſe aliquid ipsâ præcellentius. Et cùm virtutem ſummam in eo poſuerit, vt ſuam voluntatem conformet diuinæ menti defixum habere debeat, nihil ſe poſſe, quàm quod Deus ipſe voluerit, velle præclarius ; & vel cum ipſo Epicteto dicat : *Meum appetitum Deo ſubmiſi ; laborare me febri vult ? volo & ego. Vult me aliquid aggredi ? volo & ego. Vult me aliquid conſequi ? volo & ego. Non vult, ipſe nolo. Mori me vult ? volo. Quis me deinceps prohibere, aut cogere, præter id, quod mihi apparet ?* *Ap. Arrian l.3. c.26.*

(factu

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. (factu ſcilicet optimum) *Nemo magis, quàm ipſum Deum.* Conſtat denique, quia donec mortalem vitam viuimus, homunciones imbecilli ſumus, neque poſſumus ipſi nobis ineluctabilem polliceri, ſeu iudicij, ſeu voluntatis, propoſitique conſtantiam; ſcilicet ob indifferentiam, quâ tam intellectus, quàm voluntas poſſunt ex vero in viſum bonum; ex bono in viſum melius tranſire; ideò ſupereſſe ſolam futuram vitam, in qua indifferentia huiuſmodi ceſſet; quòd in ea ſit vt ſummum Verum, ita ſummum Bonum clarè cognitum, perſpectúmque; neque poſſit occurrere aut intellectui aliquid verius, aut voluntati aliquid melius, ad quod deinceps deflectatur; ſicque non liceat non conſtantiſſimè, inuariatiſſiméque, ac ſummâ vt neceſſitate, ita & libentiâ illi adhærere. Quod declarandum fuerat aſſumptum.

Iam ne excurrere ad ea, quæ ſunt luminis ſupernaturalis videamur; reſumendum eſt, Libertatem, liberúmve arbitrium ideò eſſe in homine, quòd in eo ſit, quæ eſt hactenus expoſita indifferentia. Nempè liber eſt, vt bono, ac malo ſibi ob oculos poſitis, eligat aut bonum, permotus eius ſpecie; aut malum, ſi illi obtendatur ea boni ſpecies, quæ & clariùs appareat, & vehementiùs proinde alliciat, moueátque, quàm ſpecies ipſiuſmet boni: Vt propoſitis item duobus bonis, ſequatur aut maius, cuius moueatur ſpecie; aut minus, ſi illius ſpecies euidentior fiat, & attrahentior ſit, quàm maioris. Vt propoſitis demum duobus malis; aut maius refugiat, abactus eius ſpecie; aut minus, ſi illius ſpecies, vt viſa horribilior, ita fugantior exſtiterit. Poſſent duo poſteriores caſus ita exprimi, vt homo bonum minus, aut viſum minus auerſetur, quod comparatione maioris (alioquin deſerendi) rationem mali habeat; & malum minus, aut viſum minus amplectatur, quod comparatione maioris (alioquin incurrendi) rationem boni nanciſcatur. Verumtamen perinde eſt: ac adnotare ſufficit, facere huc,
In Protag. quod Plato ait: *Volentem ad malum ferri neminem: neque eſſe in hominis natura, vt velit ad ea, quæ reputat mala, bonorum loco deflectere: ac ſi eligere alterum ex duobus aliquando neceſſe ſit, neminem eſſe, qui, ſi eligere minus liceat, eligat maius.* Quia verò heic ſtatim occurret illud Medeæ apud Ouidium, quod in ore eſt omnium:

7. Metam. ——*Video meliora, probóque;*
Deteriora ſequor: ——

Idcircò adnotandum eſt, quod quærit Ari-
7. Eth. 3. ſtoteles: *Qui fieri poſſit, vt qui de rebus rectè æſtimat, incontinens ſit?* Neque enim abs re Socrates aiebat, *Fieri non poſſe, vt in quo ſit ſcientia, in eo aliud quid dominetur: atque adeò, vt qui de rebus rectè æſtimat, non id, quod eſt optimum, agat: cùm ſi agat, neceſſe ſit, δι' ἄγνοιαν, ob ignorantiam id fieri.* Vnde & deſumptum videtur, quod dicitur vulgò, ac verbis Medeæ opponitur, In pag. 89.
Omnis peccans, ignorans eſt. Præclara eſt porrò, quæ ad hanc rem ab ipſo Ariſtotele adhibe- Cap. 5.
tur diſtinctio. Nam, ne repetam, quod eſt iam relatum de eo, in quo duæ notiones vniuerſales ſunt, cum adiacente alteri vna ſingulari, ad quam repugnans alteri actio conſequatur (qua ratione docet fieri incontinentiam; ac beſtias idcircò incontinenteis non eſſe, quod opinione vniuerſali careant, & ſingulari ſolùm imaginatione, memoriâque ducantur:) Ne hoc repetam, inquam, declarat ecce dici poſſe, aliquem ſcire aliquid *habitu, aut actu.* Siquidem poteſt aliquis ſcientiam habere, quâ non vtatur; vt ſi mentem aliò, quàm ad illud, quod ſcit, diuertat; aut dormiens, furioſus, vinolentus ſit. Poteſt &, quâ reipsâ vtatur; hoc eſt, ſi ad illud, quod ſcit, animum attentum, & defixum habeat. Ac, ſi quis actu quidem ſciat, animúmve ad aliud, quàm ad id, quod ſcit, diſtractum non habeat: fieri non poteſt, vt quidquam agat, quod à ſcientia alienum ſit: atque adeò vt perſpiciens, v. g. decorum virtutis, & turpitudinem vitij, illam deſerat, iſtud conſectetur. At ſi habitu ſolùm ſciat, ſeu eâ, quam habet, ſcientiâ non vtatur: quia perinde eſt, ac ſi eâ careret: ſeu quod idem eſt, rei ignarus eſſet, tunc agere poteſt, quod ſcientiæ repugnet: atque adeò, licet teneat habitu, quàm decora virtus, quàm turpe ſit vitium: poteſt nihilominus & virtutem negligere, & vitium amplecti. At nonne plerumque fit, inquies, vt ille, qui peccat, & pulcritudinem virtutis, quam præterit, & fœditatem vitij, quod proſequitur, reipsâ ſpectet, conſiderétque, ac eapropter, non ſine quadam pœnitudine, quodámve animi angore id agat: vtique ob eam, quam habet notitiam, tùm eius, quod dimittit boni, tùm eius, quod arripit mali? Reſpondet Ariſtoteles habere illum ſe eo modo, quo ſe habent & vinolenti, qui Empedoclis verſus, habitu quodam recitant: aut pueri, qui ea, quæ parùm intelligunt, tamen legunt: aut hiſtriones, qui perſonas, quales non ſunt, nihilominùs agunt. Nimirùm exoritur ſemper in eo, qui peccat, paſſio aliqua ſiue voluptatis, ſiue iracundiæ, ſiue ambitionis, ſiue auaritiæ, quæ animum commoueat, perturbet, ac ſcientiam illam ita peruertat, vt quicquid boni in virtute, quicquid mali in vitio eſt, caligine obducat: adeò vt aut lateat, aut ægrè appareat: & quicquid aut mali, hoc eſt, laborioſi in virtute, quicquid boni, hoc eſt iucundi, in vitio eſt, id quaſi in aperto, ac in luce conſtituat. Vnde & fit, vt bonum, quod eſt in virtute, alliciat imbecilliter, eius reſpectu, quod eſt in vitio: & malum, quod in vitio, impotenter reſpectu eius, quod eſt in virtute, auertat: ſicque is, qui peccat, dicere quidem poſſit, ſe videre ea, quæ dimittit, meliora: ea, quæ ſequitur, deteriora: ſed pro tempore tamen alio, ſeu ex habitu, quo confusè, obitérque commeminit, ita

ſe

In pag. 89. ſe aliàs iudicaſſe ; at non poſſit nihilominùs, pro eo, quo peccat, tempore; tunc enim & meliora habet, quæ ſequitur, & deteriora, quæ dimittit. Adeò proinde, vt dicens ſe eo tempore, eadem, vt meliora probare, quæ aliàs probarit, mentiatur; vtpote, qui ſibi ipſi contradicat, cùm potiùs idipſum, quod ſequitur, probet. Quod ſi non ſine pœnitentia, doloréve quodam id faciat; id ex eo eſt quidem, quod animaduertat ſe quandam boni iacturam pati, quoddam malum accerſere; ſed cùm ſit tamen dolor exiguus, comparatus ad voluptatem, quæ nihilominùs ipſum pellicit; vel ex hoc ſolùm arguitur, quod iacturam boni, & incurſionem mali perfunctoriè ſolùm, non autem ſeriò conſideret; potéſtque res etiam intelligi ex eo, quòd ſi ſupplicium, ſi dolor, ſi ignominia, cæteráque mala, quæ ille leuiter, confuséque ſolùm apprehendit, ac metuit, non abſentia, non futura, non dubia; ſed impendentia, ſed præſentia, ſed certa, & mox à patrata vitioſa actione incurrenda, attentè, ac perſpicuè conſiderarentur, ac peruiderentur, abſterreretur haud-dubiè, neque ſe in vitium præcipitem daret. Itaque, tametſi qui peccat, ac deteriora ſequitur, dicat ſe videre, ac probare meliora; quatenus nihilominùs inconſiderantia, ſeu non-aduertentia, ob quam ille omnels circumſtantias, quæ in re ſunt, aut quales quantæque ſucceſſuræ ſunt, minimè videt, attendítque, ignorantia eſt. Ea de cauſa peccans dicitur ignorans; qualis ſi non foret, minimè peccaret.

Notandvm enimverò eſt; non idcircò eſſe, cur ille ſe excuſandum reputet, quòd ignorans agat; quòd bonum quale apparet, ſequatur, neque in ſe eſſe, obſtare, quin tale appareat (*τῆς γὰρ φαντασίας οὐ κύριοι, neque enim eius, quod res eſſe apparet, domini ſumus*) quòd poteſtate ſecus agendi careat, veréque dictum ab illo ſit:

Οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ᾽ ἄκων μάκαρ.

Nemo malus vltrò eſt, neque beatus non volens.

Non idcircò, inquam, eſſe, cur iſta obtendat: Etenim licet inter ea quibus peccata excuſantur, connumerari Ignorantia ſoleat; excuſans tamen hæc Ignorantia, inſcientia eſt
Ouid. 7. Metam. mera; vnde & ignorantia pura, ac Inuincibilis dicitur, qualis v. c. in Cephalo fuit, dum Procrin inter dumos latentem, ac feram eſſe exiſtimans, nullatenúſque eſſe caram coniugem ſuſpicari potis, occidit (Quo nomine
1. Magnor. mor. 17. etiam abſoluta fuit, Ariſtotele referente, ab Areopago mulier, quæ amatorium poculum, *ὧν ἐν προνοίᾳ, non prouiſa morte*, ſubinde inſequutâ, amaſio exhibuerat) Ignorantia verò, qua de hic agitur, *δι᾽ ἀμέλειαν, per incuriam,*
3. Eth. 7. *negligentiámve*, vt Ariſtoteles habet, paritur; ac ideò craſſa, affectata, ſupina, plerumque vocatur. Nempè is, qui peccat, ignorat, vel quia ipſe ſibi, cur ignoraret, cauſa fuit; vel quia ſcire non ſatagit, hoc eſt, mentem aduertere, conſideraréve, vt par eſt, non curat. *De Libertate, Fortuna, & Fato.*
Priore modo ignorat ebrius; ipſe enim, vt ebrietatis, ſic ignorantiæ ſibi eſt cauſa; ac in poteſtate eius fuit, ne ebrius fieret, néve ignoraret quid ageret? Vnde & ignorantia illum non excuſat, imò meretur duplicem, vt Ariſtoteles ait, pœnam, vnam, quod ebrium ſe fecerit; alteram, quòd ebrius peccârit. Quo modo quoque habet ſe, qui leui ab initio perturbationi non reſiſtit, ſed patitur ipſam eas vireis acquirere, à quibus deinceps violentiùs rapiatur; ac vniuersè, quiſquis habitum, cuius contrahendi dominus ab initio eſt, ita inualeſcere ſinit, vt illi reſiſti deinceps non poſſit. Id ſimile eſſe Ariſtoteles docet, vt ſi quis mittat lapidem, quem non valeat retrahere; videlicet, ne mitteret, in eius poteſtate fuit: aut ſi quis intemperanter viuens, deinceps neceſſariò ægrotet: nempè in illius quoque poteſtate, vt temperanter viueret, fuit. Obſeruat autem hac occaſione, ea quoque corporis vitia, quæ quis ſponte contrahit, probro verti, ſecus ac ſi contrahere præter voluntatem contingat: *Nemo enim*, inquit, *cæcitatem, quam natura, morbus, ictus fecerit, exprobret, ſed cæci potiùs miſereatur; at ſi illam ebrioſitas, aut intemperantia alia fecerit; non id opprobrio ducat.* Poſteriore modo ignorat, qui paſſione ductus, dicere adhùc poteſt, *video meliora, probóque*; quippè tunc quoque in illius poteſtate eſt, attendere ſeriò ad mala, qualia, quantáque ſunt ſequutura; & qualia, quantáque ſi attenderet, non peccaret. Id, inquam, in eius poteſtate eſt; cùm & ſæpè fiat, vt ſi alioquin peccaturo, aut grauis perſona occurrat; aut vindex, & exactor pœnæ interueniat, à peccando deſiſtat; & non pauci ſint qui ſe vltrò in medio paſſionis feruore contineant: generoſiores videlicet, quàm vt vinci ſe ab illa patiantur: & nequicquam non ſit, quòd leges, præcepta, exhortationes adhibentur, ad quas licet attendere, & in quas animus intentus poſſit fieri *τῆς φαντασίας κύριος, eius dominus, quod res eſſe apparet.* Quoties certè dicere licet, *video meliora, probóque*; clarum eſt, actionem, quæ exſeritur, deliberatam eſſe, ac nos ideò eſſe eius dominos; quippè nihil tale licet dicere, cùm indeliberatò fit, vt cùm ad primum iræ motum in vindictam prorumpimus; vnde & frequens excuſatio eſt, quòd *Primi motus non ſint in noſtra poteſtate.* Nempè Senecæ quoque ipſi, *Primus motus voluntarius* 2. De Ira, 3.
non eſt; & talis motus eſt, quem creant *viſa animi, quas φαντασίας Philoſophi appellant* (ita Agellius ex Epicteto) *quibus mens hominis prima ſtatim ſpecie accidentis ad animum rei pellitur, non* Lib. 19. c. 1.
voluntatis ſunt, neque arbitraria, ſed vi quadam ſua inferant ſeſe hominibus noſcitanda. Ad Senarium quod attinet; Reſpondet Ariſtoteles illud partim verum partim falſum eſſe; Verum quidem, poſteriore parte; quatenus *beatus nemo eſt non volens*; falſum autem priore, quatenus *vitium, quo, quis malus eſt, voluntarium*

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. *tarium eſt*, ἡ δὲ μοχθηρία ἑκούσιον. Quippè licet peccans, ſeu malus ignoret; ignorantia tamen voluntaria eſt, aut ob negligentiam, aut ob datam cauſam. Heinc licet Hegeſiaci, quaſi hærentes ſenario, apud Laërtium di- *Cap. 2.* xerint, *Peccata digna eſſe veniâ*, οὐ γὰρ ἑκόντα ἁμαρτάνειν, ἀλλά τινι πάθει κατηναγκασμένον, *Neque enim quemquam volentem, ſed perturbatione aliqua coactum, peccare*: conſtat tamen, cùm ſaltem cauſa ipſi perturbationi datur, coactionem non interuenire. Quamquam, quia ſunt perturbationes, ſiue appetitiones quædam naturales, quæ à nobis ipſis principium habent, vel nolentibus nobis ſuboriun- *7. Eth. 7.* tur; ideò Ariſtoteles illas *tanto eſſe digniores veniâ, quanto & omnium communes ſunt, & quatenus communes ſunt*, docet. Prætereo verò, quòd vt oſtendat paucos aliquos affectus innaſci, & ex parentibus in filios traduci, exemplum çitat tùm illius, qui quòd verberaret patrem excuſauit: *Nam & Pater*, inquit, *meus verberauit ſuum, ac ille ſuum, & hic etiam* (filium oſtendens) *vir factus verberabit me; eſt enim hoc nobis congeneum*; tùm alterius, qui à filio tractus, trahendi finem, cùm ad foreis veniſſet, iuſſit fieri: *Nam & ſe ſuum Patrem non vlterius traxiſſe*.

Addo autem ex cæteris, quibus innui poſſe peccata excuſari, præcipuam eſſe Vim, ſeu Violentiam, qua Neceſſitatem, Metúmque comprehendunt, Haud abs re verò *3. Eth. 8.* Violentia, iuxta Ariſtotelem, eſſe ab externo principio, cum renitentia intelligitur; ſiquidem Neceſſitas, qua quis cogitur, à cauſa externa, præſentéque eſt; & Metus interna quidem paſſio eſt; ſed à cauſa externa, malo ſcilicet futuro excitatur; ac in eo differt à Cupiditate; quod licet hæc quoque cauſam externam habeat, bonum futurum ſcilicet, nihilominùs eum libentia eſt; at metus eſt cum renitentia. Quò fit, vt Ariſtoteles perineptum ducat, ſi quis, quòd amici vxorem vitiârit, ſe à voluptate coactum fuiſſe obtendat; admittat verò poſſe obtendi, ſi officium quoddam, cuiuſpiam grauioris in- *1. Mag. mor. 16.* commodi cauſa deſeruerit, vt, *Coactus ſum in agrum ire properè: ſecùs enim omnia in agro planè corrupta reperiſſem.* Cui ſimile eſt illud, quod *1 Offic.* ſuperiùs ex Cicerone attigimus: *Si conſtitueris te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe venturum; atque interim grauiter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium, non facere, quod dixeris; magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutam queratur.* Ex quo & vides, neque leuem metum in excuſationem adferri; quòd libertati non officiat; neque eum, qui grauis eſt (quique adferri idcircò ſolet, *quòd in Virum alioquin conſtantem poſſit cadere*) ſic cum libertate pugnare; quin Libentiam habeat adiunctam. Non ſanè, ob malum, quod ſubitur, ſed ob aliud grauius, quod effugitur, & cuius comparatione id, quod minus eſt, ideò boni rationem habet, quia ſit quaſi medium, cuius interuentu deuitatur ma- *In pag.* ius: veluti, dum merces in mare, naufragij *89.* metu, prôiiciuntur; metúve cædis pecunia datur; quidpiámve alind, quod alioquin non ageretur, agitur. Et non facilè quidem quouſque hic metus extendatur, definiunt; ac præſertim, cùm præ illorum, qui metuunt, varia indole, metus vni grauis, alij leuis ſit: ſed ferè tamen intelligendum eſſe eum Metum omnes conſentiunt, qui ſit mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, ſeruitutis, diuturni exſilij, longi carceris, dedecoris, ſeu ignominiæ, iacturæ bonorum vel omnium, vel maximæ partis (& non modò quidem reſpectu ſui, ſed reſpectu etiam perſonarum coniunctiſſimarum, cuiuſmodi ſunt filij, parentes, vxor, amici) itemque qui metus ad reuerentiam ſpectans eſſe poteſt in ſubdito reſpectu principis, in filio reſpectu parentis, in vxore reſpectu viri; atque ita de cæteris. Sed de Libertate præmiſſa hæc ſunto.

Vt quidpiam etiam de FORTVNA, quæ eſt ipſa quoque Fato oppoſita, præmittatur; Ea fuit, obſeruante Macrobio, ipſi Homero *5 Satur. 16.* innominata, ac videri idcircò poteſt fuiſſe priſ- *In 2. phyſ.* cis illis temporibus incognita, quòd tunc om- *côm 39.* nia, quæ fierent, referri ad Deos authores ſolerent. Quamquam ſcriptum eſt à Simplicio feciſſe Orpheum mentionem Fortunæ; & vel eo nomine fuiſſe illam venerationi apud Delphos, quod inuocaretur vnà cum Apolline: *O Fortuna, atque Apollo, &c.* An verò, quod La- *L. 3. c. vlt.* ctantius ait, *Homines, cùm nomen Dæmonis peruerſi ignorarent, Fortunæ vocabulum inane finxiſſe*, confirmari ex eo poteſt, quòd Euripides homines inducit,

In Hecuba.

Ψευδῆ δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν.
Falsò putante is eſſe Dæmonum genus;
Fortunam & ipſis prouidere ſingula?

Vtcumque ſit; videtur ſaltem (quod ille ex Cicerone citat) *Stultitia, error, cæcitas, & ignoratio rerum, atque cauſarum, Naturæ, ac Fortunæ nomina induxiſſe.* Cùm ſit autem verum, Fortunam ſine ignoratione non eſſe; in confeſſo tamen omnibus non eſt, eſſe eam nomen prorſùs inane. Tametſi enim aliqui apud Authorem ad Herennium, Fortunam eſſe vllam ne- *Lib. 2.* gent, & apud Ariſtotelem, nonnulli, an ſit, *2. Phyſ. 4.* dubitent: Plurimi tamen cauſam dicunt, & nonnulli etiam diuinam, cùm & vulgus ex Epicuro etiam Deam habeat, ac inde illud protritum ſit,

Iuuen. ſat. 10.

——Sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœlóque locamus.

Vt habeas porrò quænam Platoni, Ariſtoteli, aliis benè multis ſit cauſa: docet Plutarchus ex Platone: *Cauſam eſſe ex accidenti,* *1. Plac. 29.* *& conſequentem inopinato in iis, quæ ex conſilio fiunt*: ſimilitérque ex Ariſtotele, *Cauſſam eſſe per accidens in iis quæ rei alicuius gratiâ, appetita mouente fiunt, eamque incertam, inſtabilémque.* Quibus verbis ea collecta videntur, quæ de

Fortunæ

Digitized by Google

In pag. 89. Lib. 2. c. 5. Fortunæ deſcriptione Ariſtoteles in Phyſicis habet; niſi quòd vult prætereà Fortunam eſſe *ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις*, *in rebus contingentibus*, ſeu quæ poſſunt fieri, & non fieri, ac ancipitis ideò ſunt euentus. Afferri exemplum aſſolet in eo, qui terram defodiens eo conſilio, vt arborem plantet, fodiendo inuenit theſaurum, de quo non cogitauerit. Nimirùm Inuentio theſauri effectus eſt ex accidenti, hoc eſt, præter mentem, ſiue intentionem agentis eueniens; atque adeò ipſe Foſſor, cùm ſit cauſa per ſe foſſionis, cauſa etiam per accidens inuentionis theſauri eſt. Talem ergo cauſam Ariſtoteles, cæteríque dicunt Fortunam; & ipſum euentum, putà inuentionem theſauri, rem fortuitam. Cùm verò ille ſubinde doceat *Fortunam, τὴν τύχην, & Caſum, ſpontéve contingens,* Cap. 6. *τὸ αὐτόματον*, in eo differre, quòd Fortuna ſit ſulùm in cauſis liberè agentibus, & Caſus ſit etiam in inanimis, quæque ſine delectu agunt (veluti ſi tripus decidens, ollam fregerit) vnde & eſſe vult omnem quidem fortunam caſum, ſed non omnem caſum fortunam Lib. 6. de Fato. In Tim. Plat. (quo modo Plutarchus etiam, & Chalcidius Fortunam à caſu comprehendi dicunt) idcirco adnotari poteſt, quod iſti admonent, eſſe tam fortunam, quàm caſum ex Contingentium genere, & quæ contingentia ſunt, eſſe ex genere Poſſibilium. Scilicet, cùm eorum, quæ ſunt poſſibilia, aliqua ſint, quæ prohiberi, quò minùs fiant, non valeant, vt craſtina luce exoriri Solem; aliqua, quæ valeant, vt Sole oriente imbrem cadere; perſpicuum eſt Poſſibile generis prioris eſſe id, quod Neceſſarium dicitur, tale nimirùm, vt ipſius oppoſitum impoſſibile ſit: Poſſibile autem generis poſterioris eſſe id, quod dicitur contingens, euentúſve incerti, & ambigui (Græcis, vt mox innui, *ἐνδεχόμενον*) ac tale adeò, cuius ſit etiam oppoſitum Poſſibile; quo nomine Ariſtoteles in libro de Interpretatione, cùm de Modalibus, multa habet. Quia verò contingentia, ſeu euentus ambiguus ex eo redditur, quòd vel Libertas interueniat, ob quam res alioquin futura, non fiat, aut non alioquin futura, fiat; vel cauſa alia, quæ præter ſui deſtinationem, & quarundam aliarum rerum nun præmeditatum concurſum, præſtet, vt quidpiam non alioquin euenturum eueniat, aut euenturum non eueniat: Conſtat hoc poſterius contingentiæ genus eſſe id, quod Caſum vniuersè appellant: &, ſi fuerit quidem ſpeciatim in ipſis hominibus, præter quorum mentem aliquid eueniat; eſſe id, quod Fortunam dicunt; niſi quod interdum vtrumque confundunt; ac perinde habetur, ſeu caſu, ſeu fortuitò quidpiam euenire, contingeréve perhibeatur. Vtcumque tamen ſeſe res habeat, ac exemplum vt repetam, Vides, cùm duplicis effectus, vt putà foſſionis, & inuentionis theſauri, vnica ſit cauſa, videlicet Foſſor; hunc eundem Foſſorem dici & cauſſam *per ſe* reſpectu vnius; & *per accidens*, reſpectu alterius. Cumque in rebus proinde naturalibus vna, eademque res Fortuna, & Natura, ſeu cauſa naturalis ſit; exinde eſſe, cur Epicuro Fortuna, & Natura ſynonyma ſint, quemadmodum oſtendimus, de Mundo cùm diſputaremus. *De Libertate, Fortuna, & Fato.*

Enimverò, cùm hac ratione Fortunæ notio vulgò explicetur; videtur tamen neſcio quid aliud eo nomine intelligi: nempè non ſatis appoſitè ſeu illum qui fodit, ſeu eius actionem videmur dicere Fortunam. Itaque vt prætercam rem Fortuitam, ſeu idipſum, quod Fortunâ euenit, nomine Fortunæ ſæpius appellari (inde enim apud Lactantium, *Fortuna eſt accidentium rerum ſubitus, atque inopinatus euentus*) videri poteſt nomine Fortunæ intelligendus eſſe Concurſus variarum cauſarum abſque mutuo conſilio factus; adeò vt ſequatur euentus, ſeu effectus fortuitus dictus, quem vel omnes, vel aliquæ, vel is certè, cui euenit, minimè intenderint. Hac ratione, cùm ad inuentionem theſauri fortuitam requiratur, non modò, qui fodiat, ſed etiam qui priùs occultet; perſpicuum videtur Fortunam, ſeu cauſam talis inuentionis, eſſe ipſum occultationis, & effoſſionis, eò loci concurſum. Dixi, abſque mutuo conſilio, & præter vel omnium, vel aliquorum intentionem, qua etſi vel vna, vel plures cauſæ fortè intendant, non eò minus fortuna eſt, reſpectu illius, qui non intenderit. Veluti, ſi quis theſaurum occultet eo fine, vt ab homine, quem foſſurum eſſe prænouit, inueniatur; tunc non reſpectu quidem illius, talis euentus fortuitus eſt; ſed fortuitus tamen reſpectu foſſoris, qui ignorauit occultationem. Parique ratione, cùm dominus agri idipſum ignorauerit, Fortuna eſt, quæ dicitur ipſi, fodiente ſeruo theſaurum quæſiiſſe. Sic non omnino fortuitum reſpectu Nitocridis fuit, quod circa ſepulcri violationem contigit, quatenus præſumpſit non defore aliquem Regem, qui ſepulcrum hac inuitatus inſcriptione aperiret: *Si cui Regum Babylonis poſt me futurorum fuerit pecuniæ penuria; aperto ſepulcro, ſumito quantumcumque libuerit pecuniæ. Ne tamen, niſi indiguerit, alioquin aperito: non enim in rem eius fuerit*: At fuit tamen reſpectu Darij, quòd loco pecuniæ hoc intus ſcriptum reperit: *Niſi eſſes pecuniæ inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum ſepulcra non aperuiſſes*; quod quidem apud Herodotum eſt. Lib. 1. Sic tametſi Democritus, vt ex Eudemo refert Simplicius, referre ad fortunam noluerit, quòd Æſchylo teſtudinis caſu confractum caput fuerit, ipſam enim eius caluitiem cauſam fuiſſe Aquilæ, cur opinata lapidem eſſe, teſtudinem eò dimiſerit; fortuna nihilominus fuit, quod is euentus fuerit non modò præter Æſchyli mentem, qui & talem caſum non prouiderat, & alte- In 2. phyſ. còm. 38.

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato.

rius domus præcauere lapſum voluerat; ſed etiam aquilæ reſpectu, ſi ipſi mentem dederis; vtpotè quæ teſtudinem alio fine dimiſerit, quàm vt Poëtæ, de quo nulla ipſi cogitatio, confringeret caput. Fatendum tamen maximè propriè appellari poſſe Fortunam, cùm ex omnibus, quæ concurrunt cauſis, nulla cogitat id, quod eſt ex ipſo concurſu euenturum: cuius rei exemplum illuſtre afferri ſolet in Socrate, mortiſve ipſius dilatione poſt latam ſententiam. Plutarchus enim, poſtquàm iſtud ex Phædone retulit, Ph. *An non, quæ de eius damnatione, quomodo nempè facta fuiſſet, circumferebantur, audiſtis?* Ech. *Audiuimus ſanè (id enim renunciatum nobis ab aliquo eſt) ac mirati ſumus qui fieri potuerit, vt tam longè à peracta damnatione moreretur. Quid iſtud rei fuit, ô Phædon?* Ph. *Fortuna ipſi quadam, ô Echecrates, euenit. Pridie enim, quàm iudicatus eſt, coronari contigit nauim, quæ in Delum quotannis ab Athenienſibus mittitur*, tùm pergit: *In hiſce enim vocibus verbum hoc συνέβη, Euenit, non nude ſignificat quidpiam factum fuiſſe, ſed multò magis contigiſſe aliquo cauſarum concurſu, Cùm aliud aliûs cauſâ fieret. Nam Sacerdos quidem non Socratis, ſed alterius rei cauſâ coronauit nauigium, ipſi verò Iudices illum aliam ob cauſam damnauerunt.* Prætereo autem cauſarum concurſum eſſe latè, &, vt loquuntur, moraliter interpretandum: Neque enim neceſſe eſt, vt cauſæ omnes ſimul agant; ſed ſatis eſt, vt quomodocumque quidpiam conferant in eundem effectum. Interim verò conſtat Fortunam eſſe per ſe, ac reuerâ nihil; cùm vbi ipſas per ſe cauſas ſepoſueris, ſuperſit ſola negatio prænotionis concurſus, & intentionis euentus: ipſéque concurſus eâ ſolùm ratione dicatur cauſa, quâ & dicitur quæ nominitari *conditio, ſine qua non*, ſolet. Quippè quomodo admotio rei combuſtibilis ad ignem dicitur cauſa combuſtionis, prout eſt conditio, ſine qua combuſtio non fieret: ſic ſe habet ille cauſarum non deliberatus concurſus: Hoc certè modo Epicuro Fortuna cauſa dicitur; vt conſtat ex dictis, cum actum de Mundo: Et cùm concurſus eiuſmodi incerto ſemper modo fiat (nimirùm abſque vllo conſilio, quo cauſæ eligantur, atque connectantur) ideò

1 Plac. 29.

Epicurus Fortunam eſſe apud Plutarchum dicit ἀσύστατον αἰτίαν προσώποις, χρόνοις, τρόποις, *cauſam perſonis, temporibus, atque modis inſtabilem*; Quaſi diceret, ſperandum non eſſe, vt Fortuna ſemper eadem facie ſit, quod cauſæ inter ſe neque eædem, neque eodem modo conſtanter concurrant. Neque verò obſtat quod in textu dicere Epicurus videatur, ne eſſe quidem Fortunam ἀβέβαιον αἰτίαν, *inſtabilem cauſam*; negat enim ſolùm cauſam eſſe diuinam, & quæ per ſe, niſi immediatè ac veluti plenâ, porrectáque manu cùm bona, tùm mala hominibus tribuat; at mediatè ſaltem, hoc eſt, occaſiones bonorum, malorúmque ſuppeditando, id faciat.

In pag. 89.

Nequicquam porrò non eſt, quòd ſollicitè Epicurus cauet, ne Fortuna quaſi Dea quædam habeatur; quia eiuſmodi ferè eſt hominum imbecillitas, vt quicquid non capiunt, non modò mirentur, ſed eſſe etiam quidpiam diuinum, ac ſupra ipſam naturam putent. Ignoratio certè concurſus cauſarum induxit illos, vt Fortunæ eam laruam obtenderent, ſub qua deinceps colerent ipſam. Nempè parùm quidem curarunt, quid ea ageret, poſſét-ve in rerum natura; at quando in rebus humanis viſa eſt plurimùm pollere, idcirco quibus proſpera fuit, habita eſt pro bono quodam, atque propitio Numine; quibus aduerſa, habita eſt pro malo, atque inclementi. Hinc fuêre templa illa Fortunæ, titulo Bonæ, Malæ, Blandæ, Auerruncæ, Caluæ, Equeſtris, & ſimilium: Itemque ſimulacra varia, etiam bis loquuta; quæ licet apud Plinium, Plutarchum, alios Authores legere. Vt ſeligam autem duntaxat, quod hac de re Plinius: *Toto*, inquit, *Mundo, & locis omnibus, omnibúſque horis, omnium vocibus Fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur; ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitiis colitur; volubilis, à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimata; vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix: huic omnia expenſa, huic omnia ferantur accepta; & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit; adeoque obnoxia ſumus ſortis, vt Sors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur incertus.* Vbi cùm Fortuna Deus dicitur, ſuccurrit in mentem, quod ait Lactantius, dum loquens de Philoſophis: *Ne aliquando*, inquit, *non errent, in re ſtulta volunt eſſe Sapientes, qui Fortunæ ſexum mutant, eamque non Deam, ſicut vulgus, ſed Deum dicunt.* Quamquam difficile videtur nominare Philoſophos, qui diuinitatem tribuerint Fortunæ; niſi quod Ariſtoteles teſtatur fuiſſe aliquos, qui opinarentur *Fortunam eſſe quidem cauſam, ſed humanæ menti obſcuram*; &, ſi hoc quidem ſenſu habendi ſunt Stoïci, vt Simplicius adnotat, reputari poteſt Anaxagoras adiungendus Stoïcis, quatenus Plutarchus, tam ipſum, quàm illos dixiſſe ait *Fortunam cauſam humanæ rationi incompertam.* Niſi etiam, quòd à Macrobio ſcribitur Virgilium, contrà quàm Homerum, non modò nouiſſe, & meminiſſe, ſed omnipotentiam quoque tribuiſſe Fortunæ: *Quam & Philoſophi*, inquit, *qui eam nominant, nihil ſua vi poſſe, ſed decreti, ſiue Prouidentiæ miniſtram eſſe voluerunt*: Quo loco fortaſſis potuiſſet nominare ipſum Platonem, vti & nominauit Simplicius, quatenus in libris de Legibus dixit: *Deum omnia, ac ſecundum Deum, Fortunam, & Tempus omnia humana gubernare.* Quod Stobæus autem fuiſſe memorat: *Qui partem aliquam Fortunæ ex eo cenſerent eſſe diuinam, quòd quidam temerè agentes optatum finem conſequerentur, cæteros prudentiâ vtentes optata deſtituerent*: ſpectare id videtur ad ignorationem finium diuinæ prouidentiæ,

Lib. de Fato. — Lib. 2. c. 7. — Lib. de fort. Rom. Lib. 1. c. 8. — Lib. 3. c. 18. — 2. Phyſ. 4. comm. 39. — 1. Plac. 29. — 5. Satur. 16. — Loc. cit. — Lib. 4. — Ecl. Phyſ.

In pag. 88. dentiæ, quatenus videntes contingere multa, quæ præter rationem eſſe viderentur, exiſtimârunt id non fieri ſine aliquo Numine, quale, adnuentes vulgo, dixêre Fortunam. Quicquid tamen fuerit de quibuſdam paucis; videntur tamen Philoſophi ſaniores nihil aliud voluiſſe, quàm Fortunam veluti quodam emblemate deſcribere; quemadmodum quidem Pacuuius apud Authorem ad Herennium hiſce verſibus memorat: Lib. 2.

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam perhibent
Philoſophi;
Saxòque illam inſtare globoſo prædicant volubilem;
Ideò, quò ſaxum impulerit fors, cadere eò Fortunam autumant.
Cæcam, ob eam rem eſſe iterant, quòd nihil cernat, quò ſeſe applicet.
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſque ſit:
Brutam, quia dignum atque indignum negat internoſcere.

Certè Epicurus longè abſuit, vt eſſet ex iis, qui Fortunam Deum, Deámve dixerunt: Perſpicuum eſt enim illud ex contextu, τὴν δὲ τύχην οὔτε θεὸν, &c. *Caue ne habeas Fortunam Deam, vt vulgus facit hominum (neque enim quicquam à Deo inordinatè peragitur) néve etiam credas inſtabilem quidem, ſed cauſam tamen aliquam (vulgò enim exiſtimant, non porrigere quidem ipſam, quaſi manu, hominibus, boni, aut mali aliquid, quod ad beatam vitam faciat; ſed bonorum tamen, malorúmve inſignium occaſiones ſuppeditare.) Id caue, inquam, &c.* Quibus verbis etiam declaratur ratio, ob quam Fortuna nihil eſt diuinum, & propter quam tùm Cicero ait: *Nihil tam contrarium eſſe rationi, & conſtantiæ, quàm Fortunam: vt mihi quidem,* inquit, *ne in Deam quidem cadere videatur, vt ſciat, quid caſu, & fortuitò futurum ſit;* (ſed nimirùm non ſatis potuit cum Prouidentia conciliare Fortunam) tùm Philemon quoque apud Clementem Alexandrinum: 2. De diuin.

5. Strom. Οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία τύχη θεός.
Fortuna nobis haud habetur in Diis, &c.

Nempè, quæ inſtabiliter, ſiue inordinatè fiunt, abſque ſapientia peraguntur, ſine qua eſſe Deus non poteſt. Difficultas eſſe heic poſſet, quòd Epicurus licet in Mundo diuinam eſſe Sapientiam neget, humanam tamen non diffiteatur, quâ actiones vitæ ſic adminiſtrentur, vt etiam *exiguam Sapienti interuenire Fortunam cenſeat*, vt in Ratis ſententiis eſt. Verùm id ſic eſt accipiendum, vt ille cenſuerit, ſubiici quidem etiam Fortunæ ea, quæ in vita accidunt, ſed Sapientiæ munus eſſe, illa temperare, præpara［ré］que animum ad omnem Fortunæ euentum. Spectat huc proinde illud ex contextu, quod mox citata conſequitur: *Ducendum eſſe ſatius, ratione benè initâ infortunatum fieri, quàm malè initâ, fortunatum. Præclarius enim eſſe, ſi quid ea pulcrè, fæliciterque dirigat, vt id fuerit ipſi non ſine iudicio, deliberationéque commiſſum.* Nimirum quaſi appoſitè illi aleæ ludo vita hominum compararetur, cui eſt intermiſta induſtria; & in quo iactus, cum perito æquè, ac imperito ſit fortuitus, perito tamen cedit melius. Inde verò eſt, quod aiunt, *Fortunæ ludibrium.* Vt enim iactus inter ludendum imperito ſæpè felicior, perito infelicior prodit; ita euenit in rebus humanis; adeò vt neque ſemper, *Fortuna forteis*, quod dicitur, neque intereſſe videatur quod Poëta ait: De Libertate, Fortuna, & Fato. Cic. 5. defin. In Cul. de fort. Rom.

——*Dederit-ne viam Caſúſve, Deúſve.*

Cùm & ille non malè apud Plutarchum dixerit, *Fortunam, & Sapientiam res diſſimillimas quam ſimillimos ſortiri effectus.* Quin-etiam cùm pauci Sapientiam profeſſi Fortunæ euenta ſcitè moderentur; mirum non eſt, ſi propter plureis euulgatum id fuerit, quod à Theophraſto dictum memoratur, quodque tùm Menander, tùm alij commendant: Apud Cic. 5. Tuſc. Ap. Stob. Ecl. phyſ.

Vitam regit Fortuna, non Sapientia.

Nihil mirum, inquam, cùm plerique omnes à Fortuna dependeant, illique vota nuncupent; nam etiam Lucretius populari more,

Quod procul à nobis flectat Fortuna gubernans. Lib. 5.

& ipſa tamen, tùm non inuocata iis ſæpè adueniat, à quibus minùs ſtudioſè captatur, tùm illos plerumque auerſetur, à quibus terrâque marîque indefeſsè requiritur:

Vſque adeò res humanas vis abdita quædam Ibid.
Obterit, & pulcros faſceis, ſæuáſque ſecureis
Proculcare, & ludibrio ſibi habere videtur.

Ad Fatvm iam quod attinet, non fuit vox perinde tacita Homero; ſiquidem præter cætera illud attribuit Hectori:

Οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει, Iliad. ζ.
Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.
Nam niſi Fata vocent, nemo me mittat ad Orcum:
At Fatum vitat nemo, mihi crede, virorum.

Cùm verò, vt Cicero ait, *Anilis plenum ſuperſtitionis ipſum Fati nomen* ſit; & Epicurus fuerit Anaxagoram imitatus, qui referente Alexandro, *Communi hominum perſuaſioni circa Fatum eſt aduerſatus, ac Fato nihil fieri ſtatuens, ipſum nomen inane* habuit; idcirco, vt appareat quorſum, aut quo ſenſu Fatum improbauerit, cognoſcendæ variæ opiniones ſunt, in quas fuêre Fati Authores diuiſi. Illæ igitur ſunt Capitales duæ; nam alij Fatum eſſe rem diuinam, alij rem merè naturalem volunt. Priores ſunt potiſſimùm Platonici, & Stoïci, iuxta quos vtroſque, ſed Platonicos præſertim conſiderari Fatum à Plutarcho, Chalcidio, & aliis dupliciter ſolet. Primvm, ὡς οὐσία, *vt ſubſtantia*; quo ſenſu accipitur pro Deo, æternáve illa ratione, quæ omnia ab vſque æterno tempore diſpoſuit, cauſáſque cauſis ita innexuit, vt ex earum ſerie contingant, quæcumque contingunt. Ita enim citatur Plato modò *ipſam Animam Mundi*, modò *Natura* Lib. de Fato. Cap. 1. Lib de Fato. L. de Fato. In Tim. Plat. Ibid. & 1.

De Libertate, Fortuna, & Fato. *vniuerſi æternam rationem, ac legem* Fatum aſſerens. Ita & Zeno, & Chryſippus leguntur Fatum definiiſſe, *Vim motricem materiæ*; &, Plac. 28. Plut. Laert. Stob. *Vim ſpiritalem, ac rationem ordinis vniuerſa gubernantem, &c.* Cæteri autem ex eadem familia tùm generatim apud Laërtium, tùm ſpeciatim apud Stobæum Panætius, atque Poſidonius (ſi illius quidem eſt liber de Mundo, Lib. 7. Ecl. Phyſ. qui Ariſtoteli tribuitur, & ex quo ille locum citat) *idem eſſe Fatum cum Deo, cum Ioue, cum* 4 De benef. 7. 2. Na. 945. *Mente* dixerunt; & Seneca, *Si Iouem*, inquit, *Fatum dixeris, non mentieris*; ac rurſùs: *Vis illum Fatum dicere, non errabis.* Quo fit, vt cùm Poëtæ humanas etiam omneis actiones ad vnum Iouem referant, id perinde omnino ſit, ac dum ad Fatum referunt, cùm & aliquando vtrumque coniungant, vt dum Agamemnon hoc modo ſeſe excuſans inducitur:

Iliad. τ. ——Ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺς, & Μοῖρα,——
——*Non ego cauſa,*
Verùm Iupiter eſt, & Fatum.——

Præterea verò ſpectare huc illam Pythagoræ definitionem, quâ apud Laërtium Fatum di- Lib. 8. 1. Plac. 28. citur, *Vniuerſorum, & ſingulorum adminiſtrandorum cauſa.* Itémque illam Heracliti apud Plutarchum, qua dicitur: *Ratio vniuerſum permeans*; cùm ſit nimirum *corpus æthereum & generationis Vniuerſi ſemen*, quatenus, putà, vt omnia ſunt in vnum Iouem refundenda; ſic omnia ex ipſo reficienda ſint. SECVNDÒ, *ὡς ἐνέργεια, vt actus*: videlicet partim pro ipſo Decreto, ac velut iuſſione, quâ Deus omnia conſtituerit; ex quo Latinè Fatum *à fando*, ſeu dicendo, ac deſtinando (vnde eſt & vulgare nomen) dictum creditur; partim pro ipſo ordine, ac ſerie, concatenationéve in rebus ſtatuta, quæ pro tenore ſemel præſcripto pergit inuariabiliter. Sic nimirum varia Lib. de Fato. ex Platone loca apud Plutarchum indicant, ac nominatim cùm Fatum *Lex Adraſtæa* dicitur; itémque *Lex naturæ, Vniuerſi comes*, & *Neceſſitatis filia*; ac rurſus, quod apud Sto- Epiſt. ad Maced bæum, ex Iamblicho dicitur, *Ordines omneis complectens ordo.* Sic notant variæ à Chryſip- Lib. 6. c. 2. po definitiones traditæ; ac illa præſertim, qua apud Agellium Fatum dicitur, *Sempiterna quædam, & indeclinabilis ſeries rerum, & catena voluens ſemet ipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta, connexáque eſt.* Spectat autem huc tùm illud Lucani:

Lib. 6. *At ſimul à prima deſcendit origine Mundi*
Cauſarum ſeries; atque omnia fata laborant.

Tùm quod & Plutarchus, & alij Authores il- De aud. po. lud Homeri:

Iliad. α. ——Διὸς δ᾽ ἐτελείετο βουλή,
——*Fiebat diuina voluntas.*

De ipſo Fato interpretantur, Ex hiſce interim intelliguntur variæ, quas tùm Author li- Cap. 7. 6. Præp. 7. bri de Mundo, tùm Chryſippus apud Euſebium, Fati appellationes habent: vt cùm dicitur εἱμαρμένη, quod ſit nexa, apta, continens In pag. 89. quædam rerum ſeries: πεπρωμένη, quòd omnia in hoc ſtatu rerum definita contineat: ἀνάγκη, quòd immutabili definitione coërceatur: ἀδράστεια, quòd nihil moliri aduerſus eius tenorem liceat: αἶσα, quòd æterna conſtitutio ſit: νέμεσις, quòd ſit vnicuique facta diſtributio: κὴρ, quòd vt ortus, ſic interitus rerum omnium illi ſubiaceat: χρεὼν, quòd quicquid eſt cuique debitum contineat: μοῖρα, ſeu *Parca*, quòd ſit quaſi ſors, & portio cuique deſtinata; & ſi qua alia id genus ſunt. Quandoquidem verò Parca, quæ vt aliarum rerum ſtatum, ſic ſpeciatim hominum vitam, quaſi nendo, determinat, ex Heſiodo vſque di- In Theog. ſtinguitur triplex; heinc fit vt ἄτροπος dicatur, propter irreuocabile præteritum tempus, quod eſt ceu filum in fuſo perfectum; κλωθὼ, propter decurrens, ſiue præſens, quod eſt ceu filum in manibus nentis; λάχεσις, propter futurum, ſortémve, quæ adhuc vnumquemque manet, quaſi linum nondum intortum. Ita Author libri de Mundo, & Apuleius interpretantur; cùm apud Platonem Lacheſis re- In fin. 10. De Rep. Ecl. Phyſ. gat præterita, Clotho præſentia, Atropos futura. Chryſippus etiam paulò aliter; ſiquidem apud Stobæum Lacheſin eſſe dictam vult, quòd omnia, prout æquum eſt, quaſi ſorte diſtribuat: Atropon, quod ſit immutabilis ſingulorum definitio, ex æterno tempore; Clothonem, quod Fatorum ratio contortis filis non malè reſpondeat. Quin etiam Plato, cùm animam Mundi Fatum diceret; ſummam eius partem, quæ eſt in regione Inerrantium, Clothonem appellandam cenſuit; ſuccedentem, ſeu quæ in regione Planetarum, Atropon; infimam, ſeu quæ infra cœlum, & circa terram, Lacheſin, vt à Plutarcho eſt adnotatum. Quo loco, dum adiicitur, Lacheſin cœleſteis ſororum actiones excipere, connectere, & in ſubiecta terreſtria diſtribuere; indicatur opinio, iuxta quam diſponens cauſa,

Fata quoque, & vitas hominem ſuſpendit ab Manil. lib 3. *Aſtris*,

quámque idcircò Aſtrologi, ex ſuperiùs dictis, auidè arripiunt, dum volunt Fata hominum deſcripta eſſe in ipſis aſtris; ac proinde illa cognoſci à peritis poſſe, diuinandóque reuelari, non minore certitudine, quàm per Sibyllas, & Oracula, quæ *Fata canere* dicuntur. Nempè illi, ſi Diis placet, non minus ſunt participes diuinorum conſiliorum, quàm In Phædro. illæ Quercus Dodonææ, ex quibus Plato memorat erupiſſe primùm λόγους μαντικούς, *voces diuinatorias*, ſeu, vt ſic dicam, Fatidicas: nam & Virgilius id ſubnotat,

Quam comitabantur Fatalia carmina Quercus.

Cæterùm, cùm in hac ſententia, paria ſint, quæ Platonicis æquè ac Stoïcis poſſunt obiici; ea tamen ſolent potiſſimùm aduerſus Stoïcos vrgeri: quòd ipſi præſertim ſint viſi eam defendere, quam Seneca dicit: *Neceſſitatem* 2. Nat. 9 5. *omnium*

In pag. 89. *omnium rerum, actionúmque, quam nulla vis rumpat.* Nam & *Fata*, inquit, *ius ſuum peragunt, nec vlla commouentur prece; non miſericordiâ flectuntur, non gratiâ; ſeruant curſum irreuocabilem; ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperueniens præcipitat: ſic ordinem rerum fati æterna ſeries rotat, cuius hæc prima lex eſt, Stare decreto.* Quia enim hæc neceſſitas eſſe eiuſmodi videtur, vt humanarum omnium actionum libertatem funditus tollat, nihilque in noſtro arbitrio relinquat (quoniam ſi quid relinqueret, id neceſſariò non fieret, ac euenire aliquid præter ipſum Fatum, ſeu Decretum poſſet) ideo ipſa eſt, cui ſolemne eſt ab omnibus Fati impugnatoribus obiici, quæ incommoda exinde ſequuntur. Ex ipſis illud eſt præcipuum, Quòd ſi animi quoque noſtri, cùm ſint in ipſa rerum ſerie conſtituti, Fato regantur; ſi libertate deſtituti, neceſſitate immobili, ineluctabili, ineuitabili omnia faciant; perit humanæ vitæ ratio; neque omninò eſſe vllus conſultationi locus poteſt: Quicquid enim deliberes, non aliud eueniet, quàm quod Fato decretum fuerit. Hinc vana prorſus erit Prudentia, vanum ſtudium ſapientiæ; & Legumlatores omnes, vel ridiculi, vel tyranni; cùm ea præcipiant, quæ aut omnino facturi ſimus, aut facere prorſus non poſſimus; quo nomine omnis etiam exhortatio, dehortatióque ridicula, ac ſuperflua. Sic nulla virtus, nullum vitium: omniſque vel laudatio, vel vituperatio immerita, cùm illi ſoli laude digni habeantur; qui malè agere cùm poſſent, agunt benè; illi ſoli digni vituperio, qui virtutem ſequi cùm poſſent, amplectuntur vitium. Adhæc, vt nemo ob præclarè geſta erit præmio dignus, ſic neque ſupplicio propter ſcelera; quoniam vt ille non poteſt ſe honeſtè non gerere, ſic in poteſtate iſtius non eſt, vt ſe à prauitate contineat; adeò proinde, vt non abs re Oënomaus apud Euſebium, ita in

Lib 6. c.6. Chryſippum inſultet: *Quin etiam illum Epicurum, quem tu, ô Chryſippe, inſectaris tantoperè, ſi rem quidem tuis ex decretis definiam, pronunciabo omni crimine immunem. Quid ageret enim, qui ſponte non ſua mollis eſſet, aut improbus, quo eum nomine ſoles criminari.* Rurſùs tolluntur Fortuna, caſus, omniſque contingentia; ac proinde inutilis eſt Diuinatio, cuius tamen illi vt tuerentur exſtantiam, neceſſitatem Fati inuexerunt; quaſi niſi res neceſſariò eueniant, prouideri tutò, prædicíque non valeant; inutilis, inquam, cùm non ideò mala, quæ prænunciantur, effugi poſſint; ac ſint idcircò etiam inutiles ad Deum preces, inutilia vota, inutilia ſacrificia, ac id genus cætera omnia. Denique videtur Lucianus Stoïco placito permotus, non illepidè inducere Cyniſcum Ioui

In Io. conf. obiicientem: *Non timere ſe eius fulmina, ſi in fatis quidem non ſit, vt hac ratione pereat. Quippe & Iouem, & cæteros Deos eſſe ipſi alligatos Fato; illoſque ſimul, ac homines ideò conſeruos eſſe Parcarum, quòd ne Dij quidem moliri quid poſſint, niſi quod Parcæ decreuerint; adeò proinde, vt nihil aliud, quàm Parcarum miniſtri ſint, imò neque aliud, quàm inſtrumenta, vt ſecuris, ac terebra.* De Libertate, Fortuna, & Fato. Eſſe prætereà quamobrem rideat, quòd Iupiter aliàs gloriatus circa catenam celebrem apud Homerum fuerat, ac exiſtimet Parcis iuſtiùs, quàm Ioui tribuendum imperium. Quod Lactantius quaſi excipiens, *Illud verò,* Lib. 1. c.11. *quale eſt*, inquit, *eſſe Fata, quibus Dij omnes, & ipſe Iupiter pareat? Si Parcarum tanta vis eſt, vt plus poſſint, quàm cæleſtes vniuerſi, quamque ipſe Rector, ac Dominus: cur non illæ potiùs regnare dicantur, quarum legibus, ac ſtatutis parere omneis Deos neceſſitas cogit? Nunc cui dubium eſt, quin is, qui alicui rei obſequitur, maximus non ſit? Nam ſi ſit, non accipiat Fata, ſed faciat.* Sic ille: Et ne putes Poëticum eſſe, quod Philemon ait,

Δοῦλοι βασιλέων ἐσμὲν, οἱ βασιλεῖς θεῶν,
ὁ θεὸς ἀνάγκης.——
Nos Regibus, Reges Deis ſubſeruiunt;
Neceſſitati Deus.——

Itémque illud:

Ὦ τῶν θεῶν κρατοῦσα, τῶν θνητῶν μόνη
Μοῖρα.——
O quæ Deorum, hominúmque ſola es imperans,
Parca.——

Ac rurſùs quod Iupiter queritur, non potuiſſe ſe Sarpedonem filium contra fatum à morte eripere:

ὤ μοι ἐγὼν, ὅτε που Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν, &c. Iliad. μ.

Vel, vt Virgilius:

Tot nati cecidêre Deum, quin occidit vnà 10. Æneid.
Sarpedon mea progenies.——

Vt minùs ſit mirum exſtare in eam ſententiam Græcum verſum, quem ita exprimit Cicero,

Quod fore paratum eſt, id ſummum exſuperat Iouem. 2. De diu.

Itémque Epigramma:

Numina cùm videas diris obnoxia Fatis, Mart.
Inuidiâ poſſis exonerare Deos.

Ne id, inquam, putes; ecce idemmet dogma eſt Philoſophorum non incelebrium, quales fuêre præter Thaletem ipſi iidem Stoici, quorum nomine Seneca, poſtquàm hæc præmiſit, *Fata nos ducunt, & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex cauſa, priuata, & publica; longus ordo rerum trahit, & olim conſtitutum eſt, quid gaudeas, quid fleas, &c.* Lib. de Prouid. cap.5. tùm ſubdit: *Quicquid eſt, quod nos ſic viuere iuſſit, ſic mori: eadem neceſſitas & Deos alligat. Ille ipſe omnium Conditor, ac Rector, ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur: ſemper paret, ſemel iuſſit.* Vnde & alius ex eadem familia:

Finxit in æternum cauſas, qua cuncta coërcet, Lucan.
Se quoque lege tenens.

Ac rurſùs alius:

Non illa Deo vertiſſe licet, Sen.
Quæ nexa ſuis currunt cauſis,

It

De Libertate, Fortuna, & Fato.

It cuique ratum, prece non vlli,
Mobilis ordo.

Idque, poſtquam exemplo Patrui illud fuit præmiſſum,

Fatis agimur; cedite fatis.
Non ſollicita poſſunt cura
Mutare rati ſtamina fuſi.
Quicquid patitur mortale genus
Quicquid facimus, venit ex alto;
Seruátque ſua decreta colus
Lacheſis; durâ reuoluta manu
Omnia certo tramite vadunt,
Primuſque dies dedit extremum.

Manil. Cui ſimile eſt & illud alterius, qui hocce præmiſſo,

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longáque per certos ſignantur tempora curſus.

Protritum illud ſubiicit:

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Herod. Quibus addendum eſt illud ſolùm, quod Crœſi Legatis oracula exprobrantibus, ipſemet Apollo, ſeu Pythia reſpondit, τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατόν ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ. *Sortem Fato deſtinatam ne ipſi quidem Deo defugere poſſibile eſt.* Et laborat quidem præſertim Chryſippus, vt in homine τὸ ἐφ' ἡμῖν, ipſam libertatem arbitrij, aduerſus obiecta tueatur; ſed rem explicans exemplo Cylindri, qui à mouente ſemel impulſus, ipſe ſe deinceps ſuâ ſponte volutat, non tam libertatem videtur, quàm libentiam defendere; quemadmodum erit dicendum inferiùs.

Poſteriores, hoc eſt, Philoſophi, qui autumârunt Fatum rem eſſe merè naturalem, neque à decreto vllo dependentem, fuère duplices. Alij enim poſuerunt ſeriem cauſarum naturalium, ſic aptarum, connexarúmque, vt poſteriores ſemper dependentes, motæque à prioribus, ea, quæ agerent, non agere non poſſent; ſicque ex omni æternitate ſequeretur Neceſſitas, quæ impediri nullatenus poſſet, eſſétque omninò par illi, quæ deducta eſt ex ſuperiore ſententia: eo ſolùm diſcrimine, quòd iuxta illam rerum ſeries eſſet à Deo conſtituta; iuxta hanc verò, flueret ipſa per ſe, neque ideò minùs neceſſariò, inuariatéque perſeueraret. Alij verò poſuerunt quidem cauſarum naturalium inter ſe connexarum ſeriem; ſed reputârunt tamen cauſas poſteriores non ita dependere, mouerique à prioribus, quin impediri ab iis agendis, quæ alioquin agerent, poſſent; impediri, inquam, à rebus vel fortuitis, vel vtentibus libertate. Ac ex illis quidem fuère ij præſertim, quos

Lib. de Fato. diximus à Cicerone, præter Ariſtotelem (immeritò illis adſcriptum) eſſe nominatos, videlicet Democritus, Heraclitus, Empedocles. Nam quòd iſti quidem, non Deo authore, ſed caſu extitiſſe Mundum autumauerint, conſtat ex deductis, cùm de Authore Mundi; vbi citati ſunt cohærenter pro Empedocle Ariſtoteles, pro Heraclito Plutarchus, pro Democrito Philoponus. Quod verò Fato fieri omnia exiſtimaverint (ac proinde illum quoque caſum, quo exortus ſit Mundus, ipſi Fato ſubiecerint) abundè eſſe vel inſinuatus ex Cicerone locus poteſt, vbi referens duas veterum Philoſophorum ſententias, iſtis illam ſic tribuit, vt cenſuerint: *Omnia ita Fato fieri, vt id Fatum vim neceſſitatis afferret*: quippè cùm eſſet altera eorum, *quibus viderentur, ſine vllo Fato, eſſe animorum motus voluntarij.* Porrò, ne quidpiam de Heraclito, aut Empedocle, ac neque etiam de nominatis initio Parmenide, Leucippo, aliiſve dicam, ſed de vno Democrito loquar; non eſt, cur mirere eam dici hoc loco illius ſententiam, quæ Fato vim neceſſitatis afferente fieri omnia ſtatuat, ſicque alteri illi opponatur, quæ admittit motus voluntarios, ſeu libertatem in animo: Ecce Oënomaus apud Euſebium, rem apertiſſimè confirmat; vbi mentione habita τῆς ἐξουσίας, *libertatis*, quæ in nobis eſt, quamque eſſe ſtatuit ἀνδραγάθημα τῶν ἀναγκαιοτάτων, *ſummam eorum, quæ maximæ neceſſitatis ſunt, dominam*: id ſimul habet, quod Cicero de Chryſippo ſubiicit (cum nempè inter duas ſententias ſic voluiſſe ſerire medium, vt ſe applicaret ad eos potiùs, qui neceſſitate motus animos liberatos vellent:) ſiquidem de Democrito, & Chryſippo Oënomaus loquens: ὁ μὲν, inquit, δοῦλον, ὁ δὲ ἡμίδουλον ἐποίησε τὸ κάλλιστον τῶν ἀνθρωπίνων ἐπιδεῖξαι: *Ille quidem exiſtimat ſe demonſtraſſe id, quod eſt in homine pulcerrimum* (animum putà) *ſeruum eſſe ex toto; hic verò ſeruum ex dimidio.* Nempè Chryſippus Fatum defendens, conciliare quidem cum illo libertatem adnixus eſt; at non idcircò animum à neceſſitate ex toto exemit (vt inſinuatum mox eſt) fœlix, ſi, vt heic dicitur, ex dimidio. Confirmatur autem ex eo, quod Plutarchus habet, dum ſimulacrorum appulſum ex Democriti mente explicans, dicit Epicurum eatenus quidem illi conſenſiſſe, ſed, quod quod ſupereſt, ab illius deſciuiſſe ſententia, quatenus nempè ille voluit *Simulacra, ſeu ſpecies rerum incurrentium in animum, cauſas eſſe, quæ animi motus, conſilia, mores affectionéſque traherent*; traherent, inquam, *neceſſariò*; hoc videlicet ſolum eſt, in quo Epicurus Democrito circa argumentum ſimulacrorum repugnauit. At, inquies, quî conſtare poteſt, exiſtimaſſe Democritum, Fato omnia fieri; & fortuitò tamen factum eſſe Mundum; ac fieri iam quoque caſu plurima (cùm, quicquid obiiciat Simplicius, non potuerit non aliquam ab exorto Mundo admittere fortunam) & nihilominùs eadem fieri Fato; quandò inter ſe Fortuna, & Fatum, ſeu mavis Contingentia, ac Neceſſitas tantopere pugnant? Reſpondeo videri id ex eo conſtare, quòd exiſtimârit Fortunam nihil aliud eſſe, quàm Naturam; & Naturam aliunde non poſſe agere, niſi id, quod agit. Et quòd Fortuna quidem eadem res cum Natura ſit, non multò antè dictum eſt,

In pag. 89.

6. Præp. 6.

8. Sympoſ. 10.

In 2. phyſ. côm. 39.

Digitized by Google

In pag. 89. eſt, quatenus quicquid actionis Fortunæ tribuitur, id Naturæ ſit reuerâ tribuendum; ac ſit reputandum Fortunam connotare ſolùm aliquam in homine eorum, quæ natura facit, ignorantiam; & Naturam vocari Fortunam, propter hanc ignorantiam, quæ ipſi profectò non minùs, quàm ſcientia, res merè extrinſeca eſt; cùm ſeu quis ſciat, ſeu neſciat, natura ſemper res ſuas agat; neque illi quidpiam contingens ſit; vtcumque ſit ignoranti contingens. Retulimus aliàs Platonis ex decimo libro de Legibus locum, in quo recitatur illorum opinio (quos inter haud dubiè Democritum habuit) qui *Naturam, atque Fortunam, quaſi ſynonyma haberent; cùm omnia non arte, ſed Naturâ, & Fortunâ dicerent facta: cùm Fortuna quaſi auſpiciis, & conueniſſe initio, & contemperata fuiſſe: cùm cælum, & mundum, & quæ in eo ſunt omnia; animalia quoque, & plantas, & quadripertita anni tempora, non nata per mentem, aut Deum aliquem; ſed vt dictum fuit, naturâ & fortunâ.* Quòd natura autem non poſſit agere niſi id, quod agit, ex eo deduxit Democritus, quod principia quidem, ſiue Atomi, ex quibus conſtant omnia, motum ſibi ingenitum, ſeu naturalem habeant, quo non agitari, ſeu moueri non poſſint; Compoſita verò ex Atomis omnia non poſſint non moueri iis motibus, quibus aguntur Atomi. Et cùm nonnullæ Atomi aliquorsùm contendentes, occurſu aliarum diuertantur, alióque deinceps contendant; partim ipſæ aliò tendentes motu nouo compulſæ faciant; partim quæ illas compulerunt, eo motu fecerint, quem, ſiue à ſe, ſiue ab aliis ita habuerint inditum, vt non aliò ferri, quàm quò cæteris occurrerent, ipſaſque compellerent, poſſent. Ac pari ratione, corporum, quæ ex Atomis ſunt concreta, poſſint quidem aliqua aliquò tendentia aliorum occurſu, aliorſum deflecti; verùm & ipſa, propter occurſum, non poſſint non aliò deflecti; & quæ ad deflexionem ea cogunt, non poſſint non cogere, ob acceptum à ſe, (internísve principiis) aut ab aliis corporibus motum. Heinc igitur eſſe Democritus voluit neceſſitatem, qua omnia fiunt, & quâ etiam Mundus, qualis eſt, coaluerit; quòd ſingulis nempè Atomis, quæ in iſtum fortè locum concurrerunt, ij motus inexſtiterint, vt nullatenus potuerint in aliam, quàm in iſtam formam coïre; vti neque iam, poſita hac forma, non poſſunt non motus obire, quos obeunt, & quibus intercedentibus omnia fiunt.

1. Plac. 26. Docet nimirùm apud Plutarchum, *Neceſſitatem nihil eſſe* aliud, ἢ τὴν φορὰν, ἢ τὴν πληγὴν, ἢ τὴν ἀντιτυπίαν τῆς ὕλης, *quàm lationem, percuſſionem, repercuſſionem materiæ*, hoc eſt, atomorum, quæ materia ſunt rerum.

In 2. phyſ. cõm. 59. Vnde & licet intelligi, quid ſit, quod Simplicius ait autumaſſe antiquos (in quibus fuit Democritus) ἀνάγκην ὑλικὴν, *Materialem Neceſſitatem* cauſam eſſe eorum, quæ fiunt. Cauſam, inquam, quòd illis Materia non iners, ſed actuoſa eſſet: ac non aliunde, quàm à ſeipſa motuum ſuorum principium habens: idque ad aliorum diſcrimen, qui merè Agentem Neceſſitatem conſtituebant, quaſi pendentem ab Agente, quod à materia diſtingueretur, ſiue id eſſet naturale iuxta Ariſtotelem; ſiue primus Opifex, iuxta Platonem, & Stoïcos; qui & ipſi tamen Neceſſitatem, qua Mala in Mundo exſiſterent, attribuère ipſi Materiæ; Sic enim Seneca id excuſans, *Non poteſt*, inquit, *Artifex mutare materiam.* (De Libertate, Fortuna, & Fato.) (De Prouid. 5.)

Sed de Democrito dicere vt pergam, intelligi licet, quonam collineârit, cum dixit apud eundem Plutarchum: *Neceſſitatem, qua omnia fiunt, eſſe & Fatum, & Iuſtitiam, & Prouidentiam, & Opificem Mundi.* (1. Plac. 45.) Nimirum, quaſi rerum ſeries, in qua Fati ratio conſiſtit, eſſe non poſſit alia, quàm ſit; & ex huiuſmodi ſerie pendeat, quamobrem hoc iuſtum, illud iniuſtum ſit, aut habeatur: cur mundus hoc modo, quo procedit, regatur: quorſum talis fuerit initio conflatus, &c. Retulit quippè omnium cauſam ad congeneos illos atomorum motus; ſicque Animum quoque ipſum, quem contextum maximè voluit ex orbicularibus atomis, tum variè moueri à ſeipſo cenſuit, ob illarum motiones varias (alias putà in melancholicis, alias in cholericis, alias in aliter temperatis) tùm variis quoque motibus ſollicitari ab externis obiectis à quorum incurrentibus, quas atomi quoque conſtituant Simulacris ſiue imaginibus, ſpeciebúſve perculſus, non poſſit non attrahi (quod & mox inſinuatum eſt) ſi conſentaneæ ſint, vt alliciant; non auerti verò, ſi diſſentaneæ, vt repellant. Etenim licet aliquando ab aliquibus allicientibus non trahatur, id fieri, quoniam eâdem ex parte potentiores, quæ repellant, occurrant; vti & niſi auertatur ab aliquibus repellentibus, id fieri, quòd eádem ex parte potentiores adueniant, quæ ſimul eodem pelliciant. Quare ſe non poſſe non ferri ad bonum, ſiue id, quod iuuat, quodque allicit, donec nihil mali ipſi admixtum videt; neque non refugere malum, ſeu id quod lædit, quodque auertit, donec nihil in eo deprehendit boni. Non poſſe rursùs ex duobus bonis, non ferri ad melius, vt à quo trahatur vehementiùs; neque ex duobus malis non refugere peius, vt à quo repellatur fortiùs. Non poſſe, ſi bonum, & malum ſimul obiiciantur, non refugere bonum, donec malum fortiùs repellit; neque non ferri verſus malum, donec bonum vehementiùs trahit. Denique, cùm præ ignorantia, caliginéve humanæ mentis, non peruideat ſæpè quicquid mali ex aliquo bono conſequitur; quicquid boni ex aliquo malo; decipi ſe quidem, & eò ſæpè ferri, vnde auerti optandum foret; ab eo refugere, quod optandum foret proſequi; ſed interim nihilominùs rebus hoc, non alio modo occurrentibus, non

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. poſſe ſe noo ferri, quò fertur; non auerti, vnde auertitur: ac ſupereſſe ſolùm deſiderium, vt ſibi rerum ſpecies non fucatæ occurrant: tales nempè, quibus res, quales ſunt, appareant: & neque malæ ſpecie booi, neque bonæ ſpecie mali decipiaot. Hoc ſcilicet eſſe videtur, quod tùm apud Empiricum,
1. Aduer. Phyſ. 6. Præp. 7. tùm apud Porphyrium, referente Euſebio: Εὔχετ᾽ εὐλόγων εἰδώλων τυγχάνειν, *exoptat rerum imagines conſentaneas poſſe nanciſci*: vtcumque ex iis Authoribus alius dictum hoc ad Deorum, alius ad Dæmonum ſimulacra traducat. Hac proiode ratione videtur fuiſſe Democritus dicturus, videri quidem aliqua in noſtra eſſe poteſtate; cùm experiamur nos conſultare, & vnum præ alio non coactè, ſed ad placitum, liberéque eligere; ſed reipsâ tamen nihil eſſe, quòd & occaſio conſultationis, ſeu exhibitio plurium rerum, quæ peoè æqualiter oos moueant, ac propter paria ſui momeota ancipitem animum teneant, non valeat oobis ob rerum ſeriem altius deductam non exhiberi; & ipſa conſultatio non poſſit ex eo non fieri, quòd duæ, v. c. res ſic obiiciantur animo, vt earum vnâ ob viſam ſui vtilitatem iam trahente, alia maiorem aliquam vtilitatem, quæ trahat, oſtendat; & qua tamen trahente, prior rursùs emergat, quæ ob maiorem aliquam mooeat, ac rurſus emergat poſterior, & iterum prior, &c. adeò vt animus, ioxta aotedicta, in qoodam quaſi libramento ſit, ac velnti fluctuet, ſeu quaſi ſuſpenſus teneatur, ac eatenus iocertus hæreat, quovſqoe vtilitas voius ita videatur excedere vtilitatem alterius, vt iſtius vtilitas non eò deinceps aſſurgat, vnde videatur tanta, quanta & illius; ſicque ipſa ſit, quæ penitùs trahat, ſeu conſeoſum extorqueat: eligíve præ alia cenſeatur. Nempè quaſi Electio nihil aliud ſit, quàm rei melioris, aut viſæ melioris proſequutio, & non coactè, id eſt, ſioe reniſu, fiat; quòd bonum & ſponte amemus, & libeoter proſequamur. Adeò proinde, vt Democritus, pari ratiooe qua Chryſippus, ceoſeri poſſit libertatem, quæ libentia ſit, reliquiſſe. Ac ne admirere, quòd dixi, non occaſionem conſultationis modò, ſed ipſam quoque cooſultatiooem; electiooémque liberam, ſeu mavis libeotem ipſa rerum ſerie, ſeu, quod idem eſt, fato, neceſſitatéve contioeri; ecce iſti fati aſſertores Fato etiam cootioeri volunt, quòd de ipſo Fato diſſeratur; adeò vt ab eadem rerum concatenatione depeodeat, quod ounc ipſa hæc à nobis ſcribantur. Scilicet idcircò Manilius,

Lib. 1. *Hoc quoque Fatorum eſt legem perdiſcere Fati.*

Et,

Lib. 4. *Hoc quoque Fatale eſt ſic ipſum expendere Fatũ.*

Atque id quidem, quia qualemcumque denique humanam actionem ſupponas, cauſam illius proximam ab aliqua antecedente ſic præmotam volunt, vt ipſa ab alia, quæ rurſus ab alia, atque alia in infinitum ita præmota fuerit, vt tali ſerie poſitâ huiuſmodi actio In pag. 89.
non potuerit noo ſequi: *Quo ex genere*, inquit Lib. de Fato.
Cicero, *illud eſt Ennij*,

Vtinam, ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna in terram trabes.

Licuit, ioquit ille, *vel altius, Vtinam ne in Pelio nata vlla vnquam eſſet arbor*. Etiam ſuprà: *Vtinam ne eſſet mons vllus Pelius: ſimilitérque ſuperiora repeteatem regredi in infinitum licet;*

Neve inde nauis incboanda exordium Cepiſſet.

Quorsùm hæc præterita? Quia ſequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore ſæuo ſaucia.

Atque heic quidem prætereo iſtam præſertim videri ſenteotiam, quam Ariſtoteles io li- Cap. 8.
bro de Interpretatione impugnat; vbi vt veritas, ſic oeceſſitas propoſitionum diſcutitur. Adnititur oempè oſtendere, oon quemadmodum oppoſitarum duarum propoſitionum ſingularium de re præterita, aut præſenti, altera eſt vera, & altera falſa; ita eſſe alteram veram, & alteram falſam de re futura cùm agitur: *Nam ſi*, vt ipſe infert, *de futura quoque omnis affirmatio, vel negatio vera, aut falſa eſſet*; id quod futurum eſt, neceſſariò eſſet; *quod non* futurum, oeceſſariò non *eſſet*; *ſicque nihil eſſet fortuitum, nihil, quod in noſtra poteſtate; quod admittere incommodum eſt*. Et quòd admiſſa quidem veritate vnius, & falſitate alterius huiuſmodi Enunciationum, neceſſitas obiecta ſequatur, id ex eo probat, quòd, *Si ex duobus hominibus, vnus dicat quidpiam futurum, & alius dicat non futurum, admiſſa alterius veritate, neceſſarium ſit illud euenire*. Quod autem incommodum ſit, contiogentiam, & libertatem ex ipſis rebus tollere, perſpicuum eſſe ob experientiam refragantem ſupponitur. Cæterùm vt prætercam, quemadmodum Democritus, & qui cum eo ſentiuot, ſint contingentiam, & libertatem ex mox deductis declaraturi; notum eſt æquè ab iis admitti & oeceſſitatem, qua futurum ſit, quod futurum eſt; oon futurum, quod oon futurum; & veritatem, aut falſitatem, quæ in affirmatiooe, vel negatiooe, de vno, aut altero eſt. Id certè Cicero ex Diodoro *valente Dialectico* (ita enim vocat) aduerſus Chryſippum deducit. Quippè allato exemplo, & poſtquàm concluſit: *Omne* Lib. de Fato.
igitur, quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poſſe; tùm pergit: *At hoc, Chryſippe, minimè vis, maximéque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt. Ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum; & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe; & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu, & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, vt frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quamquam id milleſimo antè anno Apollinis oraculo editum eſſet. At ſi iſta comprobabis diuina prædicta, & quæ falſa futura dicantur, in iis habebis, vt ea fieri non poſſint; vt ſi dicatur*

Fabium

Digitized by Google

In pag. 89. *Fabium in mari periturum; & quod verè dicatur de futuro; quodque ita futurum ſit, vt Africanum Carthagine potiturum; dices neceſſarium. Quæ eſt tota Diodori nobis inimica ſententia.* Et infrà: *Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur; in qua quid valeat id, quod fieri poſſit, anquirit. Placet igitur Diodoro, id ſolum fieri poſſe, quod aut verum ſit, aut verum futurum ſit. Qui locus attingit hanc quæſtionem, Nihil fieri, quod non neceſſe fuerit; &, Quicquid fieri poſſit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe: Nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe, quæ futura ſunt, quàm ea, quæ facta ſunt; ſed in factis immutabilitatem apparere; in futuris quibuſdam, quia non apparent, ne neceſſe quidem videri; vt in eo, qui mortifero morbo vrgeatur, verum ſit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem, ſi verè dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minùs futurum ſit. Ita fit, vt commutatio ex vero in falſum, ne in futuro quidem vlla fieri poſſit. Nam, Morietur Scipio, talem vim habet, vt quamquam de futuro dicatur, tamen id non poſſit conuerti in falſum: de homine enim dicitur, cui neceſſe eſt mori. Sic, ſi diceretur, Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio, vi oppreſſus, verè diceretur; id enim fore diceretur, quod eſſet futurum: futurum autem fuiſſe, ex eo quia factum eſt, intelligi debet. Nec magis erat verum, Morietur Scipio, quàm morietur illo modo; nec minùs neceſſe eſt mori Scipioni, quàm illo modo mori: Nec magis immutabile ex vero in falſum, Necatus eſt Scipio, quàm Necabitur Scipio.* Quibus poſtremis verbis inſinuatur, quod videatur poſſe Ariſtoteli obiici; Non capi nempè, quemadmodum, vt is dicit verum, qui enunciat fuiſſe, quod fuit; aut eſſe, quod eſt; non ita dicat, qui enunciat id eſſe futurum, quod erit; vt alter duorum illorum, de quibus ipſemet hypotheſin inſtituit. Neque enim valet reſponſio, Verùm futurum ſit, ignorari; nam ignorari etiam poteſt, verùm aut fuerit aut iam ſit, cùm duo aliqui de re præterita, aut præſente oppoſita dicent. Et res confirmari vel ex eo poteſt, quòd ipſe Ariſtoteles, docet, *Non ex eo, quod dicitur, ſed ex eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitionem eſſe veram, aut falſam*: pari ſcilicet modo conſtat poſſe omnino dici Propoſitionem veram, aut falſam, non ex eo, quod ſcitur, aut neſcitur, ſed ex eo, quod eſt, vel fuit, vel futura eſt. Quamquam iſthæc miſſa vt faciam, admoneo dumtaxat exinde conſtare, quò reſpexerit Cicero, cùm ad Varronem

Lib. 9. Epiſt. 4. ſcribens: *περὶ δυνατῶν*, inquit, *me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire; ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſſe, te venire. Nunc vide, vtra κρίσις te magis delectet, Χρυσιππεία ne, an hæc, quam Diodotus noſter non concoquebat.* Legendum autem poſteriore hoc loco videtur Diodotus, non vt vulgò Diodotus, quòd ob vocem *Noſter*, intelligi videatur Diodotus ille, cuius, ac ſimul Philonis, Antiochi, Poſidonij familiaritatibus domum ſuam floruiſſe ſcribit Cicero in opere de Natura Deorum; & quem domi ſuæ vixiſſe multos annos in Tuſculanis ait; idque, cùm idem eſſe videatur, cuius, aliorúmque commemorat in Academicis diſſidia circa veritatem, aut falſitatem connexorum, cuiuſmodi eſt illud, *Si dies eſt, lucet.* Sed hoc obiter. *De Libertate, Fortuna, & Fato.* Lib. 1. Lib. 5. Lib. 1.

In illis verò Philoſophis, qui Naturalem quidem, ſed non ineuitabilem tamen neceſſitatem admiſerunt, videntur Ariſtoteles, & Epicurus eſſe præcipui. Et quod ad Ariſtotelem quidem attinet; is nihil eſſe aliud Fatum, fatalémve Neceſſitatem voluit, quàm ipſam-met Naturam, ſeu, mavis, vnamquamque cauſam, provt ſecundum ſuam naturam, naturalémve ductum agit. Quippè, cùm dicit in Phyſicis: Lib. 2. c. 6. *Eas generationes, accretiones, & alterationes, quæ violentæ ſunt (vt dum ex arte, & ob delicias, cogimus Plantas aliquas præmaturè pubeſcere, adoleſceréque) eſſe οὐχ' εἱμαρμένας, non fataleis*: illiſque oppoſitas eas dicit, *quæ ſecundum naturam ſunt*; meritò cenſent Interpretes, Ea, quæ ſecundum naturam ſunt, ſeu quæ more conſueto fiunt, dici εἱμαρμένας, *fataleis*, ſiue fieri *ſecundum Fatum*. Et cùm in Meteorologicis ait, Lib. 1. cap. vlt. *χρόνων εἱμαρμένων, fatalibus temporibus magnas quaſdam hyemeis, imbriúmque exceſſus, quibus creentur diluuia, cuiuſmodi fuit Deucalioneum, contingere, Eo modo, quo & contingit hyems ſtatis anni temporibus*: id Alexander ſic interpretatur, In eum loc. vt innuat, quemadmodum hyems, eunte ſecundum naturam Sole (hoc eſt, recedente à nobis, certa anni periodo) fit; ita hyemeis magnas, ac imbrium exceſſus ſecundum aliquas aſtrorum periodos contingere; ſeu Aſtris illis pariter procedentibus ſecundum naturam. Fit ex his proinde, vt cùm apud Stobæum dicitur Ariſtoteles: Ecl. phyſ. *Non tam exiſtimaſſe Fatum eſſe cauſam, quàm modum cauſæ aduenientem rebus ex neceſſitate ſtatutus*, id videatur ſic accipiendum, vt intelligamus Fatum non eſſe nouum genus cauſæ, ſed eſſe ipſam-met Naturam, quæ provt agit, dicatur cauſa; & provt certo modo, hoc eſt, impulſu proprio, neceſſarióque, agit, appelletur Fatum. Hinc eſſe profectò videtur, cur diſcipulus illius Theophraſtus dicat apud eundem Stobæum, ibid. *εἱμαρμένην εἶναι τὴν ἑκάστου φύσιν, Fatum eſſe rei cuiuſque naturam*, & ſcribens de cauſis Plantarum, Lib. 5. tribuat etiam locis, in quibus Plantæ proueniunt, *ἰδίας κῆρας, Fata propria*; quo nomine intelligit naturaleis diſpoſitiones. Verùm quia Alexander ſpeciali Tractatu ſententiam Ariſtotelis explicare aggreſſus eſt; ideò vt expreſſiùs non nihil dicatur, adnotari ex illo poteſt, Fatum, quod eſſe cauſam non negat, eſſe ex Cap. 2. 3. & 4. genere agentium, & eorum quidem, quæ operantur propter finem; Et cùm in iis cauſis, quæ agunt propter finem, ipſum agendi principium vel Ratio, vel Natura ſit; Fatum idcirco eſſe in iis, quæ non Ratione, ſed Naturâ agunt. Vult proinde Fatum nihil propriè

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. aliud, quàm ipſammet Naturam eſſe; & Fatale, quàm Naturale; adeò vt, exempli gratiâ, hominem ab homine, equum ab equo generari, tam eſſe ſecundum Fatum, quàm ſecundum naturam dicat. Quare & cùm opera naturæ non ex abſoluta neceſſitate fiant (poteſt enim & generatio modis pluribus vel impediri, vel variari; & actio, quam elicimus iuxta naturæ principia, vt puta ex temperamento, quo propendemus ad audaciam, auaritiam, luxuriam, ita reprimi, vt omnino non eliciatur) ideò vult ea, quæ Fato fiunt, non fieri prorſus neceſſariò, ſed prohiberi, ac diuerti poſſe. Hoc modo cenſet Socratem præter naturam, ac Fatum ſuum, euaſiſſe continentem; & eum, qui obeat immatura morte, naturam, ſeu Fatum anteuertere. Atque ita quidem Alexander. Vides proinde Phil. 1. pro Cor. Ibid. Ciceronem ad hanc reſpexiſſe ſententiam, cùm *multa impendere* dixit *præter naturam, præterque Fatum*; itémque Demoſthenem, cùm dixit, *Illum, qui ſe parentibus dumtaxat eſſe natum reputet, manere mortem ſecundum fatum, quoque caſura ſponte ſit; illum verò, qui etiam Patria, ob id videlicet, ne illam in ſeruitutem redactam videat, praoptare occumbere.* Sic certè exponit Agellius, qui etiam citat in eandem Lib. 13 c. 1. ſententiam Virgilianum illud de Eliſa, quæ mortem per vim potita eſt,

In eid. *Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat.*

Tanquam, inquit, *in faciendo fine vita, qua violenta ſunt, non videantur è Fato venire.* Pertinet huc illud ex eodem Virgilio,

Ipſa ſuis Fatis Admeti Fata morata eſt:

Et illud Lucani:

Lib. 6. *——Conceditur arti,*
Vnam cùm radius preſſerunt ſidera mortem,
Interuiſſe moras, & quamuis fecerit omnis
Stella ſenem, medios herbis abrumpimus annos.

Sexcentáque huiuſmodi. Non eſt autem prætermittendum, eſſe huic ſententiæ conſentaneum, quod Ariſtoteles in citato de Interpretatione libro tradit cohærenter ad ea quæ Cap 8. ſunt ex ipſo commemorata. Etenim admittit hoc ſolummodò duarum diſiunctionum quaſi aggregatum eſſe verum: *Bellum nauale cras erit, aut non erit*; non autem ſeorſim, determinatéve membrum illud: *Bellum nauale cras erit*, neque item hoc: *Bellum nauale cras non erit*; idque ob cauſam, quam repetit ex libertate, & contingentia; *Et quià*, inquit, *licet id, quod eſt, quando eſt, neceſſe ſit eſſe; & id, quod non eſt, quando non eſt, non eſſe; non tamen ſimpliciter loquendo, id, quod eſt, eſſe neceſſe eſt, & id quod non eſt, neceſſe non eſſe.* Quo ex loco, & cæteris intelligi denique poteſt, cur Ciceroni non aſſentiamur, cùm Democrito inter alios Ariſtotelem copulat: Siquidem tametſi Ariſtoteles neceſſitatem aliquam naturalem admiſerit, non illam tamen abſolutam, ſimpliciterve dictam, & ineuitabilem poſuit, ſed conditionalem dumtaxat; hoc eſt, iuxta quam aliquis effectus neceſſariò quidem conſequuturus ſit; ſed poſito tamen, quòd nihil prohibens, ne conſequatur, interueniat. Democritus autem, ac cæteri illi Neceſſitatem abſolutam, & ob quam effectus nullatenus poſſit impediri, poſuerunt; quatenus, ſi impediatur, nullo modo fuit futurus; & cauſæ impedientes tam neceſſariò impediunt, quàm produxiſſent aliæ cauſæ, niſi impedientes interueniſſent. Nimirùm quâ neceſſitate admiſſurus eſt Ariſtoteles oriturum cras, v. c. è Puncto Solſtitiali Solem; defendent illi Africanum Olympiade CLVIII. potiturum Carthagine, quoniam vt ſeries motuum cœleſtium eò adductura Solem eſt, vt non ex eo loco oriri non poſſit: ſic ſeries cauſarum inuicem nexarum eò deducet res, vt non capi eo tempore Carthago à Scipione non valeat. In pag. 89.

Ad Epicurum quod attinet, fuiſſe eum in eadem cum Ariſtotele ſententia conſtare ex eo poteſt, quòd Imprimis quidem neceſſitatem quandam admiſit, quoniam, vt ſuo loco obſeruatum eſt, verba eius fuerunt ad Herodotum, Naturam à rebus, ipſarúmve ſerie διδαχθῆναι ἢ ἀναγκασθῆναι, *doceri, cogique, ſine neceſſitate agi*; & apud Stobæum cenſuit omnia fieri trium modorum aliquo, κατ' ἀνάγκην, κατὰ προαίρεσιν, κατὰ τύχην, *Neceſſitate, Conſilio, Fortunâ*; at non fecit tamen hanc neceſſitatem omnibus in rebus ineluctabilem, ineuitabilem, abſolutam; quoniam ex citatis mox verbis, ab ea eximit illa, quæ *conſilio, & fortunâ*, ſiue liberè, & contingenter fiunt; & in ipſo contextu eadem tria enumerans non pernegat quidem, quin Neceſſitas quæpiam ſit; ſed inficiatur ſolùm eſſe illam πάντων δυνάστην, *omnium dominam*; quòd ab illius dominio ea eximantur, quæ, *tam à Fortuna, quàm ab eo, Quod in nobis eſt*, hoc eſt, liberâ voluntate, pendent. Vnde & intelligitur relinqui ſolùm neceſſitatem in rebus naturalibus, eo modo, quo illam ex mente Ariſtotelis Alexander exponit; cùm & Lucretius pari modo Fatale, & Naturale pro eodem habuerit; neque enim alia, quàm naturalia intellexit, cùm dixit,

Indupedita ſuis fatalibus omnia vinclis. Lib. 5.

Deinde, ex eo, quod idem planè circa Futurorum veritatem ſenſit, vt manifeſtè ex Cicerone, Sirenioque intelligitur; Nam vt hoc ſolùm repetamus memoratum iam in Canonicis, Negat Epicurus apud Ciceronem, prorſùs vt Ariſtoteles: *Omnem enunciationem aut veram eſſe, aut falſam*; ac dicit, *Veras quidem* Lib. de Fato. *eſſe ex contrariis diſiunctiones; ſed qua in his enunciata eſſent, eorum neutrum eſſe verum.* Cùmque Ariſtoteles propterea admitteret ſolum, vt verum, complexum eiuſmodi duarum diſiunctiuarum enunciationum: *Aut erit cras bellum nauale, aut non erit*; Epicurus quoque hoc ſolùm complexum admiſit, vt verum, *Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet*; Peruidit enim, ſi alteram diſiunctionum veram eſſe admitteret, fore, vt neceſſe eſſet viuere

cras

In pag. 89. cras Hermachum, aut neceſſe non viuere: *Nulla autem eſt*, inquit, *in natura talis neceſſitas.* Et certè vt talem à Natura neceſſitatem tolleret; id ſupra Ariſtotelem adiecit, quod hypotheſin ad eam rem exquirens, commentus eſt illum, de quo ſuo loco diximus, Declinationis Atomorum motum: Nempè, quem non modò ob cauſas recitatas induxerit, ſed etiam, vt eſſet, quod neceſſitatem Fati rumperet, ſicque Animorum libertatem faceret ſaluam. Id verò confirmat non modò Lucretius illis verſibus,

Lib. 2.
Denique, ſi ſemper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur ſemper nouus ordine certo,
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod Fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur;
Libera per terras vnde hæc animantibus exſtat,
Vnde eſt hæc, inquam, Fatis auolſa voluntas,
Per quam progredimur, quò ducit quemque voluptas.

De anim. ſolert. Sed Plutarchus quoque, cùm induci illum ab Epicuro motum ait, ὅπως εἰς τὴν ζωὴν ἡ (ita enim videtur pro ἄστρα, καὶ ζῷα, καὶ) τύχη παρεισέλθῃ, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῶν μὴ ἀπόληται, *Vt in vitam fortuna adueniat* (ſeu vitæ actionibus ſeſe intermiſceat) *ac ipſum*, *Quod in nobis* (hoc eſt, liberum arbitrium) *non pereat.* *De Stoic. rep.* Et rurſùs, cùm docet Epicurum, ἀμηχάνως στρέφεσθαι, καὶ φιλοτεχνεῖν, τὸ ἀΐδιον κινήσεως μηχανώμενον ἐλευθερῶσαι, καὶ ἀπολῦσαι τὸ ἑκούσιον, ὑπὲρ τοῦ μὴ καταλιπεῖν ἀνέγκλητον τὴν κακίαν, *Seſe in omnem partem verſare, ingentiúmque contendere, in id incumbendo, vt quomodocumque à motione ſempiterna liberum tueatur arbitrium, ac prauitatem eſſe inculpabilem non patiatur.* Quod profectò cùm verum ſit, & in ipſo quoque contextu habeatur *ipſum*, *Quod in nobis*, eſſe ἀδέσποτον, *à dominatu liberum*, ſeu, vt Lucretius loquitur, *Fatis auulſum*, neceſſitatéve exemptum; & hac ratione eſſe in humanis actionibus, καὶ τὸ μεμπτὸν, καὶ τὸ ἐναντίον, *& quod vituperium, & quod oppoſitum* (hoc eſt, laudationem) *meretur.* Cùm id, inquam ita ſe habeat, videtur profectò eſſe cur miremur tribuere Epicuro B. Epiphanium, vt cenſuerit μηδὲν εἶναι τῶν ἐν τῷ βίῳ ἑκούσιον, πάντα ἀκούσια γίνεσθαι πᾶσι, καὶ οὐ χρῆναι ψέγειν τινὰ, οὔτε ἐπαινεῖν, οὐ γὰρ ἑκόντας ταῦτα ὑφιστάναι. *Nihil eſſe liberum in vita: eſſe omnibus omnia inuoluntaria; ac non oportere quemquam hominum vituperare, vel laudare, quòd eorum, quæ agunt nihil voluntariè*, liberéve *agant.* Sed nempè, quòd ex ante dictis id aſſerere Sanctus Pater potuerit de Democrito; exiſtimare viſus eſt, Epicurum, qui vt plurimùm eadem cum Democrito ſentiat, potuiſſe ab illo in iſta de Fato controuerſia non diſſentire. Et diſſenſiſſe illum tamen, tùm ea, quæ ſunt mox deducta conuincunt; tùm id arguit, quod paulò antè, ſimulacrorum occaſione, ex Plutarcho eſt inſinuatum; quódque aliunde Cicero, relatâ Epicuri ſententiâ: *Democritus*, inquit, *Author atomorum accipere maluit neceſſitate omnia fieri, quàm à corporibus indiuiduis naturaleis motus auellere* (vt nempè fecit Epicurus.) Ac demùm, quòd circa contextum adnotatum initio eſt, quatenus videtur maximè ad ipſum reſpexiſſe Democritum, cùm dixit, *Præſtabilius eſſe, fabuloſa, ſiue vulgari de Diis perſuaſioni adhærere, quàm Phyſicorum ſeruire Fato.* Obſeruo interim, cùm rationem eam reddit, quòd *iuxta illam perſuaſionem Dij flecti precibus poſſint, propitiique iis fieri, qui ipſos gratè coluerint; at ſeruitus, iugúmve Fati, neceſſitatem habeat impeudentem, quæ ſit inexorabilis*; ſeu, vt mox antè dixerat, ἀνυπεύθυνος, *rigida, inflexibilis, inemendabilis*: cùm id, inquam, facit, videri ſubnotatos poſſe non modò Democritum, conſentienteíſque alios, ſed cæteros quoque, iuxta quos Poëta, *De Libertate, Fortuna, & Fato. Lib. de Fato.*

Deſine Fata Deûm flecti ſperare precando.

Et quorum nomine Seneca, cùm de expiationibus, procurationibúſque, occaſione Fulminum agens, poſtquam requiſiuit, quò illæ pertineant, ſi immutabilia Fata ſunt: *Permitte mihi*, inquit, *illam rigidam ſectam tueri eorum, qui excipiunt iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant, quàm ægræ mentis ſolatia.* *2. Nat. qu. 35.*

Videtur itaque Epicurus ex eo ſaltem eſſe laudandus, quòd vel Authore ipſo Plutarcho, nullum non mouit lapidem, vt libertatem arbitrij intemeratam tueretur; tametſi aduerſus Democritum non habuerit aliud paratius effugium, quàm Declinationem illam atomorum, dictam Plutarcho σμικρὸν οὕτω πρᾶγμα, καὶ φαῦλον, *rem adeò exilem, ac tam vilis pretij.* Ecquonam portò modo potuit hocce qualecumque commentum Libertati accommodare? Fortè, quatenus cùm attenderet eſſe in animalibus, & in hominibus præſertim, triplex genus motus, nempè Naturalem, Violentum, & Voluntarium, ſeu Liberum; exiſtimauit primariam cauſam petendam eſſe ex atomis, à quibus omnis motus principium. Quare & velle potuit radicem motus Naturalis eſſe ipſum motum Primarium atomis ingenitum; eum ſcilicet, qui dicitur Grauitatis, & ponderis, & quo Atomus dicitur ad lineam, ſiue perpendiculum ferri. Violenti verò motum Reflexionis; ſeu illum, qui eſt ex occurſatione, ſeu plaga, ictûque alterius. Denique Voluntarij ipſum motum declinationis, cui nulla regio determinata, nullum tempus præfixum eſt. Huc ſanè videtur ſpectaſſe Lucretius illis verſibus:

Quare in ſeminibus quoq; idem fateare neceſſe'ſt Lib. 2.
Eſſe aliam præter plagas, & pondera cauſam
Motibus, vnde hæc eſt nobis innata poteſtas;
De nihilo quoniam fieri nil poſſe videmus.
Pondus enim prohibet, ne plagis omnia fiant
Externa quaſi vi: Sed ne mens ipſa neceſſum
Inteſtinum habeat cunctis in rebus agendis,
Et deuicta quaſi, cogatur ferre, patique;
Id facit exiguum clinamen Principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.

Veruntamen videtur fuiſſe excepturus Democritus

De Libertate, Fortuna, & Fato.

mocritus nullatenus poſſe Epicurum commentatione hac adiuuari. Quoniam, cùm hic declinationis motus tam ſit naturalis, atomiſve congeneus, quàm qui ad perpendiculum eſt (quippè quem non extriuſecùs, ſed à ſeipſis habeant) ideò tam fient omnia Fato, tametſi ille concedatur, quàm ſi admiſſus non fuerit; cùm pari ſemper neceſſitate ea, quæ euenient, ſint euentura pro varietate motuum, ictuum, repulſuum, cliuaminum, &c. æternâ quâdam ſerie, & quaſi catenâ ſeſe conſequentium; ac ſpeciatim quidem, quòd ad cognitionem, appetitionémque attinet, ad quam referri Libertas debet. Etenim, vt mens, ſiue animus eam libertatem explicet, quâ appetit, v. c. Pomum, debet primum imago, ſeu ſpecies viſibilis pomi ex ipſo procedere, traiectáque per oculos percellere mentem, vt illud cognoſcat. Pomum autem, vt ſpeciem in oculum tranſmitteret, debuit tali loco reponi ab eo, qui ex arbore ipſum collegiſſet, collectúmve aliunde habuiſſet. Arbor verò præter Solis radios, humorémque, & terram, vnde adoleſceret, etiam granum habuir, vnde naſceretur. Id granum fuit ex pomo alio, hocque ex alia arbore, huic; non alij loco, neque alio tempore ſata; atque ita retrogrediendo ad vſque Mundi initium, quo & terra, & terrena ſemina ortum habuere ex concurſionibus, complexionibúſque atomorum, quæ vt iis locis, iiſque modis conuenirent, debuerunt exinde, non aliunde accedere; & vt accederent, debuerunt aut ex inani, aut ex alio, ſiue vno, ſiue multiplici Mundo ita aduenire, vt per illud, ſiue in illo, ac iſto, non alio modo fuerint; atque ita porrò per totam antecedentem æternitatem. Deinde, ſi animus quoque coaluit ex atomis, debuere neceſſariò tales atomi contineri in parentum ſeminibus; debuere eò confluere ex certis cibis, aëre, Sole. Debuere hi cibi, non alij aſſumi; debuêre ipſorum, cæteræque cauſæ ex his, illiſque, non aliis eſſe, atque ita rurſus ab æterno tempore; quod idem pari modo eueniet, quamcumque ex cauſis, quaſi lateralibus, & concomitantibus, quæ in immenſum penè excreſcunt, quovis modo aſſumpſeris; adeò vt cuicumque illarum ex tota ſerie te addixeris, deprehenſurus ſis retexendo, ipſam ea concatenatione teneri cum aliis, vt ex tota ſerie ad tale vſque momentum producta, neceſſum fuerit conſequi huiuſmodi appetitionem. Scilicet ex æterno vſque cauſæ cauſis ſic cohæſerunt, vt poſtremæ iſtæ denique concurrerint, quibus poſitis, mens non potuit non cognoſcere, & appetere pomum. Quodque de cauſis dicitur, idem ſemper eſt intelligendum de atomis, ex quibus conflantur, & ex quarum motibus variis, motiones deriuant, propter quas ſunt cauſæ. Prætereo autem, quòd Cicero videatur eodem reſpexiſſe, cùm idem commentum deridens: *Nec verò quiſquam*, inquit, *magis confirmare mihi videtur, non modò Fatum, verùm etiam neceſſitatem, & vim rerum omnium, ſuſtuliſſéque motus animi voluntarios, quàm hic, qui aliter obſiſtere Fato fatetur ſe non potuiſſe, niſi ad commentitias declinationes confugiſſet. Nam, vt eſſent atomi, quas quidem eſſe mihi probari nullo modo poteſt, tamen declinationes iſtæ nunquam explicarentur. Nam ſi atomis, vt grauitate ferantur, tributum eſt neceſſitate natura, quod omne pondus nulla re impediente moueatur; illud quoque neceſſe eſt, declinare quibuſdam atomis, &c.* *In pag. 89.*

Ad hæc autem, vt aliquid ex ipſa Epicuri mente probabiliter reſpondeatur; aſſumendum eſt eam eſſe animorum contexturam ex atomis, vt quæ in ea ſunt declinantes, eam rigiditatem quæ ex aliis eſt, flectant, naturámque flexibilem in omnem partem faciant; in quo ſit radix libertatis. Quare & animum allectum cuiuſpiam rei imagine, abripi quidem verſus illam; ſed non ita tamen, quin, ſi aliunde imago alia occurrerit, allici eâ rurſus, & abripi poſſit: adeò vt, à priore deflectens, conſtituatur quaſi in biuio, & ad vtramque partem indifferens ſit; quod ſanè eſt liberum eſſe. Quòd animus autem, cùm ſit ita flexibilis, ac indifferens, ſeſe ad vnam potiùs partem, quàm ad aliam determinet, id oriri ex impreſſione vnius imaginis vehementiore, quàm alterius; ſicque electionem ſequi ad apprehenſionem eius rei, quam imago ſiue bonam, ſiue meliorem exhibuerit. Denique animum, vbi quidpiam elegit, aut voluit, eſſe quaſi principem machinam, ex cuius motione, intercedentibúſque ſpiritibus, qui per totum corpus diſcurrunt, facultates omnes, ac membra exſequendo deſtinata, excitentur, eoque ferantur, quò tendit ipſe animus. Facere huc poſſunt, quæ canit Lucretius:

Declinamus item motus, nec tempore certo, Lib.2.
Nec regione loci certa, ſed vbi ipſa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus ſua quoique voluntas
Principium dat; & hinc motus per membra vagantur.

Quo loco, *declinare*, eſt flectere, ac dirigere motus: illudque, *nec tempore certo, &c.* notat eùm ipſam animi indifferentiam, ſeu libertatem; quatenus animus ex ſe, non ad iſta potiùs quàm ad illa fertur; tùm varietatem rerum, occaſionum, imaginum, quæ neque ſemper, neque eædem, neque eodem modo in eum incidunt, ipſúmque alliciunt. Pergit ſpecialiùs rem declarare,

Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto
Carceribus, non poſſe tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam de ſubito, quàm mens auet ipſa,
Omnis enim totum per corpus materiaï
Copia conquiri debet concita per artus
Omneis, vt ſtudium mentis connixa ſequatur.
Vt videas initum motus à corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum;
Inde dari porrò per totum corpus, & artus.

Quibus verſibus indicatur, niſi motus volun-

tarij

Digitized by Google

In pag. 89. tarij tam ſint prompti, expeditíque, quàm animus expetit, cauſam eſſe Spirituum per totum corpus diſpoſitionem; quatenus & ſucceſſiuè excitandi ſunt, & quoniam aliò deflexi erant, pro animi ductu inflectendi, ac dirigendi. Et vide diſcrimen, quod conſequenter ſtatuit inter hunc motum, & violentum, ſeu qui animali extrinſecus imprimitur:

Nec ſimile'ſt, vt cùm impulſi procedimus ictu
Viribus alterius magnis, magnóque coacta.
Nam tùm materiam totius corporis omnem
Perſpicuum'ſt nobis inuitis ire, rapique,
Donicum eam refrænauit per membra voluntas.

Nempè talis motus ſenſim inhibetur, dum animus ſenſim inflectit abreptos membris ſpiritus, eoſque dirigens, etiam totam maſſam aut ſiſtit, aut etiam in contrariam partem denique impellit. Hoc eſt, quod deinceps inculcat, quodque interpretari licet, non tantùm de externa vi, ſed de paſſionibus etiam vehementibus, quibus mens, ſeu ratio pro ſua libertate obſiſtere poteſt:

Iam-ne vides igitur, quamquã vis extima multos
Pellit, & inuitos cogit procedere ſæpè,
Præcipiteiſque rapit; tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contrà pugnare, obſtaréque poſſit,
Quoius ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et proiecta refrænatur, retróque reſidit?

Porrò, non negabit quidem Epicurus, quin motus quoque declinationis naturalis ſit, ſeu naturæ neceſſitate, vt loquitur Cicero, fiat: ſed defendet ſimul concretionem ex perpendicularibus, declinantibúſque atomis contemperatam, Mentémque effictam, nulla neceſſitate ſic ferri, adigique in vnam partem, quin poſſit ad aliam. Nempè, vt miſta natura ſit; ita mobilitas variatur, & ex retuſis variis naturalibus motibus, natura tertia ſuboritur, ſecundum quam motus voluntarij ſint, qui ipſi quoque dici naturales, quatenus procedunt à natura libera poſſint. Non negabit etiam, quin ſuppoſitis atomorum occurſibus, neceſſe ſit ictus, repulſus, &, ſeu reflexiones, ſeu cohæſiones fieri; ſed defendet tamen non eſſe neceſſitatem talium occurſuum, quaſi & illi impediri, & quæ conſequuntur, diuerti non valeant. Hinc de ſerie illa æterna cauſarum & pomi, & mentis, & cæterorum huiuſmodi, dicet rebus, quidem peractis eam neceſſitatem illi tribui, vt iam non poſſit minimè fuiſſe; quandò nullum ius in præterita eſt, & quicquid ſemel factum eſt, id infectum dici non poteſt: at priuſquàm res peragerentur, parem non fuiſſe neceſſitatem: quandò & fortuna, caſuſque, ſiue contingentia, & voluntas, ſiue libertas ipſam poterat interrumpere, inuertere, & commutare. Notum eſt nimirum, quantum differant, Id quod factum eſt, poſſe eſſe non factum, & potuiſſe non fieri: cùm priore modo res ſpectetur vt præterita, & poſteriore, vt futura; & vt priore neceſſaria eſt, ita ſit contingens, aut voluntaria, poſteriore. Hac ratione potuit pomum non exhiberi oculo; potuit arbor areſcere; potuit granum ſuffocari, aut alibi conſeri; potuère cauſæ cæteræ diuerſimodè præpediri: quod idem de animo, eiuſque cauſis dicendum eſt; ſicque nullæ dici poſſunt cauſæ neceſſariò antecedentes ipſam appetitionem pomi: vt dici poſſet, ſi vel cauſæ ex ſe impediendi incapaces fuiſſent, vel fuiſſet cauſa ſuperior, quæ abſoluto imperio eas direxiſſet, aut coëgiſſet. Licet verò habito pomo, habitáque eius notitiâ, animus ipſum appetat, non propterea tamen neceſſariò, neque non liberè id facit; quoniam auerti ab appetitione, & proſequutione poteſt, ſi vel ſpecies rei melioris interueniat, vel veneni ſuſpicio fiat, vel refrigeratio ſtomachi timeatur, vel quacumque alia ex cauſa animus ducat abſtinendum. Neque verò obſtat, quòd fuerit inſtitutus Democritus, ſi auertatur animus ab appetitione pomi, non fuiſſe cauſas antecedenteis, ob quas pomum appeteret, ſed ob quas ipſum auerſaretur; & has, non illas ita fuiſſe ſeriei cauſarum innexas, vt non auerſari non potuerit, quemadmodum, ſi appetat, fuère cauſæ, non auerſionis, ſed appetitionis innexæ: neque illis poſitis, non potuit non appetere; ac vtrouis modo, quanta eſt neceſſitas præteriti in re, quæ præterita eſt; tantam & futuri in re, quæ futura eſt, eſſe. Quippè tametſi animus eiuſmodi texturæ ſit, vt poſſit à cauſis externis moueri; eſt tamen etiam eiuſmodi, vt motus quoſdam à ſeipſo, non à cauſis externis habeat, vtpotè in quos ſponte prorumpat, quique adeo ſpontanei, voluntariíque dici poſſint, & propter quos obſiſtere rerum externarum motionibus valeat, & non ita ad vnam feratur, quin deflecti in aliam poſſit; ſicque intelligatur, non vnius neceſſitate alligari, ſed ad vtramvis liber conſtitui; & fiat, vt longè diuerſa ſit rei futuræ, ac præteritæ ratio; cùm reſpectu quidem futuræ indifferentia ſit ad vtrumlibet; reſpectu præteritæ neceſſitas alterius. Hæc ſaltem eſſe poteſt reſponſio, quam apud Ciceronem inſinuauit Carneades, cùm docuit *Potuiſſe Epicureos ſuam cauſam, etiam ſine commentitia atomorum declinatione defendere. Nam, cùm docerent eſſe poſſe quendam animi motum voluntarium, potuiſſe Chryſippo* (adde & Democrito) *facilè reſiſtere; cui cùm conceſſiſſent nullum motum eſſe ſine cauſa, poterant non concedere omnia, quæ fierent, fieri cauſis antecedentibus; voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſas externas, & antecedenteis.* *De Libertate, Fortuna, & Fato.*

Hiſce iam circa varias de Fato opiniones præmiſſis: supereſt paucis diſquiramus, an, & quatenus admittendum ſit, quatenuſque, vt cum Fortuna, ſic cum Libertate conciliari poſſit. Imprimis itaque explodenda Democriti ſententia eſt, quatenus ſtare cum Principiis Sacræ Fidei nullatenus poteſt (quippè ob

De Libertate, Fortuna, & Fato.

ob ademptam Deo molitionem, & adminiſtrationem rerum) ac manifeſtè adeò repugnat illi naturæ lumini, quo nos liberos eſſe experimur. Certè & ipſa eſt, aduerſus quam debent potiſſimùm obiici quæ iam attigimus, diximúſque ab omnibus Fati impugnatoribus vrgeri. Illa, quæ Ariſtoteles, Epicurique eſt, defendi quidem poteſt, quatenus Fatum, & Naturam, naturaleiſve cauſas res eſſe ſynonymas ducit, & Arbitrij Libertatem tuetur: verùm reiicienda pari iure eſt, quatenus futurorum veritatem negans, vt illorum ſcientiam in Deo non concedit, ſic nullam eſſe rerum creationem, nullam Prouidentiam diuinam ſupponit. Reſtat proinde quæ Platonis, Stoïcorúmque ſententia eſt, cui adhærere præſertim liceat, quatenus ea nempè & fuiſſe à Deo conſtituta omnia, omniáque à Deo gubernari ſtatuit; &, niſi ſatis fœliciter, pro viribus tamen Libertatem defendit. Præmittendum tamen, ſi quibus videatur, Fati nomine nihil aliud, quàm Neceſſitatem cæcam, aut intelligi, aut ab Aſſertoribus reipsâ defendi; eſſe cur nomen auerſentur, piéque

Hom 1. in Matt. vſurpent, quod ait B. Gregorius: *Abſit à Fidelium mentibus, vt Fatum eſſe aliquid credant.* At, ſi qui ſecùs acceperint; non eſſe cur Fati

5. Ciuit. 8. voce offendantur, ſed cur imitentur D. Auguſtinum, cuius verba ſunt: *Qui omnium connexionem, ſeriémque cauſarum, qua fit omne, quod fit, Fati nomine appellant; non multum cum eis de verbi controuerſia certandum, atque laborandum eſt; quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quandam connexionem ſummi Dei tribuunt voluntati: ac proinde Fati voce qui voluerit vti, ſententiam,* inquit, *teneat, linguam*

Cap. 1. *corrigat.* Cùm hoc autem præmiſſo, Difficultas præcipua, quæ heic occurrit, in concilianda cum Fato Libertate ſit; ideò non eſt, cur immoremur circa conciliandam cum eodem Fortunam. Quippè dici vno verbo poteſt, licere tam Fatum, quàm Fortunam defendere, ſi conceſſerimus Fatum eſſe Voluntatis diuinæ decretum, præter quod nihil omninò fiat; Fortunam verò concurſum, vel euentum eſſe, qui cùm improuiſus hominibus ſit, prouiſus tamen à Deo fuerit, & ipſi cauſarum, ſeu Fati ſeriei inhexus. Vt enim dùm Princeps duos mittit diuerſis viis veredarios, quorum alteri nihil perſpectum de alterius miſſione ſit, poſſunt illi ſibi eo tempore, atque loco occurrere, de quo neuter eorum cogitauerit, cùm id futurum princeps norit. Pari ratione, ſic poteſt Deus diſpoſuiſſe omnia, quæ ad homines attinent, vt cùm plurima ipſis non ſuſpicantibus adueniant, Deus tamen nihil omninò ignotaſſe cenſendus ſit. Ex quo vides, cùm vox Fortunæ ex ante-dictis, duo indicet, concurſum cauſarum, & præuiam ignorationem euentus; poſſe Fortunam propter poſterius, hominum reſpectu, non Dei, admitti; & propter prius, nihil obſtare, quò minùs dicamus Fortunam

partem eſſe non modò Fati, ſed diuinæ etiam In pag. 89.
Prouidentiæ, quæ tam præuiſa hominibus, quàm non præuiſa complectatur. Atque hoc ſenſu dicit Plato *Deum apparare Fortunam*; nec Epiſt 6.
ſecùs accipiendum eſt, quod dictum ab eo iam meminimus, *Deum, & cum Deo Fortunam humana omnia gubernare*; adeò vt neque Pro- 4. De leg.
culus malè Fortunam definierit, non temerariam vel cæcam *vim*, ſed *Diuinam*, *aut dæmoniam, qua in vnum exitum diuerſæ cauſæ congregentur.* Vnde & videtur Fortuna poſſe copulari cum Fato, ea ratione, qua ſpecies non eſt aliena à genere, & qua Pauſanias Pinda- Lib.7.
rum commendat, quòd in Odis *Fortunam eſſe vnam Parcarum* cecinerit. Prætermitti autem non debet videri Plutarchum dicere rem eandem voluiſſe, cùm diſtinctâ, iuxta Platonem, triplici Prouidentiâ, vt ſuperiùs retulimus, contendit primam, ſummámque Prouidentiam ſic eſſe Dei intelligentiam, beneficámque voluntatem, vt tùm Fatum illi ſubiiciat, quod quaſi Legem ciuilem habeat; tùm neget quidem Fato omnia fieri, vt Fortuita imprimis ſunt, ſed omnia nihilominùs Fato contineri contendat; hoc eſt, ipſa etiam Fortuita, ac generalius contingentia, ſeu quæ euentus ambigui ſunt, τὰ ἐνδεχόμενα (atque adeò ipſum liberum arbitrium, τὸ ἐφ' ἡμῖν, quæque ipſum concomitantur, laus, & vituperium; præmium, ac pœna; Religio, preces, &c.) Vt obiter autem percipias, quò illius diſtinctio ſpectet, & quî ipſam accipiat; docet Fatum eſſe, ſicut iam præmonui legis Ciuilis inſtar habendam. Nam, vt legitima non ſunt, neque ſecundum legem fiunt, quæcumque lex complectitur (quippè & proditionem, & deſertionem, & pleraque alia id genus complectitur lex, quæ nemo legitima dicat; vti neque legitimum, quod quis illuſtre facinus edat; quòd tyrannum occidat, & ſimilia; quoniam illud ſolùm eſt legitimum, quòd à lege præſcribitur; indicióque eſt, quòd is non punitur, qui exempli causâ tyrannum non interficit.) Vt inquam, non omnia quæ continet lex, legitima ſunt, ſecundúmve ipſam legem fiunt, ſed ea ſolùm fiunt, quæ ipſa lege expreſſa, præſcriptáque ſunt; Ita, cùm Fatum contineat omnia, non omnia tamen, quæ continet; Fatalia ſunt, ſeu Fato fiunt; ſed ea dumtaxat, *Quæ ſequuntur ad cauſas*, ἐν τῇ θείᾳ διατάξει, *in ipſa diuina diſpoſitione antecedenteis*, ſeu, vt poſteà habet, *neceſſarias*, quales ſunt motus Siderum, ad quos neceſſariò ortus, occaſúſque eorum conſequuntur.

IAM in conciliando pariter cum Fato, Arbitrio ipſo Libero, quod ille vult etiam contineri Fato (licet ea, quæ liberè fiunt, neque eſſe Fatalia, neque Fato fieri dicenda ſint) videtur res poſſe non prorsùs malè ſuccedere, ſi, ex mente S. Doctoris, dixerimus Fatum, hominum reſpectu, nihil eſſe aliud, quàm

Digitized by Google

In pag. 89. quàm illam Diuinæ Prouidentiæ partem, quæ Prædeſtinatio appellatur à Theologis: Quippè hac ratione, vt Prædeſtinatio, ita & Fatum poterit cum Libertate conciliari. Atque id quidem tantò magis, quantò ex Plutarcho manifeſtum eſt, Vt Theologia docet produxiſſe Deum cauſas neceſſarias, ac liberas; & vtraſque ita ſubeſſe diuinæ Prouidentiæ, vt vtræque ſuas, ſuiſque modis agant vices, hoc eſt neceſſariæ ex neceſſitate, & liberæ ex libertate; Ita licere per Philoſophiam defendere cauſas tam neceſſarias, quàm liberas, tùm agnoſcere Deum Authorem, tùm Fato ita contineri, vt neceſſariæ quidem neceſſariò, ſeu fataliter; liberæ verò non fataliter, neque neceſſariò, ſed liberè agant. Hinc certè fit, vt, cùm penè pares apud Theologos, & Philoſophos Difficultates ſint; paris quoque penè momenti videri Reſponſiones poſſint. Vt duas verò ex iis præcipuas, & ad quas ferè cæteræ reduci poſſunt, attingamus: PRIOR occurrit, quæ ex diuina Prænotione deſumitur, quamque eſſe Ammonius ait
In lib de Interpret. *adeò plenam negotij, vt pleroſque etiam ex eruditioribus ad tollendum id, quod contingens euentúſve ambigui, appellamus, adegerit.* Siquidem non modò apud Theologos hocce argumentum auditur: *Aut nouit Deus definitè, ac certò Petrum negaturum Chriſtum, aut non nouit. Dici non poteſt, quòd non nòrit; quippè id prædicit, neque mendax eſt: & niſi noſſet, neque omniſcius, neque proinde Deus foret. Definitè ergo, ac certò id nouit. Fieri ergo non poteſt, vt Petrus non neget. Si enim poſſet, & ſua vſus poteſtate, reipsà non negaret, argueretur Dei & prænotio fallax, & prædictio mendax. Si verò non poteſt; ergo ad negandum, & non negandum liber non eſt. Igitur libertate caret.* Non, inquam, apud Theologos modò, ſed etiam apud Philoſophos, talis exſtat argumentatio; Nam ecce apud ipſum Ammonium: *Aut*, inquiunt, *diffinitè Dij nôrunt exitum contingentium (hoc eſt, vtrum duorum euenturum ſit) aut nihil de illis percipiunt: aut indefinitam, incertamque dumtaxat, quemadmodum nos, de ipſis cognitionem habent. Dici autem neque ſecundum, neque tertium omnino poteſt* (quod apud illum fusè probatur; & præclarè quidem, etiam aduerſus illos, qui & negant Prouidentiam, & modulo humano ſcientiam Dei metiuntur) *Reſtat itaque, vt aſſeratur primum. Si Dij igitur definitò nôrunt, alterum ex duobus, quæ ſunt euentus ancipitis, nôrunt igitur ſolo muro ligneo ſaluas fore Athenas: perditum iri à Diuina Salamine mulierum filios: penetrantem Halyn Crœſum, magnam opum vim peruerſurum: ſuſcipientem liberos Laium, ſuam funditus euerſurum domum: Scilicet perſpicuum eſt iſta non potuiſſe non fieri: id enim niſi eſſet, Deos eſſe mendaces neceſſarium foret. Duorum itaque alterum ſit, oportet: aut nempè, vt omnia neceſſariò, quò à Dijs cognoſci, prædicique poſſint, eueniant, atque ita Contingens nomen inane ſit: aut, vt ne à Dijs quidem cognoſcantur, procurentúrque humana hæc; quod fieri cùm nequeat, tollitur Contingens.*

De Libertate, Fortuna, & Fato.

Notum porrò eſt Theologos ad difficultatem ita reſpondere, vt Neceſſitatem duplicem diſtinguant. Abſolutam vnam, ex Suppoſitione alteram. Nam, exempli cauſa, Bis duo eſſe quatuor, aut heſternum diem præteriiſſe, abſolutè neceſſarium eſt; cùm iacere autem te fundamenta domus, aut vrbe exire, nihil neceſſe ſit: ſi ſupponas tamen te exſtructurum domum, aut ruri futurum; tunc iacere te fundamenta, aut exire vrbe neceſſarium eſt; neceſſarium, inquam, ex ſuppoſitione. Quia verò ex hac diſtinctione manifeſtum fit, Neceſſitatem quidem abſolutam obſtare, quò minùs quæpiam actio eliciatur, non obſtare autem eam, quæ ex ſuppoſitione eſt (nam &, qui iacit fundamenta, poſſet abſolutè non iacere, & qui vrbe exit, poſſet non exire) ideò præclarè ratiocinantur, Negationem Petri à Deo prouiſam neceſſariò quidem futuram, ſed neceſſitate tamen ex ſuppoſitione dumtaxat, ob quam libertati nihil adimatur. Nempè, quàm nunc eſt, ſi interrogetur; tam erit eo ipſo momento, quo interrogabitur, ad affirmandum, aut negandum, liber. Quare, vt, ſi iam ſe ad negandum potiùs, quàm ad affirmandum determinet, ac reipsà neget, id liberè facit, tametſi ex quo fecit, feceriit neceſſarium eſt, quia feciſſe ſupponitur; Ita cùm deinceps ſe determinabit, ac reipsâ negabit, id liberè faciet vtcumque poſteà illum feciſſe, quia fecerit, neceſſarium ſit. Neque mirum ſanè hanc neceſſitatem libertati non aduerſari, quoniam ipſam, eiúſve vſum non antecedit, ſed ſequitur, & non tam in ipſa re eſt, quàm in temporis circumſtantia. Siquidem, cùm Petrum negaſſe, dicitur neceſſarium; neceſſitas hæc intelligitur, non ſanè fuiſſe antecedenter in ipſo Petro aliquid, quod ad agendum coëgerit; ſed ſolum iam eſſe in tempore ipſo, quod vti præteritum eſt, ac non eſſe non præteritum poteſt; ſic res, quæ in ipſo facta eſt, quocumque modo facta ſit; non eſſe facta in illo non poteſt. Vnde & minimè dicitur, Neceſſarium fuit Petrum negare; quia hoc modo intelligeretur cauſa antecedens, ob quam Petrus fuiſſet ad negandum coactus, ſed dicitur ſolum, Negaſſe neceſſarium eſt; aut ad ſummum, Negaſſe neceſſarium fuit, nempè aliquo, poſtquam res peracta fuit, tempore: quoniam hac ratione tota neceſſitas in tempus præteritum cadit. Cùm Deus autem omniſcius ſit, Præuidet quidem Petrum negaturum; at præuiſio negationis ſequitur præuiſionem liberæ determinationis, ac ideò ſolùm præuidet Petrum negaturum, quia præuidet Petrum ſeſe liberè ad negandum determinaturum. Vnde & fit, quod dici ſolet, Non ideò Petrum negaturum, quia Deus præuidit; ſed Deum ideò præuidiſſe, quia Petrus negaturus eſt. Videlicet omnis cognitio eſt quidpiam externum rei cognitæ; & res,

De Libertate, Fortuna, & Fato.

id, quod eſt, non à cognitione, ſed à ſe, ſuâve cauſa habet: quo modo nix, non alba eſt, quoniam alba cognoſcitur; ſed quia alba eſt, cognoſcitur alba. Ac id quidem eſt, intèr noſtram, diuinámque cognitionem diſcriminis, quòd noſtra ſe diſtinctè ſolùm ad præſentia, præteritáque contingentia extendere valeat, diuina verò etiam ad futura; Verùm, quia res iam præteritæ, fuerunt aliquando futuræ, ac in eadem conditione, qua eæ, quæ futuræ iam ſunt; & eæ, quæ futuræ iam ſunt, intelliguntur fore aliquando præteritæ, ac in ea, qua ſunt iam præteritæ conditione: manifeſtum eſt, quemadmodum cognitio ſeu Dei, ſeu noſtra non facit, vt res quæ iam fuerunt, ſint præteritæ, quia præteritæ cognoſcuntur, ſed præteritæ cognoſcuntur, quia ſunt iam præteritæ; ſic eas, quæ futuræ ſunt, non ideò, quia illas Deus præpoſcit, eſſe futuras, ſed ideò, quia futuræ ſunt, Deum illas futuras præuoſſe. Quicquid interim de Dei præuiſione, aut prænotione dicitur; planum eſt idem eſſe de ipſa prædictione intelligendum; ac potiſſimùm quidem, cùm prædictio ſit aliquid etiam ipſa rei præuiſione poſterius. Vnde &, cùm vrgetur, Non poſſe Dei Præuiſionem, aut Prædictionem eſſe fallacem; id ſanè veriſſimum eſt; quia nihil à Deo futurum præuidetur, aut prædicitur, quod non reuera futurum ſit. Cùm inſtatur verò, Si Petrus non negare poſſet, & libertate ſua vſus reipsâ non negaret, fore, vt in Dei præuiſione, aut prædictione eſſet fallacia: Id verò negatur; quia ſimul non datur præuiſurum Deum, aut prædicturum fuiſſe, negaturum Petrum. Eo enim caſu, & præuidiſſet, & prædixiſſet non negaturum: vtpotè quia foret eo caſu ſuppoſitio oppoſita; quòd ſcilicet Petrus ſeſe liberè ad non negandum determinaret. Nunc autem ideò admittitur & Petrum eſſe negaturum, & Deum id verè præuidere, ac prædicere; quia Petrus, cùm poſſit ad vtrumlibet, eſt tamen ſeſe liberè, ad negandum potiùs, quàm ad non negandum, determinaturus.

Atque ita quidem Theologi, quibus videntur Philoſophi dicere ſimilia voluiſſe. Nam Plutarchus quidem, id quod eſt neceſſarium ἐξ ὑποθέσεως, *ex Suppoſitione*, præmittit; vtcumque ad calcem tractatus deſit ea pars, in qua ſe & propoſitam, & alias rationes ſoluturum receperat. Ammonius autem, cùm rem obſcuriùs ex Iamblicho explicet, iſtud ſaltem perſpicuè habet: *Non quia Dij definitò norunt contingentia, ideò illa euentura ſunt. Neque enim, quia Dij norunt, ideò neceſſariò eueniunt; ſed quia, cùm natura ancipitis ſint, aut talem, aut talem obtinebunt exitum; norunt Dij neceſſariò, qualem, ſeu vtrum obtinebunt: adeò vt contingens ex natura quidem ſua indefinitum ſit; ſed reſpectu tamen notitia Deorum, definitum. Quinetiam conſtat, noſtrâ quoque notitiâ poſſe contingens definitò cognoſci; cùm videlicet propriè contingens deinceps non eſt; ſed neceſſariò conſequitur antegreſſas, cur fiat, cauſas.* *In pag. 89.* *Sic enim poteſt quidem globus in plano horizontis quieſcens, manente plani ipſius ſitu, aut moueri, aut non moueri: at, ſi plani inclinatio fiat, fieri non poteſt, vt non moueatur. Sic & videmus Medicos non audere interdum de ægrotantibus, conualiturine, an morituri ſint, pronunciare; quòd vtrumque contingens, ſeu euentus ambigui ſit; interdum quid ſit euenturum, nihil hærentes prædicere, quaſi id ſit omnino ægroto futurum.* Qua in Reſponſione, eſt illa præſertim notanda Globi ſimilitudo; quòd illa eius, vt moueatur, aut non moueatur indifferentia, donec facta plani inclinatio non eſt, repræſentet indifferentiam, libertatémve arbitrij, donec nulla facta eſt determinatio: Neceſſitas autem, quâ, poſtquàm facta eſt inclinatio mouetur, repræſentet neceſſitatem ex ſuppoſitione determinationis; ob quam eſt & illud antecedens ratiocinium, *Non quia Dij definitò norunt, &c.* *Lib. de Fato. cap. 10.* Vtitur porrò eadem Globi ſimilitudine Alexander; Chryſippus autem loco Globi, Cylindrum, Turbinémque vſurpat; ſed res paulò pòſt dicenda commodiùs.

Poſterior difficultas eſt ex illa Interrogationis, Sophimatiſve ſpecie, quæ dicitur Ignaua Ratio. *Appellatur enim quidam*, inquit Cicero, *à Philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus, nihil eſt omnino, quod agamus in vita.* Ecce enim Primùm, vt in Theologia quoque huiuſcemodi Ratio vſurpetur: *Aut prædeſtinatus ſum, aut non ſum*; vel quod eſt idem, *aut electus ſum ex æternitate ad perpetuam gloriam; aut reprobatus, deſtinatúſque ad ſempiternum ſupplicium. Si prius; ergo quicquid agam, perire non poſſum; ſi poſterius, ergo quicquid moliar, ſeruari non valeo. Alterutrum porrò neceſſarium eſt: Quare & quicquid faciam, cùm nihil proficiam, ecquid eſt, quod curare debeam?* Sunt proinde qui ſe nequitiæ poſſe dedere vlteriùs concludant. Quippè & hæc vox non raro auditur: *Si prædeſtinatus ſum, non poteſt me damnare nequitia; Si reprobatus, nihil me virtus adiuuerit. Atque alterutrum ſum: Quare non eſt, cur me diuexem, ſed omnino genio indulgendum eſt; cùm hoc nec prædeſtinationem impedire valeat, nec promouere reprobationem.* En deinde, vt in Philoſophia: *Sic enim*, inquit Cicero, *interrogant; Si Fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere; ſiue medicum adhibueris, ſiue non, conualeſces. Item, ſi Fatum tibi eſt, ex hoc morbo non conualeſcere ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non, non conualeſces; Et alterutrum futurum eſt: Medicum ergo adhibere nihil attinet.* *Lib. de Fato.* Pergit autem Cicero: *Rectè genus hoc interrogationis Ignauum, atque Iners nominatum eſt: quòd eadem ratione omnis è vita tollitur actio.* Pergit rurſùs: *Licet etiam immutare, vt Fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas ſententiam, hoc modo: Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex iſto morbo conualeſces;*

Digitized by Google

In pag. 89.

leſces; ſiue adhibueris medicum, ſiue non, conualeſces. Itémque, ſi ex æternitate hoc falſum fuit, Ex iſto morbo non conualeſces; ſiue adhibueris medicum, ſiue non adhibueris, non conualeſces. Deinde cætera Prætereo Ignauæ Rationi affinem eſſe aliam Interrogationis, aut Sophiſmatis ſpeciem, quæ θερίζων λόγος, Metens Ratio dicitur, à ſpeciali metendi actione, quæ hoc in negotio vſurpatur. Illa apud Ammonium ſic deducitur: *Si meſſurus es, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes; ſed metes omnino: ac pari modo, Si non es meſſurus, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes, ſed prorſus non metes. Atqui vt, vel metas, vel non metas ex neceſſitate euenturum eſt. Quare ipſum fortaſſe perit, tollitúrve; cùm neque in metendi, neque in non metendi ſuppoſitione locum obtinent.* Agnoſcis proinde ſpectare huc illud, quod Plutarchus vocat πολυθρύλητον, celeberrimum argumentum, ὅτι πᾶν ἀξίωμα ἢ ἀληθές ἐστιν, ἢ ψευδές, *Quod omnis Enunciatio aut vera eſt, aut falſa*, definitè intellige; vt ex iis enunciationibus, quæ de futuro Contingenti ſunt, id quod iam attigimus, inferatur (nempè alterum ſemper eſſe vt verum, ita neceſſarium) & aduerſus quidem tam Ariſtotelis, quàm Epicuri inculcatum dogma.

Loc. cit.

Vt primùm autem heic quoque pauca ex Theologorum mente dicamus; Notum eſt eſſe celebreis duas hoc in negotio opiniones; quarum vtraque commendanda vel ex Authorum modeſtia eſt, dum eò redacti, vt penè videatur admittenda neceſſitas, profitentur myſterium hoc eſſe ſupra humanum captum, agnoſcúntque meritò fuiſſe exclamatum ab Apoſtolo: *Altitudinem eſſe diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; eſſe eius iudicia incomprehenſibilia, & non veſtigabileis vias.* Prior porrò defendit Deum ex omni æternitate prædeſtinaſſe, ſeu elegiſſe ex futura hominum maſſa certum illorum numerum, quibus ſine vllis eorum meritis, operibúſve bonis præuiſis, & ex pura bonitate æternam felicitatem decreuerit; reliquos autem reprobaſſe, ſeu illos damnaſſe; ſed præuiſis nihilominus prauis ipſorum operibus, ad infelicitatem, ſeu pœnas æternas. Poſterior autem tuetur Deum tam prædeſtinaſſe aliquos ad gloriam ex præuiſis eorum operibus bonis; quàm reprobaſſe cæteros ex præuiſis eorum operibus malis. Sic enim res humano modo concepta ferè explicatur; Deus ex omni æternitate decreuit Mundum condere, & in ipſo homines, qui benè, vel malè merendi, ſcilicet pro vſu rationis, ac libertatis, forent capaces. Decreuit & concedere omnibus hominibus ſupernaturale auxilium, hoc eſt, quam appellant Sufficientem gratiam, vt qui pro ſua libertate huiuſmodi gratia, ad benè agendum, vterentur, ij deſtinarentur ad gloriam; qui abuterentur, maléque agerent, ij deſtinarentur ad pœnam. Denique & quia præuidit nonnullos benè vſuros gratiâ, ac in eo ſtatu morituros; reliquos autem vſuros malè, & ne emendatum quidem iri in ipſo mortis tempore: idcircò illis quidem gloriam, iſtis verò pœnam decreuit. Cùm vtrique verò opinioni ad Ignauam Rationem reſpondendum ſit, videtur poſterior, ſaltem primâ ſpecie, poſſe ſe faciliùs ab ea expedire. Nam priori quidem operoſum eſt, tueri in iis libertatem, qui ſine præuiſis operibus bonis, efficaci Dei decreto prædeſtinati fuerint. Cùm enim decretum iſtud antecedat omnem voluntatis concurſum præuiſum; quî poteſt voluntas eſſe libera ad agendum aliquid, ex quo conſequatur æterna damnatio? Si enim ageret, tùm decretum electionis eluderetur. Sed neque etiam minùs operoſum eſt tueri illam in Reprobis; ſiquidem eo ipſo, quòd electi non ſunt, non poſſunt, quicquid egerint, in electorum numerum cooptari. Et damnentur iure ob opera mala: at quî agere poſſint bona, & non ex neceſſitate mala; cùm antecedenter ad omnem ſuæ voluntatis concurſum præuiſum, ſecluſi ab electione fuerint, iique, quibus ſola damnatio, atque adeò operum malorum patratio ſupereſſet, relicti? Et varij quidem variè diſtinguunt; dum quandam ſcientiam in Deo mediam, conditionalémque adhibent; & niſi ad ipſum Electionis decretum; ſaltem ad eius exſequutionem, opera bona ſic exigunt, vt nemo vnquam ad gloriam, ſine præuiis operibus, meritiſque (ſaltem Seruatoris) perueniat. Verumtamen, quia difficultas videtur ſemper recurrere; ideò Libertatem ferè ſic tuentur, vt illam nihil eſſe aliud, quàm antè deſcriptam, & iam aliquoties nominatam Libentiam, defendant. Heinc proinde docent Electos idcircò eſſe liberos, quia Libentes agunt bona opera; ac Reprobos ſimiliter, quia ſimiliter agunt Libentes opera mala. Vnde & Ignaua vtenti Ratione opponunt, eſſe quamobrem homo libens bonis potiùs vacet, quàm malis operibus; quòd decreti licet incertus, certus tamen ſit nunquam iri ſe aſſumptum in gloriam, niſi fuerit bona exſequutus opera; nunquam detruſum iri in pœnam, niſi fuerit exſequutus mala. Addunt maximè eius intereſſe, vt, quantum licet, faciat ſe certum electionis potiùs per opera bona, quàm per mala reprobationis; adeò vt timorem, tremorémque illum, quo eum degere, operaríque conſentaneum eſt, temperare poſſit eâ fiduciâ, quâ nouit nihil ſibi à Deo, Optimo, ac Iuſtiſſimo, donec benè aget, exſpectandum mali. Et ne interim aut glorietur, quaſi ob ſua opera fieri electus debuerit; aut conqueratur, quòd nullâ ſuâ culpâ non comprehenſus in electione fuerit; tùm gloriantem illis Scripturæ verbis increpant: *O homo, quis te diſcernit?* Tùm conquerentem illis: *Tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicet vas figulo, quare me feciſti ſic? Nunquid facere illi licet aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*

De Libertate, Fortuna, & Fato.

De Libertate, Fortuna, & Fato. *tumeliam?* Tùm & nimis curioſum diuini arcani ſcrutatorem, illis, quibus S. Doctor vtitur: *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare.*

Ad Poſteriorem vero quod ſpectat, videtur eſſe magis in promptu illius defenſoribus excipere vtentem Ignauâ ratione: *Aut prædeſtinatus*, inquis, *electúſque ad gloriam ſum; aut reprobatus, damnatúſque ad pœnam?* id concedendum; ſed addendum ſimul, ſtare iam per te, vt prædeſtinatus, vel reprobatus fueris. Quippè in eo ſtatu iam es, in quo Deus te præuidit futurum, cum ſufficiente gratia; & ex arbitrio tuo iam pendet vt benè, vel malè operantem præuiderit; adeò vt, ex hac præuiſione prædeſtinarit, aut reprobarit. Vnde & vides è re tua eſſe, vt iam benè agas, & Dei gratiæ coopereris, quò Deus hanc tuam cooperationem ex æternitate vſque præuidens, te prædeſtinauerit. Nam ſi ſecùs agas, hæc opera praua illa ipſa erunt, quæ Deus proſpiciens, te ab æterno reprobarit. Neque obiicias Deum ſcire ex æterno tempore, ſisne prædeſtinatus, an non? quare & te neceſſariò fore quod futurus fuiſti, cùm diuina ſcientia aut falli, aut mutari nequeat: Ne id, inquam, obiicias: Nam Deus id quidem ex æterno ſciuit, ſed conſequenter ad ſuum decretum; & decretum ſuum non fecit, niſi præuidens, quid eſſes acturus. Quamobrem tua iſta voluntatis actio antecedit in præuiſione & decretum Dei de prædeſtinatione, aut reprobatione tua; & diuinam de tua perpetua vel felicitate, vel infelicitate præſcientiam: Non quòd iſtæ anteceſſiones, & conſequutiones temporaneæ ſint; ſed modo humano ſic concipimus, effamúrque, ſpectantes Liberi arbitrij, ac iuſti Agentis, hoc eſt, Dei ter maximi naturam. Inferre porrò interim licet, nullam heic adeſſe voluntatem antecedentem, propter quam voluntas libera non ſit; non relicta in manu conſilij ſui; non in eo ſtatu conſtituta, in quo potis ſit ad aquam, aut ignem porrigere manum. Neque verò eſt, quamobrem opponas, Eſſe ergo in te, vt Dei decretum mutabile facias; quoniam illud factum non eſt, niſi ſupponendo, quid eſſes acturus; & immutabilitas eius eſt ob neceſſitatem ex ſuppoſitione, quæ, vt iam declarauimus, de libertate deminuit nihil. At, inquies, Si Deus attendens ad hæc, quæ iam ago, opera bona, prædeſtinauit me; ipſe ero, qui me diſcernam? Verùm, non tu ipſe tuis viribus diſcretionem hanc facies; ſed ipſa Dei gratia, ſine qua id boni non exſequereris. At, ſaltem non erit difficile dictu, quare hoc vas ſic factum ſit; quare hoc in honorem, illud in contumeliam; quare hic trahatur, ille non trahatur; cùm exſiſtente gratiâ ſufficiente in omnibus; ipſe voluntati ad illam concurſus, dici poſſit cauſa? Verùm difficile ſemper dictu, cur homines Deus taleis fecerit, vt deſtinari alij ad honorem, alij ad contumeliam poſſent; neque omneis eiuſmodi, qui ſeſe volenteis trahi ſinerent, ſeu ipſius gratiæ coagere vellent; ſcilicet, cùm potuiſſet omneis taleis facere, qui ad honorem deſtinarentur, qui volentes gratiæ cooperarentur. Et certè, vel ex eo, quòd delectus virtutis, aut vitij, ad quem ferimur (quemque Deus prædeſtinans, reprobánſque homines, præuidit) ex notionibus, ſeu ſpeciebus rerum, quæ nobis exhibentur, pendeat; ſupereſt ſatis magna exclamandi id, quod iam præmiſimus, occaſio; ac præſertim quidem, cùm talium notionum, atque ſpecierum exhibitio pendeat ex ſerie concatenata, ſiue diſpoſitione rerum, quam Deus ab vſque initio pro imperſcrutabili ſua ſapientia inſtituerit. Quod quidem attingo, vt innuam, nequicquam non eſſe quamobrem iſta quoque ſententia, licet primâ ſpecie viſa planior, admittat quoque eſſe hoc myſterium maius, quàm vt identidem vſurpandum illud non ſit, *O altitudo, &c.* In pag. 89.

Deinde, vt ex mente quoque Philoſophorum pauca attingamus; deduximus iam, vt Plutarchus iuxta Platonem oſtenderit, Tametſi omnia, quæ fiunt, Fato contineantur, non tamen Fato omnia fieri; ac eiuſmodi eſſe ea, quæ contingenter, ſine liberè, ac fortuitò fiunt. Quare & exinde ad Ignauam Rationem reſponſurus eſt, contineri quidem Fato, non modò vt conualeſcas, aut intereas, verùm etiam vt medicum aut adhibeas, aut negligas; at non ideò tamen Fatum eſſe, ſiue Fato fieri, vt vel conualeſcas, vel intereas, ſed contingenter: neque item vt medicum vel adhibeas, vel non adhibeas, ſed liberè. Ac difficultas quidem ſupereſt, quî fieri poſſit, vt cùm ſit cauſa aliqua, quæ ad conualeſcendum potiùs, quàm ad moriendum, aut ex oppoſito, faciat; & cauſa etiam aliqua, quæ ad medicum potiùs adhibendum, quàm ad negligendum, aut contrà, inducat; hæ verò cauſæ alias, aliaſque antecedenteis habuerint; Quî fieri, inquam, poſſit, vt hæc Fato contineri admiſſa, non Fato quoque fieri admittantur; cùm neque illa Fati cum lege ciuili comparatio obſtet, quò minùs capi non valeat, ea quæ continentur Fato (internectuntúrve ſeriei cauſarum) in Fatis non eſſe, aut Fato non fieri. Sed nempè non debet humana ſapientia ſupra diuinam illam gloriari, iuxta quam vetamur ſcrupuloſiùs inquirere, quamobrem Deus ſic ordinarit. Vtcumque ſit tamen, ac vt de Platonis ipſius ſententia ex ipſomet quidpiam dicamus; Ecce, cùm loqueretur de futura animarum infuſione in corpora, commentus eſt neſcio quas Sorteis, quas diſtribuens in animas Lacheſis, ad eas diceret: *Non vos Damon excipiet, ſed vos Damonem eligetis.* 10. De Repub. Et ſtatim: *Virtus ſola extra omnem ſeruitutis noxam eſt; libera planè, & ſeruire neſcia; quam*

prout

[In pag. 89.] *prout quis vel honorabit, vel negliget; ita plus vel minus ex ea poſſidebit. Culpa omnis eſt penes eligentem; Deus eſt extra omnem culpam.* Vides heic non malè adumbratam poſteriorem, de qua mox dictum, Theologorum ſententiam; quòd veſtigium quoddam diuini decreti appareat, cum futuro vſu liberi arbitrij; idque ex virtute, quæ loco gratiæ diuinæ ſit. Quamquam fabula rem inuoluit, ex eoque fabula adaugetur, quod ille cenſuit *animum humanum eſſe quidem liberum ex natura ſua, & quatenus anima Mundi, ſeu Dei, particula eſt; at quatenus immergitur in corpus, hanc libertatem vel temerari, vel omnino cogi ob neceſſitatem quam affert materia, ex qua mala omnia.* Con- [Enn. 1. l. 1. c. 9.] ſule vel vnum Plotinum, qui non ipſas cu- [Enn. 3. l. 1. c. 8.] piditates, & paſſiones modò, ſed etiam poſt offuſas inſcitiæ tenebras, *ipſam prauitatem in materiam* confert; docétque ſub nomine formæ, *animum euadere non ſui, ſed materiæ iuris.* Fatetur tamen ipſas paſſiones poſſe ab aliquibus ſuperari; neque illud ius tantum eſſe, quin nonnulli ſe ſibi ipſis quaſi aſſerant, ac vindicent, ſuámque repetant libertatem. *Ta-* [Enn. 2. l. 3. c. 15.] *leis dici poſſe, quibus Sortes bona obtigerunt.* Sorteis autem interpretatur tùm Vniuerſi diſpoſitionem, quo tempore immerſio fit; tùm corporis temperamentum à parentibus deriuatum; tùm conditionem regionis, aut loci, cæterorúmque externorum, quibus animus adiuuari aut impediri valeat, vt ratiocinetur, & ad eligendum, proſequendúmque vireis [Ecl. Eth.] accipiat. Quod verò ait Plato, *Animos, priuſquàm in corpora, vitaſque varias incidant, habere facultatem vitæ in corpore ipſi accommodatæ deligendæ (quippè leonis hominis, aut leonis vitam eligere) deſtitui autem hac facultate, vbi vitam adepti, inque corpus ingreſſi ſemel fuerint.* Id Porphyrius apud Stobæum ſic interpretatur, vt cùm vitæ nomen accipere liceat aut pro vita ſimpliciter (hoc eſt, hac ipsâ vſurâ lucis) aut pro charactere, ſeu genere vitæ, qualis priuati, aut magiſtratus eſt; vita quidem priore modo à nobis non pendeat; ſed poſteriore, niſi ſemper, vt plurimùm tamen in noſtra poteſtate ſit; tametſi vbi vitæ genus elegerimus, reſilire ab eo plerumque non liceat.

Quod ad Stoïcos attinet, exiſtimabant illi omnia non modò Fato contineri, ſed etiam Fato omnia fieri; ac nihilominùs adhuc Liberum Arbitrium ex eo tuebantur, quòd opinati licet Deum præordinaſſe ſeriem cauſarum, ſine quibus præpoſitis, antecedentibúſque, nihil fieret, diſtinguerent tamen cauſarum huiuſcemodi duo genera: *Alias enim principaleis, & perfectas; alias adiuuanteis, & proximas eſſe* dicebant; ac reputabant appetitum idcircò eſſe liberum, quòd *omnia non fierent cauſis antecedentibus, & perfectis, quæ extra noſtram poteſtatem ſunt; ſed plurima adiuuantibus, atque proximis quæ in noſtra ſunt poteſtate.* Ita apud Ciceronem Chryſippus, qui & Reſpondere proinde ad Ignauam Rationem poſſet, [De Libertate, Fortuna, & Fato.] Eſſe quidem Fatum, vt medicum adhibeas, aut non; vt conualeſcas, aut moriaris; ſed non ideò tamen non eſſe in tua poteſtate, vt medicum adhibeas, aut negligas; quoniam medici adhibitio, aut neglectus, non ex principalibus, & perfectis cauſis eſt, ſed ex adiuuantibus, proximiſque, quas vſurpare, aut dimittere in tuo ſitum eſt arbitrio. Poſſet, inquam; ſed paulò ſecùs, & quaſi alio aſſumpto principio, reſpondet. Verba ſcilicet Ciceronis ſunt. Hæc ratio à Chyſippo reprehenditur: *Quædam enim ſunt*, inquit, *in rebus ſimplicia, quædam copulata. Simplex eſt, Morietur eo die Socrates. Huic, ſiue quid fecerit, ſiue non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At, ſi ita Fatum ſit, Naſcetur Oedipus Laio; non poterit dici, ſiue fuerit Laius cum muliere, ſiue non fuerit. Copulata enim res eſt, & Confatalis (ſic enim appellat) quia ita fatum ſit, & concubiturum cum vxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum: Vt, ſi eſſet dictum, Luctabitur Olympiis Milo; & referret aliquis: Ergo ſiue habuerit aduerſarium, ſiue non habuerit, luctabitur; erraret. Eſt enim copulatum, Luctabitur, quia ſine aduerſario nulla luctatio eſt. Omnes igitur iſtius generis captiones eodem modo refelluntur, ſiue tu adhibueris medicum, ſiue non adhibueris, conualeſces, captioſum. Tam enim eſt fatale medicum adhibere, quàm conualeſcere. Hæc, vt dixi, Confatalia ille appellat.* Prætereo autem hanc reſponſionem à Carneade reprobari. *Nam ſi omnia*, inquit, *antecedentibus cauſis fiunt, omnia naturali colligatione conſertè, contextéque fiunt. Quod ſi ita eſt, omnia neceſſitas efficit: Id ſi verum eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate. Eſt autem aliquid in noſtra poteſtate. At ſi omnia fato fiunt, omnia cauſis antecedentibus fiunt. Non igitur fato fiunt, quæcumque fiunt.* Quæ arctiùs concluſa ipſe Cicero proſequitur fuſius: reſque eò tendit, vt intelligamus, tam eſſe Confatalia, quàm ipſa Fatalia neceſſaria; quòd etiam cauſæ adiuuantes, & proximæ ex æternis cauſis aptæ, conſertæque ducantur. Prætereo, inquam, vt attexam Reſponſionem ex Seneca, cùm agens de iis, qui vota, & expiationes circa Fulmina adhibent, quique comparari cum iis, à quibus medici adhibentur, poſſunt; *Hoc*, inquit, *ha-* [2. Na. qu. 35.] *bent commune nobiſcum, quod nos quoque exiſtimamus vota proficere, ſalua vi, ac poteſtate Fatorum. Quædam enim à Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, vt in bonum vertant, ſi admotæ Diis preces fuerint; ſi vota ſuſcepta. Ita non eſt hoc contra Fatum; ſed ipſum quoque in fato eſt. Aut futurum, inquit, eſt, aut non. Si futurum eſt; etiam ſi non ſuſceperis vota, fiet. Falſa eſt iſta* [Cap. 36.] *interrogatio; quia illam mediam inter iſta exceptionem præteris. Futurum, inquam, hoc eſt, ſi vota ſuſcepta fuerint. Hoc quoque neceſſe, inquit, eſt, fato comprehenſum ſit, aut ſuſcipiat vota, aut non. Puta me tibi manus dare, & fateri hoc quoque Fato eſſe comprehenſum, vt vtique fiant vota; ideò fient. Fatum eſt, vt hic diſertus ſit; ſed ſi li-*

De Libertate, Fortuna, & Fato. *teras didicerit. Ab eodem Fato continetur, vt literas diſcat; ideò diſcet. Hic diues erit; ſed ſi nauigauerit. An in illo Fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur; hoc quoque protinus Fatum eſt, vt nauiget, ideo nauigabit. Idem dico tibi de expiationibus; effugies pericula, ſi expiaueris prædictas diuinitùs minas: At hoc quoque Fato eſt, vt expiet; ideò expiabit.* Attexo hæc verò, vt non abſimilia Confatalium, Fataliúmque exempla ex Seneca, quàm ex Chryſippo habeas. Quamquam, quod ad Chryſippum ſpectat, referendæ hoc loco ſunt, quæ fuere illi hoc in negotio Cylindri, atque Turbinis ſimilitudines familiares; ad declarandum quemadmodum libertas in eo conſtituta ſit, vt licet animus à viſis, ſpeciebúſve rerum neceſſariò moueatur, in ipſius tamen poteſtate ſit, vt aſſenſionem illis adhibeat. Rem verò audire ex Cicerone iuuat; Lib.6. c.2. qui cùm de Chryſippo illa præmiſiſſet, quæ apud Agellium leguntur, & in ipſo textu Ciceronis deficiunt: *Chryſippus æſtuans, laborânſque, quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis, intricatur hoc modo* (ac debuiſſet adeò illarum ſimilitudinum meminiſſe) iſthæc de illo ſubiicit: *Sed reuertitur ad Cylindrum, & Turbinem ſuum, quæ moueri incipere, niſi pulſa non poſſunt; id autem cùm accidit, ſuapte natura, quod ſupereſt & Cylindrum volui, & verſari turbinem putat. Vt igitur,* inquit, *qui protruſit Cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum obiectum, imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit in animo ſuam ſpeciem; ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate: eaque, quemadmodum in Cylindro dictum eſt, extrinſecùs pulſa; quod reliquum eſt, ſuapte vi, & natura mouebitur.* Apud Agellium autem Chryſippi verba ſunt: *Sicut,* inquit, *lapidem Cylindrum, ſi per ſpatia terræ prona, atque derupta iacias: cauſam quidem ei, & initium præcipitantiæ feceris; mox tamen ille præceps voluitur; non quia tu id iam facis; ſed quoniam ita ſe modus eius, & forma volubilitas habet: Sic ordo, & ratio neceſſitatis Fati genera ipſa, & principia cauſarum mouet: impetus verò conſiliorum, mentiúmque noſtrarum, actionéſque ipſas voluntas cuiuſque propria, & animorum ingenia moderantur.* Ex quo denique intelligitur Stoïcorum ſententiam ad Priorem illam Theologorum quadamtenus accedere. Nam illi quoque Theologi præmotionem quandam admittunt, qua noſtri animi excitentur; ipſoſque, cùm reſiſtere nequeant, adhibere tamen illi aſſenſionem, ſine eum Libentia excipere ipſam; quod intelligi etiam poteſt ex recitato ſuperius eximio Epicteti loco: *Laborare me febri vult; volo & ego, &c.* adeò proinde, vt Libertas iuxta Stoïcos ipſos quoque, nihil aliud, quàm Libentia ſit; intellecta videlicet ex volubilitate Cylindri, ſeu in quam Cylindrus, dum vel tantillum moueatur, eſt pronus. Hinc exſiſtit illa Chryſippi apud Agellium reſponſio, ad id quod ſolet in peccatorum excuſationem obiici. *Quamquam ita* In pag. 89. *ſit,* inquit, *vt ratione quadam principali neceſſario coacta, atque connexa ſint Fato omnia: ingenia tamen ipſa mentium noſtrarum proinde ſunt fato obnoxia, vt proprietas eorum eſt, ipſa & qualitas. Nam ſi ſunt per naturam primitus ſalubriter, vtiliterque ficta, omnem illam vim, quæ de Fato extrinſecùs ingruit, inoffenſiùs, tractabiliúſque tranſmittunt. Sin verò ſunt aſpera, & inſcita, & rudia, nulliſque artium bonarum adminiculis fulta, etiam ſi paruo, ſiue nullo fatalis incommodi conflictu vrgeantur, ſua tamen ſanitate, & voluntario impetu in aſſidua delicta, & in errores ruunt.* Atque hoc quidem præcipuè eſt, propter quod *negat oportere ferri, audirique homines aut nequam, aut ignauos, & nocenteis, & audaceis, qui cùm in culpa, & maleficio reuicti ſint, perfugiunt ad Fati neceſſitatem, tamquam ad aliquod aſylum; & quæ peſſime fecerunt, ea non ſuæ temeritati, ſed Fato eſſe attribuenda dicunt.* Quod ſupereſt enim, aliud nihil agit, quàm quòd, vt ait Cicero, *æſtuat, laborat, intricatur.* Lib.4. Neque verò ſecùs Manilius, quippè & ipſe Stoïcus, eleganter quidem ſic canit:

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutémve ſuis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quiſquam minùs oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, ſed ſemine certo.
Gratia nec leuior tribuetur dulcibus eſcis,
Quod natura dedit fruges, non vlla voluntas,
Sic hominum menti tantò ſit gloria maior,
Quod cælo gaudente venit; rurſúſque nocenteis
Oderimus magis, in pœnam, culpamque creatos.

Attamen, vt vides, non ſatisfacit, neque amplius dicit, quàm quod ille: *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt:* Quibus verbis, licet indicetur poſſe aliquem non inuitum rapi; ſimul tamen oſtenditur in poteſtate eius non eſſe, vt ſi obſtinatè voluerit, reſiſtat.

Ad Metentem demùm Rationem quod ſpectat, videri plana Reſponſio poſſet, ex diſtinctione commemoratæ Neceſſitatis duplicis. Nam abſolutè quidem nulla neceſſitas eſt, cur aliquis metat, neque iterùm, cur non metat; quamobrem & illud Fortaſſis, ſeu Contingentia non tollitur: At ex ſuppoſitione, quòd ille meſſurus ſit (idémque etiam dicendum eſt, ſi ſupponatur non meſſurus) ſequitur quidem Neceſſitas, ac nullum Fortaſſis, ſeu Contingentia nulla eſt; ſed ſpectatâ nempè determinatione ad metendum factâ; & ſic, pro tempore determinationem, meſſionémque conſequente; non autem pro antecedente, quo abſolutè toto Fortaſſe, & Contingentia eſt; neque mirum eſt, ſi pro conſequente non ſit, quòd in eo res facta iam ſit, & id quod factum ſemel eſt, infectum deinceps reddi non poſſit. Hæc, inquam, Reſponſio eſſet quidem plana; ſed iuuat illam, quam Ammonius paucis habet, ſubiungere: *Cùm dicitis,* inquit, *ſi meſſurus es, non Fortaſſe metes, Fortaſſe non metes, ſed metes omninò;*

Quomodo

In pag. 89. *Quomodo hoc verbum, Meſſurum eſſe, vſurpandum cenſetis? An vt Neceſſarium, an vt Contingens, ſeu euentus ambigui? Nam, ſi vt contingens, ſeu euentus ambigui, id habemus, quod quærimus. Si vt Neceſſarium; Primùm, illud concedi vobis, tanquam euidens petitis, quod in quæſtione poſitum eſt. Deinde, verum prorſus erit, eſſe illum meſſurum; neque proinde locus erit dicenti: Atqui metes, aut non metes. Quomodo enim, ſi alterum ita ſit neceſſariò futurum, vt alterum impoſſibile ſit, locus erit illi, qui dicet, Atqui aut iſtud eſt, aut illud?* Ad illud autem, quòd, *Omne enunciatum verum ſit, aut falſum, &c.* Reſpondendum eſt iuxta ea, quæ paulò antè dicta ſunt: admittendo ſcilicet Primùm, etiam in iis oppoſitis, quæ de futuro contingente ſunt, eſſe alterum definitè verum, alterum definitè falſum. Præclarè enim Cicero: *Neceſſe eſt, inuito Epicuro* (adde & Ariſtotele) *alterum verum eſſe, alterum falſum: vt, Sauciabitur Philoctetes, omnibus antè ſæculis verum fuit: Non ſauciabitur, falſum. Niſi fortè volumus Epicureorum* (adde & Ariſtoteleorum) *opinionem ſequi; qui tales Enunciationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt; aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod eſt impudentius, Veras eſſe ex contrariis diſiunctiones, ſed quæ in his enunciata eſſent, eorum neutrum eſſe verum. O admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcitiam differendi!* Deinde negando eam Conſequutionem, qua deducitur id, quod verum eſt, neceſſariò eſſe venturum, niſi neceſſitate ex ſuppoſitione, quæ non obſtat, quin liberè, contingentérve euenturum ſit. Vnde & conceditur, veram quidem fuiſſe ex æternitate hanc enunciationem: Relinquetur in inſula Lemno Philoctetes, neque potuiſſe ex hoc vero, in falſum conuerti; ſed nempè ſupponendo, quod relinquendus eſſet, cùm abſolutè tamen potuiſſet non relinqui: Quo caſu illa Enunciatio, non vera, ſed falſa ex oppoſita ſuppoſitione extitiſſet. Ne longum faciam, addere lubet, quod Cicero ediſſerit, cùm docens ex Carneade potuiſſe Epicurum, ſine commentitia atomorum declinatione, & ex admiſſo quodam animi motu voluntario aſſertoribus Fati reſiſtere. *Ne omnes*, inquit, *à Phyſicis irrideamur, ſi dicamus quidquam fieri ſine cauſa; diſtinguendum eſt, & ita dicendum; Ipſius indiuidui hanc eſſe naturam, vt pondere, & grauitate moueatur; eamque ipſam eſſe cauſam, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios, non eſt requirenda externa cauſa. Motus enim voluntarius eam naturam in ſeipſo continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat; nec id ſine cauſa; eius enim rei cauſa ipſa natura eſt. Quod cùm ita ſit, quid eſt, cur non omnis pronunciatio aut vera, aut falſa ſit; niſi conceſſerimus Fato fieri quæcumque fiunt. Quia futura,* inquit, *vera non poſſunt eſſe, quæ cauſas, cur futura ſint, non habent. Habeant igitur cauſas neceſſe eſt ea, quæ vera ſunt; ita vt, cum euenerint, fato euenerint: Confectum negotium, ſi quidem tibi concedendum eſt, aut Fato omnia, quæ cauſas habeant, cur fiant, fieri; aut quidquam poſſe fieri ſine cauſa. An aliter hæc enunciatio vera eſſe non poteſt, Capiet Numantiam Scipio: niſi ex æternitate cauſa cauſam ſerens, hoc erit effectura? An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſæculis antè dictum? Et, ſi tùm non eſſet vera hæc enunciatio, Capiet Numantiam Scipio; ne illâ quidem euersâ, vera eſt hæc enunciatio, Cepit Numantiam Scipio. Poteſt igitur quidquam factum eſſe, quod non verum fuerit, futurum eſſe? Nam vt præterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia; ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus. Nec, ſi omne enunciatum verum, aut falſum eſt, ſequitur illicò eſſe cauſas immutabiles, eaſque æternas, quæ prohibeant ſecus quidquam cadere, atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſæ, quæ efficiunt, vt verè dicantur, quæ ita dicentur, Veniet Cato in Senatum, non incluſæ in rerum natura, atque mundo. Et tamen, tam eſt immutabile venturum, cùm eſt verum, quàm veniſſe; nec ob eam cauſam Fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt. Etenim erit confiteri neceſſe, ſi hæc Enunciatio, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, vera non eſt, verum non eſſe, in Tuſculanum venturum Hortenſium. Si verum non eſt, ſequitur vt falſum ſit, quod iſti neutrum volunt: quod fieri non poteſt.* De Libertate, Fortuna, & Fato.

Et ſic quidem ille: Intelligi autem ex hoc loco licet, quàm fuiſſet propè ad ipſum ſcopum collineaturus Cicero, ſi agnouiſſet veritatem, certitudinémque huiuſmodi enuntiationum conſtare poſſe optimè cum æterna Dei præſcientia. Certè ſcopulum declinaſſet, ob quem illum taxans B. Auguſtinus: *Homines*, inquit, 5. Ciuit. *ſacrilegos fecit, vt faceret liberos:* ſcilicet humanas actiones non ad diuinam prouidentiam, ſed ad fortuitas referens cauſas, *eaſque non incluſas in natura, atque mundo.* Quin etiam in ſcopulum eundem aliâ viâ tam Ariſtoteles quàm Epicurus non incidiſſent, dum vt tam fortuitas, quàm liberas cauſas tuerentur, in illam differendi inſcientiam, quæ eſt à Cicerone mox antè obiecta, abierunt, nihilque abſimile habuerunt ridiculo Tireſiæ apud Horatium oraculo,

O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non. 2. Sat. 5.

Epiſtola ad Menœceum concluſio.

ỷ.16. TAῦτα οὖν. Hæc eſt totius Epiſtolæ ad Menœceum concluſio, in qua σεαυτὸν, pro ἑαυτὸν, repoſui; quòd tametſi hæc vox perſonæ omnis haberi valeat; ſtatim nihilominùs ſequatur, non ἑαυτῷ, ſed σεαυτῷ. Eſt porrò Concluſio conſona Exordio: quatenus in Exordio quidem, tam eſſe Iuueni, quàm Seni philoſophandum docuit, ac illa eſſe meditanda, quæ vitam beatam faciunt; nunc autem, poſtquam ea ediſſeruit, hortatur Menœceum,

Digitized by Google

De Libertate, Fortuna, & Fato. nœceum, vt in ipſorum meditatione aſſiduus ſit, ſiue continenter de illis philoſophando non fatigetur. Quò fatigari autem minus, ſeu quaſi delaſſari poſſit, ſubmonet, deligat amicum ſibi ipſi quam ſimillimum, quicum nihil non commune habeat, atque adeò quicum philoſophetur, meditationémve inſtituat. Hac certè de cauſa edicet poſteriùs inter Ratas ſententias: *Omnium rerum quas ad beatè viuendum comparauit Sapientia, nihil eſſe amicitia poſſeſſione maius*; &, vt interpretando addit Cicero, *nihil vberius, nihil iucundius.* Siquidem non aliâ re magis Sapientis vita beata eſt, quàm dum inter philoſophandum, poteſt amico, qui ſit perſpectæ ſinceritatis dicere; μόνω ἐσμὲν, ſeu, vt aliquando ad Q. Fratrem Cicero: *Soli ſumus, licet verum exquirere ſine inuidia.* Vide verò, vt idemmet perorantem Lælium de ſua cum Scipione vita functo amicitia inducat: *Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis poſſim comparare. In hac mihi de Republica conſenſus; in hac rerum priuatarum conſilium; in hac requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minimâ quidem re offendi, quod quidem ſenſerim: nihil audiui ex eo ipſe, quod nollem. Vna domus erat, idem victus, iſque communis; neque ſolum militia, ſed etiam peregrinationes, ruſticationeſque communes. Nam quid ego de ſtudiis dicam cognoſcendi ſemper aliquid, atque diſcendi: In quibus remoti ab oculis populi, omne otium, tempuſque contriuimus.* Quæ commeminiſſe profectò non poſſum, quin me afficiat erepti nuper amici longè fidiſſimi, & viri vt ſapientiſſimi, ita & optimi recordatio. Is eſt IOSEPHVS ille GALTERIVS, Valletæ Prior, ὁ μακαρίτης, quicum viuendo, peregrinando, ruſticando, apricando, multitudinem deuitando, ac nunquam non de rebus diuinis, de rebus humanis, de rebus naturæ, de liberalibus artibus, ac Mathematicis præſertim (idque, cùm ille in omnibus foret conſummatiſſimus) meditando, philoſophando, & ſine faſtu, ſine querela, ſummo conſenſu, ſummo affectu, iucundiſſimos ſermones ſerendo, tot, támque dulceis conterere, vixdum ab vſque exacta mihi adoleſcentia, annos licuit. Id hoc quidem loco parum opportunè; verumtamen, quis deſiderio capitis tam cari ſit pudor, ac modus? maximéque cùm non licuerit per vitæ extrema adeſſe, & vel eâ re ſatis ipſi facere, quòd NEVRÆO noſtro teſtatus eſt moriens, vno ſe mei vltimùm complectendi deſiderio affectum excedere è vita. An verò & mihi condonabitur, ſi id de me ſubiiciam, quod Lælius, iis commemoratis, quæ mox ſunt relata, ſic proſequitur: *Quarum rerum recordatio, & memoria, ſi vnà cum illo occidiſſet, deſiderium coniunctiſſimi viri, atque amantiſſimi ferre nullo modo poſſem. Sed nec illa extincta ſunt, aluntúrque potiùs & augentur cogitatione, & memoria mea; & ſi planè illis orbatus eſſem, magnum tamen afferret mihi ætas ipſa* (addo & inualetudo) *ſolatium: diutiùs enim iam hoc deſiderio eſſe non poſſum.* *In pag. 89.*

Quod dicit autem Epicurus, fore, vt qui iſta meditabitur, *Neque vigilans, neque in ſomnis perturbetur, ſed vt quiſpiam Deus inter homines viuat*; partim declaratum inter Effata eſt; partim confirmari ex eo poteſt, quod B. Clemens Alexandrinus reſpexiſſe Epicurum ait ad illud Ariſtophanis,

χωρὶς τε θορύβου, ἢ φόβου ζήσεις καλῶς.

Viues decorè, ſine tumultúque, & metu.

Partim ex ſubiecta præclara ratione intelligitur; quod ſcilicet *homo nihil cum mortali animali commune habeat, qui in immortalium bonorum poſſeſſione æuum traducit.* Quippè nomine horum bonorum, cùm ipſammet meditationem, exercitationémque virtutum, tùm virtutes ipſas intelligit, quas ſolas (vt poſteà habetur) à voluptate (hoc eſt, à fine beatæ vitæ) eſſe inſeparabileis vult; cùm cætera οἷον βρωτά, tanquam mortalia, ſeparari ab illa poſſint. Et quo ſenſu quidem ille dixerit, eſſe virtutes bona immortalia, ex Effato illo intelligi poteſt, quo ab eo dici iam vidimus: *Illum qui ſemel ſapiens reuerâ, ſolideque exſtiterit; nunquam deinceps in conditionem oppoſitam degenerare.* Nempè Sapientia quidem, ſeu Virtus cum homine ipſo ſimul moritur; at donec homo in viuis eſt, non, vt quæ ſunt fortunæ bona, corporiſque dotes illum deſerit; ſed indiuiduò comitatur: vt phraſis proinde oratoria ſit, quam nemo profectò ſit improbaturus. Sic verò etiam oratorium eſt, quod Epicurus ait, *Sapientem, quaſi Deum quendam inter homines viuere*; quodque cùm omnium ore teratur, improbaturus quoque ſit nemo; cùm ſenſus phraſeos alius non ſit, quàm quòd vir ſapiens homo ſit inter cæteros homines eximius, eoque penè à cæteris, quo ipſi ab aliis animalibus, diſtans. Scilicet Platonem imitatus eſt, qui cùm finem beatæ vitæ eſſe diceret τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ, *ſimilitudinem cum Deo*, vti à *Lib. 3. in Men.* Laërtio adnotatum eſt; virum, qui eſt diuinâ ſorte virtutem adeptus, talem eſſe ait ἐν τοῖς ζῶσιν, *inter viuenteis homines*, qualem Homerus ait Tireſiam ἐν τοῖς τεθνεῶσι, *inter mortuos* exſiſtere:

οἷῳ πεπνῦσθαι [τῶν ἐν ᾅδου] τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. *Odiſ. x.*

Ille ſapit ſolus, reliqui vmbrarum inſtar oberrãt.

Quod à Cicerone quoque memoratur. *1. De diuin.* Imitatus etiam Ariſtotelem; *7. Eth. 1.* qui cùm pro more habeat, rem quamque eximiam dicere diuinam; atque idcircò hominem raræ virtutis diuinum vocet; *Idque eadem ratione*, inquit, *qua Lacones ſolent, cùm quempiam valdè admirantes, exclamant*, θεῖος ἀνήρ; *Virum diuinum*: (addit Plato ipſas mulieres dicere id de viris, bonos nactæ cùm ſunt) tùm loquens ſpeciatim de viro ſapienti, & contemplationi, ſeu meditationi rerum dedito, cui cætera quoque, quæ ipſe ad beatam vitam exigit, adſint: *Erit ſanè*, *10 Eth. 7.* inquit, *talis vita melior, quàm vt ferre poſſe hominis conditio videatur*, οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω βιώσεται,

In pag. 89. *βιώσεται*, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει, *non enim quà homo eſt, ſic viuet, ſed quà ipſi ineſt aliquid, quod diuinum ſit. Quantò autem*, pergit, *hæc pars toti concreto antecellit, tantò ipſius functio illi operationi, quæ eſt ſecundùm aliam virtutem. Si comparata igitur cum homine mens, eſt quidpiam diuinum; erit & vita ſecundùm mentem ad vitam humanam comparata, diuina. Neque verò illos audire par eſt, qui admonent, homo cùm ſis, humana ſapere; & cùm ſis mortalis, ea quæ ſunt mortalia curare:* ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ, *verùm aduiti, quantum licet, à mortalitate ſeſe vindicare, nihilque non agere, vt quatenus decet, ſecundùm eam partem, quæ in nobis eſt optima, viuamus.* Pergit adhuc: *Quippè hæc pars tametſi mole parua ſit, eſt tamen virtute, meritóque honoris longè eminentiſſima omnium. Cúmque ipſamet eſſe vnuſquiſque noſtrûm videatur (quando id, quod dominans eſt, continuò quoque melius eſt) abſurdum ſanè fuerit, ſi quis non ſuam viuere, ſed alienam deligat vitam.* Quid cæteri habeant in eandem ſententiam prætereo, ac potiſſimùm Stoïci, apud quos Sapiens *ex pari cum Diis viuit; Deorum non ſupplex, ſed ſocius eſt; vno minor Ioue, & niſi cum ipſo non comparandus, &c.* Addo ſolùm, cùm Euripides, quaſi indignabundus ait,

Θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς, ἄνθρωπος ὤν;

Viuere, homo cùm ſis, te Dei vitam putas?

Eò ſolùm tendere, ne ſtultè ſibi quis polliceatur aut huius vitæ perennitatem, aut eam in ipſa felicitatem, quæ cumulatiſſima bonorum, & expertiſſima malorum, non in vitam ſanè humanam, ſed in ſolam diuinam cadit; vt ſuis iam locis deduximus. Adeò proinde, vt Poëta id præuerterit, quod obiici Stoïcis potuit, dum diuinam felicitatem μηδὲν διαφέρειν τῆς θείας, *Nihilo differre à diuina* dixerunt; aut ſi differat, *non eò, quòd minùs auguſta, optabiliſque ſit, ſed ſolùm quod minùs diuturna*; quæ quidem & alia id genus, Chryſippus præſertim apud Stobæum, & Seneca habent. Epiſt. 57. 73. de proud. 1. &c.

DE DIVINATIONE.

℣. 25. Μαντικὴν δ' ἅπασαν. TERTIVM hoc eſt Membrum eorum, quæ à Laërtio circa Moralem Epicuri Philoſophiam congeſta ſunt. Continet autem ex ſuperiùs dictis paucula quædam capita, quæ, abſoluta Epiſtolâ, Laërtius cenſuit ex aliis Epicuri Operibus corroganda, ac ſubiicienda. Primum autem caput inſtituitur *de Diuinatione*, de qua egiſſe Epicurum ait cùm in locis aliis, tùm in *Magna Epitome*. Lego ſcilicet μακρᾷ, pro μικρᾷ, cùm Parua Epitome non alia exſtitiſſe videatur, quàm & ſuperſtes, & iam antè relata ad Herodotum Epiſtola, vt vel ex ipſa Epiſtolæ ad Pythoclem ſubiunctæ Præfatione intelligitur; & conſtet in ea de Diuinatione, refutationéque artis diuinandi, mentionem nullam fieri; ac ſi id, quod Laërtius habet, fuit in duarum altera, id fuiſſe debere conſcriptum in Magna. Quod interpretando verò adiicio, præmittóque, ad indicandum, concluſam fuiſſe Epiſtolam; idcircò facio, quòd alioquin ſolitus interdum Laërtius aliqua interiicere, res videri poſſit non ſatis perſpicua; & quæ mox habentur verba Epicuri, μαντικὴ ὡς ἀνύπαρκτος, &c. videri poſſint cum Epiſtolæ extremis eſſe continuanda: ac potiſſimùm, cùm Laërtius aliam veluti quandam eorum, quæ ad mores attinent, concluſionem inſinuet. De Diuinatione.

Porrò, quod iis verbis Epicurus ait, *Diuinatricem artem*, ſeu *Diuinationem non dari; & vt detur, nihilominùs ea, quæ prædicentur, ac euenient, in poteſtate noſtra non fore*; congruum eſt iis, quæ ab eo tradi circa admiſſam Libertatem, ſublatámque neceſſitatem non multò antè vidimus. Quia enim capere non potuit, Oppoſitarum de futuro contingenti Enunciationum alteram definitè veram, alteram falſam definitè eſſe; & hominem nihilhominùs remanere liberum, quaſi eligere vtrumlibet poſſit; cùm tamen, niſi vnum definitè fieri non valeat; ideò cohærenter negauit diuinationem vllam, prædictionémve vllam certam eſſe circa futura hæc contingentia; quatenus ſi id, quod prædiceretur, eſſet omnino verum, ac indubium, nullâ ratione poſſet non fieri; neque adeò oppoſitum poſſet vllatenus euenire; vnde & ad vnum foret neceſſitas, non verò ad vtrumvis libertas. Cùm autem neceſſe non ſit, repetere quidpiam ex iis, quæ fusè ſatis deducta ſunt, vt oſtenderemus Diuinam Præſcientiam, & quæ ex illa ſunt Vaticinia, præclarè conſtare cum ipſa Libertate arbitrij; ac eâ ratione Veritas eorum, quæ Prophetæ diuinitùs inſpirati prædixerunt, & in Sacris continentur Codicibus, intemerata maneat. Supereſt ſolùm perui- 3. Plac. 1. deamus, quo pacto Epicurus celebrem apud Ethnicos Diuinationem reiecerit. Is ergo imprimis non modò à Plutarcho, verùm 1. De diui. etiam à Cicerone, copulatur cum Xenophane, qui, cùm Deos aſſereret, ſuſtulit tamen Diuinationem. Atque id quidem cùm cæteri Diuinationem admiſerint; vt Pythagoras, Democritus, Plato; Peripatetici item, Stoicique; iſti verò imprimis; niſi quòd Panætius apud Ciceronem non eſt quidem auſus negare vim eſſe diuinandi, ſed dubitauit tamen; cùm & plerique ex cæteris non omnia quidem, ſed aliqua tamen Diuinationis genera repudiarint. Carneades quin-etiam modò hoc, modò illud; adeò vt penè etiam videatur cum Epicuro copulandus, maximéque ob id, quod Cicero ha- 2. De diui. bet, dum relata Tagis illius hiſtoria, qui aratore quodam ſulcum altiùs imprimente, repente apparuit, & Haruſpicinam Etruſcos edocuit: *Num ergo*, inquit, *opus ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro?* Quod autem ait Plutarchus fuiſſe Epicureorum χλευασμοὺς, καὶ

De Diuinatione. γέλωτας, *ſannas, & riſus*; id Cicero quoque confirmat, dum, *Nihil*, inquit, *tam irridet* De orac. def. *Epicurus, quàm Prædictiones rerum futurarum.* 2. De nat. Deo. Et rurſùs: *Doleo*, inquit, *Stoïcos noſtros Epi-* 2. De diui. *cureis deridendi ſui facultatem dediſſe: non enim ignoras, quàm iſta derideant.* Ex hoc eſt illud, 1. De nat Deor. apud eundem, Velleij Balbum alloquentis: *Sequitur* Μαντικὴ *veſtra, quæ Latinè diuinatio dicitur, quâ tantâ imbueremur ſuperſtitione, ſi vos audire vellemus, vt Haruſpices, Augures, Harioli, & Coniectores nobis eſſent colendi. His terroribus ab Epicuro ſoluti, & in libertatem vindicati, &c.* Nihil ſpeciatim addo de Inſomniis; cùm quid ſenſerit de iis Epicurus, ſatis indi- Sat. c. 64. cet tùm Eumolpus apud Petronium, cùm de diuinatione per ſomnum loquens: *Hinc ſcies*, inquit, *Epicurum hominem eſſe diuinum, qui eiuſmodi ludibria faceti ſſima ratione condemnat*; Lib. de an. tùm ipſe quoque Tertullianus, cuius verba ſunt: *Vana in totum ſomnia Epicurus iudicauit; liberans à negotiis diuinitatem, &c.* tùm apud 1. De diui. Ciceronem Quintus frater, vbi de Siſenna loquens: *Inſolenter*, inquit, *credo ab Epicureo aliquo inductus diſputat ſomniis credi non oportere.* Nihil etiam de Oſtentis, quorum interpretationi quæ fides adhibenda ſit inſinuat il- Lib. 6. lud Lucretij:

Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam
Perſpicere, & quâ vi faciat rem quamque videre:
Non Tyrrhena retrò voluentem carmina fruſtrà,
Indicia occulta Diuûm perquirere mentis.

7. & 8. Aduerſ. Celſ. 4. Præp. 9. & 2. De Pyth. orac. Nihil rurſùs de Oraculis, quæ Origenes, & Euſebius declarant paſſim ab Epicuro, Epicureiſque deriſa: ſufficit enim Boëthum illum à Plutarcho induci reprehendentem Verſus Sibyllarum (qui diuinam videlicet contexturam non ſaperent, & ad quorum ſtylum ſe nemo Poëta laudatus, vellet componere) ac illi idcircò ita obiici: *Vos, ô Propheta Epicuri, non licet effugere. Vitio enim datis priſcis Prophetidibus, quòd verſibus vſæ ſint malis: & eas, quæ hodie proſa oratione, ac prout voces occurrerint, reſponſa dare cauſamini, ne ad tribunal veſtrum vocentur, propter verſus principio truncos, medio elumbes, fine claudi-* 1 Adu. Col. *cantes.* Memorat aliàs idem Plutarchus Colotem habuiſſe ſuſpectum oraculum illud Apollinis de Socrate; & Lucretius Empedoclem, Philoſophoſque aliis commendat, quòd, vt aliàs attigimus:

——*Multa benè, ac diuinitùs inuenientes*
Ex adyto tanquam cordis, reſponſa dedere,
Sanctius, & multò certa ratione magis, quàm
Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, lauróque profatur.

Et, Quia non hoc modò Diuinationis genus adminiſtrari à Diis, aut Dæmonibus credebatur:

Ventum erat ad limen, cùm virgo, poſcere fata
Tempus, ait; Deus ecce, Deus.——

Et,

——*Nec mortale ſonãs, afflata eſt numine quando*
Iam propiore Dei.——

De Dæmon. Socr. Sed etiam ferè cætera; quippè verba Apuleij ſunt: *Dæmonum ſingulos curare, vt eſt cuique tributa prouincia, vel ſomniis conformandis, vel extis fiſſiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oſcinibus erudiendis, vel vatibus inſpirandis, vel fulminibus iaculandis, vel nubibus coruſcandis, cæteriſque adeò, per quæ futura cognoſcimus.* Pergit autem: *Quæ cuncta Cœleſtium voluntate, & numine, & authoritate, ſed dæmonum obſequio, & operâ, atque curâ; vt Annibali ſomnia orbitatem oculi commoneant; Flaminio auſpicia periculum cladis prædicent; Accio Nauio miraculum cotis adiiciant; atque, vt nonnulla regni futuri ſigna præcurrant, vt Tarquinius Priſcus aquilâ obumbretur ab apice; Seruius Tullus flammâ colluminetur à capite: Poſtremò cuncta hariolûm præſagia, fulgurum videntalia, carmina Sibyllarum.* Quia, inquam, hæc perhibebantur; ideò prætulit Epicurus & Deorum adminiſtrationem, & Dæmonum exſtantiam negare, quàm iſta concedere. Vnde eſt, vt ipſe quoque Aphrodiſiæus occaſione De Fato, 16. prædictionis de Laio factæ, ad cuius exſequutionem ipſe Apollo concurrerit, cenſeat neminem; qui hæc audiat, non habiturum ἐναβισίμαν τῶν λεγομένων ὑπὸ τῶν περὶ Ἐπίκουρον ἀπρονοησίαν, τῆς τοιαύτης προνοίας, *magis piam illam, quæ dicitur, Epicuri Improuidentiam, quàm Prouidentiam huiuſmodi.* Hac certè de cauſa Boëthus Epicureus, cuius mentio facta mox eſt; cùm apud Plutarchum memorarentur Prodigia varia, quæ, vt factum ab Apuleio, referrentur ad Dæmonas: Ναί, inquit, ἢ γὰρ ἀρκεῖ τὸν θεὸν εἰς σῶμα κατείργνυναι, θνητὸν ἅπαξ ἑκάστου μηνός, ἀλλὰ καὶ λίθῳ παντί, καὶ χαλκῷ συμφυράσομεν αὐτόν; ὥσπερ οὐκ ἔχοντες ἀξιόχρεων τῶν τοιούτων συμπτωμάτων τὴν τύχην δημιουργὸν, καὶ τὸ αὐτόματον. *Nempè igitur non eſt ſatis quolibet menſe includere Deum corpore mortali; niſi eum etiam cum omni lapide, æreque commiſcuerimus? Quaſi huiuſmodi euentuum non habeamus opificem ſatis idoneum, Fortunam, & Caſum?* Affine eſt, quod apud eundem Plu- 1. & 4. Cont. Celſ. tarchum, poſtquàm Empedocles, aliíque dicti ſunt induxiſſe Alaſtoras, Palamnæos, & alios malos Dæmonas (quorum arteis malas Epicurum contempſiſſe ab Origene ſcribitur) tùm Epicurei dixiſſe feruntur, εἰς ἀδύνατον ἄγειν φαύλους, καὶ ἁμαρτητικοὺς ὄντας, μακαρίους, καὶ μακραίωνας εἶν, πολλὴν τυφλότητα τῆς κακίας ἐχούσης, καὶ τὸ προσπταιστικὸν τοῖς ἀναιρετικοῖς. *Non poſſe illos, mali, & vitioſi cùm ſint, felices, ac longæuos eſſe; quòd prauitati comes ſit & cæcitas multa, & lapſus procliuis ad ea, quæ interimunt.* Vbi nequicquam ſanè non eſt, quod de cæcitate interſeritur. Exinde enim deducitur, quòd tametſi eſſe concedantur Dæmones, non ea tamen perſpicacia ſint, vt proſpicere, prædicereque futura poſſint. Quia verò ſolebat plerumque probari Diuinatio ex iis, quæ Dæmones, ſeu Genij ſeſe ipſos manifeſtantes, eſſe ventura prædicerent, referre illud ſufficit, quod cùm Brutus celebrem illam Genij ſui apparitionem Caſſio Epicureo recitaſſet; ipſe Caſſius tùm fuiſſe Brutum hallucinatum declarauit, tùm & ſubiicit: δαίμονας δ'

ἔτ'

In pag. 89. οὔτ' ἐν πιθανὸν, οὔτ' ὄντας, ἀνθρώπων ἔχειν εἶδος, ἢ φωνὴν, ἢ δύναμιν εἰς ἡμᾶς διήκουσαν. εἰς ἔγωγ' ἂν ἐβουλόμην, ἵνα μὴ μόνον ὅπλοις, καὶ ἵπποις, καὶ ναυσὶ τοσαύταις, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἀγορᾶς ἐπιθαρρῶμεν, ὁσιωτάτων ἔργων, καὶ καλλίστων ἡγεμόνες ὄντες. *Dæmonas autem neque eſſe credibile eſt, neque vt ſint, hominum habere aut formam, aut vocem, aut vim, quæ ad nos pertingat. Quàm hoc vellem! vt non ſolùm armis, equiſque, & tot, tantiſque nauibus; ſed ipſorum quoque Deorum fidere poſſemus auxilio; Nos, qui ſumus ſanctiſſimorum, honeſtiſſimorúmque facinorum duces!* Præterea heic autem, quod Lucretius habet de iis apparitionibus, quas fieri in locis deſertis erat peruulgatum:

Lib. 4.
Hæc loca Capripedes, Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur,
Quorum noctiuago ſtrepitu, ludóque iocanti
Adfirmant volgò taciturna ſilentia rumpi,
Chordarúmque ſonos fieri, dulceiſque querelas
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum.
Et genus Agricolûm latè ſentiſcere, cùm Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,
Vnco ſæpè labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilueſtrem ne ceſſet fundere Muſam.
Cætera de genere hoc mōſtra, & portēta loquūtur,
Ne loca deſerta ab Diuis quoque fortè putentur
Sola tenere: ideò iactant miracula dictis;
Aut aliqua ratione alia ducuntur; vt omne
Humanum genus eſt auidum nimis auricularum.

Atque in hac quidem Epicuri ſententia reprehendendum minimè eſt, quòd nimiam illam credulitatem, ſuperſtitionémque Gentilium tam circa ipſam diuinationem, quàm circa Dæmonas deriſit: Verùm id ferendum non eſt, quòd, vtcumque res de diuinationis veritate ſe habeat; ſaltem exſtare Dæmonas generatim non autumauit. Quippè non Sacra modò Religio, ſed ratio quoque id perſuadet; vti & reipsâ perſuaſit iis Philoſophis, ex quibus Plutarchus citat nominatim Thaletem, Pythagoram, Platonem, Stoicos (præter Empedoclem, & alios) quibus aſſerentibus, *Eſſe Dæmonas, qui ſint animatæ ſubſtantiæ; itémque Heroas, qui ſint animæ, ſeu bonæ, ſeu malæ, ſuis ſolutæ corporibus*, ſolum opponit Epicurum, qui οὐδὲν τούτων ἐγκρίνει, *nihil horum admittit*. Tametſi certè illi errarunt, tam circa ſubſtantiam, quàm circa adiuncta, quæ attribuêre Dæmonibus; in eo tamen benè ſenſerunt, quod aliquos eſſe fuerunt opinati. Cùm res verò eiuſmodi ſit, vt nobis pluſquàm obiter eſſe attingenda videatur; ideò abs re fortè non erit, ſi de Diuinatione dicturi, præmittamus quidpiam de Dæmonibus, ad quos illa eſt ſolita referri. Suppono autem ipſos eſſe, quos Scriptura Sacra familiari voce Angelos appellat, ac interdum etiam Dæmonia, cùm ſcilicet de Angelis præuaricatis loquitur; quibus aliunde attribuit voces Satanæ, Diaboli, & alias. Apud Ethnicos familiare eſt, vt non ſolùm Dæmones, verùm

1. Plac. 8.

etiam Genij vocentur; tametſi, quia naturæ diuinæ, aut non-nihil diuinâ inferioris exiſtimantur; ſolent quoque dici & Dij, & Semidei, & Deorum filij (ſed nothi tamen, vt putà ex Nymphis, &c.) Ne memorem præterea dici iuxta Ariſtotelem, Separatas ſubſtantias, quatenus incorporeæ ſunt; iuxta Sectatores, Intelligentias, quatenus intellectu pollent; cùm & Latinè Intelligens idem videatur, quod Græcè δαίμων, ſi verùm ſit quidem, quod poſt Platonem Lactantius, & Macrobius docent, δαίμονας, iuxta Grammaticos dici quaſi δαήμονας, id eſt, *Peritos, & rerum ſcios*. Certè & quod Ariſtoteles ait, non poſſe quidem inſomnia dici θεόπεμπτα, *diuinitùs*, ſeu *à Deo miſſa*; ſed poſſe tamen δαιμόνια, *Dæmonia*, ἡ γὰρ φύσις δαιμονία, ἀλλ' οὐ θεία, *quòd natura dæmonia quidem, at non tamen diuina, ſit*; ita accipi ſolet, quaſi ipſa natura, è qua res omnes fiunt, ſit petita, ac rerum ſcia: & προορᾷ τὰ μέλλοντα, *ac futura etiam prouideat*; tametſi eo modo prouiſa contingant, quo iaculantem totum diem, mirum non eſt collineare interdum: Sic nempè docet eſſe nihil mirum, ex illis tam multis, quæ loquutuleiorum, melancholicorúmque natura ſuppeditat viſa, ac inſomnia, nonnulla interdum euenire.

De Diuinatione.

Hoc verò præmiſſo, vt habeas, quæ fuiſſe circa Dæmonas, Pythagoræ, Platonis, cæterorum notio videatur; id heic reuocandum in memoriam eſt, quod ſuperiùs dictum circa Animam Mundi. Nimirùm, qui eam conceſſerunt, exiſtimârunt Demonas, non minùs, quàm animas noſtras, nihil eſſe aliud, quàm Particulas animæ Mundanæ. Et quoniam aliunde animam Mundanam idem eſſe cum Deo putârunt; idcirco habuêre quoque Dæmonas, vt particulas diuinæ naturæ; ac anſam fecêre hæreticis variis, primis Eccleſiæ temporibus, vt pari modo de Angelis ex Dei ſubſtantia deductis philoſopharentur. Ij ergo habuere Mundi Animam, quaſi Oceanum inexhauſtum, cuius Dæmones, animæque eſſent velut riuuli temporis progreſſu in eum reducendi: Et Plotinus viſus eſt etiam comparare radici, ſeu trunco; quaſi Dæmones, animæque eſſent veluti rami, ramuſculi, folia, flores, fructus. Cenſuere verò, ſicut aqua, dum interanea terræ peruadit, imbuitur ſubſtantiâ eorum mineralium, per quæ tranſire ipſam contingit; ſic particulas animæ Mundanæ induere plerumque ſubſtantiam tenuiſſimorum corporū, ipſiſque ſpeciatim quaſi illigari. Cùm opinati verò fuerint eſſe quidem animam toto orbe diffuſam, ſed inſidere tamen præſertim in regione ætherea, atq; adeò in ipſis aſtris, & maximè omnium in Sole: idcirco putârunt, dum hæc inferiora à ſuperioribus fouentur, aduenire cœlitus varios quaſi radios viuificantis animæ, ac taleis radios interea in medio interſtitio variè veluti corporari, & aëream quandam quaſi veſtem induere; partimq; deinceps variè commorari, degeréque per aërem; partim in terram vſque

Enn. 9. l. 3. c. 7.

De Diuinatione. perueenire. Heinc proinde exiſtimârunt ſubſtantias huiuſcemodi, cōpoſitas nempè ex corpore tenui, quale eſt aëreum, & ex particula animæ Mundanæ, eſſe Dæmonas, Animaſque; ſed Dæmonas quidem, dum à commiſtione corporum craſſiorum manent liberæ; animas verò, dum demerguntur in craſſiora hæc corpora, & magis adhuc corporaſcunt. Prætereo autem, ſi corpus tenüe, quo velut amictu, particulæ animæ induuntur, lenis, benignæque contexturæ fuerit, tunc fieri bonos Dæmonas; ſin aſperæ verò, & malignæ (vt ſunt etiam in aëre partes heterogeneæ) malos. Prætereo quoque animas noſtras, cùm è corporibus exierint, Dæmonas rursùs fieri; tametſi non ſtatim, neque ex æquo omneis. Siquidem retinent plerumque quaſdam ex humano corpore reliquias, quas donec retinuerint, nec prorsùs depoſuerint, non tam Dæmones, quàm Heroës, & Semidei nonnullis dicuntur. Hi autem ſequuntur præſertim
De Orac. def. Heſiodum, qui primus, vt Plutarchus refert, quatuor genera ratione vtentium expoſuit, Deos primùm, tùm Dæmonas, deinde Heroas, tandem Homines. Quod illeic verò additur, Vt Terra in Aquam, Aqua in Aërem, Aër in Ignem tranſmutatur; ſic ex Hominibus Heroas, ex Heroïbus Dæmonas, ex Dæmonibus Deos fieri: id tùm fieri intellige, cùm portiones illæ animæ Mundanæ corporeum amictum aſſumptum deponunt, & in reliquam homogeneam naturam quaſi refunduntur. Dixi ſecundum Heſiodum; Siquidem Plato, Pythagoras, & qui illos, tanquam præcipuos Dæmonum aſſertores probant, ea, quæ ſunt prædita Ratione, in tria dumtaxat genera partiuntur, Deos, Dæmonas, Homines. Quo loco notæ ſunt Xenocratis ſimilitudines, quæ à Plutarcho memorantur; vt Triangulorum, dum Æquilaterum tribuit Diis, Iſoſceles Dæmonibus, Hominibus Scalenum. Itemque Aſtrorum; dum Deos fecit ſimileis Soli, Dæmonas Lunæ, Homines Cometis, aliiſque momentaneis ignibus.

Et poſſemus quidem declarare ex aliis, vt Dæmones ſint mediæ quædam inter Deos, hominéſque naturæ; vel vt loquuntur, in Immortalium, mortaliúmque confinio; ſed nemo luculentiùs id explicet, quàm Apuleius. Is enim primùm ediſſerit, vt fiat per ipſos Deorum, hominúmque commercium: ac deinde poſtquàm probauit, vt cæteræ Mundi regiones à ſuis habitantur animalibus (æther enim ſidera habet, ignis animalcula illa, de quibus Ariſtoteles, mare piſceis, cætera ter-
De Deo Socr. ra) ita aërem non debere ſibi propriis deſtitui, quæ quidem ſint Dæmones, ſubdit: *Supereſt, vt quæ tandem, & cuiuſmodi ea ſint, diſſeramus. Igitur terrena nequaquam, deuergunt enim pondere; ſed nec flammea, ne ſurſum verſus calore rapiantur. Temperanda ergo nobis pro loci medietate media natura; vt ex regionis ingenio ſit & in cultoribus eius ingenium. Cedò igitur mente formemus, & gignamus omnino id genus corpus,* In pag. 89.
tertia quædam animalia, quæ neque ſint tam bruta, quàm terrea, neque tam leuia, quàm æthera, ſed quodammodo vtrimque ſeiugata. Velut enim vtrimque commiſta ſunt, ſiue amolita, ſeu modificata vtriuſque rei participatione; ſed faciliùs ex vtroque, quàm ex neutro intelligentur. Habeant igitur hæc Dæmonum corpora modicum ponderis, ne ad ſuperna incedant; aliquid leuitatis, ne ad inferna præcipitentur. Adfert deinde in exemplum nubeis, túmque ſubiicit: *Quòd ſi nubes ſublimè volitant, omniſque & exortus, & terminus, & retrò defluxus earum in terris eſt; Quid tandem futura cenſes Dæmonum corpora, quæ ſunt concreta multò minùs, & tantò ſubtiliora? Non enim ſunt ex hac fæculenta nubecula, tumida caligine conglobata, ſicuti nubium textus eſt; ſed ex illo puriſſimo aëris liquido, & ſereno elemento coalita, eaque nemini hominum temerè viſibilia, niſi diuinitus ſpeciem ſui offerant: quod nulla in illis terrena ſoliditas locum luminis occupauerit, qui noſtris oculis poſſit ſubſiſtere; qua ſoliditate noſtra offenſa acies immoretur; ſed fila corporum poſſident rara, & ſplendida, & tenuia; vſque adeo, vt radios omneis noſtri tuoris, & raritate tranſmittant, & ſplendore reuerberent, & ſubtilitate fruſtrentur.* Statim autem pòſt, vide quid ſubiungat circa paſſiones Dæmonum: *Ex hoc fermè dæmonum numero Poëta ſoleat haud procul à veritate, oſores, & amatores quorundam hominum Deos fingere. Hos proſperare, & euehere; illos contrà auerſari, & affligere. Igitur & miſereri, & indignari; & angi, & lætari; omnémque humani animi faciem pati: ac ſimili motu cordis, & ſalo mentis ad omneis cogitationum æſtus fluctuare.* Ac poſteà, vbi declarauit haſce turbellas, & tempeſtates procul exulare à tranquillitate Deorum cœleſtium, en vt proſequatur: *Sed & cuncta, vt hoc genus cætera Dæmonum medìocritati congruunt. Sunt enim inter homines, ac Deos, vt loco regionis, ita ingenio mentis interſiti, habentes communem cum cæteris immortalitatem, cum inferis paſſionem. Nam perinde, vt nos, pati poſſunt omnia placamenta, vel incitamenta; vt in ira incitentur, & in miſericordia flectantur; & donis mutentur, & precibus leniantur, & contumeliis exaſperentur, & honoribus mulceantur, aliiſque omnibus ad ſimilem nobis modum varientur. Quippe, vt finem comprehendam; Dæmones ſunt, genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiua, corpore aëria, tempore æterna.* Sic ille.

Quod hiſce extremis porrò verbis ſtatuit Dæmonas tempore æternos quaſi nec naſcantur vnquam, nec intereant (vnde & illis aſſeruerat mox antè immortalitatem) Nota conciliari non poſſe cum opinione cæterorum, qui illos ortui, ac interitui eſſe ſtatuunt obnoxios; niſi fortè aut æternum tempus pro diuturniſſimo accipias; aut ſententiam interpreteris de radio illo diuinitatis, ſeu Portiuncula Animæ Mundanæ, quæ, vt ſemper fuit, nec cœpit, cùm ſpolium illud aëreum induit, ita nec eſſe deſinet, ſed animæ toti coniuncta ſubſiſtet,

Digitized by Google

In pag. 89. ſubſiſtet, cùm ſpolium illud exuet. Scilicet, vt Homo dicitur mortalis ob ſolutionem compaginis, qua anima corpori vincitur, licet anima propterea non pereat; ita contendunt Philoſophi Dæmonas habendos mortaleis; quòd tametſi pars illorum præcipua, & intelligens æternùm ſubſiſtat; contingat tamen hanc partem ſeiungi ab eo corpore, cui cohærens Dæmon cenſetur. *De Iſide & Oſir.* Ex hoc certè eſſe videtur, quod mox antè eſt dictum, Ex Dæmonibus Deos fieri: vt de Iſide, & Oſiride, creditum eſt olim Ægyptiis; de Hercule, Libero, aliis, vt à Plutarcho obſeruatur: cùm & hac ratione interpretari liceat, quod Iupiter apud Ouidium: *1. Metam.*

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina, Fauni
Et Nymphæ, Satyrique, & Monticolæ Syluani;
Quos quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certè terras, habitare ſinamus.

De Orac. def. Prætereo verò, quod idem Plutarchus commemorat de morte Panos, & de Oraculorum defectu, à nonnullis exiſtimato propter Dæmonum mortem contigiſſe. Attingo ſolùm, quod recitat cenſuiſſe nonnullos Dæmonum ætatem eſſe annorum nouies mille ſeptingentorum, & viginti: ac Heſiodum nominatim illam extendiſſe ad centum propè myriadas annorum; dum progreſſu facto ex ætatibus variorum animalium, quæ longæua maximè ſunt, tùm Nymphas Iouis filias, ſcilicet ipſos Dæmonas, longè ſuperuiuere dixit; numerus ſiquidem annorum eſſe colligitur nouies centum, ac triginta trium millium, inſupérque centum, & viginti. Carmina autem illa *Eidyll. 18.* Heſiodi, Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς, &c. ſunt Latinis vulgaria facta imitatore Auſonio:

Ter binos, deciesque nouem ſuper-exit in annos,
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos ſuperat nouies viuendo garrula cornix;
Et quater egreditur cornicis ſæcula ceruus.
Acripedem ceruum ter vincit coruus; at illum
Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales:
Quem vos perpetuo decies præuertitis æuo,
Nymphæ Hamadryades, quarum lõgiſſima vita eſt.

Ex Plutar. ibid. Vbi Notandum, quod longæuas Nymphas Interpres dicit Hamadryadas (cùm Heſiodus dicat potius ἐϋπλοκάμους *pulcricomas*) non conſentire cum eo, quod Pindarus ait Nympharum æuum tantum eſſe, quantum durare arbores poſſunt; ac inde dici Hamadryadas, quaſi vnà cum quercubus (ſiue vniuersè cum arboribus) ac tantum, quantum ipſas, viuenteis. Niſi fortè aliquis dicat, cùm formæ, animæve arborum non ſint ipſæ Nymphæ, ſed Nymphæ ſint potius quidam Dæmones, qui ſiluis, & ſpecialibus quibuſdam arboribus delectentur (vt ſunt nonnulli etiam, quos montes, aut fluuij, ſcaturigineſque delectant; ex quo non modò Hamadryades, ſed Oreades etiam, Naiadeſque appellitantur) niſi aliquis, inquam, dicat non propterea Nymphas arboribus conuiuenteis, arboribus commori; ſed ſupereſſe, reliquum æuum degere pergenteis cum cæteris Nymphis, cumque Pane, Sileno, Faunis, Satyriſque, & Siluanis monticolis. *De Diuinatione.* Vtcumque ſit, nota eſt etiam alia opinio Democriti, qui cùm, explicante Plutarcho, *Ibid.* Dæmonas eſſe diceret *Simulacra quædam*, quæ *1. Aduer. Phyſ.* apud Empiricum *magna, & ingentia* dicuntur; & apud Ciceronem tanta, vt vniuerſum *1. De nat. De.* Mundum complectantur extrinſecùs; exiſtimauit hæc Simulacra, vt idem Empiricus habet, difficile quidem, ſed tandem tamen interire.

Cæterùm, ſeu iſta, ſeu alia opinionis Philoſophorum interpretatio vera fuerit; hoc ſaltem conſtat, Dæmonas fuiſſe à Philoſophis admiſſos; & à pleriſque etiam de ipſis, tanquam de naturis à diuina ſubſtantia diuerſis, fuiſſe diſputatum. Tametſi verò illos corporeos aliunde reputauerint, id tanto in Philoſophis videtur fuiſſe excuſabilius, quantò non multa ſæcula ſunt, ex quo cautum eſt, vt tam Angeli, quàm humanæ animæ habean- *In Concil. Later.* tur corporis expertes. Nempè fuêre etiam nonnulli ex antiquis Doctoribus, qui cùm haberent ſolum Deum omninò incorporeum, exiſtimârunt tam Angelos, quàm humanas *In Concil. 6.* Animas ex tenniſſimo corpore conſtare; atque idcircò nihil repugnare, quin fierent eorum imagines. Quo loco oporteret ſanè Ariſtotelem admirari, cùm ſuas illas ſubſtantias fecit ſeparatas, ſiue incorporeas; ſi poſſent, quæ de illis ſenſit, accommodari Angelis; ſi eorum deſtinatio ad mouendum cœlos dumtaxat non eſſet; ſi earum numerus non foret numero ſphærarum adſtrictus. Verùm, vt heic ſolùm hæreamus circa Rationem, qua diximus Philoſophos fuiſſe adductos, vt Dæmonas aſſererent; ea non videtur fuiſſe abiuncta ab Opinione de Prouidentia. Cùm eſſent enim perſuaſi Deum gerere curam omnium rerum; alienum tamen à Diuina Maieſtate exiſtimârunt curare ſeipſo, & abſque vllo famulitio, omnia ſingularia, & ſi quid ſpeciatim exſequi oporteret, Deum ipſum id facere, ac ſe habere decorè minùs, quàm Regem Perſarum, qui Suſis, aut Ecbatanis degens, longè, latéque diffuſum regnum per adminiſtros moderetur; vti apud Authorem *Cap. 6.* libri de Mundo eſt. Itaque eò fuêre adducti, vt opinarentur Deo in cœlo Regiam obtinenti adeſſe miniſtros, ſiue famulos, quorum interuentu prouideret toti, ac potiſſimùm inferiori Mundo. Huiuſmodi autem Miniſtros, quos agnouerunt eſſe debere actuoſas quidem, ſed oculis tamen inconſpicuas ſubſtantias, appellauerunt Dæmonas; ac eos, qui adeſſent ſpeciatim hominibus ſingulis, Genios: Et concluſiſſe illos quidem rem veram, eſſe dubium non poteſt; certum eſt enim Dæmonas, Angelóſve in mundo eſſe, qui & Dei miniſtri ſint, & hominibus ſpecialiter adſint; ſed vis tamen conſequutionis, ſiue ipſa Ratio videtur cautè accipienda. Nam quatenus

De Diuinatione. ſertim ex Literis ſacris, & ex libris Agiographis; quippè quæ in Prophanis exſtant, dicere haud facilè poſſis, quando, aut quid veri contineant; vti erit ſpeciatim aliquantò pòſt, cùm de Bruti Genio, & ſimilibus attingendum.

Denique, vt ad ipſam rem, qua de diſſerendum præſertim hoc loco fuit, accedamus; Perſpectum fuit Ethnicis Diuinationem aliquam per Dæmonas adminiſtrari. Siquidem, tametſi ea quoque in re plurimùm & ſuperſtitionis, & impoſturæ fuerit; nihilominùs oportuit interdum veri quidpiam contingere, vt illa adeò generalis Anticipatio ortum ha- 1. De diuin. beret: *Nam gentem quidem*, inquit Cicero, *nullum video, neque tam humanam, atque doctam; neque tam immanſuetam, tamque barbaram, quæ non ſignificari futura, & à quibuſdam intelligi, prædicique poſſe cenſeat.* Labor eſt ſolùm in diſcernendo, quandonam facta fuerit prædictio aut interuentu Dæmonis, aut vatum vafricie, aut rogantium credulitate. Nam reuerâ quidem, vt Deus per Angelos multa prædixit, quæ in Libris ſacris, Agiographiſque continentur; ita paſſus eſt apud Ethnicos multa exſtare vaticinia, interueniente Dæmone. Inde enim Patres, & Doctores ſacri inuehuntur in Ethnicos, quòd ſe perſuaderi, ac decipi ſinant à Dæmonibus; hiſtoriæque exſtant, ac verſus de Dæmonibus, tùm ad Seruatoris Domini aduentum, tùm ad conſpectum, iuſſúmque virorum ſanctitate illuſtrium coactis obmuteſcere. Verùm conſtat quoque aliunde aut mera fuiſſe deliramenta, aut meras impoſturas, quæ vt plurimùm ad Dæmonas referebantur. Vtrouis cenſu haberi debeat hiſtoriola, quam ex Epicuro Michaël Apoſtolius refert, non definio quidem, ſed commemoranda eſt tamen. Inter congeſtas ergo Parœmias, ac circa illam, Πύθια, καὶ Δήλια, *Pythia, & Delia*, quæ eſt ἐπὶ τῶν ταχέως ἀπολλυμένων, *de citò perituris*, ſic habet Apoſtolius: Cent. 16. Φασὶ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον Πύθια, καὶ Δήλια ποιήσαντα, ἅμα εἰς Δῆλον πέμψαι εἰς θεοῦ χρησόμενον, εἰ τὰ τῆς θυσίας ἄγει ἐπὶ τὸ ὡρισμένον. Τὴν δὲ Πυθίαν ἀνελεῖν, ταῦτά σοι καὶ Πύθια, καὶ Δήλια, βουλομένην δηλοῦν, ὅτι ἔσχατα· μετ᾿ ὀλίγον γὰρ χρόνον, αὐτὸν ἀπολέσθαι συνέβη. Ἐπίκουρος ἔν τινι τῶν πρὸς Ἰδομβρία ἐπιστολῶν ταῦτα φησί. *Ferunt Polycratem Sami tyrannum Pythia & Delia celebrantem, miſiſſe ſimul Delum ſciſcitatum oraculum, num quæ ſpectarent ad Sacrificium, ad præfinitum tempus offerret. Reſpondiſſe autem Pythiam, Hæc tibi Pythia, & Delia ſunt; ſignificantem videlicet ea illi extrema futura. Nam & illum non multò pòſt è medio tolli contigit. Iſta Epicurus recitat in quadam Epiſtolarum ad Idomeneum.* Ac videtur quidem Epicurus non propterea perſuaſus fuiſſe dum hæc ſcriberet, Polycratis cladem fuiſſe aut à Pythia, aut à Dæmone reuerâ prouiſam; verùm, ſi & prædicta fuit, & ipſo euentu probata: quid-ni argumentum hoc ſit, quod prouiſa à Pythia, aut Dæmone reuerâ fuerit? An obiter verò facere huc poteſt, quod à Plu- In pag. 89. tarcho eſt obſeruatum, fuiſſe Apollinem vocitatum Πύθιον, *Pythium*, eorum occaſione, qui *percontarentur*, diſceréque inciperent; ac etiam Δήλιον, καὶ Φαναῖον, *Delium, & Phanæum*, occaſione eorum, quibus iam *aperta, claráque* eſſet veritas; Nempè, quaſi exinde feſta inſtituta in honorem Apollinis, Pythia, ac Delia fuerint vocata; & inſinuatum reſponſo fuerit, non alia feſta exſpectanda, præter ea, de quibus erat *Percontatio*; clarum enim hoc eſſe ἐπὶ τὸ ὡρισμένον, *iuxta ipſum tempus fato definitum.*

Sed ne in hoc hæream, adnotare præſtat, cùm agitur heic de Diuinatione, ſiue præſenſione rerum futurarum, non eam heic intelligi, qua prouidentur, ac prædicuntur res, quarum ſunt ſicut naturales, ita neceſſariæ, impedimentíque incapaces cauſæ; veluti Eclipſes, ortus ſiderum, cæteráque huiuſmodi, quæ ex rata diſpoſitione, conſtantique motu corporum cœleſtium dependent. Non item illam, quæ admittitur dumtaxat, quaſi Coniectatio, ob cauſas veriſimileis, quas quiſque provt fuerit ſagax, ſubodorari valeat, & provt felicior, veluti in ſcopo attingendo, fuerit, εὔστοχος vocetur; quo ſenſu Plu- De def. orac. tarchus refert illud Euripidis,

Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Qui coniicit benè, ille vates optimus.

Seu, vt Cicero interpretatur, 1. De Diui.

Benè qui coniiciet, vatem hunc perhibeto optimũ.

Quo ſenſu Vates haberi poſſet v. c. Thales, cùm olearum prouentum ex ſignis, de quibus ſuperiùs eſt dictum, præſagiit: Pherecydes item, cùm aquam ex puteo hauſtam conſpiciens, Terræ-motum dixit inſtare; ac generatim quiſquis in ſua arte (intellige ex iis, quas coniecturaleis appellant) habetur periti- Cic. ſſimus. *Nemo enim, aut qua tempeſtas* (vt verbis illius dicatur) *impendeat, meliùs coniiciet, quàm gubernator; aut morbi naturam acutiùs, quàm medicus; aut belli adminiſtrationem prudentiùs, quàm imperator, coniecturâ aſſequetur.* Intelligi verò eam ſolùm, quæ eſt de rebus merè fortuitis, ſiue non habentibus cauſas, quas, ac ſimul ipſam ab iis dependentiam, proſpicere liceat: cuiuſmodi eſt v. c. Æſchylum caſu teſtudinis ab Aquila in caput dimiſſæ eſſe moriturum: aut certè, quæ licet iis de rebus ſit, quarum ſunt cauſæ probabiles, & rerum peritis non prorſùs ignotæ; eſt tamen ſine proſpicientia huiuſmodi ſiue cauſarum, ſiue dependentiæ ab ipſis, ac perinde ſe, vt ſi res merè fortuitæ forent, habet. Vnde & quia poſſunt conſuli hoc caſu tam rerum peritus, quàm hariolus: *Num igitur*, inquit idem ſtatim, *aut haruſpex, aut augur, aut vates quis, aut ſomnians meliùs coniecerit, aut ex morbo euaſurum ægrotum, aut ex periculo nauem, aut ex inſidiis exercitum, quàm medicus, quàm gubernator, quàm imperator?* Cùm omnis autem Diuinatio aut artis particeps habeatur,

aut

In pag. 89. aut expers; notum eſt Participem artis intelligi illam, quæ partam ſe iactat experientiâ, obſeruationéque diuturna, vtcumque eorum, quæ prædicuntur, reddere rationem, dicerève cauſam non valeat. Talem autem habere ſe profitentur Augures, ſiue Auſpices, qui ex volatu, cantu, paſtu auium, futura prædicunt; Haruſpices, qui ex cæſarum hoſtiarum extis; Sortilegi, qui ex Sortibus; ὀνειρο-κρῖται, ſeu *Interpretes ſomniorum*, qui ex ſomniis, intellige obſcuris, aut ambiguis (nam quæ alioquin ſomnia rem perſpicuè notant, quale Megarenſis illius fuit, interpretatione, aut arte non egent) ac pari ratione Interpretes Fulgurum, Oſtentorum, Portentorum, Prodigiorum, &c. Talem etiam Phyſiognomi, qui ex delineatione, habitúque externo corporis; Metopoſcopi, qui ſpeciatim ex fronte; Chiromantes, qui ex manu, quoſlibet euentus ſpecialeis, & cum circumſtantiis quidem locorum, temporum, perſonarum, negotiorum, præſagiunt. Quod enim generatim ad corporis temperiem, animique indolem ſpectat, eius quidem ſigna in corpore ſunt; at non quæ propterea futuros his, aut illis temporibus, his aut illis modis euentus deſignent. Talem rurſus Geomantes, Hydromantes, Aëromantes, Pyromantes, & alij, nulla non ex re diuinationem inſtituentes; ac poſtremò ipſi Aſtromantes, ſeu Aſtrologi, qui omnium præcipui, omnibúſque penè quidpiam impertientes, eam petunt ex Aſtris. Notum etiam Artis expertem intelligi illam, quæ non ex obſeruatis, collectiſque ſignis inſtituitur; ſed aut cuiuſpiam Genij apparitione, & affatu; aut concitatione quadam, & furore animi, ſiue à ſeipſo, quia diuinus ſit, ſiue à Dæmone corripiatur. Talem certè admitti conſtat in Sibyllis, ecſtaticiſque hominibus; in quibus interdum vigilando, interdum dormiendo mens ſic emouetur, vt ſuo è ſtatu exturbata, ea videat, quæ in ſtatu alioquin naturali, placido, quietóque non videt. Heinc verò eſt, quamobrem tam Græci vniuersè τὴν μαντικὴν, quaſi ἀπὸ τῆς μανίας, *à furore*, vti ex Platone notat Cicero; Latini à Diuis, Diuinationem dixerint. Videlicet, quaſi futurorum præſenſio eiuſmodi res ſit, vt Diuorum ſit propria, aut eorum, quibuſcum communicare illi eam dignantur, quique exinde appellantur Diuini; cùm & interim illa ipſis communicari non valeat, niſi cum quadam emotione mentis, abductionéve hominis extra proprium, ac naturalem ſtatum. Certè & citatus ex Apuleio locus, declarat illam etiam artis participem diuinationem ſine diuorum, Dæmonúmve interuentione non fieri: & quemadmodum hodie volunt, ad imprimendum, v. c. puncta illa Geomantica, manum dirigi excitato interno, cæcoque quodam impetu; ita olim volebant, non modò ad iaciendum ſorteis, verùm etiam ad deligendum exempli cauſâ hoſtiam, interuenire vim quandam ſentientem, quæ eſſet toto confuſa Mundo; ac tùm cùm hoſtiam immolare vellet, extorum mutationem faceret, adeò vt in illa abeſſet, aut ſupereſſet aliquid; quemadmodum paulò ante obitum Cæſaris contigit in Extis bouis opimi cor non eſſe; quod quidem apud Ciceronem eſt. *De Diuinatione.*

Non eſt porrò quorſum in illa Artificiali Diuinatione reiicienda tempus teramus; cùm vel ex iis, quæ fusè ſunt aduerſus Aſtrologiam dicta, conſtare poſſit, ſi Ars illa, quæ inter omneis Diuinatrices principem locum obtinet, inanis futiliſque ſit; cæteras non minùs inaneis, futileiſque eſſe debere. Quid-ni verò, cùm eæ iam nulla religione teneantur, haberi tales debeant; cùm etiam olim, dum paſſim Religio obſeruare illas iubebat, à peritis nihilominùs, cordatiſque improbarentur. Quippè ab ætate vſque Sapientum, notum eſt conſilium à Thalete Periandro datum circa editum Equâ monſtrum ſemi-humanum, quod Sacerdos iam declarârat ſeditionem portendere; itemque Anaxagoræ factum, cùm oſtendit, quî contigiſſet naſci Arietem cum vnico cornu, quo portendi vates dixerat præualituram eius factionem (duæ ſcilicet in vrbe erant) cuius in domo eſſet natum oſtentum. Sed ne Græcorum plura conſecter; illud Catonis ſcitum eſt, qui referente Cicerone: *Mirari ſe aiebat, quòd non rideret Haruſpex, Haruſpicem cùm vidiſſet.* Itemque, quod ille Coniector, interpreſque portentorum, non inſcitè dicitur ei reſpondiſſe, qui ad eum quaſi oſtentum retulerat, fuiſſe domi anguem vecti circumvectum: *Tùm enim eſſet*, inquit, *oſtentum, ſi anguem vectis circumplicaſſet.* Quod autem magni etiam duces hæc contempſerint, tritum eſt, circa haruſpicinam, v. g. exemplis tùm Hannibalis, cui apud Regem Pruſiam exulanti cùm pugnare placeret, & ille ſe audere, quòd exta prohiberent, negaret: *An tu*, inquit, *Caruncula vituli mavis, quàm Imperatori veteri credere.* Tùm Cæſaris, qui cùm à ſummo Haruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, tranſmiſit tamen; *Quod ni feciſſet*, inquit Cicero, *vnum in locum omnes aduerſariorum copia conueniſſent.* Itemque circa Auguria, tùm P. Claudij Pulcri, qui cùm bello Punico primo prœlium nauale committere vellet, auſpiciáque more maiorum petiiſſet, & pollarius non exire caueâ pullos nunciaſſet, abiici eos in mare iuſſit, dicens: *Quia eſſe nolunt, bibant.* Tùm M. Marcelli, qui dicebat: *Si quando rem agere vellet, ne impediretur auſpiciis, lecticâ opertâ facere ſe iter ſolere.* Hoc verò obiter reuocat in mentem, quod Hecatæus apud Euſebium narrat, ſe iter ad mare Erythræum faciente, cùm tota multitudo ad nutum Auguris auem obſeruantis conſtitiſſet, ac Moſomachus Iudæus cauſam requiſiiſſet, augúrque reſpondiſſet:

Margin notes: *Plut. in Symp.* — *Id. in Pericle.* — *2. De diui.* — *9. Præp. 2.*

(De Diuinatione.) diſſet: *Si auis quidem ibi conſtaret, expedire, vt omnes eo in loco hærerent; ſin progrederetur, pergerent; ſin reuolaret, regrederentur*; cùm Iudæum nihil cunctatum auem ſagittâ confixiſſe; Auguréque, & aliis indignantibus, excepiſſe, *Quid deliratis miſeri?* & volucri in manus ſumptâ: *Iſthæc ne*, inquit, *quæ ſuæ ſaluti prouidere potis non fuit, ſuum aliquid de ſuſcepto à nobis itinere prænuntiare potuit?* Quamquam, ne in his immorer, obſeruandum eſt potiùs, duo quædam eſſe fundamenta præcipua, quibus inſinuatum iam eſt huiuſmodi arteis haberi innixas: Vnum, Experientiam, quæ omni ratiocinio præhabenda ſit, cùm nulla eſſe vera ratio, cui experientia refragetur, poſſit. Alterum Prouidentiam, quâ par eſſe ducunt, vt cùm noſtrâ interſit futura prænoſſe, ea diuinitùs præſignificentur.

Verùm, quod ſpectat ad Experientiam; ſi ea quidem conſtans deprehenderetur, nulla profectò foret ratio, quæ concedere illi non deberet: At quàm ſæpè quæſo oppoſita illis, quæ prædicuntur, eueniunt? Nemini certè (Cic. ibid.) attendenti, non licet ſimilia illi dicere; *Flaminius non paruit auſpiciis; itaque periit cum exercitu: At anno pòſt Paulus paruit: num minùs cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu?* Et rurſùs; *Quid ego Haruſpicum reſponſa commemorem? Poſſum equidem innumerabilia, quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios. Hoc ciuili bello, Dij immortales! quàm multa luſerunt! Quæ nobis, &c. vides tamen omnia ferè, contrà ac dicta ſunt, eueniſſe.* Ita Cicero, quem videtur (De Idol. van.) imitatus B. Cyprianus, dum *Regulus*, inquit, *auſpicia ſeruauit, & captus eſt: & Mancinus Religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt: & pullos edaceis Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt. C. Cæſar, ne ante brumam in Africam nauigia tranſmitteret auguriis, & auſpiciis retinentibus* (quod ex illo quoque relatum mox eſt) *ſpreuit, & eò faciliùs nauigauit, & vicit*. Et fatentur illi quidem non omnia, quæ prædicuntur, contingere: excuſántque, quòd Diuinandi Ars coniecturalis ſit; neque, quòd res interdum, ſecus ac fuerit prænuntiata, contingat, inferendum ſit, artem nullam eſſe; vt nulla non eſt Medica, nulla gubernatoria, nulla imperatoria ars, quòd aliquando euentu fruſtretur. Sed abeſt longè, vt vlla artium huiuſmodi diuinatricium, coniecturalis dici mereatur; cùm quæ Coniecturales ſunt, ad cauſas attendant, quibus poſitis, id, quod ſit probabiliter euenturum, prouideant; vnde & in illis ratiocinatio, ſeu conſultatio habet locum: hæ verò artes diuinatrices meræ ſunt Matæotechniæ, nec ea prouident, ob quæ veriſimile ſit euenire aliquid; ſed citra ratiocinium, conſultationémque, quid ſit euenturum, prædicunt. Quare & non ex eo, quòd quidpiam interdum euenit, artem eſſe concludendum eſt; ſed potiùs ex eo, quod interdum (imò & plerumque) non euenit, colligendum eſt, id quod euenit, quando euenit, caſu euenire. Scilicet, quòd (In pag. 89.) omnes huiuſmodi artes meræ ſortes ſint; & perinde ſit, ſiue vnum, ſiue alterum ex oppoſitis prædicas eſſe euenturum: cùm tam fieri poſſit, vt verax, quàm vt fallax; vt fallax, quàm vt verax vates comprobetis. Id experiri cuique eſt promptum, verùm ea eſt vulgò in nugas propenſio, vt mirum videatur, quod ab illo dicitur: *Cùm mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere ſoleamus;* (Cic. ibid.) *quomodo iſti, ſi ſomnium verum euaſit aliquod, non ex multis potiùs vni fidem derogent, quàm ex vno innumerabilia confirment?* Præmiſſum iam fuerat illud celebre: *Quis eſt, qui totum diem iaculans, non aliquando collineet? Totas nocteis dormimus, neque vlla ferè eſt, qua non ſomniemus: & miramur, aliquando id, quod ſomniamus, euadere. Quid eſt tam incertum, quàm talorum iactus? tamen nemo eſt, quin ſæpè iactans, venereum aliquando iaciat; nonnunquam etiam iterùm ac tertiùm. Num igitur, vt inepti, Veneris id fieri impulſu malumus, quàm caſu dicere? Quod ſi cæteris temporibus falſis viſis credendum non eſt; non video, quid præcipui ſomnus habeat, in quo valeant falſa pro veris.*

Quod ſpectare autem ad prouidentiam volunt, vt quæ ſunt nobis euentura, diuinitùs ſignificentur, quaſi id nobis vtile ſit; prætereo quem heic circulum, in Stoïcis Cicero notat, dum, *Si Dij ſint, eſſe Diuinationem; ſi* (Ibid.) *Diuinatio, eſſe Deos* arguunt; *Quorum neutrum*, inquit, *tam facilè, quàm tu arbitraris, conceditur. Nam & naturâ ſignificari futura ſine Deo poſſunt; &, vt ſint Dij, poteſt fieri, vt nulla ab iis Diuinatio generi humano tributa ſit*: Illud potiùs addo, Conſuluiſſe ſatis hominibus Deum, cùm illos prudentia, & ſagacitate donauit, qua ſeſe ipſos regere, & in futurum proſpicere, quantum quidem ipſis neceſſarium eſt, valeant: Dignúmque eſt conſideratione, quod apud Euſebium Diogenianus ait; *Scilicet iſtos quoque ipſos, qui artem diuinan-* (4. Præp. 1.) *di profitentur, nihil opis ad vſus vitæ quotidianos ſua ex arte accipere; ſed perinde ac cæteros partim iudicio vti ſuo, partim conſilio cæterorum*: Quod ſupereſt verò, haud iniuriâ Dicæarchus libro magno diſſeruit, *Neſcire futura, meliùs eſſe, quam ſcire*. Rem ipſi paucis perſtrinximus, cùm ſpeciatim ſuperiùs eſt in Aſtrologos diſputatum. Commemorauimus quoque illum ex Cicerone egregium locum: *Quæ vita fuiſſet Priamo, ſi ab Adoleſcentia ſciſſet, &c.* Illi iam addendum, quod ab eo docetur, Si res futuræ diuinitùs, ac in vtilitatem noſtram monſtrarentur, futurum fuiſſe, vt Deus nobiſcũ alia ratione ageret. Ecce nimirùm, cætera inter, vt ratiocinetur, de Oſtẽtis cùm loquitur: *Quæ eſt iſta à Diis profecta ſignificatio & quaſi denuntiatio calamitatum? Quid autem volunt Dij immortales, primùm ea ſignificantes, quæ ſine Interpretibus non poſſumus intelligere: deinde ea, quæ cauere nequeumus. At hoc ne homines quidem probati faciunt, vt amicis impendenteis calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo poſſint:*

In pag. 89. *Vt medici, quamquam ſæpè intelligunt; tamen nunquam agris dicunt illo morbo eos eſſe morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, cùm ad prædictionem cautio adiungitur. Quod igitur aut Oſtenta, aut eorum interpretes vel Lacedæmonios olim, vel nuper noſtros adiuuerunt? quæ ſi ſigna Deorum putanda ſunt, cur tam obſcura fuerunt? Si enim, vt intelligeremus, quid eſſet euenturum; apertè declarari oportebat; aut ne occultè quidem, ſi ea ſciri nolebant.* Ecce & vt non ſecùs, cùm agit de Somniis: *Fuit igitur*, inquit, *diuinâ beneficentiâ dignius, cùm conſuleret nobis, clariora viſa dare vigilantibus, quàm obſcuriora per ſomnium. Quod quoniam non fit: ſomnia diuina putanda non ſunt.* Pergit: *Iam verò quid opus eſt circuitione, & amfractu, vt ſit vtendum Interpretibus ſomniorum potiùs, quàm directò. Deus, ſi quidem nobis conſulebat, Hoc facito, Hoc ne feceris, diceret: idque viſum vigilanti potiùs, quàm dormienti daret. Iam verò quis dicere audeat vera omnia eſſe ſomnia? Aliquot ſomnia vera, inquit Ennius; ſed omnia non eſt neceſſe. Quæ eſt tandem iſta diſtinctio? Quæ vera, quæ falſa habet? Et, ſi vera à Deo mittuntur; falſa vnde naſcuntur? Nam, ſi ea quoque diuina, quid inconſtantius Deo? Quid inſcitius autem eſt, quam menteis mortalium falſis, & mendacibus viſis concitare? Sin vera viſa diuina ſunt; falſa autem, & inania humana: quæ eſt iſta deſignandi licentia, vt hoc Deus, hoc natura fecerit potiùs, quàm aut omnia Deus, quod negatis; aut omnia natura? quod, quoniam illud negatis, hoc neceſſariò confitendum eſt.* Statim autem: *Venit enim iam in contentionem, vtrum ſit probabilius, Deos-ne immortaleis rerum omnium præſtantiâ excellenteis, concurſare omnium mortalium, qui vbique ſunt, non modò lectos, verùm etiam grabatos; & cùm ſtertenteis aliquos viderint, obiicere his viſa quædam tortuoſa, & obſcura, quæ illi exterriti ſomnio, ad coniectorem manè deferant: An naturâ fieri, vt mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur? Vtrum Philoſophia dignius, ſagarum ſuperſtitione iſta interpretari, an explicatione naturæ? vt, ſi iam fieri poſſit coniectura vera ſomniorum, tamen iſti, qui profitentur, eam facere non poſſint: ex leuiſſimo enim, & indoctiſſimo genere conſtant.* Taceri verò heic non debet, quòd vt antè, ſic habet poſteà de ipſis Interpretibus; vt intelligas eorum coniecturas magis declarare ipſorum ingenia, quàm diuinam vim, aut naturæ conſenſum: *Curſor*, inquit, *ad Olympia proficiſci cogitans, viſus eſt in ſomnis curru quadrigarum vehi: Manè ad coniectorem: at ille, Vinces, inquit: id enim celeritas ſignificat, & vis equorum. Poſt idem ad Antiphontem; Is autem, Vincare, inquit, neceſſe eſt: An non intelligis quatuor ante te cucurriſſe? Ecce alius curſor. Atque horum ſomniorum, & talium plenus eſt Chryſippi liber, plenus Antipatri: Sed ad curſorem redeo. Ad interpretem retulit, Aquilam ſe in ſomnis viſum eſſe factum: At ille, Viciſti; iſtâ enim aui volat nulla vehementiùs. Huic eidem Antiphon, Tu verò*, inquit, *te victum eſſe non vides? iſta enim auis inſectans alias, & agitans, ſemper ipſa poſtrema eſt. Parere quædam matrona cupiens; dubitans, eſſet-ne prægnans, viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam. Ad coniectorem retulit; negauit eam, quoniam obſignata fuiſſet, concipere potuiſſe. At alter prægnantem eſſe dixit; nam inane obſignari nihil ſolere. Quæ eſt iſta ars coniectoris eludentis ingenio? An ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quidquam ſignificant, niſi acumen hominum ex ſimilitudine aliqua coniecturam modò huc, modò illuc ducentium?* Quibus id ſolùm addendum eſt, quod idem habet de factis circa Midam, Platonem, & Roſcium prædictionibus, vt paria fingi intelligantur, aut interpretum ſapere ingenium: *Atque hæc oſtentorum*, inquit, *genera mirabile nihil habent; quæ cum facta ſunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocantur: Vt illa tritici grana in os pueri Midæ congeſta; aut apes, quas dixiſti in labris Platonis pueri conſediſſe, non tam mirabilia ſunt, quàm coniecta bellè: quæ tamen vel ipſa falſa eſſe; vel illa prædicta fortuitò accidiſſe potuerunt. De ipſo Roſcio, poteſt illud quidem eſſe falſum, vt circumligatus fuerit anguis; ſed vt in cunis fuerit anguis, non tam eſt mirum, in Solonio præſertim, vbi apud focum angues nundinari ſolent. Nam quòd Haruſpices reſponderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore; miror Deos immortaleis hiſtrioni futuro claritatem oſtendiſſe; nullam oſtendiſſe Africano.*

De Diuinatione.

Ad ipſam verò artis expertem Diuinationem quod attinet; videri imprimis fabuloſum poteſt, quod perhibetur ab Ethnicis de quibuſdam Geniis, qui non obſcurè apparuerint, familiariſque quadam affatu quidpiam futurum antè nunciârint. Et quia in ore omnium præ cæteris eſt ille Bruti Genius, qui ipſi celebrem apud Philippos cladem, ac ſimul iteratam ſui apparitionem prædixerit: ideò videtur operæ-pretium inſinuare heic paucula, quibus ea apparitio, prædictióque vocetur in dubium. Primum itaque, nota cùm ſit hiſtoria; notum quoque eſt, vt factâ veſpero apparitione, cùm Brutus manè eam recitaſſet, argumentatus ad hominem Caſſius, declarare aggreſſus fuerit ex Sectæ ipſius doctrina deluſionem, ſiue oculorum, ſiue imaginationis fuiſſe, quòd putaret ſibi id ſpectrum oblatum. Ὑμέτερος οὗτος, εἶπεν, ὦ Βροῦτε, λόγος, ὡς οὐ πάντα πάσχομεν ἀληθῶς, οὐδ' ὁρῶμεν, ἀλλ' ὑγρὸν μέν τι χρῆμα, καὶ ἀπατηλὸν ἡ αἴσθησις. Ἔτι δὲ ὀξυτέρα ἡ διάνοια κινεῖν αὐτὸ καὶ μεταβάλλειν ἀπ' οὐδενὸς ὑπάρχοντος, ἐπὶ πᾶσαν ἰδέαν, κηρῷ μὲν γὰρ ἔοικεν ἡ τύπωσις. Ψυχῇ δ' ἀνθρώπου τὸ πλαττόμενον, καὶ τὸ πλάττον ἐχούσῃ, τὸ αὐτὸ ῥᾷστα ποικίλλειν αὐτήν, καὶ σχηματίζειν δι' ἑαυτῆς ὑπάρχει. Δηλοῦσι δὲ αἱ περὶ τοὺς ὕπνους τροπαὶ τῶν ὀνείρων, ἃς τρέπεται τὸ φανταστικὸν ἐξ ἀρχῆς βραχείας παντοδαπὰς καὶ πάθη, καὶ εἴδωλα γινόμενον. Κινεῖσθαι δ' ἀεὶ πέφυκεν, κίνησις δ' αὐτῷ, φαντασία τις, ἢ νόησις. Σοὶ δὲ καὶ τὸ σῶμα ταλαιπωρούμενον φύσει τὴν διάνοιαν αἰωρεῖ, καὶ παρατρέπει. Δαίμονας δ' οὔτ' εἶναι πιθανόν, &c. *Veſtra*, inquit, *ô Brute, philoſophandi ratio hæc eſt, vt nos omnibus non verè affici, neq; verè*

De Diuinatione. *omnia videre; ſed eſſe ſenſum rem lubricam, fallacémque exiſtimtis. Eſt porrò ipſa cogitatio longè adhuc comptratior ad vnum idémque mouendum, atque transformandum (tametſi in re nihil ſubſit) in omnem ſpeciem; quippè qua in mente impreſſio fit, ſimilis eſt illi, qua in ipſa fit cera. Ipſi autem humana menti habenti in ſe & quod fingitur, & quod fingit, ea ineſt vis, vt ſe ex ſeipſa facillimè variet, atque configuret. Manifeſtum vero id faciunt, qua per ſomnum fiunt inſomniorum commutationes; quibus facultas imaginatrix omnigenam affectuum, viſorúmque varietatem ſubit. Ea nèmpè ſuaptè natura comparata ad motum eſt; motuſque ipſius imaginatio eſt, & cogitatio quadam. Tibi aliunde ipſum corpus, quod naturá ærumnoſum habes, cogitationem tùm ſuſpendit, tùm ad extraordinaria deflectit. Dæmonas autem neque eſſe probabile eſt*, & quæ cætera ſunt iam recitata. Hæc autem ſaltem eò valent, vt intelligamus fuiſſe ipſi Bruto illicò, & coram eleuatam fidem. Inſinuant verò prætereà rem conſideratione dignam; nempè indolem fuiſſe ærumnoſam, ad quam ingens ſollicitudo per id tempus accedèret. Siquidem vix quicquam tùm dormiebat Brutus (inſtante quippè grandi prælio) vti à Plutarcho obſeruatum eſt. Obuerſabatur ſcilicet menti, quo in diſcrimine Reſpublica foret; recordabatur, quàm infelix in pari cauſa fuiſſet Pompeius. Meditabatur ecquidnam ſibi capiendum foret conſilij, ſuccedentibus malè rebus. Iſta, inquam, & alia id genus animo voluebat; & nocte quidem iam profundâ, ſilentibus caſtris, exſtinctis penè luminibus, ipſe per ſe cogitabundus, ac ſaltem ſemi ſomnians. Quocirca & mirum non fuit, ſi cladibus, & infortuniis ſeſe continuò in animum illius ingerentibus, viſus ſibi fuerit videre, atque audire malum Genium: ipſe præſertim, qui malos, bonoſque ex ſuæ ſectæ placitis dari Dæmonas perſuaſum habebat. Deinde quòd ſomniauerit, tria quædam argumenta ſunt. Vnum, quod ex pueris ſuis requiſierit, audiuiſſént-ne aliquid? Quippe non habebat ſibi ipſi fidem; ſed ſubdubitabat, num illud vigilanti ſibi, an dormienti potiùs contigiſſet. Alterum, quòd pueri ſe nihil nec vidiſſe, nec audiiſſe reſponderint. Debuerant enim, niſi vidère horrendam illam imaginem; niſi audire illam eius vocem, *Tuus, ô Brute, malus Genius ſum: in Philippis me videbis* (nempè & Minerua ab
1. Iliad. Homero inducitur οἴῳ φαινομένη, *Soli viſa* Achilli) at ſaltem audire ipſius-met Bruti, vt quæ hominis fuiſſet, interrogationem; *Ecquis tu Deorum, aut hominum es? Ecquid tibi vis, qui ad nos veniſti?* ac verbum illud, quod intrepidè effato Spectro ſubiecit, *Videbo.* Tertium, quod memoret Plutarchus, ſedatum fuiſſe Bruti animum, poſtquam perorantem Caſſium exaudiuit. Nempè, quia potuit ex illius ratiocinio cognoſcere, fuiſſe rem totam merum inſomnium. Ad hæc notatu dignum videtur, non aſſerere Plutarchum hiſtoriam illam excerptam fuiſſe ex probatis authoribus; In pag. 89.
ſed (quaſi fidem liberaret) ex rumore diſſeminato, incboare illam verbo Dicunt. Notum eſt verò, vt ille rumor, propter conſequutum Bruti infortunium potuerit increbreſcere; cùm experientia ſatis teſtetur nullum eſſe inſignem caſum, quem vel præceſſiſſe, vel ſequuta fuiſſe prodigia multa non memorentur. Quin-etiam, loquens idem Plutarchus de poſtrema in Philippis nocte: *Dicunt*, inquit, *tertiam illam imaginem apparuiſſe Bruto, quæ eádem facie exhibita, nihil dixerit, ſed mox euanuerit.* Ac, vt intelligas Plutarchum non ſatis probaſſe; citat ecce Pub. Volumnium, virum Philoſophum, qui cùm ab initio Bruto commilitaſſet, cætera quidem multa recitârit; verùm de hac apparitione nihil retulerit. Prætereo eadem dici poſſe de Spectro illo celebri, quod Dioni memorant viſum. Apparuiſſe enim ipſi legitur, cùm & ſumma rerum Syracuſanarum penes ipſum eſſet; & diſcrimen immineret, ob expulſum recens tyrannum; & iam aduesperaſceret; & lumen abeſſet; & ipſe ſolus intra cubiculum cogitabundus ſederet; & is eſſet, qui ſæpè ſæpiùs Socratem de Genio, Dæmonéve ſuo verba facientem inaudiiſſet.

Heic porrò, quia erit procliue rogare, quid-nam de hoc quoque Socratis Genio, Dæmonióve ſentiendum ſit; verum quidem eſt Socratem plurima paſſim de eo dixiſſe; ſed nimirùm, cùm Socrates in præceptis morum totus verſaretur, artificio hoc vti potuit, quò maius pondus argumentis ſalutaribus adderetur. Siquidem ſatis notum eſt, quantum authoritatis habeat, quiſquis ex afflatu diuino monita dare creditur. Ac ne putes illum falſa perſuaſione prodeſſe noluiſſe; ecce Plato- 12. Præp.
nem carpit Euſebius, quòd è re eſſe putet, ſi quid hac ratione ad iuuenum vtilitatem faciat, proferre. Hoc autem loco vel vnus Theages argumento eſt, quantum Socrates ſe exinde & profeciſſe, & profuiſſe gloriaretur. Hinc licet tam Plutarchus, quàm Apuleius, qui tractatus de iſto Genio conſcripsêre integros, conſpirare in id videantur, vt verum fuiſſe Dæmonem credant, qui propter purgatiſſimam, quietiſſimámque Socratis mentem, conuerſatus illi ab ineunte æuo fuerit; Nihil eſt tamen, quod conuincat ipſum fuiſſe aliud, quàm Solertiam, ſagacitatem, rationem, prudentiam animo ingenitam; ac deinde meditatione, exercitationéque Philoſophica excultam, quæ velut rectum quoddam Dictamen, Socratem admonuerit. Suadet IMPRIMIS, quod Socrates nunquam dixerit ſe vidiſſe quicquam dæmonium, vt apud Plutarchum obſeruare licet, ſed ſolum In Apol. &c.
Vocem dæmoniam, vt quoddam ſignum, In Apol.
percepiſſe: *Quam quidem vocem*, inquit apud Xenophontem, *Dæmonium appello multò rectius, quàm ij, qui Deorum vim, poteſtatémque auibus tribuunt.* Quin-etiam memorat Plutarchus carpſiſſe

Digitized by Google

In pag. 89. *De dæm. Socr.* carpſiſſe Socratem tanquam arroganteis, illos qui ſibi viſum quodpiam dininum oblatum fuiſſe dicerent. Nempè hoc innuit Socratem nihil habuiſſe aliud, quàm perfectiſſimam rationem, quæ quòd præclarè coniectaretur, dictaret ipſi quid futurum ex rationabili cauſa foret. Ratio enim nobis velut in- *Virgil. Vett.* ſuſurrat, & vt illi dicunt, *aurem vellicat*, & *ſecretam in aurem gannit*, ecquid vel ſperandum, vel timendum ſit. Vnde & ſæpè dicimus, *Neſcio quid mihi obmurmurat*, &, *Audire mihi vocem videor, quæ hoc diſſuadeat, &c.* DEINDE, quod eiuſmodi Vox nunquam adhortata fuerit Socratem, vt aliquid aggrederetur, ſed ſemper ne quid ageret. Adeò vt *illi ſemper paruerit, nunquam impellenti, ſæpè* *In Apol. & al. 4. Memorab. 1. De diuin.* *reuocanti*. Ita & Plato, & Xenophon, & deinceps Cicero quoque; Ex quo, vt vnum, alterúmve exemplum attingam: *Scriptum eſt*, inquit, *cùm Critonis ſui familiaris oculum obligatum vidiſſet, quæſiuiſſe, quid eſſet: cum autem ille reſpondiſſet, in agro ambulanti ramulum adductum, vt remiſſus eſſet, oculum reiidiſſe; tùm Socratem: Non enim paruiſti mihi reuocanti, cùm vterer, qua ſoleo, præſagitione diuina. Idem etiam Socrates, cùm apud Delium malè pugnatum eſſet, Lachete prætore, fugerétque cùm ipſo Lachete; vt ventum eſt in triuium eâdem quâ cæteri, fugere noluit. Quibus quærentibus, cur non eâdem viâ pergeret, deterreri ſe à Deo dixit. Tùm quidem ij, qui aliâ viâ fugerant in hoſtium equitatum inciderunt.* Hoc autem eò ſpectat, vt intelligamus fuiſſe in Socrate non pluſquàm humanam, ſed Socrate tamen dignam epochen; ob cuius defectum obſeruare liceat ſequi pœnitentiam ſæpe-numerò, non tam ob id, quod tacuerimus, hæſerimus, non egerimus; quàm ob id, quod dixerimus, aſſeruerimus, patrauerimus. Quis verò idem non colligat, ex *In Apolog.* eo, quòd ſe Socrates excuſet apud Iudices, quod Genij hortatu à publicæ rei adminiſtratione abſtinuerit; ob pericula illis impendentia, qui acceſſerint ad Rempublicam: Item- *In Theæt.* que, quòd Deo cogente obſtetricatus quidem fuerit, ſed prohibente, nihil genuerit; ob errandi periculum, in quod incidunt, qui dogmata tradunt? AD-HÆC, quod Simmias *Loc. cit.* apud Plutarchum, memoret ſe ex Socrate quæſiiſſe curioſiùs, qualis hic foret Genius: & addat, ſe ex Socrate reſponſi nihil accepiſſe. Nimirùm hoc digito monſtrat, noluiſſe quidem Socratem mentiri, aſſeuerando ſibi Genium ſeparatum adſiſtere; at noluiſſe tamen loquendo negare, ne ſalutaria conſilia robur, & gratiam amitterent. Neque enim ipſi deinceps illi fidiſſent tantopere, qui præ- *In Theag.* dictas Charondæ Timarcho, & aliis cladeis, humanâ ſolùm ſapientiâ prouiſas opinati fuiſſent. RVRSVS, quòd Timarchus ille, qui *Loc. cit.* apud eundem Plutarchum in Trophonij antrum deſcendit, ſciſcitaturus de veritate Genij huius Socratici, nihil probabilius accepiſſe inducatur, quàm quòd huiuſcemodi Genij ſint portiones animæ noſtræ, non perinde, *De Diuinatione.* vt cæteræ depreſſæ in corpus; ſed quæ ipſum caput veluti circumſtent. Videlicet hoc indicat Genium Socratis nihil aliud fuiſſe, quàm *Ibid.* τὸ ἡγεμονικὸν, *principem illam facultatem*, quæ ſobrio vitæ genere, & ſapientiæ ſtudio pura ſeruaretur. DENIQVE, quod Apuleius eò tandem deueniat, vt Socratis imitatione non extraneum quendam Genium, ſed animum ipſum colere perſuadeat. *Et nihil æquè miror*, inquit, *quam cùm omnes & cupiant optimè viuere, & ſciant non alia re viui, quàm animo; nec fieri poſſe, quin, vt optimè viuas, animus colendus ſit; tamen homines animum ſuum non colant. Nec aliud te in Vlyſſe Homerus docet, qui ſemper ei comitem voluit eſſe Prudentiam, quam poëtico ritu Mineruam nuncupauit. Igitur hac eadem comitante, omnia horrenda ſubiit, omnia aduerſa ſuperauit. Quippe ea adiutrice Cyclopis ſpecus introiit, ſed egreſſus eſt. Solis boues vidit, ſed abſtinuit, &c.* An non videtur heic Apuleius imitatus Xenocratem, qui auditor, & ſucceſſor Platonis, noſſe eius mentem, & Socratis potuit; &, Ariſtotele *2. Top. 6.* tamen teſte, dixit εὐδαίμονα, *felicem eum, cui obtigiſſet bona anima*; adiiciens ταύτην ἑκάστῳ εἶναι δαίμονα, *hanc vnicuique Dæmonem eſſe*? Quid, quod ipſemet quoque Plato apud Clementem Ale- *2 Strom.* xandrinum docuit τὴν εὐδαιμονίαν, *felicitatem*, nihil aliud eſſe, quã τὸ εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν, *habere Dæmonem benè affectum*; Δαίμονα δὲ λέγεσθαι τὸ τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικὸν, *Dæmonem verò Animæ noſtræ partem principem appellari.* Citarem in eandem ſententiam Tyrium Maximum, cùm adiri oracula proprio conſilio ſpreto non vult; ſed ex Græcis quidem id præterea ſufficiat, quod Aphrodiſæus aliquoties habet, dum, Ἦθος, *De Fato. c. 4. & 2. de an. vlt.* inquit, ἀνθρώπων δαίμων, κατὰ τὸν Ἡράκλειτον, τουτέστι φύσις, *Hominum Dæmon, iuxta Heraclitum, Indoles, ſeu Natura eſt.* Ex Græcis dico: Nam ex Latinis citare Ciceronem licet, quatenus *3 Offic.* eius verba ſunt: *Cùm verò iurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem, id eſt, Mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius*: Præſertim autem Senecam, dum, *Iubeo*, inquit, *te habere bonam Mentem*, *Epi. 110.* *hoc eſt, propitios Deos omneis; quos habet placatos, & fauentes, quiſquis ſibi ſe propitiauit. Sepone in præſentia, quæ quibuſdam placent, vnicuique noſtrum Pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ouidius ait, De Plebe Deos (ita tamen ſeponas volo, vt memineris maiores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: ſingulis enim & Genium, & Iunonem dederunt) Poſteà videbimus, an tantum Diis vacet, vt priuatorum negotia procurent: interim illud ſcito, ſiue aſſignati ſumus, ſiue neglecti, & fortunæ dati; nulli te poſſe imprecari quicquam grauius, quàm ſi imprecatus fueris, vt ſe habeat iratum.*

Ad Animi conciliationem ex ſeipſo quod attinet, id prætereo, quod ipſum Dei, Mundanæ-ve Animæ eſſe particulam ſupponunt.

 Nempè

De Diuinatione. Nempè ideò volunt eſſe Animum ſua ex natura omniſcium, quòd eiuſdem ſit naturæ cum Deo, aut ipſa certè Anima Mundi, quæ, quod vbique præſens ſit, nihil ſit rerum, quod ignoret. Nam & quamvis non adhuc præſens futuris ipſis rebus ſit, præſens eſt tamen earum cauſis, niſi proximis, at ſaltem remotis, quæ continuata ſerie, colligantur cum proximis; ſicque, *Vt in ſeminibus* (quæ
1. De diuin. Ciceronis verba ſunt) *vis ineſt earum rerum, quæ ex iis progignuntur; ſic in cauſis ſunt condita res futuræ.* Cúmque animus in corpus immerſus, & quaſi epoto in ipſa immerſione, lethæo poculo, non perinde omnia, ac ipſamet, cuius pars eſt, Anima Mundana, peruideat; peruidere tamen eum poſſe tuentur, Aut vi morbi ſic concitatum, vt emerſionem quaſi moliatur; quo modo *Ariſtoteles*, inquit Cicero, *eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens, atque diuinum.* Aut ſi ratione aliquà placidiore ſe quaſi abducat, auocétque à corpore, quod quidem per ſomnum potiſſimùm fit; cùm enim, vt longè, quàm per vigiliam ſolutior, faciliùs, clariúſque diuinat, & appropinquante etiam morte, cùm iam à corpore ſolui incipit, *multò eſt*, vt ille loquitur, *diuinior.* Prolixus eſt locus,
Ibid. quem ex Socrate in Platonis Politia refert Cicero ſub perſona Fratris, de diuinatione per ſomnum; ac deinceps, *Iubet igitur Plato*, inquit, *ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit, quod errorem animis, perturbationémque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne fabis veſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quærentis vera, contrariam. Cùm ergo eſt ſomno ſeuocatus animus à ſocietate, & contagione corporis, tùm meminit præteritorum, præſentia cernit, futura prouidet: iacet enim corpus dormientis, vt mortui; viget autem, & viuit animus.* Pertinet huc proinde id, quod habetur poſtmodùm, dum hanc quoque diuinationem referendam dicit ad naturam Deorum: *A qua*, inquit, *vt doctiſſimis, ſapientiſſimiſque placuit, hauſtos animos, & delibatos habemus; cúmque omnia completa ſint, & referta æterno ſenſu, & mente diuina, neceſſe eſt cognatione diuinorum animorum animos humanos commoueri. Sed vigilantes animi vitæ neceſſitatibus ſeruiunt, diſiungúntque ſe à ſocietate diuina, vinclis corporis impediti. Rarum eſt autem quoddam genus eorum, qui ſe à corpore auocent, & ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, ſtudióque rapiantur.* Pertinet quin-etiam, quod Cicero ipſe; dum *Similis*, inquit, *eſt error in ſomniis; quorum quidem defenſio repetita quàm longè eſt? Diuinos animos cenſent eſſe noſtros, eoſque eſſe tractos extrinſecùs, animorúmque conſentientium multitudine completum eſſe Mundum. Hac igitur mentis, & ipſius diuinitate, & coniunctione cum externis mentibus, cerni quæ ſint futura.* Iſtud, inquam, de animi ex ſeipſo concitatione prætereo; quoniam fabula mera eſt, tùm quod animi ſupponuntur hauſtus eſſe, & partes quædam diuinæ Subſtantiæ, aut Mundanæ animæ, vt ex ſupra-dictis intelligitur; tùm quòd aliquid ſiue per furorem, morbúmque melancholicum, ſiue per ſomnum diuinetur. *In pag. 89.* Quippe merus caſus cùm ſit, quòd interdum quidpiam hac ratione prædictum contingat; neque id magis ſit mirum habendum, quàm ſi quis totum iaculans diem, quod iam diximus, aliquando collineet, & qui in talorum luſu ſæpè iactat, Venereum aliquando iaciat. Quod enim aliuqnin futura in ſuis cauſis proſpici, ob illarum ſeriem, concatenationémque valeant; id ſoli Deo, qui condidit, diſpoſuítque omnia, concedendum eſt, omnémque aliam ſagacitatem, perſpicacitatémque longè ſuperat, vt quæ ex hominum arbitrio, caſibuſque innumeris dependent, prouideri poſſint. Quamquam & exempla, quæ ad rem confirmandam in ore eſſe omnium ſolent, quale eſt illud de interfecto à Caupone Megaris, aliudque de Simonide, qui ab eo, quem humauerat, nauigare vetitus eſt; & quæ id genus cætera ſunt, quid-ni cenſeri conficta poſſint? Ecquis enim ipſorum Author; aut penes quem ſtat, à quo primùm deducta ſit enarratorum indubia fides? Porrò illud quoque, vt affine prætereo, quod de furore diuinitùs, ſpeciatimque immiſſo aliquibus percrebuit; vt Remigi illi Coponianæ claſſis, qui vaticinatus fuerit, madefactum iri minus triginta diebus Græciam ſanguine, rapinas Dirrachij, & conſcenſionem in naueis cum fuga, &c. Vno enim verbo valet generatim, quod de hoc ſpeciatim exemplo habet Cicero, qui ea in claſſe nauigauit. Ille nimirum ad Fratrem ſic: *Quid? inquies, remex ille de claſſe Coponij, nonne ea prædixit, quæ facta ſunt? Ille verò & ea quidem, quæ omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus. Caſtra enim in Theſſalia caſtris collata audiebamus; videbatúrque nobis exercitus Cæſaris & audaciæ plus habere; quippè qui patriæ bellum intuliſſet; & roboris, propter vetuſtatem. Caſum autem prælij nemo noſtrûm erat, quin timeret; ſed ita, vt conſtantibus hominibus par erat, non apertè. Ille autem Græcus quid mirum, ſi magnitudine timoris, vt plerumque fit, à conſtantia, atque à mente, atque à ſe ipſe diſceſſit? qua perturbatione animi, quæ, ſanus cùm eſſet, timebat, ne euenirent, ea demens euentura eſſe dicebat. Vtrum tandem, per Deos, atque homines, magis veriſimile eſt, vesanum remigem, an aliquem noſtrûm, qui ibi tùm eramus, M. Catonem, Varronem, Coponium ipſum, conſilia Deorum immortalium perſpicere potuiſſe.* Reuocant in mentem poſtrema hæc verba, Ariſtotelea illa de *Cap. 5.* diuinatione per ſomnum, *Eſſe Deum, qui immittat ſomnia, cùm propter alia, tùm propter hoc ſpeciatim ſubabſurdum eſt, quòd non optimis, ſapientiſſimiſque, ſed vilibus iſtis, plebeiſque immittat.*

Cæteris itaque prætermiſſis, attingere heic

quidpiam

Digitized by Google

In pag. 89. quidpiam ſufficit de Oraculis, vaticiniiſve, quæ fuiſſe reddita perhibentur à Sibyllis & vatibus diuino furore correptis. Triti ſunt Virgiliani verſus, quibus huiuſmodi exprimitur furor:

6. Æneid. *Ante fores ſubitò non vultus, non color vnus,*
Non comptæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiórque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei.

Et,

——Immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Vt taceam autem talem furorem videri Numine indignum, ac non eſſe nequicquam illud Ciceronis: *Quid habet authoritatis furor iſte, quem diuinum vocatis, vt quæ ſapiens non videat, ea videat inſanus; & is, qui humanos ſenſus amiſerit, diuinos aſſequutus ſit:* adnoto ſolùm capita pauca, quibus vanitatis rei admoneamur. Vnum eſt, adfectatio illa edendi oracula, non proſâ, ſed carmine. Retulimus iam, vt Epicurei ea deriderent carmina, tanquam inepta, Deóque indigna: Vide quid Cicero de eiſdem: *Sibyllæ*, inquit, *verſus obſeruamus, quos illa furens fudiſſe dicitur: Quorum interpres nuper falſa quædam hominum famâ dicturus in ſenatu putabatur, eum, quem reuerâ regem habebamus, appellandum quoque eſſe regem; ſi ſalui eſſe vellemus. Hoc, ſi eſt in libris, in quem hominem, & in quod tempus eſt? Callidè enim qui illa compoſuit, perfecit, vt quodcumque accidiſſet, prædictum videretur, hominum, & temporum definitione ſublatâ. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, vt iidem verſus aliàs in aliam rem poſſe accommodari viderentur. Non eſſe autem illud carmen furentis, cùm ipſum poema declarat (eſt enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis, & motus) tùm verò ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur, vt in quibuſdam Ennianis Q. Ennius fecit. Id certè magis eſt attenti animi, quàm furentis. Atque in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc ſcriptoris eſt adhibentis diligentiam, non furentis, non inſani.* Alterum, illa Amphibologia, qua reddebantur oracula: ſcilicet quaſi illa ſapiat calliditatem non pluſquàm humanam. Addi etiam poſſet plurima ex illis, quæ celeberrima habentur, eſſe penitùs commentitia. Certè, cùm præ aliis percrebuerint illa,

Crœſus Halim penetrãs magnã peruertet opũ vim;

Et,

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Cicero docet, prius illud nunquam fuiſſe Crœſo editum, & tam ab Herodoto potuiſſe, quàm iſtud poſterius ab Ennio confingi. Cæterùm autem hoc confictum, & nunquam Pyrrho editum probat: *Quia primùm*, inquit, *Latinè Apollo nunquam loquutus eſt. Deinde, iſta ſors inaudita Græcis eſt. Præterea Pyrrhi temporibus iam Apollo verſus facere deſierat. Poſtremo, quamquam ſemper fuit, vt apud Ennium eſt, ſtolidum genus Æacidarum,* De diuinatione.

Bellipotentes ſunt magi' quàm ſapientipotentes;

Tamen hanc amphiboliam verſus intelligere potuiſſet, vincere te Romanos, nihilo magis in ſe, quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quæ Crœſum decepit, vel Chryſippum potuiſſet fallere; hæc verò ne Epicurum quidem. Tertium, Impoſtura, fusè recitata vel apud vnum Euſebium, qui & exinde probat Oracula fuiſſe non à Diis, aut Dæmonibus edita; ſed à veteratoribus, præſtigiatoribúſque calliditate inſigni contexta. Copioſè quoque declarat Lucianus, vt ipſemet detexerit totum id artificium, quo Pſeudomantis Alexander magnum ſibi nomen comparabat in edendis oraculis: adiiciens illum & Chriſtianos, & Epicureos odio proſequutum, quod ea improbarent, atque deriderent. In Pſeud. Sed præſtat ex ipſo Euſebio totum negotium retegere; etſi pauca quædam omiſit, quæ à Luciano ſunt obſeruata; vt ſigillorum imitationem, poſt reſeratas ſchedulas (quam debuerant non peruidiſſe Epicurei illi, quos ſuppudiſſe ſcribit Plutarchus apud præfectum Ciliciæ, cùm De orac. def. Mopſi oraculo reſpondente *Nigrum*, aperta tabula oſtendit quæſtionem hoc modo propoſitam fuiſſe, *Vtrum-nam tibi; album ne, an nigrum immolabo taurum?*) Itaque Euſebius reuelans vatum impoſturas, ſic habet: *Miniſtros habent ſuarum artium circumcurſantes, ne ſedulò inueſtigantes ab aduenis, quid quiſque egens petiturus veniat. Habent & multa adyta in templis, occultáque penetralia multitudini inacceſſa; cùm & tenebræ ipſis ſeſe ſupponentibus non parum inſeruiant; & præconcepta opinio, & accedentium ſuperſtitio; & maiorum authoritas ad hoc plurimum conferat. Adde hinc populi ſtoliditatem, rationiſque impotentiam, ac defectum examinis; inde verò ſolertiam, vafritiémque eorum, qui hæc callidè machinantur; dum flagitioſè, fraudulenter, ne verſutè aut res iucundas cuique promittunt; bona ſpe interim lactantes, aut etiam, &c.* 4 Præp. 1. Et poſtea, vbi ambiguitatem, cantum, barbara vocabula, aſſectatam verborum texturam, ſimiliáque enumerauit, oſtenditque quàm ſæpè oracula fuerint falſitatis conuicta; quàm malè iis ceſſerit, qui illorum hortatu ſuſceperunt bella, quam multos fefellerint, quibus & ſalutem, & vitam pollicita fuiſſent; adeò vt inde arguerentur non Dij, ſed impoſtores homines eſſe, tùm pergit: *Quid verò extraneis, & iis, qui procul aduentant, alienigenis maximas ſpes faciunt; ut eandem ſecum regionem incolentibus, non item? quibus tamen præ cæteris, tanquam familiaribus, amicis, & conciuibus propitios facere Deos oportebat? Sed nimirùm facile eſt ipſis ignaros fallaciarum ſuarum peregrinos decipere; non ita verò familiares; vtpotè ætatis non inexpertos,*

Digitized by Google

De Diuinatione. *expertos, totiúſque luſus conſcios. Ex quo patet ibi nihil eſſe diuinum, aut commentatione humana ſuperius.* Tùm poſtquàm recenſuit oracula varia, quæ defecerint, & multa templa, quæ conflagrârint, ſubiicit; *Si neque propria defenſare templa, neque ſibi ipſis in periculis auxilio eſſe mirabiles iſti oraculorum editores valeant: qui vacet aliis opitulari? Vnum verò addere lubet argumentorum omnium maximum; pleroſque huiuſmodi Vatum, Antiſtitum, Theologorum, ac Prophetarum, non ſolùm priſcis, ſed noſtris etiam temporibus diuina hac ſapientia claros, apud Romanorum tribunalia tormentis coactos, expoſuiſſe totum errorem ex hominum fraudibus natum; confitenteis rem vniuerſam nihil eſſe aliud, quàm impoſturam artificioſam; ac ſpeciatim ediſſerenteis omnem apparatum, omneiſque modos praui artificij.* Neque verò illud omittendum eſt, quòd poſtquàm Euſebius Ariſtoteleorum, Cynicorúmque meminit, ſubiungit etiam Epicureos: *Quos equidem*, inquit, *admirari ſoleo, quòd Græcorum moribus ab incunabulis innutriti; & pueri à parentibus eos, quos dixi, Deos edocti, nunquam tamen his irretiri erroribus potuerint; ſed generosè huiuſmodi decantata oracula, ac omnium concurſu celebria vaticinia mendacij coarguerint; ac eſſe non modò inutilia, verùm perniciosa quoque demonſtrarint.* Poſtremum, contemptus, in quem denique totum hoc myſterium euaſit; ex quo vſque tempore luculentiùs innotuit & memoratum artificium, & quæſtus proinde adeò impudens, ac ab ipſo Oenomao apud Euſebium obiicitur; vt quòd iuſſit Oraculum, *dimidium agri à Lacedæmoniis quæſiti Apollini tribui*; & non modò fallacia paſſim deprehenſa, ſed conſilium etiam deridiculum: *Si velit ſenex liberos procreare, ducendam illi iuniorem vxorem*, aliáque id genus ſimilia, ob quæ teſtatus eſt Cicero iis oraculis, quæ ederentur Delphis, *Nihil eſſe potuiſſe contemtius*, vt mirum non ſit, ſi iam paſſim iis temporibus oracula ceſſarent. Et conatur quidem

De orac. def. Plutarchus aperire cauſam ex eo repetitam, quod halitus ille ſubterraneus, quo Pythia ſubtus concitata, mentéque commota oracula ederet; præ veſtutate iam euanuiſſet. Verùm Cicero id præoccupans, antè iam deriſerat. Nam, *de vino*, inquit, *aut ſalſamento putes loqui, quæ euaneſcunt veſtutate? De vi loci heic agitur, neque ſolùm naturali, ſed etiam diuina; quæ, quo tandem modo euanuit? Veſtutate, inquies. Quæ vetuſtas eſt, quæ vim diuinam conficere poſſit? Quid tam diuinum, quàm afflatus ex terra mentem ita mouens, vt eam prouidam rerum futurarum efficiat? vt ea non modò cernat antè, ſed etiam numero, verſúque pronunciet? An poſtquàm homines minùs creduli eſſe cœperunt? Demoſthenes quidem, qui abhinc annos propè trecentos fuit, iam tùm φιλιππίζειν Pythiam dicebat; id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eò ſpectat, vt eam à Philippo corruptam diceret. Quo licet exiſtimare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe. Sed neſcio quomodo iſti Philoſophi ſuperſtitioſi, & penè fanatici,* In pag. 89. *quidvis malle videntur, quàm ſe non ineptos? Euanuiſſe maulltis, & extinctum eſſe id, quod ſi vnquam fuiſſet, certè æternum eſſet, quàm ea, quæ non ſunt credenda, non credere.* Sed de hoc argumento ſatis.

QVI A CYRENAICIS DIFFERAT Epicurus.

℣. 1. Διαφέρει δὲ πρὸς τοὺς Κυρηναϊκούς. Aliud Pag. 90 hoc eſt Caput quod Laërtius adhibet ad declarandum diſcrimen, quo Epicurus ab Ariſtippo, Cyrenaiciſque illius Sectatoribus circa opinionem de Voluptate differt. Lego autem ℣. 4. ἀμφοτέρας, pro ἀμφότερα, quòd phraſis ſit planior, & vox manifeſtè referatur ad Voluptates, καταστηματικὴν, καὶ ἐν κινήσει, mox nominatas. Lego etiam ℣. 9. φιλοσόφους pro φίλους, quæ vox fieri ac retineri ex ipſa ſcripturæ abbreuiatione potuit; cùm alioquin inſcriptio πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους, non modò apud Empiricum, ſed etiam ſuperius apud Laërtium ipſum habeatur.

Cùm ſit verò duplex diſcrimen, quod Laërtius adnotat; Prius eſt de ipſa Voluptatis voce, qua Epicurus donandam cenſet non eam modò, quæ eſt, ſpectatúrve eſſe ἐν κινήσει *in motu*, conſiſtítque adeò in ſuaui motione, qua ſenſus iucundè, dulcitérque afficitur; verùm eam quoque, quam καταστηματικὴν, *ſtantem, ſtabilem*, ſeu mavis, in ſtatu, in ſtabilitate, in quiete *conſtitutam* dicit, qualémque ἀταραξίαν, & ἀπονίαν, *Tranquillitatem, & Indolentiam* ſe intelligere profitetur: Ariſtippus autem donandam tuetur ſolam illam, quæ eſt in motu, nullo verò modo eam, quæ in ſtatu, quamque deridens, nihil aliud, quàm *dormientis, aut mortui eſſe conſtitutionem* ait: Nempè cùm 2 Strom. 7. Epicurus quoque (vt habetur infrà inter Ratas ſententias, & apud Clementem, vbi hoc diſcrimen attingitur) voluptatem hanc, etiam ſummam ὑπεξαίρεσιν, *amotionem, ablationem*, &c. vt Cicero etiam interpretatur; *Priuationem*, vocet. Porrò, quia de hoc argumento actum copioſè iam antè eſt; idcirco non eſt, cur heic retractetur; & maximè quidem, cùm ad Ciceronem Ariſtippi parteis hac occaſione defendentem ita reſponderimus, vt non modò eam, quæ de voce eſt, controuerſiam diſcuſſerimus; verùm eam quoque, quæ ad rem ſpectat. Scilicet ad ipſum de voce diſcrimen complura alia conſequuntur; vt, Quòd Epicurus Finem beatæ vitæ, ſeu felicitatem, in Voluptate, quæ in ſtatu eſt, conſtituerit; Ariſtippus, in ea, quæ in motu. Quòd Epicurus in ea præſertim, quæ eſt animi: Ariſtip- 1. Hyp. 31. pus in ea quæ eſt corporis, λεία τῆς σαρκὸς κίνησις, *ſuauis corporis motio*, vt declarat Empiricus, docens in eo quoque eſſe Cyrenaicorum, Pyrrhoneorúmque diſcrimen. Quòd Epicurus voluptati & præteritorum bonorum memoriam, & futurorum expectationem accenſuerit:

In pag. 90. fuerit: Ariſtippus cenſuerit οὐδὲ κατὰ μνήμην τῶν ἀγαθῶν, ἢ προσδοκίαν, ἡδονὴν ἀποτελεῖσθαι, ὅπερ ἤρεσεν Ἐπικούρῳ, *Voluptatem, neque ex bonorum præteritorum memoria, neque ex futurorum exſpectatione creari; vt Epicuro tamen placuit;* Lib. 2. Quæ Laërtij verba ſunt, ſuperiùs quoque recitata. Cùm de iſtis verò, & affinibus ſit ſatis, ſupérque antè diſputatum; duo ſolùm quædam attingenda heic reſtant. VNVM, Lib. 12. cùm Athenæus ait, non Ariſtippum ſolùm, eiuſque ſectatores, ſed Epicurum etiam, & qui ab eo ſtant, voluptatem amplecti τὴν κατὰ 2. De fin. κίνησιν, *quæ in motione eſt*; Et Cicero inter vtroſque id ſolum ponit diſcriminis, quòd, cùm iuxta vtroſque optabile ſit, in Voluptate maxima, nullo interuallo interiecto, dies, nocteiſque verſari (dum nempè omnes ſenſus dulcedine omni quaſi perfuſi mouentur) hoc Epicurei ſolùm verecundiùs, Cyrenaici autem conſtantius defendant: cùm illi, inquam, hæc efferunt, rem ad eam ſpectare calumniam, qua effectum eſt temporis progreſſu, vt Epicurus non modò fuerit creditus eſſe in eadem cum Ariſtippo ſententia; ſed Ariſtippo etiam relicto, veluti inculpabili, ipſe ſolus ſubierit huiuſcemodi ſententiæ infamiam. Quæ ad ipſum quidem Ariſtippum vt referatur, non alio ſanè, quàm ipſo eodem Athenæo Authore eſt opus. *Nam Ariſtippus*, inquit, *amplexus Voluptatis ſenſum* τὴν ἡδυπάθειαν, *eſſe eum finem, ac in eo eſſe felicitatem ſtatuit, ipſamque vnicam durabilem dixit; id nempè, quod quivis profligatorum diceret. Neque verò aut præteritarum fruitionum recordationem, aut futurarum exſpectationem quicquam faciendam cenſuit; ſed in eo ſolo, quod præſens ſit, eſſe bonum conſtituit; quippè & percepiſſe, & percepturum eſſe voluptatem, pro nihilo habuit: illam quidem, quod ampliùs non ſit; iſtam verò, quòd nondum conſtet. Prorſus, nihil ab iis differens, qui diffluentes mollitie, nihil, niſi quod præſens ſit, afferre oblectationem putant. Conſentiens autem fuit eius dogmati genus vitæ, quam nempè traduxit in omni luxu, ac in mediis vnguentorum, veſtium, mulierúmque deliciis.* Quæſo verò in Epicuro, quàm fuit, vt dogma, ita genus vitæ diuerſum; ſuis vt locis probatum eſt? Nam & quamvis multa ipſi obiecta fuerint; attamen tùm multi, tùm magni non defuêre viri, qui eſſe calumnias oſtenderint: cùm de Ariſtippo omnes ad vnum, talem eum fuiſſe, qualem Athenæus deſcribit, conſentiant. Ipſemet quin etiam, cùm deliciæ ac ſumptus in eas facti exprobrarentur, nihil minùs, quàm diſſimulauit, ſed ſolùm Apophthegmate, acutóve dicto excepit: *Laidem habeo; non ab illa habeor*; ἔχω, ἀλλ᾽ οὐκ ἔχομαι. *Sumptuosè viuo: ut ſi id foret nefas, in feſtis Deorum non fieret. Perdicem emo quinquaginta drachmis* (ſeu libris Turonicis noſtratibus ſexdecim) *quam tu ne quidem obolo* (ſeu denariis turonicis quindecim) *non emeres: tanti mihi ſunt quinquaginta drachmæ, quanti obolus tibi eſt. Obſonium ego comparo magni, quod tu ne tribus obolis quidem; Igitur non ego tam voluptatis ſum, quàm tu pecuniæ ſtudioſus es*; & alia id genus complura. Qui Epicurus à Cyrenaicis differat.

Epiſt. 57. ALTERVM, cùm Seneca hoc habet: *Itaque Indolentiam nunquam bonum dicam; habet illam cicada, habet pulex. Ne quietem quidem, & moleſtia vacare, bonum dicam. Quid eſt otioſius verme?* id non poſſe, neque debere ad indolentiam, aut voluptatem, quæ eſt ab Epicuro in ſtatu, quietéve conſtituta, referri: quando ille hoc nomine non ſtatum inertem, aut quietem, otiúmve, quale eſt cicadæ, vermíſve, intellexit; ſed omnino quale ex ipſomet Seneca ſuo iam loco retulimus; cùm nimirùm, cætera inter: *Quid ergo eſt*, inquit, *quare tale otium non conueniat bono viro, per quod futura ſæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, ſed apud omneis omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt.* Et de Epicuro ſpeciatim loquens: *Nec ille tertius*, inquit, *de quo malè exiſtimare conſueuimus, voluptatem inertem putat; ſed eam, quam ratione efficit firmum ſibi.* Quippè, quaſi eam eſſe dicat, quam Ariſtoteles ex vita contemplatiua percipi dicit; Neque enim contemplationem, aut ſtatum quietum, quo illi vacatur, inertiam dicere par eſt; cùm contemplatio potiùs ſit actio, qua ſolâ Deus beatus eſt; dicente videlicet illo, *Non omnem actionem in motu, ſed in quiete quoque eſſe aliquam, ut voluptatem,* ἐν ἠρεμίᾳ μᾶλλον, ἢ ἐν κινήσει, *in quiete magis, quàm in actione conſiſtere.* Quo etiam nomine Plotinus à viro virtutis ſtudioſo voluptates reiicit ἐν κινήσει οὔσας, *in motione poſitas*, ac eam ſolam exigit, quæ ſit κατάστασις ἥσυχος, *tranquilla conſtitutio*, amabiliſque illa animi diſpoſitio, quam emouere nihil eorum, quæ mala appellantur, poſſit. Εἰ δέ τις ἄλλο εἶδος ἡδονῆς ζητεῖ παρὰ τὸν σπουδαῖον βίον ζητεῖ, οὐ τὸν σπουδαῖον βίον ζητεῖ. *Sin autem quis aliam voluptatis ſpeciem in vita ex virtute acta exigit; is non tam vitam ex virtute actam requirit.* Spectare huc poteſt, quod Seneca habet; cùm quid ſit ſentiendum de voluptate in motu agens: *Voluptas*, inquit, *tunc, cùm maximè delectat, extinguitur; nec multum loci habet: itaque citò implet, & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. Nec id vnquam certum eſt, cuius in motu natura eſt. Ita ne poteſt quidem vlla eius eſſe ſubſtantia, quod venit, tranſitve celerrimè, in ipſo vſu periturum. Eò enim peruenit, vbi deſinat; & dum incipit, ſpectat ad finem.* Quod Plutarchus autem Epicurum arguit, quaſi pernegantem dari ſtatum medium, in quo neque voluptas, neque dolor ſit; patet hoc ad ipſam de voce quæſtionem ſpectare. Nam, ſi Plutarchus mordicùs velit, non aliam dari voluptatem, quàm Ariſtippeam, ſeu quæ ſit in motu; non pernegabit Epicurus dari ſtatum medium, in quo neque talis voluptas, neque dolor ſit. At, ſi non ſolùm citatis mox Ariſtotele, & Plotino, ſed B. etiam Chryſoſtomo ſuperiùs laudato, & aliis magnis viris volentibus, donare huiuſmodi ſtatum (&

Marginal notes (right column): Dc otio sap. 31. — 7. Ethic. vlt. — Enn. 1. l. 4. c. 16. — De vi. be. c. 7. — 1 Adu. Col.

Qui Epicurus à Cyrenaicis differat. quatenus quidem competit Sapienti) Voluptatis nomine liceat · non eſt quamobrem improbetur, negari ſtatum medium, ſeu tam voluptatis, quàm doloris expertem; quippè, cùm is etiam, qui medius ſupponitur, ſit quædam voluptas. Ac Plato quidem ediſſerit non

9. De Rep. eſſe hunc ſtatum voluptatem potiùs, quàm dolorem dicendum; quoniam vt ex dolore in eum ſtatum emergere voluptas eſt; ita ex voluptate in eum decidere, eſt dolor; adeò proinde, vt talis ſtatus non magis ex ſe voluptas, quàm dolor appellandus ſit; & cùm abſurdum ſit, voluptatem ſimul, & dolorem dicere, ſequatur neutrum dicendum eſſe. Verùm conſtare ſatis videtur, non perinde moleſtiam eſſe, voluptate quadam frui deſinere, ſi modò nullus dolor ſequatur; ac iucundum eſt deſinere dolore vexari, tametſi voluptas in motu conſequatur nulla; vt proinde huiuſmodi ſtatus cenſeatur voluptatis potiùs, quàm doloris nomen mereri. Idipſum

1. De fin eſt certè, quod voluit Torquatus, dum, *Non placet*, inquit, *detractâ voluptate ægritudinem ſtatim conſequi, niſi in voluptatis locum dolor fortè ſucceſſerit; contrà gaudere noſmet, omittendis doloribus, etiamſi voluptas ea, quæ ſenſum moueat, nulla ſucceſſerit; eóque intelligi poteſt, quanta voluptas Non-dolere ſit.* Præterea autem ex hoc ſtatu pro voluptate habito peti, quod Stoïci cenſuerunt, eſſe ſapientem ſemper in gaudio; Id quippè intelligi de gaudio, ſine voluptate, quæ ſit in motu ſita, non poteſt. Ea quippe eſt fluxa, neque diù durat, ſed, vt Seneca mox dicebat, *Tùm, cùm maxi-*

10. Eth. 4 *mè delectat, exſtinguitur.* Neque abs re eſt, quod Ariſtoteles requirit: *Quam ob cauſam fiat, vt nemo voluptate frui continenter poſſit?* atque id quidem potiſſimùm, cùm Epicureorum ſententia, vel ipſo teſte Plutarcho, fuerit, Eſſe in voluptate ἀσθενές τι, & ἀψίκορον, *imbecillum quid, faſtidióque obnoxium*; eſſéque eam rursùs μικρόν τι, μᾶλλον δὲ ἀκαρές, *exiguum quid, momentaneúmque*; vt Metrodorus iure propterea in huiuſmodi voluptates expuerit. Quia verò ad Stoïcos ſpeciatim tale Effatum retuli, audire iuuat quid præ aliis huc ſpectans fuſiuſculè quidem, ſed præclarè tamen

Epist. 59. habeat Seneca: *Sapiens ille eſt*, inquit, *qui plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcuſſus, cum Diis ex pari viuit. Nunc ipſe te conſule. Si nunquam mœſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri exſpectatione ſollicitat, ſi per dies, noctéiſque, par, & æqualis animi tenor erecti, & placentis ſibi eſt, perueniſti ad humani boni ſummam. Sed, ſi appetis voluptates, & vndique, & omneis, ſcito tantum tibi ex ſapientia, quantum ex gaudio deeſſe. Ad hoc cupis peruenire; ſed erras, qui inter diuitias illuc venturum eſſe te ſperas. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſollicitudines quæris? Iſta, quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam, ac voluptatem, cauſa dolorum ſunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium; ſed vnde ſtabile, magnúmque conſequantur, ignorant. Ille ex conuiuiis, & luxuria; ille ex ambitione, & circumfuſa clientium turba;* In pag. 90. *ille ex amica, alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſanantibus literis. Omneis iſtos oblectamenta fallacia, & breuia decipiunt; ſicut ebrietas. quæ vnius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat; ſicut plauſus, & acclamationis ſecundæ fauor, qui magna ſollicitudine & partus eſt, & expiandus. Hoc ergo cogita; hunc eſſe ſapientiæ effectum, gaudij æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam; ſemper illeic ſerenum eſt. Habes ergo, quare velis ſapiens eſſe; quia nunquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere, niſi fortis, niſi iuſtus, niſi temperans. Quid ergo, inquis? ſtulti ac mali non gaudent. Non magis, quàm prædam nacti leones. Cùm fatigauerunt ſe vino & libidinibus; cùm illos nox inter vitia defecit; cùm voluptates anguſto corpori, vltra quàm capiebat, ingeſta, ſuppurare cœperunt; tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum,*

Namq; vt ſupremã falſa inter gaudia noctẽ
Egerimus, noſti.——

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tanquam ſupremam, agunt Illud gaudium, quod Deos, Deorumque æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit: deſineret, ſi ſumptum eſſet aliunde. Sed quia non eſt alieni muneris; nec arbitrij quidem alieni. Quod non dedit fortuna, non eripit. Hactenus ille.

℣. 21. Ἔτι πρὸς τοὺς Κυρηναϊκούς. Poſterius diſcrimen hoc eſt, quod Laërtius heic adnotat, Lib. 2. quódque in vita Ariſtippi inter cætera referens, addit Cyrenaicos, vt grauiores habent corporis dolores, quàm animi; ita habere quoque τὰς σωματικὰς ἡδονὰς τῶν ψυχικῶν ἀμείνους, *voluptates corporis voluptatibus animi potiores*; cuius etiam oppoſitum heic ſubiicit ex Epicuro. Sed 1. De fin. rem ex Torquato vt habeas: *Quamquam*, inquit, *& lætitiam nobis voluptas animi, & moleſtiam dolor afferat; eorum tamen vtrumque & ortum eſſe à corpore, & ad corpus referri. Nec ob eam cauſam non multò maiores eſſe & voluptates, & dolores animi, quàm corporis: Nam corpore nihil, niſi præſens, & quod adeſt, ſentire poſſumus; animo autem & præterita, & futura. Vt enim æquè doleamus animo, cùm corpore dolemus; fieri tamen permagna acceſſio poteſt, ſi aliquod æternum, & infinitum impendere malum nobis opinemur; quod idem licet transferre in voluptatem, vt ea maior ſit, ſi nihil tale metuamus.* Habes hoc loco eandem cauſam quam Epicurus declarat in textu. Sequitur autem: *Iam illud quidẽ perſpicuum eſt, maximam animi aut voluptatem, aut moleſtiam plus aut ad beatã, aut ad miſeram vitam afferre momenti, quàm eorum vtrumvis, ſi æquè diu ſit in corpore.* Hoc verò, ipsâ tam animi, quàm corporis naturâ ſpectatâ conſentaneũ maximè eſt. Vt animus enim nõ modò corpori longè antecellit; ſed, vt vel ex ipſo Ariſtotele iã antè obſeruauimus, ipſe penè ſolus totus homo eſt: ita par eſt illum maximè affici aut eo, quod ſummũ primúmq; hominis eſt, bono, voluptate videlicet; aut illius oppoſito, moleſtiâ

In pag. 90. leſiâ nempè, ſiue dolore. Spectat huc proinde, quod aliquantò pòſt Torquatus; *Quod ſi corporis grauioribus morbis vitæ iucunditas impeditur; quanto magis animi morbis impediri neceſſe eſt.* Quod ſequitur verò, *Animi autem morbi ſunt cupiditates immenſæ, & inanes, diuitiarum, gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiam voluptatum. Accedunt ægritudines, moleſtiæ, mærores, qui animos exedunt, conficiuntque curis, &c.* Id in mentem reuocat Apologum illum, quem pari occaſione refert ex Æſo-

Qui affect. pei po Plutarchus de diſceptatione inter Vulpem, & Pantheram, vtra variegatior eſſet; inſtitutâ. Quippe, vt oſtentante Panthera eam colorum diuerſitatem, quæ in corpore, ſuperficieéque tenus foret; oppoſuit Vulpes mille artes, quibus eſſet intus, inque animo verſatilis: ita oſtentare quidem varios morbos, doloréſque in corpore licet; at plures ſunt longè, qui in animo, quaſi in quodam penu, theſauróve, vt Democritus aiebat, conduntur; atque ipſi quidem non tam acciti extrinſecùs, quàm in ipſomet animo ex ipſiuſmet culpa ſubnati: quo etiam vno ex capite haberi deteriores poſſunt. Sunt autem vt plures, ita & grauiores, vel eo nomine; quòd ſui plerumque auferant ſenſum. Nam corporis quidem affectiones deprehendere multis ſignis licet: at quæ animi ſunt, eam ob cauſam latent, quòd ipſa ratio, cuius eſſet eas diſcernere, perturbata ſit, nec ſanum ferre iudicium poſſit. Vnde & fit, vt cùm corpore affecti medicinam adhibeant; ij, qui affecti ſunt animo, Philoſophiam non aduocent, eiuſque præceptis parere detrectent. Et cùm inter corporis morbos illi omnium grauiſſimi, ac periculoſiſſimi ſint, qui ſtuporem creantes, ſenſum ſui adiunctum non habent; vt veternus, vt epilepſia, vt abalienans mentem febris; nulli ſunt penè animi morbi, qui non hoc cenſu habendi ſint; ac tantò magis; quantò non modò non noſcuntur qui ſint; ſed etiam, ſecus; ac corporei, ſpecie, prætextúque virtutum oppoſitarum obducuntur. Quoniam, cùm nemo morbum corporeum ſanitatis nomine donet, neque eſſe podagram celeritatem pedum dicat; ipſe tamen animi morbus, vitioſáve affectio nomine virtutis plerumque donatur; &, quæ eſt excandeſcentia, v.g. fortitudo dicitur; qui pauor, & cautio; &, vt paucis dicam, ipſa Ægritudo, quæ eſt animi dolor, ac generalis quidam morbus, cuius participatione cæteri morbi habent, quòd ingrati, triſtes, ac moleſti ſunt: ægritudo, inquam, nihil magis curat, quàm vt fuiſſe iure ſuſcepta videatur. Neque verò neceſſe eſt plura in hanc rem congerantur; cùm plura ex iis, quæ ſunt paſſim antè deducta, poſſint eliei. Obſeruo ſolùm, quod Ariſtippus obiicit de doloribus, ſuppliciiſve corporeis, quibus, tanquam grauioribus plecti ſonteis vulgare eſt, videri non ſatis idoneum ad rem probandam argumentum. Nam quia

legiſlator, aut iudex non idem iuris in animum, atque in ipſum corpus habet; non præſcribit quidem directò, vt nocens ægritudine afficiatur, animóve ipſo crucietur, ſed vt torqueatur corpore, quò & pœnam exigat certam, & res ſit perſpecta multitudini, quæ metu pœnæ ſit continenda; verùm non ideò ſequitur, non eſſe dolorem grauiorem; quo torqueri animo quis poſſit. Certè & dum quis corpore torquetur, torquendúmve ſe proſpicit, ac animo volvit iri ſe flagris cæſum, iri inuſtum, iri mutilatum, iri diſcerptum; iri amiſſum vitam; & ſpectante quidem toto populo, ſumma cum ignominia, cum futuro perpetuo probro; cum ſuorum, hoc eſt, cariſſimorum capitum dedecore, iactura, lamentis, &c. putas vllum eſſe corporis dolorem, qui, ſi ſeparari ab his valeat, cum dolore hoc animi cenſeri poſſit comparandus? Hac proinde de cauſa dixi, non præſcribi *directò* ægritudinem, ſiue cruciatum animi; vt inſinuarem videlicet præſcribi illum indirectè, atque ea quidem ratione, vt ſuperueniens corporeo, ſupplicium multis gradibus vehementius, & cumulatius faciat. Quid-ni autem faciat; cùm eueniſſe etiam narretur, vt ſola intentatione, ſolo pauore ſupplicij aliqui fuerint exanimati; ſicque extrema illis pœna non corporis fuerit, ſed animi dolor. Qui Epicurus à Cyrenaicis diſſerat.

Prætereo heic illud,

Pœna autem vehemens, ac multò ſæuior illis, Iuuenal. ſat. 13.
Quas aut Caditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte, diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Itémque illud;

Inuidiâ Siculi non inuenêre tyranni Horat. 1. Epiſt. 2.
Tormentum maius.——

Ac rurſùs illud;

Magne pater Diuûm, ſæuos punire tyrannos Perſ. ſat. 3.
Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido
Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno;
Virtutem vt videant, intabeſcántque relictâ.

VOLVPTATEM ESSE FINEM, demonſtrari.

ỹ. 30. Ἀποδείξει δὲ χρῆται. Aliud rurſùs caput hoc eſt à Laërtio adhibitum, Demonſtrationem continens, quâ Epicurus vſus eſt, vt Voluptatem eſſe finem beatæ vitæ conſtabiliret. Illa porrò ſuperiùs iam & relata eſt; & fusè deducta; Quare addendum heic ſolùm eſt, quibus eam verbis Epicurus apud Empiricum efferat. Ea igitur ſunt: ὅτι φυσικῶς, καὶ ἀδιδάκτως τὸ ζῶον φεύγει μὲν τὴν ἀλγηδόνα, διώκει δὲ τὴν ἡδονήν. γεννηθὲν γοῦν, καὶ μηδέπω τῇ δόξῃ δουλεῦον ἅμα τῷ ῥαπισθῆναι ἀσυνήθει ἀέρος ψύξει, ἔκλαυσέ τε, καὶ ἐκώκυσεν. εἰ δὲ φυσικῶς ὁρμᾷ μὲν πρὸς ἡδονήν, ἐκκλίνει δὲ τὸν πόνον, φύσει φευκτόν τι ἐστιν αὐτῷ ὁ πόνος, καὶ αἱρετὸν ἡ ἡδονή. Adu. Eth. *Animal ipsâ natura ſponte, & citra omnem eruditionem refugit dolorem, & proſequitur voluptatem. Quippè ſimul, ac natum eſt, & nulla adhuc opinionis ſeruitute præoccupatur, vbi inſueto aëris*

Voluptatem eſſe finem, demonſtrari. *frigore percellitur, plorat, eiulátque. Si natura autem duce voluptatem appetit, dolorem declinat; eſt ergo ipſi dolor quidpiam refugiendum, voluptas expetendum, ſecundùm naturam.* Non addo Cyrenaicos fuiſſe eadem demonſtratiune, vt voluptatem pariter eſſe finem probarent, vſos; cùm apud Laërtium Voluptatem definientes

Lib 2. λείαν κίνησιν, *ſuauem motionem*, & dolorē, τραχεῖαν, *aſperum*, dixerunt, τὴν μὲν εὐδοκητὴν πᾶσι ζώοις, τὴν δὲ ἀποκρουστικὴν, *illam quidem eſſe, quam animalia omnia adſciſcant, hanc verò, quem omnia repellant.*

2. Strom. Adnoto ſolùm B. Clementem, cùm eandem illis tribuat, adiiciátque Epicurum definiiſſe τὸ αἱρετὸν, *ipſum Eligibile*, ὃ πρῶτον ἐξ

Ecl. Eth. cap. 3. ἑαυτοῦ ἐφ' ἑαυτὸ ἐπισπᾶται), *id, quod primum ex ſe ipſo*, ſuâve naturâ *ad ſeipſum allicit*; inſinuari legendum quoque apud Stobæum ἑαυτό, vbi rursùs ex Epicuro eſſe Voluptatem finem declaratur.

Pag. 91 ℣. 6. Δακρύει βοῶν. Ita certè legendum Caſaubonus putat (niſi etiam βοᾷ δακρύων) pro βοῇ Δάκνων. Et fortè quidem pro Δάκνων, legi potuit Θακῶν, aut alio modo correctio inſtitui; ſed præſtat eruditi viri coniecturæ inſiſtere; quoniam tametſi tranſpoſitio duriuſcula eſt, redditur tamen verſus integrior, qualis in Trachiniis Sophoclis habetur; vtcumque prætereà apud Poëtam non ἴσων, ſed ἐκτύπον legatur. Immutanda verò non fuit hæc vox (vti neque fortè immutatio illa facienda) quòd Epicurus ad hunc locum alludens, videatur potiùs ſenſum tenuiſſe, quàm verba; ac ea habuiſſe fortè in mente, quod apud eundem Sophoclem legantur pari occaſione (eiulante nempè Philoctete) reddidiſſe montes στόνον ἀντίτυπον. Prætereo autem Ciceronem veluti retorquere allatum de Hercule exemplum aduerſus ipſum Epicurum; vbi de dolore in eum diſputans, & poſtquàm illos Herculis queſtus, qui apud eundem Poëtam fusè ſequuntur, retulit,

2. Tuſc. *O multa dictu grauia, perpeſſu aſpera, &c.*

Subdit: *Poſſumus-ne nos contemnere dolorem, cùm ipſum Herculem tam intoleranter dolere videamus.* Et, ne memorem, quod de Prometheo addit, qui fruſtrà

Amore mortis terminum inquirit mali,

(Scilicet Caucaſea ſub rupe

Auſon. *Teſtatur Saturnigenam, nec nomine ceſſat*
Incuſare Iouem, data ſit quod vita perennis.)

Obſeruo dumtaxat id, quod illeic loci ſubiicitur de Philoctete, (qui

Ouid. *——Silueſtribus abditus antris*
Saxa mouet gemitu.)——

vſurpari quoque alibi ab ipſo ſpecialiùs contra Epicurum. Quippè memorato Lemnio illo ſaxo:

Quod eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus,
Reſonando, multùm flebileis voces refert.

Pergit: *Huic Epicurus comparet ſe, ſi poteſt, &c.* Sed ad citatos quidem ab Epicuro verſus quod ſpectat; conſtat ipſum aliud nihil velle, quàm eſſe dolorem quidpiam per ſe malum; quando ipſi quoque, qui reputantur Deorum filij, ac fortiſſimus Hercules imprimis, eum tantopere exſecrantur. In pag. 91.

EXPETI VIRTVTES PROPTER Voluptatem.

℣. 11. Διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἱρεῖσθαι. Et hoc iterùm aliud caput eſt, quod Laërtius de expetenda propter voluptatem virtute ex Epicuro heic inſerit. Notum porrò eſt iſtud ipſum eſſe, ex quo varij quidem, ſed potiſſimùm Stoici anſam accepère conflandi maximam aduerſus Epicurum inuidiam. Scilicet, quaſi non de alia, quàm de obſcœna voluptate fuiſſet Epicurus loquutus, appoſitum fuit declamare, quàm indignum facinus foret tueri virtutem, non ob ſeipſam, ſed ob voluptatem huiuſcemodi eſſe comparandam. Ac ne repetam benè multa, quæ antè adducta hacce de re ſunt; & vt nonnulla, quæ huius loci ſunt præſertim propria, attexam: Ecce primus omnium Cleanthes eam confinxit Tabulam, quam Cicero obiiciens Torquato: *Iubebat*, inquit, 2. De fin. *eos, qui audiebant, ſecum ipſos cogitare pictam in tabula Voluptatem, pulcerrimo veſtitu, & ornatu regali, in ſolio ſedentem: Preſtò eſſe Virtutes, vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi vt Voluptati miniſtrarent, & eam tantùm ad aurem admonerent (ſi modò id pictura intelligi poſſet) vt caueret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem Virtutes ſic natæ ſumus, vt tibi ſeruiremus; aliud negotij nihil habemus.* Deſcribitur etiam eadem Tabula apud Diuum Auguſtinum: Nam, *ſolent*, inquit, *Philoſophi, qui fi-* 5. De ciuit. 10. *nem boni humani in ipſa virtute conſtituunt, ad ingerendum pudorem quibuſdam Philoſophis, qui virtutes quidem probant, ſed eas Voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam per ſeipſam putant appetendam, iſtas propter ipſam; Tabulam quandam verbis pingere, vbi Voluptatem in ſella regali, quaſi delicata quædam Regina conſideat, eique Virtutes famulæ ſubiiciuntur, obſeruantes eius nutum, vt faciant quod illa imperauerit. Quæ Prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo Voluptas regnet, & ſalua ſit. Iuſtitiæ iubeat vt præſtet beneficia quæ poteſt ad comparandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias; nulli faciat iniuriam, ne offenſis legibus voluptas ſecura viuere non poſſit. Fortitudini iubeat, vt ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat Dominam ſuam, id eſt, Voluptatem fortiter in animi cogitatione, vt per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitiget præſentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum; & ſi qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & Voluptas, quam etiam in corporis ſanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur.* Talis Tabulæ iactatio cùm fieret, intelligi

In pag. 91. Lib. 3. ligi licet, quonam Cicero de Officiis agens, verbis illis reſpexerit : *Vbi primùm Prudentiæ locus dabitur ? An vt conquirat vndique ſuauitates ? Quàm miſer Virtutis famulatus, ſeruientis Voluptati ? Quod autem munus Prudentiæ ? An legere intelligenter voluptates ? Fac nihil iſto eſſe iucundius : quid cogitari poteſt turpius ? Iam qui Dolorem ſummum malum dicat, apud eum, quem locum habeat Fortitudo, quæ eſt dolorum, laborúmque contentio ? Quamuis enim multis in locis dicat Epicurus, ſicuti dicit, ſatis fortiter de dolore ; tamen non id ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere, qui bona voluptate terminauerit, mala dolore ; Vt ſi illum audiam de continentia, & temperantia, dicit ille quidem multa multis locis ; ſed aqua hæret, vt aiunt. Nam qui poteſt Temperantiam laudare is, qui ponat ſummum bonum in voluptate ? Eſt enim temperantia libidinum inimica ; libidines autem conſectatrices voluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo poſſunt, non callidè tergiuerſantur. Prudentiam introducunt ſcientiam ſuppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque alio modo expediunt, cùm tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam Temperantiam inducunt, non facillimè illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt. Dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri. Iuſtitia vacillat, vel iacet potiùs, omneſque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, & in ſocietate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non pluſquàm Amicitia ; ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem, vtilitatémve referantur.* Licet rurſùs

4. De Benef. 2. intelligi, quò reſpexerit Seneca, cùm, *In hac parte*, inquit, *nobis pugna eſt cum Epicureorum delicata, & vmbratica turba, in conuiuio ſuo philoſophantium ; apud quos Virtus voluptatum miniſtra eſt : illis paret, illis deſeruit ; illas ſupra ſe videt. Non eſt, inquit, Voluptas ſine virtute, ſed quare ante virtutem eſt ? De ordine putas diſputationem eſſe ? De re tota, & de poteſtate eius ambigitur. Non eſt virtus, ſi ſequi poteſt. Primæ partes eius ſunt ; ducere debet, imperare, ſummo loco ſtare ; tu illam iubes ſignum petere. Quid, inquit, tuâ refert ? & ego ſine virtute nego beatam vitam poſſe conſtare. Ipſam Voluptatem, quam ſequor, cui me mancipaui, remotâ illâ, improbo, & damno. De hoc vno diſputatur, Vtrum Virtus ſummi boni cauſa ſit, an ipſa ſummum bonum. Vt hoc vnum quæratur, ordinis tantum exiſtimas mutationem ? Iſta verò confuſio eſt, & manifeſta cæcitas, primis poſtrema præferre. Non indignor, quòd poſt Voluptatem ponitur virtus ; ſed quòd omnino cum Voluptate confertur. Contemptrix eius, & hoſtis eſt ; & longiſſimè ab illa reſiliens, labori, ac dolori familiarior, virilibus incommodis, quàm iſti effæminato bono inſerenda.* Et alio loco, poſtquàm retulit reſponderi, Suas quoque habere voluptates animum : *Habeat ſanè*, inquit, *ſedeátque luxuriæ, & voluptatum arbiter : impleat ſe omnibus, quæ oblectare ſenſus ſolent ; deinde præterita reſpiciat, &c.* Et poſteà, cùm obiici dixit; *Sed tu quoque virtutem non ob aliud colis, quàm quia aliquam ex illa ſperas voluptatem* ; excipit : *Primùm, non, ſi Voluptatem præſtatura virtus eſt, ideò propter hanc petitur ; ſed labor eius, quamuis aliud petet, hoc quoque aſſequetur. Sicut in arua, quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis inſumptum eſt. Aliud fuit ſerenti propoſitum, hoc ſuperuenit : ſic Voluptas non eſt merces, nec cauſa virtutis, ſed acceſſio ; nec, quia delectat, placet ; ſed quia placet, delectat.* Et infrà : *Virtus autem, quomodo voluptatem reget, quam ſequitur ; cum regi parentis ſit, regere imperantis. A tergo ponitis, quod imperat. Egregium autem Virtutis apud vos officium, voluptates præguſtare. Sed videbimus, an apud quos tam contumelioſè tractata virtus eſt, adhuc Virtus ſit, quæ habere nomen ſuum non poteſt, ſi loco ceſſit.* Licet prætereà, quò Plutarchus, cùm de bonis loquens, quæ alij peperiſſent Philoſophi : *At tale*, inquit, *nihil relinquunt*, οἱ περὶ γαστέρα τ' ἀγαθὸν εἶν δοκοῦντες, οὐκ ἂν δὲ τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας τετρημένου χαλκοῦ πριάμενοι δίχα τῆς ἡδονῆς πάσης πανταχόθεν ἐξελατέας, *qui eſſe ſummum bonum circa ventrem clamantes, ac pertuſo quidem æreolo empturi omneis virtutes ſint, ſi voluptas omnis vndequaque eliminetur.* Ac rurſùs cùm Epicuri ad Anaxarchum Epiſtolam citat, in qua ille : Ἐγὼ δ', inquit, ἐφ' ἡδονὰς συνεχεῖς παρακαλῶ, καὶ οὐκ ἐπ' ἀρετὰς κενὰς, καὶ ματαίας, καὶ ταραχώδεις ἐχούσας τῶν καρπῶν τὰς ἐλπίδας : *Ego verò ad voluptates capeſſendum continenter adhortor ; non autem ad virtutes inaneis, ac vanas, & ſpem colligendorum fructuum turbationis plenam habenteis.* Licet etiam, quò Athenæus, cùm relato illo ex libro de Fine loco, quo Epicurus dixerat, τιμητέον τὸ καλὸν, καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ, ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον : *Par eſſe honorare id quod honeſtum dicitur, & ipſas virtutes, ac eiuſmodi cætera, ſi modò voluptatem pariant ; niſi enim pariant, eſſe omnia valere iubenda* : ſubdit Epicureum facere apertè his verbis, τὴν ἀρετὴν τῆς ἡδονῆς ὑπουργὸν, καὶ θεραπαίνης τάξιν ἔχουσαν, *Virtutem Voluptatis ancillam, & locum famulæ obtinentem.* Quibus nihil aliud addendum videtur, niſi, cùm Cicero quærat : *Quid neceſſe ſit tanquam meretricem in matronarum cœtum, ſic Voluptatem in Virtutum cœtum adducere* ? ſupereſt dicat aliquis fuiſſe Epicurum imitatum Paridem, cùm ex Dearum cœtu Venerem, cui primas tribueret, elegit ; non verò Herculem, aut alium Heroëm, qui Voluptate, Virtutéque in biuio occurrentibus, prætulere longè Virtutem, tametſi illi

[Expeti Virtutes propter Voluptatem. — De vit. be. cap. 6. — Cap. 4. — Cap. 12. — 1. Aduer. Col. — Lib. 12. — 2. De fin.]

——Frons hirta, nec vnquam
Compoſitâ mutata comâ ; ſtans vultus, & ore
Inceſſúque viro propior, lætique pudoris. Sil. Ital. lib 15.

cùm ipſe prætulerit Voluptatem ; quia ſcilicet illa,

Altera Achæmenium ſpirabat vertice odorem,

 Ambro

Exp. 11 Virtutes propter Volupta-tem.

Ambroſias diffuſa comas, & veſte refulgens,
Oſtrum quam fuluo Tyrium ſuffuderat auro
Fronte decor quæſitus acu, laſciuáque crebras
Ancipiti motu, iaciebant lumina flammas.

Cæterùm hæc, & longè plura, quæ congeri in promptu eſt, non eſt quamobrem heic diſcutiamus, expendamúſque quid calumniosè, perperámve obiectum ſit; quippè ad hoc abundè ſufficiunt, quæ diſputata ſuperiùs ſunt, & maximè quidem, quatenus declaratum eſt, intellectam Epicuro voluptatem non eſſe corpoream obſcœnámque illam, quam & Cleanthis Tabula, & loca Authorum citata ſupponunt; ſed eſſe aliam longè puriorem, Corporis nempè indolentiam, & Animi tranquillitatem, ac iſtam quidem maximè; adeò vt incongruum nihil ſit, quærere Virtutem ob eiuſmodi Voluptatem; quippe cùm in ipſa ſit felicitas, ſeu beata vita conſtituta; ac ipſe Epicurus proinde aliud nihil velit, quàm, quod ipſimet Stoici, dum *Virtutem ſufficere ad benè, beatéque viuendum* contendunt. Et certè, vel hoc vnum effatum arguit ſatis Stoïcos quoque, vtcumque variè tergiuerſentur, Virtutem ad aliud, hoc eſt, *ad benè, beatéque viuendum* referre; adeò vt beata quidem vita expetatur propter ſe; at Virtus non tam propter ſe, quàm propter ipſam expetatur. Tergiuerſari illos cùm dico, Senecam quoque intelligo, & citato quidem potiſſimùm loco. Nam quòd Voluptatem acceſſionem ſolùm, ſeu quidpiam quaſi ex accidenti Virtuti ſuperueniens facit, eo modo, quo herbula florens internaſcitur ſegeti, populare ſanè, captioſiſſimque eſt. Nimirùm ipſa quidem Virtus comparanda eſt ſegeti; at vt ſeges, non propter ſeipſam, neque ob ſubnaſcentem illam herbulam quæritur, ſed ob vſum vitæ, qui ex ea percipi ſperatur; ita virtus non propter ſe, neque ob quidpiam leuiculum, quod poteſt interexſeri, ſed omnino ob beatam vitam, ſeu expoſitam illam Voluptatem. Vnde &, cùm iſta

Cap. 9.

illicò ſubiungit: *Erras, cum interrogas, quid ſit illud, propter quod Virtutem petam; quæris enim aliquid ſupra ſummum. Interrogas, quid petam ex Virtute? Ipſam. Nihil enim eſt melius; ipſa pretium ſui eſt*: Perſpicuum eſt ſanè iure interrogari, neque aliquid quæri ſupra ſummum, cùm ſupra virtutem quidpiam quæritur. Ac verum eſt quidem ex omnibus mediis, quæ Vitam beatam faciunt, tuentúrque, ipſam Virtutem eſſe ſummum, neque eſſe ex mediis aliquod quærendum ſuperius, aut melius; ſed interim tamen ipſa beata vita ex eo habenda ſuperior eſt, quòd Virtus ad ipſam, vt ad ſuum finem referatur. Heinc Ariſtoteles ſanè æquior, cùm de Felicitate loquens, quam, cætera inter, poſſit Virtus

1. Eth. 10.

parere: Τῆς ἀρετῆς, inquit, ἆθλον, καὶ τέλος ἄριστον φαίνεται, καὶ θεῖόν τι, καὶ μακάριον, *Virtutis præmium, atque finis optimum quidpiam, diuinúmque, & beatum eſſe apparet*. Retulimus ſuprà ad hanc rem peregregium locum; quo declaratur

In pag. 91.

nempè, Virtutes ad Voluptatem, vt ad finem (beatæ nempè vitæ) referri: Addo heic

Cap. 9.

ſolùm, quod ille diſtinguit, eſſe quædam, quæ propter ſe, non propter aliud expetantur, veluti Beatitudinem, quædam, quæ propter aliud, non propter ſe, veluti diuitias;

Cap. 5.

quædam, quæ & propter ſe, & propter aliud, veluti Virtutem; idipſum fuiſſe priùs dictum ab Architа, qui pari facta diſtinctione, in primo etiam genere beatitudinem ſolam ſtatuit, ταύτας γὰρ ἕνεκα τὰ ἄλλα αἱρούμεθα, αὐτὰν δ᾽ οὐδενὸς ἑτέρω: *Ipſius enim gratiâ cætera expetimus; ipſam nullius cuiuſquam alterius*: & cùm

Lib. de vit. beat.

in ſecundo vtilia, bonorumque efficientia repoſuiſſet, tùm in tertio ipſi fuerunt, αἵ τε ἀρεταὶ, καὶ αἱ ἕξιες αὐτῶν, καὶ αἱ προαιρέσιες, καὶ αἱ πράξιες, καὶ πᾶν τὸ ἐχόμενον τᾶς τῶ καλῶ οὐσίας: *Virtutes, habituſque earum, electiones; actiones, & quicquid honeſti obtinet naturam*. Quid? quod Pla-

2. De Rep.

to quoque eadem diſtinctione expetendorum vſus, Voluptatem apertiùs in primo genere poſuerat; Nam proponens aliquod eſſe, quod αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα, ipſum propter ſe expetatur, tùm exemplum afferens: οἷον, inquit, τὸ χαίρειν, καὶ αἱ ἡδοναὶ, ὅσαι ἀβλαβεῖς, καὶ μηδὲν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον διὰ ταύτας γίγνεται ἄλλο, ἢ χαίρειν ἔχοντα: *Quemadmodum ipſum Gaudere, & quæcumque Voluptates ſine nocumento ſunt; ac nihil, niſi quod gaudium pariat, allatura ſunt tempore inſequenti*: inter illa verò, quæ tùm ſui gratiâ, tùm propter aliud expetuntur, ponit, vt Videre, ac valere, ita & φρονεῖν *ſapere*; quod eſt, Virtute præditum eſſe; vnde & illicò Iuſtitiam in eodem genere conſtituit. Hæc autem memoro, vt videas quos viros opponere Senecæ liceat, dum ſtatuit non poſſe, aut debere expeti Virtutem ob aliquid aliud. Ac non eſt ſauè cur Virtuti propterea exprobretur, quòd ſuperiùs meminimus ex Clemente Alexandrino à Calliphonte fieri, dum ſcilicet ait,

2. Strom.

Cùm Virtus initio voluptatis cauſâ acceſſiſſet, factum progreſſu temporis fuiſſe; vt ea ſuam agnoſcens pulcritudinem, fieret ipſi ſui principio, hoc eſt, voluptati honore æqualis. Nam cùm ſint Virtus, & Voluptas, ſiue mavis, Felicitas, generum quaſi diſparatorum (eſt enim virtus, vt ſuprà quoque ex Ariſtotele obſeruauimus,

1. Eth. 12.

ἐκ τῶν ἐπαινετῶν, *ex laudabilium genere*, Voluptas, ſeu Felicitas ἐκ τῶν τιμίων *ex genere honorabilium*, ſeu mavis ſummè æſtimabilium) ideò inuidendum non eſt, ſi quanti Voluptatem, ſeu felicitatem, ſummúmve bonum facimus, tantundem laudemus, ſeu (vt ille vocem commutauit) honoremus Virtutem, per quam beati efficimur. Nempè, vt Eudoxus Voluptati idcirco primas tribuit, quòd eam non laudemus, ſed habeamus, vt aliquid, quod omni laude maius ſit; ita ex omnibus, quæ laudantur, laudare Virtutem maximè par eſt; quia ex omnibus, quæ putantur ſummum illud bonum poſſe parere, nihil omnino eſt cum ea comparandum.

In pag. 91. 1. De fin.

Sed ne diutiùs iſtis inhæream, ſatis eſt heic apponere, quæ ad iſtud caput præſertim ſpectantia, ipſemet Cicero Torquatum ex Epicuri placitis totum negotium declarantem induxit. Itaque poſtquàm ex vberiore diſputatione concluſum eſt: *Omneis rectas res, atque laudabileis eò referri, vt cùm Voluptate viuatur,* pergit Torquatus: *Quoniam autem id eſt vel ſummum bonum, vel vltimum, vel extremum, quod Græci τέλος nominant; quod ipſum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes; fatendum eſt, ſummum eſſe bonum iucundè viuere. Id qui in vna virtute ponunt, & ſplendore nominis capti, quid natura poſtulet, non intelligunt, Errore maximo, ſi Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Iſtæ enim veſtræ eximiæ pulcræque virtutes, niſi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabileis, aut expetendas arbitraretur?* Tùm inductione rem probaturus, & à Prudentia, ſeu Sapientia initium facturus, ſic infit: *Vt enim Medicorum ſcientiam non ipſius artis, ſed bonæ valetudinis causâ probamus* (ſimilitudinem heic, quam in textu Epicurus habet, agnoſcis) *& gubernatoris ars, quia benè nauigandi rationem habet, vtilitate, non arte laudatur; Sic Sapientia, quæ ars viuendi putanda eſt, non expeteretur, ſi nihil efficeret; nunc expetitur, quòd eſt tanquam artifex conquirendæ, & comparandæ voluptatis. (Quam autem dicam Voluptatem iam videtis, ne inuidiâ verbi labefactetur oratio mea.) Sapientia enim eſt vna, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat, quo præceptrice in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. Cupiditates enim ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam labefactant ſæpè Rempublicam. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur; nec hæ ſeſe foris ſolùm iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt; ſed intus etiam in animis incluſæ inter ſe diſſident, atque diſcordant: Ex quo vitam amariſſimam neceſſe eſt effici; vt ſapiens ſolus amputata, circumciſaque inanitate omni, & errore, naturæ finibus contentus, ſine ægritudine poſſit, & ſine metu viuere.* Ac ſtatim pòſt; *Quòd ſi vitam omnem videmus perturbari errore, & inſcitiâ, ſapientiámque eſſe ſolam, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipſius Fortunæ modicè ferre doceat iniurias, & omneis doceat vias, quæ ad quietem, & tranquillitatem ferant; quid eſt, cur dubitemus dicere; & Sapientiam propter Voluptatem expetendam, & inſipientiam propter moleſtias eſſe fugiendam?* Sequitur de Temperantia: *Eademque ratione, ne Temperantiam quidem propter ſe expetendam eſſe dicemus; ſed quia pacem animis afferat, & eos quaſi concordia quadam placet, ac leniat. Temperantia eſt enim, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem vt ſequamur, monet. Nec enim ſatis eſt iudicare, quid faciendum, non faciendúmve ſit; ſed ſtare etiam oportet in eo, quod ſit iudicatum. Plerique autem, quod tenere, atque ſeruare id, quod ſtatuêre, non poſſunt victi, & debilitati obiecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec quid prouenturum ſit, prouident; ob eamque cauſam, propter voluptatem & paruam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent ſine dolore; tùm in morbos graueis, tùm in damna, tùm in dedecora incurrunt; ſæpè etiam legum, iudiciorúmque pœnis obligantur. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, vt nulli propterea dolores conſequantur, & qui ſuum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod ſentiunt non eſſe faciendum; hi voluptatem maximam adipiſcuntur, prætermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem ſæpè perpetiuntur; ne, ſi id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec Intemperantiam propter ſe fugiendam eſſe; Temperantiámque expetendam, non quia Voluptates fugiat, ſed quia maiores conſequatur.*

Experti Virtutes propter Voluptatem.

Pergit de Fortitudine: *Eadem Fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio, neque perpeſſio dolorum, per ſe ipſa allicit; nec patientia, nec aſſiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipſa, quæ laudatur, Induſtria, ne Fortitudo quidem; ſed iſta ſequimur, vt ſine cura, metúque viuamus, animúmque, & corpus, quantum efficere poſſumus, moleſtia liberemus. Vt enim mortis metu omnis quietæ vitæ ſtatus perturbatur; & vt ſuccumbere doloribus, eoſque humili animo, imbecillóque ferre, miſerum eſt, ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique etiam ſeipſos penitùs perdiderunt; ſic robuſtus animus, & excelſus, omni eſt liber cura, & angore, tùm & mortem contemnit quâ qui affecti ſunt, in eodem cauſa ſunt, quâ antequam nati; & ad dolores ita paratus eſt, vt meminerit maximos morte finiri, paruos multa habere interualla quietis; mediocrium nos eſſe Dominos; vt ſi tolerabiles ſint, feramus; ſin minùs, æquo animo è vita, cum ea non placeat, tanquam è theatro exeamus. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem, ignauiámque vituperari, nec Fortitudinem, patientiámque laudari ſuo nomine; ſed illas reiici, quia dolorem pariant; has optari, quia voluptatem.* Poſtremò de Iuſtitia ſubdit; *Iuſtitia reſtat, vt de omni Virtute ſit dictum: ſed ſimilia ferè dici poſſunt. Vt enim Sapientiam, Temperantiam, Fortitudinem copulatas eſſe docui cum Voluptate, vt ab ea nullo modo nec diuelli, nec diſtrahi poſſint; ſic de Iuſtitia iudicandum eſt; quæ non modò nunquam nocet cuiquam, ſed contra ſemper alit aliquid, tùm vi ſuâ, atque naturâ, quod tranquillet animos, tùm ſpe nihil earum rerum defuturum, quas natura non deprauata deſideret. Et quemadmodum temeritas, & libido, & ignauia ſemper animum excruciant, & ſemper ſollicitant, turbulentaque ſunt, cuius in mente Iniuſtitia conſedit, hoc ipſo, quod adeſt, non poteſt turbulenta non fieri: & ſi verò moliта quidpiam eſt, quamvis occultè fecerit, nunquam tamen confidet, id fore ſemper occultum. Plerumque improborum facta primò ſuſpicio inſequitur; deinde ſermo, atque fama; tùm accuſator, tùm iudex; multi etiam, vt te conſule, ſe indicauerunt. Quòd ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſæpti eſſe, & muniti videantur; Deorum tamen numen horrent, eaſque ipſas ſollicitudines,*

Digitized by Google

Expetit Virtus propter Voluptatem.

tudines, quibus eorum animi noctes, atque dies exeduntur, à Diis immortalibus ſupplicij cauſâ importari putant. Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ moleſtias acceſſio fieri poteſt, quanta ad augendas, tùm ex conſcientia factorum, tùm pœna legum, odioque ciuium? Et tamen in quibuſdam neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque imperij, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla præda vnquam improbè parta minuit, ſed auget potiùs, atque inflammat, vt coërcendi magis, quàm dedocendi eſſe videantur. Inuitat igitur vera ratio benè ſanos ad Iuſtitiam, æquitatem, fidem: neque homini infanti, atque impotenti iniuſtè facta conducunt, qui nec facilè efficere poſſit, quod conetur; nec obtinere, ſi effecerit; & opes, vel fortunæ, vel ingenij liberalitati magis conueniunt; quæ qui vtuntur, beneuolentiam ſibi conciliant, &, quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum, caritatem; præſertim, cùm omnino nulla ſit cauſa peccandi. Quæ enim cupiditates à natura proficiſcuntur, facilè explentur, ſine vlla iniuria; quæ autem inanes ſunt, his parendum non eſt: Nihil enim deſiderabile concupiſcunt; pluſque in ipſa iniuria detrimenti eſt, quàm in aliis rebus emolumenti, quæ iniuriâ pariuntur. Itaque, ne iuſtitiam quidem rectè quis dixerit per ſeipſam optabilem; ſed quia iucunditatis vel plurimùm afferat. Nam diligi, & carum eſſe iucundum eſt; propterea, quia tutiorem vitam, & voluptatem efficit pleniorem. Itaque non ob ea ſolùm incommoda, quæ eueniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; ſed multò etiam magis, quòd cùm in animo verſatur, nunquam ſinit eum reſpirare, nunquam acquieſcere. Hactenus Torquatus.

Ac multa quidem ſunt, quæ deinceps à Cicerone obiiciuntur; verùm ea maxima ex parte præoccupata iam antè ſunt, & vel ex eo refelluntur, quòd excepta illa de voce quæſtione, an quæ Epicuro Stabilis vocatur, appellanda Voluptas ſit; cætera ad rem attinentia dicantur contra Voluptatem, quam Epicurus non modò non probauit, ſed verbis etiam conceptis reſpuit. QVOD ad calcem autem huius capitis deducit Epicurus, *Virtutem ſolam à Voluptate eſſe inſeparabilem*; partim declaratum iam eſt, partim eſt inferiùs quoque attingendum. Addo heic ſolùm, cùm Voluptas, qua de hoc loco agitur, ea intelligatur, quæ vera, germanáque ſit, & in qua ratio ſummi boni, fœlicitáſque ipſa conſiſtat; ideò Virtutem ſolam dici ab ea inſeparabilem, quod ea ſit ſola, vt vera, ac germana, ſic neceſſaria illius cauſa, hoc eſt, quâ poſitâ voluptas, felicitaſque conſequatur; quâ ſublatâ tolli voluptatem, fœlicitatémque oporteat. Eo ſcilicet modo, quo Sol dici poteſt ab ipſo die ſolus inſeparabilis, quod ſit ſolus diei, vt vera, ac germana, ita & neceſſaria cauſa; hoc eſt, quo poſito ſupra horizontem, eſſe diem neceſſe ſit; quo ſublato, neceſſe ſit non eſſe. Et quod Epicurus quidem Virtutem eſſe cauſam felicitatis effectricem voluerit, cùm ex ſæpiùs iam hactenus dictis intelligitur, tùm vel ex eo inducitur, quod reputauerit Prudentiam eſſe quaſi omnem virtutem (quippè cùm aliæ omnes virtutes ex ipſa oriantur, cumque ipſa connexæ ſint) & Plutarchus & Chryſippum agens, contradictioniſque eum arguens, hoc, cætera inter, inſeruerit, Εἰ μὲν ἂν τὴν φρόνησιν ἀγαθοῦ ποιητικὸν ἦν τῆς εὐδαιμονίας τὸ ἀγαθὸν, ὥσπερ ὁ Ἐπίκουρος. *Si igitur exiſtimauit eſſe Prudentiam tale bonum, quod vim efficiendæ felicitatis habeat, quemadmodum ipſe Epicurus; oportuit ſolùm, &c.* Quomodo verò ſit accipiendum, quod heic additur, cætera à voluptate, felicitatéve, ſeiungi, οἷον βροτὰ, *quaſi mortalia*, atque caduca (nempè quaſi ſola Virtus immortalis, ſeniíque incapax ſit) id circa Epiſtolæ ad Menœceum concluſionem fuit declaratum. In pag. 91. De Stoi. rep.

RATÆ SENTENTIÆ.

ỳ. 20. KAὶ φέρε δὴ τὰ νῦν. Poſtremum hoc eſt ex iis quatuor Membris, in quæ viſum eſt poſſe diuidi, quæ de Morali Epicuri Philoſophia Laërtius collegit. De titulo porrò, quo Epicuri liber inſcriptus eſt Κυρίας δόξας, *Ratæ Sententiæ*, dictum in Apologia eſt circa librorum Indicem. Ad rem quod ſpectat, libellus fuit, in quem Epicurus congeſſit præcipuas Sententiarum Moralium, vt vno quaſi faſciculo collectæ haberentur in promptu. Scilicet de illis ita Cicero: *In alio verò libro, vbi breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis, oracula edidiſſe ſapientiæ Epicurus dicitur, ſcribit his verbis, quæ nota tibi profectò, Torquate, ſunt. Quis enim veſtrûm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id eſt, maximè ratas, quia grauiſſimæ ſint ad beatè viuendum breuiter enunciatæ ſententiæ.* Quibus ex verbis intelligitur, Epicureos facto probaſſe, quod ait Demetrius Cynicus apud Senecam; docens ſcilicet, *Plus prodeſſe, ſi pauca præcepta Sapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in vſu ſint, quàm ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Et tales certè ſententiæ *feriunt animum*, ait Quintilianus, *& vno ictu frequenter impellunt, & ipſa breuitate magis hærent, & dilectione perſuadent.* Ac non ſunt illæ quidem ordine digeſtæ, ſed permiſtim compoſitæ, vt Plutarchus quidem non ſemel cauſatur; ſed ne memorem, quod Galenus habet circa Aphoriſmos Hippocratis; ne praxim ipſam Antonini, libros de vita ſua ſcribentis (&, ſi modò dicere liceat) ipſius quoque Salomonis mortalium ſapientiſſimi; addo id dumtaxat, quod ait Simplicius: videlicet celebre illud *Epicteti Enchiridium, contextum fuiſſe non ab ipſomet, ſed ab Arriano, qui id ex ipſis Epicteti diſſertationibus excerpſerit; ad eum modum, quo Ratæ ſententiæ ex variis Epicuri libris, ceu florilegio collectæ ſunt.* Cæterùm ipſarum quaſi argumentum Luciani verba continent, cùm de famoſo illo Pſeudomanti loquens: *Deſignauit*, inquit, *Alexander, quidpiam riſu digniſſimum. Ratas ſententias Epicuri nactus (librum, vt noſti, pulcerrimum,*

1. De fin. 7. De benef. 5. Lib. 12. c. 10. De Pyth. orac. Et de ſer. pun. In aph. 1. Cōment. in Enchir. In Pſeud.

Digitized by Google

In pag. 91. *mum, & qui ſummatim decreta ſapientiæ ſummi viri complectitur) in medium forum deportauit, lignis cremauit ficulneis (vt ſi Authorem ipſum cremaſſet) ac cineres in mare abiecit; edito etiam oraculo:*

Πυρπολέειν κέλομαι Δόξας ἀλαοῖο γέροντος.

Hæc luſci Decreta ſenis comburere mando.

Non agnoſcens, ſceleſtus ille, quantorum bonorum ſit cauſa huiuſmodi libellus iis, qui in ipſum inciderint; quantamque illis & quietem, & tranquillitatem, & libertatem pariat. Δειμάτων μὲν, καὶ φασμάτων, καὶ τεράτων ἀπαλλάττον, καὶ ἐλπίδων ματαίων, καὶ περιττῶν ἐπιθυμιῶν, νοῦν δὲ, καὶ ἀλήθειαν ἐντιθὲν, καὶ καθαῖρον, ὡς ἀληθῶς τὰς γνώμας, οὐχ ὑπὸ δαδὶ, καὶ σκίλλῃ, καὶ τῇ τοιαύτῃ φλυαρίᾳ, ἀλλὰ λόγῳ ὀρθῷ, καὶ ἀληθείᾳ, καὶ παρρησίᾳ. *Abigens pauores, & ſpectra, & prodigia, & ſpes vanas, & cupiditates ſuperuacaneas; ac luſtrans omnino animi conſilia, non ſanè tadâ, neque ſquillâ, neque id genus aliis nugamentis; ſed recta ratione, & veritate, & confidentia.*

Quod beatum, æternúmque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquam, nec exhibet alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ tenetur, quòd quæ talia ſunt, imbecilla ſint omnia.

1. Aduerſ. Col. ℣. 19. Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον. Hæc eſt, quam Plutarchus, meritò cauſatur non per ambages, non clàm, non perplexâ ratione præaſſumptam eſſe τὴν πρώτην τῶν κυριωτάτων δοξῶν, *maximè Ratarum ſententiarum primam*; quippè, quæ pugnare adeò manifeſtè cum ipſa diuina prouidentia videatur. Prætereo autem, vt ipſius non-nemo penè meminerit, ac ferè quidem cum aliqua, ſed

In Apocol. leui tamen immutatione. Nam v. c. Seneca ludens in Claudium Cæſarem, Ἐπικούρειος θεὸς οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. (Quâ

Plaut. in Caſin. ludendi occaſione adnotari poteſt Comicum

3. Hypot. 24. quoque huc reſpexiſſe, cùm ait, *Enimuerò* πράγματά μοι παρέχεις. *St. Dabo* μέγα κακὸν, *&c.*)

2. Aduerſ. Col. Empiricus verò, τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, μήτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, μήτε ἑτέροις παρέχει. Plutar-

Diſſert. 29. chus. Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χά-

De nat. hn. 44. ρισιν συνέχεται. Maximus Tyrius. Τὸ ἀθάνατον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Et, ne plureis conſecter, vnus Nemeſius eſto ſaris, qui poſtquàm integram, iiſdémque verbis retulit ſententiam, niſi quod pro πᾶν τὸ θεῖον, habet πάντα τὰ τοιαῦτα, adiicit hæc verba, ὀργὴ γὰρ θεῶν ἀλλότριον, ἐπὶ γὰρ ἀβουλήτῳ γίνεται, θεῷ δὲ οὐδὲν ἀβούλητον. *Res enim aliena à Diis eſt ira; quoniam excitatur ob id, quod præter voluntatem fit; præter autem Dei voluntatem fieri nihil poteſt.* Ad

Lib. 1. interpretationem quod ſpectat, ea eſt ex Cicerone deſumpta, qui non modò in libris de Legibus ait: *Primum caput libri optimi eſſe, in quo Epicurus ſcripſerit, Nihil curare Deum, nec ſui, nec alieni*: (Quo modo in libris quoque

Lib. 2. de Diuinatione: *Illius enim Deus*, inquit, *nihil habens nec ſui, nec alieni negotij non poteſt hominibus diuinationem impertire*: ac rursùs; *Quis* Rata Sententia. *hoc vobis dabit? Epicurúſ-ne, qui negat quicquam Deos nec alieni curare, nec ſui?*) ſed in libris Lib. 1. etiam de natura Deorum, Velleium inducit illam his verbis referentem: *Quod æternum, beatúmque ſit id, nec habere ipſum negotij quidquam, nec exhibere alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ teneri; quòd quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia.* Ac in libris de Officiis: *Quid eſt* Lib. 3. *igitur*, inquit, *dixerit quis, in iureiurando? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium Philoſophorum; non eorum modò, qui Deum nihil habere ipſum negotij dicunt, & nihil exhibere alteri: ſed eorum etiam, qui Deum ſemper agere aliquid, & moliri volunt, nunquam nec iraſci Deum, nec nocere.* Nihil verò neceſſe eſt adnotare Lactantium interpretationem feciſſe De ira Dei, 4. cauſalem, dum, poſtquàm id præmiſit, quod ſuperiùs retulimus: *Cùm putaret Epicurus alienum eſſe à Deo malum facere, atque nocere, quod ex affectu iracundia plerumque naſcitur; ademit ei etiam beneficentiam; quoniam videbat conſequens eſſe, vt ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam; itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem*; tùm ſubiicit: *Ex hoc*, inquit, *beatus, & incorruptus eſt, quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet.* Multò minùs neceſſe eſt referre interpretationem verſibus expreſſam, qualis eſt illa Auſonij,

Quod eſt beatum morte & æternum carens,
Nec ſibi parit negotium, nec alteri.

Aut vberior illa Lucretij, Lib. 1.

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſummo cum pace fruatur,
Semota à rebus noſtris, ſeiunctáque longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Aut quam ex Lucretio, & imitatione quidem Lib. 5. illius verſus,

Nā benè qui didicere Deos ſecurum agere æuū, &c.

Horatius hiſce attigit, 1. Sat. 5.

——*Credat Iudæus Apella,*
Non ego; namque Deos didici ſecurum agere æuum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſteis ex alto cæli demittere tecto.

Ad rem ipſam quod attinet, cùm pari ratione Epicurus ſcripſiſſet ad Herodotum, οὐ συμφωνεῖν πραγματείας, καὶ φροντίδας, καὶ χάριτας μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεσθαι. *Non congruere cum felicitate negotia, ſollicitudines, iram, gratiam; ſed hæc præ imbecillitate, metu, opiſque externæ indigentia contingere*: Anſam cepimus illeic loci, tuendi, quantum per vireis licuit, Diuinam Prouidentiam, ac adnixi ſumus ſic oſtendere eam, quam habet Deus rerum curam, non laborioſum eſſe negotium, neque ſollicitudinem anxiam; eam, qua tenetur, iram, aut gratiam, non eſſe affectionem quampiam turbulentam; nihil ideò iſtorum cum felicitate pugnare, aut imbecillitatem, metum; indigentiámque arguere;

Rara Sententia. Vt nihil videatur, quod hoc loco adiiciendum ſit, ſupereſſe. Hoc ſolùm, quaſi ad hominem prætereundum argumentum non eſt, quòd quæri ex Epicuro poteſt, Deus-ne (quilibet-ve Deorum in Intermundiis illis, aut, vt Lucretius vocat, *ſedibus quietis*, degentium) voluprate afficiatur quapiam, ſeu aliqua re delectetur, an-non? Nam ſi nulla re delectetur, & ne ſuam quidem felicitatem cognoſcat, ac ſentiat, Marpeſia eſt cautes, neque vlla in eo felicitas intelligi, magiſquam in lapide poteſt. Sin delectetur; perſpicuum eſt, delectationem eſſe affectionum, ſeu paſſionum vnam; atque ideò non omnem, omníve modo acceptam paſſionem alienam eſſe à diuina natura; ac iſtam quidem tantò minùs, quantò eſt quaſi flos, ac veluti curonamentum omnis actionis elicitæ ſecundum naturam. Porrò, ſi in Deo delectatio eſt; quænam, amabò, eſſe maior, quàm quæ ex Beneficentia percipitur, poteſt? Quomodo autem poteſt Deus vberiùs, magnificentiúſque ſuam teſtari beneficentiam, quàm toti Mundo prouidens, ac ſpeciatim hominibus, qui ſint huius beneficentiæ, Prouidentiæque intelligentes? Verùm homines quidem experiri huiuſmodi beneficentiam, ſeu largiri Deum illis beneficia, planum ſuperiùs fa-
4. Benef. 9. ctum eſt prolixo ex Seneca loco, quo ille, quaſi indignabundus: *Non dat*, inquit, *Deus beneficia, ſed ſecurus, & negligens noſtri auerſus à Mundo aliud agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuria tangant*, &c. Quod ſupereſt au-
Loc. cit. tem, præclarè Lactantius: *Qua igitur in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi ſemper quietus, & immobilis torpet; ſi peccantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm Prouidentia?* Hic verò locus reuocat in mentem, non id modò, quod aduerſus Marcio-
Lib. 1. nem habet Tertullianus; Nam, *ſi aliquem*, inquit, *de Epicuri ſchola Deum affectauit Chriſti nomine titulare, vt quod beatum, & incorruptibile ſit, neque ſibi, neque aliis moleſtias præſtet (hanc enim ſententiam remoueat Marcion, remouit ab illo ſeueritates, & iudiciarias vices) aut in totum immobilem, & ſtupentem Deum concepiſſe debuerat; aut*, &c. ac iterum: *Sed Marcion*
Lib. 5. *principalem ſuæ fidei terminum, de Epicuri ſchola agnoſcat dominum, inferens hebetem, nec timeri dicat eum*, &c. verùm etiam id, quod Ma-
Diſſert. 29. ximus Tyrius, dum Philoſophos cum Poëtis circa opiniones de Deo comparans, Epicurum habet circa hanc ſententiam quovis Poëta ſocordiorem, diſſolutiorem, Numiniſque imperitiorem; & poſtquàm ipſam fabulam dixit, quæſiſtque, in eiuſmodi Voluptatibus, verſari Deum putet, ſubdit: *At ne Sardanapalus quidem negotio vacabat, qui degeret licet clauſis foribus, & in calato recubans lecto, mulierum chorum circumſtantem haberet, nihilominùs de ſalute Nini, déque Aſſyriorum felicitate conſilia habebat. Tibi-ne ergo videtur Iouis, quàm Sardanapali voluptas languidior?* ὢ μύθων ἀπί-σων; *O incredibileis fabulas!* Dicit porrò etiam
In pag. 91. De orat. def. fabulas Plutarchus, qua occaſione ipſi Epicurei Prouidentiam μῦθον, *fabulam* dixerunt: ac fatuum ſubinde pronunciat, quod illi fuere argumentati aduerſus Empedoclem Dæmonas inducentem: *Non poſſe illos* (quod eſt antè notatum) *praui, & vitioſi cùm ſint, felices, longæuoſque eſſe, quòd prauitati inſit multa cæcitas, & ad afferentia interitum propenſio*; vt liceat proinde fatuum dicere, quod pari ratione argumentabantur commotionem illam, quæ per iram ſentitur, tendere ad diſſolutionem. Attexendum verò & hoc, quaſi ad hominem argumentum. Fatetur Epicurus, ex ſuperiùs dictis, Eſſe in Deo, *Non corpus, ſed quaſi corpus; non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem*: Quid-ni ſimiliter fateatur eſſe in Deo, non Paſſiones, ſed quaſi Paſſiones? atque adeò non iraſci illum, ſed quaſi iraſci; non teneri gratiâ, ſed quaſi teneri? quatenus ſcilicet id præſtat, caſtigando improbos, quod hominum vulgus ſolet facere, dum iræ ſuccumbens vlciſcitur, facítque iniuriam; & benè afficiendo bonos, quod homines faciunt, dum capti alicuius indole geſtiendo lætantur? Et ſanè, ſi poteſt Vir ſapiens, vt obſeruatum ſuperius eſt famulum peccantem increpare, & corrigere, ac animo tamen quieto conſtare: ſi ſine geſtiente lætitia egenti benefacere, ac ita ſe quoque habere erga miſerum, vt nihil opis prætermittens, quò minùs illum ſubleuet, dolorem tamen fractâ mente non ſentiat, ſeu ipſa affectione miſericordiæ non perturbetur; Erit-ne minor in Deo virtus, vt punire ſonteis, gratificari indigentibus, afflictis ſuccurrere, niſi imbecillitatem teſtetur, ac faciat ſimul ſuæ ſapientiæ felicitatiſque iacturam, non poſſit? An in Deo eſſe non poterit, quæ eſt in Iudice animi ſedatio; qui vbi de damnando reo agitur, vſurpare poteſt illud
Senecæ: *Procedam in tribunal, non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis; & illa ſolemnia verba, ſeuera magis, grauique, quàm rabida voce concipiam; & agi iubebo non iratus, ſed ſeuerus. Et cùm ceruicem noxio præcidi imperabo; & cùm parricidam inſuam culeo; & cùm mittam in ſupplicium militare; & cùm Tarpeio proditorem, hoſtémve publicam imponam; ſine ira, eo vultu, animoque ero, quo ſerpentes, & animalia venenata percutiunt. Iracundiâ opus eſt ad puniendum? Quid? Tibi videtur lex iraſci his, quos non nouit, quos non vidit, quos non futuros ſperat? Illius ſumendus eſt animus, quæ non iraſcitur, ſed conſtituit.* 1. De Ira, 16.

ꝟ. 33. Ἐν ἄλλοις ἢ. Laërtij eſt additamentum: Lego verò ſtatim ὁ μὲν, pro ὃς μὲν, & ὡς ἢ, pro ὃς ἢ, quòd ſecùs appareat, quid ſenſus exinde poſſit elici. Nihil eſſe interim videtur, quod ad loci declarationem iis addatur, quæ ſunt de ipſo circa habitam Exiſtentiæ Dei notitiam ſuperiùs allata; ac indicatis potiſſimùm illis ex Cicerone verbis; *Eam eſſe vim, & naturam Deorum vt primùm non ſenſu, ſed mente cernatur; nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, vt ea, quæ ille, propter firmitatem, ςερέμνια appellat; ſed imagimbus* 1. De Nat. De.

In pag. 91. 92. *ginibus ſimilitudine, & tranſitione perceptu, cùm infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus indiuiduis exſiſtat; & ad eos affluat cum maximis voluptatibus. In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere quæ ſit & Beata natura, & Æterna.* Vbi voces illæ, *nec ſoliditate, nec ad numerum,* ita videntur accipiendæ, vt intelligamus imagines, quæ nobis in ſomnis occurrunt, eſſe & tenuiſſimas, & animis noſtris continuo affluxu ſic appellere, vt aliæ aliis quaſi cohæreant, nec diſcerni, ac veluti numerari vt plures valeant; inſtar ſcilicet earum rerum, quæ ſolidæ ſunt, & interſtitiis diſtinguuntur vt declaratum ſuo loco eſt. Ac tenuitatem
1. Plac. 7. quidem indicat Epicurus, cùm apud Plutarchum docet Deos omneis λόγῳ θεωρητοὺς (quod ſanè vocabulum in ipſo etiam contextu ex-
Ecl. Phyſ. 3. ſtans reponendum apud Stobæum eſt, pro ἀριθμητὸς, ob quam vocem Interpres *Sectileis* Deos fecit,) διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως, *Cogitatione percipi, ob naturæ imaginum tenuem contexturam.* Cætera tùm Cicero ipſe poſteà indicat, dum, *Fluentium*, inquit, *frequenter tranſitio fit imaginum, vt è multis vna videatur*; tùm ipſemet textus ſuggerit non obſcurè. Extrema autem illa Ciceronis verba: *In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere quæ ſit & beata natura, & æterna,* apertè inſinuant, quò Laërtius ſpectarit, ſeu quamobrem ipſi venerit in mentem, vt ad ſententiam hæc adderet. Ad-
De orac. def. noto verò interim, vt Plutarcho eſt ſubſcribendum, cùm, *Si quid ſit*, inquit, *in Philoſophia riſu dignum, rideantur iſtæ imagines mutæ, cæcæ, inanimæ, quas illi neſcio vbi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere, apparendo, paſſimque oberrando; cùm aliæ à viuis, aliæ à pridem crematis, aut etiam putredine abſumptis corporibus defluxerint:* Ita dignum eſſe conſideratione, quod Metrodoro B. Clemens tribuit, de agnitione Dei per Viſa, ſeu Imagines (quas ille non εἴδωλα, ſed φάσματα vocat) vbi animæ noſtræ è corpore exceſſerint puræ. Ac non videtur quidem res genium ſiue Metrodori, ſiue Epicuri ſapere; at eiuſmodi tamen eſt, vt ſeu Metrodori, ſeu alterius ſit, non videatur eſſe heic prætermittenda. Itaque ſuadens B. Clemens, vt ad diſciplinam veram acceſſurus aliquos ex Ethnicis audiat, poſtquàm præmiſit Parmenidem, ſub-
Strom. dit: Μητροδώρῳ τε, καίτοι Ἐπικουρείῳ γενομένῳ, ἐνθέως ταῦτα εἰρηκότος, Μέμνησο, Μενέστρατε, διότι θνητὸς φὺς, καὶ λαβὼν βίον ὡρισμένον, ἀνέβης τῇ ψυχῇ, ἕως ἐπὶ τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων κατεῖδες, καὶ τὰ ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα, ὅτε σὺν εὐδαίμονι χορῷ, κατὰ τὸν Πλάτωνα, μακαρίαν ὄψιν τε, καὶ θέαν ἐπεσπόμενοι, μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλων θεῶν τελετὴν, ἣ θέμις λέγειν, μακαριωτάτην τελούμενοι, ἣν ὠργιάζομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ, καὶ ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑπέμενεν, ὁλόκληρα δὲ, καὶ ἀτρεμῆ φάσματα μυούμενοί τε, καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ, καθαροὶ, καὶ

ἀσήμαντοι τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. *Metrodorum quoque, qui licet Epicureus fuerit, diuinè tamen iſtud dixit,* Rata Sententia.
Memento, ô Meneſtrate, quandoquidem mortalis es, & limite clauſam accepiſti vitam, animo aſcendere; quouſque ipſam æternitatem, immenſitatémque rerum, & quæ ſunt futura, præteritáque perſpexeris. Id, quod eueniet, cum, iuxta Platonem, vnà cum felici choro beatam faciem, & ſpectaculum contuebimur; ac inſequentes, nos quidem cum Ioue, alij verò cum aliis Diis, myſteria peragemus, celebrabimuſque, ſi fas dicere, beatiſſima: & perfecti iam, malorúmque omnium, quæ nos manſerint poſteriùs, expertes, perfecta, & pacata viſa aſſequemur, contuebimúrque in pura luce; puri ipſi, ac nullum ampliùs retinentes veſtigium huius, quod iam nominitamus corpus; cuique oſtrei inſtar illigati ſumus.

Mors ad nos nihil pertinet. Quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu. Quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omnino ad nos pertinet.

ỿ. 4. Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Eſt & hæc ſententia carbone notanda, quatenus quidem nullum ſupereſſe à morte ſenſum ita ſupponit, vt inferri exinde poſſit, eſſe animum, non minùs quàm corpus, diſſolutioni obnoxium; quod ſuperiùs eſt fusè refutatum. Quæ adhibita porrò eſt ad ipſum textum interpretatio, Ciceronis ad verbum eſt, nemóque penè eſt Authorum, qui ipſam quoque verbatim non habeat. Cæteros inter, Empiricus tùm eam copulat cum iis, quæ hac eadem de re in Epiſtola ad Menœceum exſtant; tùm illud, τὸ γὰρ διαλυθὲν, pro demonſtratione habet, dum *Mortem*, inquit, *nihil pertinere ad nos, dictum quidem fortè à Sophrone fuit; verùm demonſtratum eſt ab Epicuro; neque, quod dictum fuerit, ſed quod demonſtratum, mirabile eſt.* Quo loco obiter obſeruari poteſt, cùm Sophron Mimographus fuerit, cuius Ariſtoteles, Athenæus, Laërtius, alij meminerunt; Interpretem tamen videri habuiſſe vocem σώφρων, quaſi Epitheton, quo Epicurus intelligere Epicharmum voluerit. Fortè, quòd Epicharmus quoque ſimile quidpiam edixerit, cuiuſmodi eſt v. c. carmen, quod Cicero ita expreſſit: Pag. 92 Adu. Gram. Lib. de Poët. lib. 3. Ibid. 1. Tuſc.

Emori nolo; ſed me eſſe mortuum, nihili æſtimo.

Huiuſcemodi porrò demonſtratio, ſiue argumentatio eſt, de qua A. Gellius hæc habet: *Plutarchus ſecundo librorum, quos de Homero compoſuit, imperfectè, atque præpoſterè, atque inſcitè, ſyllogiſmo eſſe vſum Epicurum dicit; verbáque ipſa Epicuri ponit* ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Nã, prætermiſit, inquit, quod in prima parte ſumere debuit,* ὁ θάνατος ψυχῆς, καὶ σώματος διάλυσις, *Tùm deinde, eodem ipſo, quod omiſerat, quaſi poſito, conceſſóq; ad confirmandũ aliud vtitur. Progredi autẽ hic, inquit,* Lib. 2. c. 8.

Rata Sententia. *ſyllogiſmus, niſi illo priùs poſito, non poteſt. Verè hoc quidem Plutarchus de forma, & ordine ſyllogiſmi ſcripſit. Nam ſi, vt in diſciplinis traditur, ita colligere, & ratiocinari velis, ſic dici oportet,* ὁ θάνατος, ψυχῆς, καὶ σώματος διάλυσις, τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Sed Epicurus, cuiuſmodi homo eſt, non inſcitiâ videtur partem illam ſyllogiſmi prætermiſiſſe. Neque id ei negotium fuit, ſyllogiſmum, tanquam in ſcholis Philoſophorum, cum numeris omnibus, & cum ſuis finibus reddere. Et profectò, quia ſeparatio animi, & corporis in morte euidens eſt, non eſt ratus neceſſariam eſſe eius admonitionem, quod omnibus prorſus erat obuium; ſicuti etiam, quòd concluſionem ſyllogiſmi non in fine poſuit, ſed in principio. Nam id quoque non imperitè factum, quis non videt? Apud Platonem quoque, &c.* Quæ quidem ex parte relata libro Apologiæ octauo, heic iterum refero, tùm quia controuerſia ob hunc locum fuit, tùm vt innuam, niſi Agellius inſtituto à ſe ſyllogiſmo concluſionem adhibuit, quæ eſſe potuit huiuſmodi, ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, idcircò videri ab ab eo factum, quòd cùm præmiſerit *ſic dici oportere, ſi velis ita colligere*, viſus fuerit nihil velle aliud quàm antecedens, ſiue Præmiſſas proponere, quibus poſitis ea concluſio neceſſariò conſequeretur. Quamquam & obſeruari poteſt debere in eius ſyllogiſmo, qui nihil aliud eſt, quàm Sorites, duas poſteriores propoſitiones ita copulatas haberi, vt pro vnica aſſumptione ſint, ne non ſit ſyllogiſmus tricorpor; & cùm hoc fuerit præſtitum, fore dumtaxat ſyllogiſmum Galenicæ, vt vocant, formæ, iuxta quam in ea figura, quæ Ariſtoteli eſt prima, Medium prædicatur in Propoſitione de Minore extremo. Poſſet proinde ſyllogiſmus hac fortè ratione efferri, ὢν τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τῷ θανάτῳ δὲ τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς: poſſet & commodiùs cum ſubſumpto exprimi; verùm nihil eſt vitilitigandum; niſi quòd prætereà adnotandum eſt, quòd

1. De fin. Cicero hanc in rem habet. Is ergo prolatâ ſententiâ; *Hoc ipſum*, inquit, *elegantiùs poni, meliuſque potuit. Nam quod ita poſitum eſt, Quod diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu, id eiuſmodi eſt, vt non ſatis planè dicat, quid ſit diſſolutum; ſed tamen intelligo quid velit. Quæro autem quid ſit, quod cum diſſolutione, id eſt, morte exſtinguatur. Et cùm reliqui nihil ſit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate, tamque diligenter caueat, & ſanciat, vt Amynomachus, & hæredes ſui de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit, ad diem agendum natalem ſuum quotannis menſe Gamelione, &c.* Adnotandum &

Lib. de an. (cæterorum vice) quid Tertullianus eandem ad rem. Ille ſcilicet, *Epicurus*, inquit, *vulgari ſatis opinione negauit mortem ad nos pertinere. Quod enim diſſoluitur*, inquit, *ſenſu caret, & quod ſenſu caret, nihil ad nos. Diſſoluitur autem, & caret ſenſu non ipſa mors, ſed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit paſſionem cuius eſt actio. Quòd ſi hominis eſt pati mortem, diſſolutionem corporis, & peremptionem ſenſus; quàm ineptum, vt tanta vis ad hominem non pertinere dicatur?* In pag. 92. *Multò concinniùs Seneca, Poſt mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipſa.* Prætereo autem hanc ſententiam affini illi in Epiſtola ad Menœceum iunctam, locum feciſſe Patribus ſanctis, taxandi ſæpiùs Epicurum; præ cæteris autem B. Hieronymo, dum in verba illa Eſaiæ, *Ecce gaudium, & lætitiam: occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carneis, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*; intelligi id poſſe dicit, *non ſolùm de hæreticis, ſed de omni peccatore, qui negligens peccata ſua, deſperatione fit peior, & voluptatibus irretitus, iungit peccato blaſphemiam, dicens illud Epicuri: Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Itemque dum ſcribens aduerſus Iouinianum: *Manduca*, inquit, *& bibe, & ſi tibi placet, cum Iſraële lude conſurgens, & canito, Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Manducet, & bibat, qui poſt cibos exſpectat interitum; qui cum Epicuro dicit, Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Quibus ſanè congruit, quod inter collecta veterum Poëtarum Epigrammata, illud Epicuro, tametſi non fuerit verſificator, tribuitur: Cap. 22 Lib. 2.

Cùm te mortalem nôris, præſentibus exple
Delitiis animum: poſt mortem nulla voluptas.

Prætereo hæc, inquam, aliáque id genus, & quæ prætereà ediſſeri aduerſus ſententiam heic poſſent; cùm ſufficere illa debeant, quæ pro animorum immortalitate aduerſus Lucretium diſputata ſuperiùs ſunt, tam circa primam illam rationem, qua de humore quaſſatis vaſis, diffluente, déque Nebula, ac fumo loquens:

Lib. 3.
Crede, inquit, *animam quoque diffundi, multóque perire*
Ocyùs, & citiùs diſſolui corpora prima,
Cùm ſemel ex hominis membris ablata receſſit.

Quàm etiam circa cæteras, ac Nonam ſpeciatim, cuius concluſio eſt,

Quare etiam, atque etiam, reſoluto corporis omni
Tegmine; & eiectis vltra vitalibus auris,
Diſſolui ſenſus animi fateare neceſſe eſt,
Atq; animam, quoniã coniuncta eſt cauſa duobus.

Voluptas ſumma ipſa eſt doloris amotio. Nam vbicumque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, ibi nihil eſt aut dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul.

ỷ. 7. Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν. Hanc quoque ſententiam, celebrem & ipſam, Cicero locis pluribus attingit, & interpretatur. Lego autem ỷ. 9. ὅπου γὰρ ἂν, pro ὅπου δ' ἂν, quòd ſenſus ſatis perſpicuè cauſalem exigat coniunctionem. Notandum verò, quod Cicero tributis illis Torquato verbis: *Omnis autem priuatione doloris putat Epicurus terminari ſummam voluptatem*, videtur ὑπεξαίρεσιν 1. De fin.

priuationem

In pag. 92. *priuationem* interpretari ; reddere illum quoque deinceps *amotionem*, *detractionem*, *&c.* vt occurret etiam poſteà attingendum. Nemeſius huiuſmodi vocem, quaſi Epicuri propriam habitam, interpretatur ἀπαλλαγὴν, *liberationem* ; & Plutarchus, cùm ipſius non ſemel meminerit (veluti dum ait non omneis τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ὅρον ἡδονῆς, καὶ πέρας ſtatuere) dicit etiam interdum ῥύσιν, interdum φυγὴν, *&c.* Empiricus autem declarans non deſumpſiſſe Epicurum ex Homero τὸν ὅρον τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, multùm differre docet, quod ille ait:

De na. ho. 18.

Symp.

Adu. l.

Adu. ſcam.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.
>
> *At poſtquam excmpta eſt, potuſque, cibique cupido ;*

Et dicere, ὅρον εἶναι τοῦ περὶ τὰς ἡδονὰς μεγεθῶν τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, *Magnitudinis voluptatum terminum eſſe amotionem doloris*. Aduertendum interim circa vocem ἀλγοῦντος, quam cum Cicerone nomine *Doloris*, tùm heic, tùm priore ſententiæ loco reddimus (quod enim poſteriore reddimus τὸ ἀλγοῦν, *Dolens*, Ciceronianum quoque eſt) cepiſſe rursùs Plutarchum anſam intentandi Epicuro litem, quam rurſus ex Agellio quoque cognoſcere operæ pretium eſt. Verba itaque ipſius hæc ſunt : *In eodem libro idem Plutarchus eundem Epicurum reprehendit, quod verbo vſus ſit parùm proprio, & alienæ ſignificationis* ; Ita enim ſcripſit Epicurus, ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. *Non*, inquit, παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος, *ſed* παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ *dicere oportuit : Detractio enim ſignificanda eſt doloris, inquit, non dolentis. Nimis minutè, ac propè etiam ſubfrigidè, Plutarchus in Epicuro accuſando* λέξεως τινός. *Has enim curas vocum, verborùmque elegantias, non modò non ſectatur Epicurus, ſed etiam inſectatur.* Hæc ille, quæ etiam in Apologia notauimus. Ad rem ipſam quod attinet, Nihil eſt, cur quidpiam addamus ad ea, quæ tùm paucis non multò antè circa diſcrimen Epicurum inter, & Ariſtippum attigimus ; tùm multis ſuperiùs circa naturam Voluptatis pro fine habitæ proſequuti ſumus : Quippe ex illis abundè conſtat, cupiditates, quas natura ingenuit, eſſe cum aliquo dolore, ad quem eximendum natura, tanquam ad ſuum finem, inſtiget ; & quò ad actionem illi eximendo neceſſariam comparatiores ſimus ; condire naturam huiuſmodi actionem ipſa voluptate in motu, quaſi dulcore aliquo ; ac inde conſequi, vt tam ipſa actio, quàm voluptas illius comes ad ipſam doloris exemptionem terminetúr ; ipſaque proinde exemptio doloris, tùm ſit voluptatis in motu, quantumvis magnæ, terminus, tùm comparata ad ipſam ex eo ſummum teneat, quòd illius ſit (& à natura quidem inſtitutus) finis.

Lib. 2. c. 9.

1. Adu. Col.

Ac multa quidem ſunt, quæ Plutarchus præ cæteris exaggerat, vt probet nos exemplo auium, animantiúmque cæterarum, quæ exſatiatæ canunt, & volant, & natant, & ludunt, aut alia ratione ſe oblectant, quærere etiam aliquid, præter exemptionem doloris ; ne, ſi ea ſummum bonum ſit, tale ſolùm eſſe dicatur, quale eſt mancipiorum, atque captiuorum, quibus nihil ſit, quàm ſeruitute, & vinculis eximi, melius. Verùm deductum ſuperiùs eſt, longè abeſſe Epicurum, vt velit illum Indolentiæ, ſiue tranquillitatis ſtatum incapacem eſſe oblectamentorum, qualia Plutarchus deſiderat ; ſed velle eum eſſe habendum, quaſi quandam ſummam, generalémque voluptatem, quæ cæteras omneis voluptates ſic condiat, vt ſine ipſa voluptates non ſint : veluti ſi quis habeat ſaccharum, quaſi ſummum quoddam, & generale dulcoramentum, cuius participatione omnes cibi dulces reddantur. Scilicet inferiùs ſpeciali ſententia docet, ſumma hac voluptate obtenta, *Non augeri ipſam deinceps, ſed variari ſolummodò* ; ob varia, putà, oblectamenta, quibus quaſi ſubſternitur ; eo modo, quo, habito ſacchari dulcore, non augetur ille quidem, ſed variatur tamen ob multiplicem ciborum miſturam. Ad huiuſmodi porrò oblectamenta, ſeu voluptates ſpectare etiam poſſunt, quæ plerumque viſu, auditúque, & non ſolùm olfactu, quem Plato obiicit, percipiuntur. Quippè tametſi hæ voluptates nullo præeunte dolore poſſint percipi ; idcircò eſt, quia natura non fecit earum cupiditates, vt cæterarum, neceſſarias ; ſed fecit ſolùm conducenteis ad variandum illam, quam ſummam inſtituit. Quod Plutarchus autem cauſatur, non fore aliud ſummum bonum, quàm cuiuſmodi mancipiorum, aut captiuorum eſt ; Quæſierim ſolùm, an-non pro mancipiis, captiuiſque habeat, quoſcumque homines aut corporis dolores, aut animi ægritudines, paſſionéſve, occupatos tenent ? Quid-ni ergo, vt illi nihil ſuauius ducunt, quàm in libertatem aſſeri ; ſic reputare omnes debeant nihil eſſe poſſe, quàm mentem ſanam in corpore ſano obtinere, iucundius. Ac citat ille quidem Platonem, non admittentem ipſam doloris exemptionem voluptatem cenſeri ; Verùm, cùm, vt iam antè eſt dictum, ſola Platoni ratio ſit, quia pari modo voluptatis deſitio eſſet dolor exiſtimandus ; quod tamen non ſequi declaratum eſt : tùm videre profectò licet, longè eſſe Platonem, vt de Voluptatis deſitione paria afferat, ac de deſitione, ſiue exemptione doloris. Ecce nimirùm, vt colloquatur. *Dic, amabò, Nunquid Dolorem Voluptati eſſe contrarium dicemus ? Sic ſanè eſt. Nunquid etiam aliquis eſt, quo neque lætari, neque dolere contingat, ſtatus ? Aliquis omninò. Cùm is igitur inter vtraque ſit, tranquillitatem animi quandam circa ea verſari, dices ne, an non ? Dico penitùs. An-non meminiſti, inquam, cuiuſmodi ſint verba ; quæ ſcilicet donec laborant morbo, proferunt ? Cuiuſmodi-nam ? Nempe, nihil eſſe ſanitate ſuauius : ſed ſe id latuiſſe, priuſquàm ægrotarent, cùm foret tamen iucundiſſimum ? Memini,*

Rara Sententia.

9 De Rep.

Loc. cit.

mini,

Rata Sententia. *mini*, inquit. *An-non & acerbiſſimis doloribus vexatos audis, vt dicant nihil eſſe, quàm doloribus huiuſcemodi liberari iucundius? Cùm vides etiam homines in aliis id genus conſtitutos anguſtiis; annon, donec anguntur, mirè commendant ipſum non angi, & ab angore eximi; idque ipſum, non verò lætari, rem eſſe omnium iucundiſſimam dicunt? Ita eſt, inquit.*

Non diu perſeuerat in corpore continens dolor; ſed ſummus quidem deſiuit breui (quoniam aut ſoluit, aut ſoluitur) *& qui moram trahit, non multos eſt dies abſque aliqua in ipſo corpore voluptate. Qui verò morbi productiores ſunt*, ij per interualla *plus habent in corpore iucundi quàm mali.*

2. De fin. ♆. 13. Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν. Potuit contrahi Sententia in pauca, imitatione Ciceronis, cùm, *Doloris*, inquit, *medicamenta illa Epicurea, tanquam è Narthecio promant, Si grauis, breuis; ſi longus, leuis, &c.* Lego autem ♆. 15. τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον ἄντα τῆς ἡδονῆς, pro τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον. Siquidem, niſi ita fiat, aut nullus, aut etiam repugnans ipſi Epicuro elicietur ſenſus. Is verò, quem deducimus, & additiunculâ etiam ad interpretationem factâ declaramus, confirmari poteſt ex variis Authorum, qui huius ſententiæ meminerunt, locis. Nam Plutarchus, exempli gratiâ, illud Æſchyli referens: (De aud. po.)

Θάρσει, πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον,

Confide: ſummus haud trahit tempus dolor:

Subdit: *Hoc idem eſſe cum famigerata illa, & admirationi ſemper habita Epicuri ſententia*, οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν, *Summi dolores breui abducunt; diuturni verò magni non ſunt*; Adiicitque, *Æſchylum illud perſpicuè dicere; hoc ipſius conſequens eſſe.* Εἰ γὰρ ὁ μέγας, καὶ σύντονος, οὐ παραμένει πόνος, οὐκ ἔστι μέγας ὁ παραμένων, οὐδὲ δυσκαρτέρητος. *Si enim magnus, intenſuſque dolor, non perdurat, is qui perdurat, non eſt magnus, neque intolerabilis.*

1. De fin. Cicero verò, Tùm inducit Torquatum illud ex Epicuro referentem, quod iam antè retulimus: *Maximos dolores morte finiri; paruos multa habere interualla quietis, &c.* Itémque, *Dolorem in longinquitate leuem, in grauitate breuem eſſe ſolere; vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio conſoletur?* Ac rursùs: *Nunquam vim tantam dolores habent, vt non plus habeat Sapiens quòd gaudeat, quàm quòd* 2. De fin. *angatur*: Tùm quaſi id exprobrans, *Quod autem*, inquit, *magnum dolorem breuem, longinquum leuem eſſe dicitis, non intelligo quale ſit*: Quod idem aliàs etiam inculcat. Vt præteream, quod ex Zenone Epicureo refert, (5. Tuſc.) *Dolorem* nempe, *ſi ſummus foret, futurum breuem; ſi productior, plus habiturum iucundi, quàm mali.* Epiſt. 94. Seneca autem huc, vt apparet, reſpectans: *Optimam Doloris eſſe naturam* ait, *quòd non poteſt, nec qui extenditur, magnus, nec qui eſt magnus, extendi.* (In pag. 92.) Quod autem dicit alibi: *Longum morbum habere intercapedinem* (vti & *breuem exſtinguere, aut exſtingui*) quodque Cicero aliis verbis ait *habere interualla quietis*; illud (Epiſt. 78.) ita ad poſteriorem ſententiæ partem attinet, vt etiam pertinere poſſit ad acutos morbos, quibus laburare aſſuetus quis ſit. Propterea enim videtur Epicurus apud Plutarchum dicere, ἐγγελᾶν ταῖς ὑπερβολαῖς τῶν περὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα τὸν σοφόν, *Sapientem ſæpiùs laborantem, etiam per ipſam morbi corpus afficientis vehementiam, ridere.* Quem ſanè locum, ſuperiùs licet relatum, heic iterum citò, ad excuſandum, quod vocem σαρκὸς ſynonymam in hiſce locis cum voce σώματος habitam, nomine *Corporis* reddam potiùs, quàm *carnis*. Denique M. Antoninus, *In maxima*, inquit, *dolorum parte, illud Epicuri ſuccurrat*, ὅτι οὐκ ἀφόρητον, οὔτε αἰώνιον, ἐὰν τοὺς ὅρους μνημονεύῃς, καὶ μὴ προσδοξάζῃς, *Neque intolerabilem, neque perpetuum eſſe dolorem; ſi modò finium ipſis rebus præſcriptorum memineris, nihilque adieceris ex tuo opinatu.* (7. De vi. ſu.) Scilicet hoc modo vocem προσδοξάζῃς, iuxta ea, quæ dicta ſunt in Epiſtolam ad Herodotum interpretor; ac ſimul ad illud Senecæ reſpicio: *Noli mala tua facere tibi ipſi grauiora, & te querelis onerare: leuis dolor eſt, ſi nihil illi opinio adiecerit.* (Epiſt. 78.)

Qui præcipuè heic aliquid obiiciat, ipſe eſt Cicero: Nam, cætera inter, quæ variis in locis: (2. Tuſc.) *Venit Epicurus*, inquit, *homo minimè malus, vel potiùs vir optimus; tantum monet, quantum intelligit. Neglige*, inquit, *dolorem. Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem ſummum malum: Vix ſatis conſtanter: audiamus. Si ſummus dolor eſt*, inquit, *breuem eſſe neceſſe eſt. Itero dum eadem iſta mihi: non enim intelligo, quid ſummum dicas eſſe, quid breue. Summum, quo nihil ſit ſuperius; breue, quo nihil breuius. Contemno magnitudinem doloris, à qua me breuitas temporis vindicabit, antè penè, quàm venerit. Sed ſi eſt tantus dolor, quantus Philoctetæ; benè planè magnus mihi quidem videtur, ſed tamen non ſummus; nihil enim dolet, niſi pes. Poſſunt oculi; poteſt caput, latera, pulmones; poſſunt omnia. Longè igitur abeſt à ſummo dolore. Ergo*, inquit, *dolor diuturnus habet lætitiæ, pluſquàm moleſtiæ. Hunc ego non poſſum tantum hominem nihil ſapere dicere; ſed nos ab eo derideri puto. Ego ſummum dolorem (ſummum autem dico, etiam ſi decem atomis eſt maior alius) non continuò dico eſſe breuem; multoſque poſſum bonos viros nominare, qui complureis annos doloribus podagræ crucientur maximis; ſed homo cautus nunquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum; vt ſciam, quid ſummum dicat in dolore, quid breue in tempore. Omittamus igitur hunc nihil prorsùs dicentem, &c.* Ad hæc porrò, & conſimilia, non id oppono, quod habet Plato, dum vehementiores eſſe per morbum, quàm per ſanitatem voluptates ediſſerit; (In Philebo.) *Nam &*, inquit, *qui*

In pag. 92. *qui febre, aliiſque huiuſmodi morbis laborant, vt vehementiùs, quàm cæteri ſitiunt, algent, & ſolita id genus alia in corpore patiuntur, ac idcircò ſunt in maiore indigentia, quàm cæteri; ita & auidiùs indigentiam explentes, maiorem exinde capiunt voluptatem* Non id, inquam, oppono; ſed illud potiùs, quod Seneca, qui hanc Epicuri ſententiam quaſi amplificans, & probans: *Magnos*, inquit, *cruciatus habet morbus; ſed hos tolerabiles interualla faciunt; nam ſummi doloris intenſio inuenit finem. Nemo poteſt valdè dolere, & diù. Sic nos umantiſſima noſtri natura diſpoſuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Maximi dolores conſiſtunt in macerrimis corporis partibus; nerui, articulique, & quicquid aliud exile eſt, acerrimè ſæuit, cùm in arcto vitia concepit. Sed citò hæ partes obſtupeſcunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt; ſiue quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in peius, vim ſuam, quâ viget, admonétque nos, perdit; ſiue quia corruptus humor, cùm deſiit habere quò confluat, ipſe ſe elidit, & his, quæ nimis impleuit, excutit ſenſum. Sic podagra, & chiragra, & omnis vertebrarum dolor neruorúmque interquieſcit, cùm illa, quæ torquebat, hebetauit. Omnium iſtorum prima verminatio vexat; impetus morâ exſtinguitur, & finis dolendi eſt, obtorpuiſſe. Dentium, oculorum, aurium dolor, ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſcitur, non minùs mehercule, quàm capitis ipſius. Sed quò incitatior eſt, eò citiùs in alienationem, ſtuporémque conuertitur. Hoc itaque ſolatium vaſti doloris eſt, quòd neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris. Illud autem eſt, quòd imperitos in vexatione corporis malè habet; non aſſueuerunt animo eſſe contenti; multum illis cum corpore fuit. Ideò vir magnus, ac prudens animum deducit à corpore, & multùm cum meliore, & diuina parte verſatur; cum hac querula, ac fragili, quantum neceſſe eſt.* Et poſteà: *Toto contra illum pugnet animo: vincetur, ſi ceſſerit; vincet ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt; attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. Iſtud, quod premit, quod impendet, quod vrget, ſi ſubducere te cœperis, ſequetur, & grauiùs incumbet; ſi contrà ſteteris, & obniti volueris, repelletur. Athleta quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt? Ferunt tamen omne tormentum gloriæ cupiditate; nec tantum, quia pugnant, iſta patiuntur; ſed, vt pugnent, exercitatio ipſa tormentum eſt. Nos quoque euincamus omnia, quorum præmium non corona, nec palma eſt, nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens: ſed virtus, & firmitas animi, & pax in cæterum parta, ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt. Dolorem grauem ſentio. Quid ni ſentias, ſi illum muliebriter tuleris? Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus; ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti, & auerſo. Sed graue eſt. Quid? nos ad hoc fortes ſumus; vt leuia portemus? Vtrum vis longum eſſe morbum, an*

Epiſt.78.

concitatum, & breuem? Si longus eſt, habet intercapedinem; dat refectioni locum, multum temporis donat: neceſſe eſt, vt exſurgat, & deſinat. Breuis morbus ac præceps, alterutrum faciet; aut exſtinguetur, aut exſtinguet. Quid autem intereſt, non ſit, an non ſim? in vtroque finis dolendi eſt. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes auertere animum, & à dolore diſcedere. Cogita quid honeſtè, quid fortiter feceris; bonas partes tecum ipſe tracta; memoriam in ea, quæ maximè miratus es, ſparge. Tunc tibi fortiſſimus quiſque, & victor doloris occurrat. Ille, qui dum varices exſecandas præberet, legere librum perſeuerauit. Ille, qui non deſiit ridere, cùm ob hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus eſt riſu? Quicquid vis, nunc licet dicas. Diſtillationes, & vim continuæ tuſſis egerentem viſcerum partes, & febrem præcordia ipſa torrentem, & ſitim, & artus in diuerſum articulis exeuntibus tortos: plus eſt flamma, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, quod illa renouaret, & altiùs vrgeret impreſſum. Inter hæc tamen aliquis non gemuit. Parùm eſt; non rogauit. Parùm eſt; non reſpondit. Parùm eſt; riſit; & quidem ex animo. Vis tu poſt hoc dolorem deridere? Sed nihil, inquit, *agere ſiuit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet, non animum. Itaque curſoris moratur pedes; ſutoris ac fabri manus impediet. Si animus tibi eſſe in vſu ſolet; ſuadebis, docebis, audies, diſces, quæres, recordaberis. Quid porrò? nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? Oſtendes morbum poſſe ſuperari, vel certè ſuſtineri. Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantum arma, & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus: & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes, quod agas: benè luctare cum morbo. Si nihil te coëgerit; ſi nihil exorauerit; inſigne prodis exemplum. O quàm magna erat gloriæ materia, ſi ſpectaremur ægri! Ipſe te ſpecta: ipſe te lauda. Præterea duo ſunt genera voluptatum: corporales morbus inhibet, non tamen tollit; imò, ſi verum æſtimes, incitat* (Platonicum heic argumentum habes) *Magis iuuat bibere ſitientem: gratior eſt eſurienti cibus. Quicquid ex abſtinentia contigit, auidiùs excipitur. Illas verò animi voluptates; quæ maiores, certioreſque ſunt; nemo medicus ægro negat. Has quiſquis ſequitur; & benè intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit.*

Rata Sententia.

Non poteſt iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtèque viuatur: neque ſapienter, honeſtè, iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Adeò proinde, vt cui non contingit ſapienter, honeſtè, iuſtè viuere, illi nec iucundè viuere contingat.

¶.21. ΟΥ'κ ἔστιν ἡδέως ζῆν. Lego in hac ſententia, οὐδὲ φρονίμως, &c. ad vſque οὐκ ἔστι τοῦτο, pro ἄνευ τοῦ ἡδέως. ὅτῳ δὲ τοῦτο μὴ ὑπάρχει, οὐ ζῇ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ ὡς δικαίως ὑπάρχει.

Ante Sententiam. ὑπάρχει. Scilicet ex his, vt ſe habent, qui intenditur, non elicitur ſenſus; & locus initio deprauatus periude eſt, ac ſimilis ille in Epiſtola ad Menœceum, qui ex Cicerone reſtitutus fuit. Ac poteſt quidem pars ſententiæ poſterior videri ſuperflua; niſi aliunde reponatur, ὅτῳ ᾖ, & ad ipſum vſque, illa, τὸ φρονίμως, & cætera, deleantur; ſed illud, ἄνευ τοῦ ἡδέως, indicat ſententiam fuiſſe enunciatam; vt in illa Epiſtola; ac poteſt pars poſterior adhibita fuiſſe quaſi conſequutio, ad exprimendum magis, vt cum virtute viuere, quò cum voluptate viuatur, oporteat. Cùm tam multa verò ad hanc rem dicta in eum locum iam ſint; nihil ſupereſſe circa iſtum poteſt; niſi vt inculcemus, dignum admodum conſideratione videri, quantâ in Epicurum inuidiâ ſit actum; cùm hæc etiam adeò præclara, adeóque perſpicua ſententia eò deflexa fuerit, vt quod heic dicitur, *iucundè viuere*, ad illegitimas, obſcœnáſque Voluptates fuerit traductum: ac ipſo Epicuro præſertim apertiſſimè profitente, non compotationes, non id genus alia iucundam vitam gignere, ſed Rationem ſobriam, ſed Prudentiam; ſed ortas ex ipſa virtutes, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, à quibus iucunda, beatáque vita ita inſeparabilis ſit, vt neque ipſæ ſine illa, neque illa ſine ipſis poſſit vſquam conſiſtere. Hoc profectò ſuppoſito, iuuat ſolùm attendere, quàm parùm æquè magni alioquin viri, etiam cognitâ, ſed detortâ

3. Tuſc. ſententiâ, in Epicurum inuehantur. Cicero enim, v. g. *Negat*, inquit, *Epicurus iucundè poſſe viui, niſi cum virtute viuatur. Negat vllam in Sapiente vim eſſe fortuna; tenuem victum antefert copioſo: negat vllum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit. Omnia Philoſopho digna; ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicit voluptatem: dicat quamlibet; nempè eam dicit, in qua virtutis nulla pars inſit.* Et rursùs, alloquens

2 De fin. Torquatum: *At negat*, inquit, *Epicurus (hoc enim veſtrum lumen eſt) quemquam, qui honeſtè non viuat, iucundè poſſe viuere; Quaſi ego id curem, quod ille aiat, aut neget. Illud quæro, quid ei, qui in voluptate ſummum bonum ponit, conſentaneum ſit dicere: Quid affers, cur Thorius, cur Poſthumius, cur Chius, cur omnium Magiſter Orata, non iucundiſſimè vixerit.* Quo loco, quia Oratam omnium Magiſtrum vocat, iuuat obiter adſcribere verba, quæ de eo B. Augu-

Lib. de vi. be. ſtinus ex ipſo Cicerone citat: *Orata*, inquit, *homini ditiſſimo, amœniſſimo, delicatiſſimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam, integrámque valetudinem. Nam & prædiis quæſtuoſiſſimis, amicis iucundiſſimis, quantum libuit, & abundauit, & illis omnibus aptiſſimè ad ſalutem corporis vſus eſt: eiuſque, vt breuiter totum explicem, omne inſtitutum, voluntatémque omnem ſucceſſio proſpera conſequuta*

2. Cont. Col. *eſt.* Plutarchus verò, cùm integrum librum titulo illo ſcripſerit, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, *Ne iucundè quidem licere, iuxta Epicurum, viuere*; tùm non longè ab initio aientem In pag. 92.

ad Theonem, Ariſtodemum inducit: *Quàm compendioſâ, planáque via ſermonem nobis intercepiſti; non ſinens putà Sectam illam, cauſam de honeſto priore loco dicere: Neque enim facile eſt à iucunda vita eos depellere homines, qui Voluptatem eſſe finem conſtituunt: verùm ſi honeſta exciderint vita, etiam à iucunda protinùs excidunt,* Ἐπεὶ τὸ ἡδέως ζῆν τοῦ καλῶς ἀνυπάρκτον ὄν, *quando, vt iucundè viuatur, niſi & honeſtè viuatur, effici non poteſt, ſicut ipſimet autumant.* Tùm & Theonem ſic excipientem: *Iſtud quidem ipſo in progreſſu ſi videbitur reponemus; nunc vtemur iis, quæ ipſi concedunt, &c.* Seneca quoque, *Itaque*, Lib. de vit.be. Cap. 6.

inquit, *negant poſſe voluptatem à virtute diduci; & aiunt, nec honeſtè quemquam viuere, vt non iucundè; non iucundè, vt non honeſtè viuat. Non video, quomodo iſta tam diuerſa in eandem copulam conjiciantur. Quid eſt, oro vos, cur ſeparari voluptas à virtute non poſſit? Videlicet, quòd omne boni ex virtute principium eſt: ex huius radicibus etiam ea, quæ vos & amatis, & expetitis, oriuntur. Sed, ſi iſta indiſcreta eſſent, non videremus quædam iucunda, ſed non honeſta: quædam verò honeſtiſſima, ſed aſpera, & per dolores exigenda.*

Addite nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpiſſimam venit: at virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non ſine voluptate, imò ob ipſam voluptatem ſunt; quod non eueniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, nunquam indiget. Quid diſſimilia, imò diuerſa componitis? Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum; cuius ſtatio, ac domicilium, fornices, & popina ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero, atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam. Cap. 7.

Et infrà: *Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus, ac belluis laxior eſt. Diſſimulas,* in- Cap. 9.

quit (ſupple Epicurus) *quid à me dicatur. Ego enim nego quemquam poſſe iucundè viuere, niſi ſimul & honeſtè viuat: quod non poteſt mutis contingere animalibus, nec bonum ſuum cibo metientibus. Clarè, inquam, ac palàm teſtor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non ſine adiecta virtute contingere. At quis ignorat pleniſſimos eſſe voluptatibus veſtris ſtultiſſimos quoſque? & nequitiam abundare iucundis; animúmque ipſum non tantùm genera voluptatis praua, ſed multa ſuggerere? Imprimis, inſolentiam, &c.* Ac ſtatim: *Temperantia læta eſt: Temperantia autem, cùm voluptates minuat, ſummi boni iniuria eſt. Tu voluptatem complecteris: ego compeſco. Tu voluptate frueris: ego vtor. Tu illam ſummum bonum putas: ego nec bonum. Tu omnia voluptatis causâ facis: ego nihil. Cùm dico me nihil voluptatis causâ facere; de illo loquor Sapiente, cui ſoli concedis voluptatem.* Cap. 10.

Non voco autem Sapientem, ſupra quem quid- Cap. 11.

quam

Digitized by Google

In pag. 92. *quam eſt; nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus, quomodo reſiſtet labori, ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam circumſtrepentibus minis? Quomodo conſpectum mortis? quomodo doloris feret? Quomodo mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium tam molli aduerſario victus? Quicquid voluptas ſuaſerit, faciet. Age; non vides quàm multa ſuaſura ſit. Nihil, inquis, poterit ſuadere turpiter; quia adiuncta virtuti eſt. Non tu vides iterùm quale ſit ſummum bonum, cui cuſtode opus eſt, vt bonum ſit? Virtus autem, quomodo voluptatem reget, quam ſequitur, &c.* Quibus profectò omnibus quid reſponderi debeat, adeò eſt in promptu ex hactenus dictis, vt penè ſuperfluum ſit admonere ſequi non multis pòſt

Cap.13. verſibus, apud ipſummet Senecam, egregiam illam Apologiam, quæ ſuis iam locis recitata eſt. *Ita non ab Epicuro impulſi luxuriantur: ſed vitiis dediti, luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt.* Et, *Non æſtimatur voluptas illa Epicuri, quàm ſicca, ac ſobria ſit.* Et, *Mea quidem iſta ſententia eſt, Epicurum ſancta, & recta præcipere, & ſi propiùs acceſſeris, triſtia.* Et, *Quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati, &c.*

Fuêre qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur (ac pro conditione quidem principatus & regni, ex quibus eam vulgò, comparari putant) affectauerint gloriâ præfulgere, illuſtrêſque euadere; exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillúmque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquilláque ipſorum vita, ij ſunt illud ipſum quod eſt naturæ bonum conſequuti. Niſi autem ſecura tranquilláque fuit (vt reuera eſſe vix poteſt) *tùm exciderunt ſanè ab eo quod naturæ congruum nanciſci ex principatu* fruſtrà *appetierunt.*

℣. 28. ΕʹΝΕΚΑ τοῦ θαῤῥεῖν. Fuêre omnino aliqua, ad eruendum quempiam perſpicuum iſtius Sententiæ ſenſum emouenda. Nimirùm ℣. 30. viſum eſt legi poſſe ἐξ ὧν ἀγαθῶν τοῦτο οἷον), pro ἀγαθὸν ἐξ ὧν ἄν ποτε τοῦτο οἷον τε ᾖ. Et poſteà, οἱ δὲ, pro ὅσοι. Ac rurſus, τῆς ἀρχῆς, pro ἐξ ἀρχῆς. Siqnidem, niſi aliqua ſimilis immutatio fiat; ac, niſi ex duabus periodis, parentheſeos ioteriectu, fiat vnica; conſtat nihil confuſius, obſcuriúſque eſſe. Eſt porrò hæc ſententia vna earum, quas ſubnotari ex Epicuro à Plutarcho antè eſt dictum, cùm Plutarchus eſſe Philoſophorum dixit,

Lib. de aud. Poë. quod adoleſcentes audire ex Poëtis poſſunt: *Mortem nihil ad nos pertinere, naturæ diuitias eſſe definitas, & felicitatem, beatámque vitam parere,* οὐ χρημάτων πλῆθος οὐδὲ πραγμάτων ὄγκον, οὐδ' ἀρχάς τινας, *&c. Non numeroſam pecuniam, aut poſſeſſionem rerum amplam; non principatum, aut potentiam dominatricem, &c.* Eſt & eadem,

quaſi antecedens ad illud Effatum, quo Epicurus contendit Sapientem, Niſi quid interuenerit, οὐδὲ πολιτεύσεσθαι, οὐδὲ τυραννεύσειν, *Neque ad Rempublicam acceſſurum, neque principatum geſturum.* Quippè hoc facere illum non debere, quòd in eo vitæ genere ſecuritatem, tranquillitatémque nanciſci aut ægrè, aut prorſus oon liceat: Hcioc, quæ hoc loco dicenda forent, proſequuti iam antè ſumus tùm circa id Effatum, tùm circa Ciuilem Prudentiam; adeò vt, ſi eſſe aliquid hoc loco videatur addendum, illud ſit maximè ſententia B. Ioaoois Chryſoſtomi; quippè quæ (ſalua diſparitate) eodem penè ſenſu, ac modo, quo partim iſta, partim illa, quæ in Epiſtola ad Menœceum, continet veræ Voluptatis declarationem, conſcripta videatur: Ille itaque in Epiſtolam ad Romanos ſcribere aggreſſus, poſtquàm præmiſit, *Eum, qui adoptionem diuinam, ſanctitatémque vita cuſtodit, eſſe longè illo, qui diademate exornatur, purpuráque induitur, illuſtriorem, ac feliciorem; & tranquillitate in hac vita affluentem, optima innutritum ſpei, ac nulli tumultui, perturbationique obnoxium, verùm continenti voluptate perfruentem,* tùm ſubdit: εὐθυμίαν γὰρ, καὶ χαρὰν οὐκ ἀρχῆς μέγεθος, οὐ χρημάτων πλῆθος, οὐ δυναστείας ὄγκος, οὐκ ἰσχὺς σώματος, οὐ πολυτελὴς τράπεζα, οὐχ ἱματίων κόσμος, οὐκ ἄλλο τι τῶν ἀνθρωπίνων ποιεῖν εἴωθεν, ἀλλ' ἢ κατόρθωμα μόνον πνευματικὸν, καὶ συνειδὸς ἀγαθόν· καὶ ὁ τοῦτο κεκαθαρμένον ἔχων κἂν ῥάκια περικείμενος ᾖ, καὶ λιμῷ παλαίων, τῶν σφόδρα τρυφώντων ἐστὶν εὐθυμότερος. *Animi enim tranquillitatem, & lætitiam, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ pompa, non corporis robur, non menſæ ſplendor, non veſtium decor, non aliud quidpiam rerum humanarum ſolet parere; ſed rectitudo ſpiritus, & conſcientia bona; quam puram quiſquis obtinet, ſit licet pannoſus, & luctetur cum fame, iis tamen, qui delicits valdè affluunt, tranquillior eſt.* Dixi hoc eſſe maximè addendum; cùm & prætereundum alioquin non ſit, reſpexiſſe videri ad hanc ipſam Epicuri ſententiam Lucretium, illis verſibus: Lib. 5.

At claros ſe homines voluere eſſe, atque potenteis,
Vt fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidum poſſent opulenti degere vitam:
Nequicquam: quoniam ad ſummum ſuccedere honorem,
Et tamen è ſummo quaſi fulmen deiicit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tætra;
Vt ſatius multò iam ſit parere quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere.

Pergit autem admonendo:

Proinde, ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes ambitionis;
Inuidiâ quoniam, ceu fulmine ſumma vaporant
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cumq;
Res ex auditis potiùs, quàm ſenſibus ipſis.
Nec magis id nunc eſt, neque erit mox, quam fuit antè.

Quo loco imitatos putes Lucretium Poëtas cæteros, quorum protrita illa ſunt,

Ratæ Sententiæ.

Hom. 1.

Rare Senten- tia. *——Tolluntur in altum,*
Vt lapſu grauiore ruant;

Et,

——Feriúntque ſummos
Fulmina monteis;

aliáque id genus.

Videmur interim ex iſtis duo quædam poſſe intelligere: Vnum, voluiſſe Epicurum docere primùm facto proprio, quanti eſſet boni, ab ambitione ſe continere, dum non modò Rempublicam, præ animi moderatione, vt aliàs viſum, non attigit; ſed ſic etiam vixit, vt id potuerit dicere, quod alibi quoque retulimus: Sen. Epiſt. 79. *Nihil ſibi, & Metrodoro, inter bona tanta, nocuiſſe, quòd ipſos illa nobilis Græcia non ignotos ſolum habuiſſet, ſed penè inauditos.* Nam quod In præcep. coniug. alioquin Plutarchus ait, ad diſpoſitionem illam decantatam benè affecti corporis, nihil profuiſſe Epicuro, Epicureiſque πάσης, καὶ φιλοτιμίαν ἐχούσης πράξεως ἀπόδρασιν, *quòd omnem actionem, ac ſitam præſertim in gloriæ cupiditate fugerint*: quo ductus genio id dixerit, conſtat. Alterum, voluiſſe deinde, vt monere alios hac ſententia, ita conſilium contrahere in duas haſce voculas Λάθε βιώσας, *Occultus viue*; quod Ad Themiſt. ipſi Iulianus Imperator tribuit; quódque licet In vo. Neocles referat Suidas ad Fratrem eius Neoclem, ex ipſis nihilominùs, vt perſpicuum eſt, prodiit officina. Ac idipſum eſt quidem, quod ſpeciali Tractatu à Plutarcho impetitum eſt; ſed non deſiit tamen nullius non mereri comprobationem, ſi ambitioſos exceperis; ſúntque ex eo proinde decantata illa,

Horat. *Nec vixit malè, qui natus, morienſque fefellit.*

Ouid. Et,

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit.

Sen. Et,

Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat;
Vt cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Certè & tametſi, Themiſtio dictum improbante, quaſi iis ſolis dignum ſit, quibus negotij expers otium, & illæ in Deambulationibus diſputationes iucundæ ſunt, videatur Loc. cit. Iulianus ipſi conſentire; tanquam non debeat quis τὴν Ἐπικούρου θαυμάζειν ἀπραγμοσύνην, illam Epicuri à negotiis vacationem ſuſpicere; at ſubſcribere tamen Epicuro, circa habendum eorum, qui ad Rempublicam acceſſuri ſint, delectum, videtur: *Nam, vtrum*, inquit, *quemlibet ad capeſſendum Rempublicam etiam, qui ad hoc munus aut à natura minùs comparatus, aut nondum ſatis idoneus ſit, adhortari oporteat; fuerit res fortaſſis diligentiore diſquiſitione digna. Quippe ferunt Socratem quoque à foro, & ſuggeſtu, cui non viderentur admodum idonei, multos diuertiſſe: Glauconem quoque, &c.*

Nulla voluptas eſt per ſe malum; ſed ea quæ nonnullas voluptates pariunt, eiuſmodi ſunt, vt multò ampliores voluptatibus dolores inducant. In pag. 93.

¶. 5. Οὐδεμία ἡδονή. Habetur hæc ſententia fusè, vt declarata, ſic comprobata, quo loco occurrit ſuperiùs in Epiſtola ad Menœceum, ſed affirmante enunciatione, πᾶσα ἡδονή, διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν, ἀγαθόν, *Omnis Voluptas quòd ſuapte natura accommodata ſit, bona eſt.* Atque eo quidem præmiſſo, quòd dum interdum aliquas voluptates reiicimus, id non ipſarum merito fiat, verùm, quia πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται, *grauior ſit, qui illas conſequitur, dolor*, ſiue, vt repetantur verba ex Suida, οὐ δι' αὐτάς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ, *non ob ipſaſmet*, ſeu *quia voluptates ſunt* (vt cum Cicerone ſic interpreter) *ſed quia dolores magni conſequuntur.* Pag. 93

Si Voluptas omnis ſic poſſet in ſeipſam colligi, vt duratione complexúque perfectis, moleſtiæ nihil extra eam foret, *foret ea collectio perinde* abſoluta, *ac ſunt opera naturæ præcipua: neque voluptates vllatenus inter ſe differrent*, poſſéntque idcirco indiſcriminatim optari.

¶. 9. Εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονή. Videtur hæc ſententia quaſi Conſectarium eſſe præcedentis; ſaltem, ſi licuit quadamtenus illius ſenſum aſſequi: ad quem vtcumque eliciendum, legere eſt viſum, τῷ πυκνώ-δῳ, &c. ad vſque, οὐκ ἄν, pro καὶ περὶ ὅλον τὸ ἄθροισμα ὑπῆρχεν, ἢ τὰ κυριώτατα μέρη τῆς φύσεως. Ex quibus vt quidpiam ſani erui valeat, alio, quàm Dauo opus eſt. Videtur autem Epicurus ea naturæ opera habere *in præcipuis*, quæ ita abſoluta, perfectáque vndique ſunt, vt nihil ſit, quod deſideretur; ac exiſtimare, poſſe pari cenſu haberi quamvis voluptatem, ſi ea modò poſſet talis obtineri, vt omnis ab ipſa defectus, hoc eſt, omnis dolor tam præſens, quàm futurus excluderetur. Quod fore autem dicit, vt voluptates *nihil differrent inter ſe*; id commune habet cum Cyrenaicis, qui autumant apud Lib. 2. Laërtium μὴ διαφέρειν ἡδονὴν ἡδονῆς, μηδὲ ἥδιόν τι εἶναι, *Nihil à Voluptate Voluptatem differre; neque eſſe vnum quicquam altero iucundius.* Quamquam res habuit apud illos explicatum difficiliorem, ob tam varia & voluptatum, & iucundorum genera, in quibus magis, minuſque eſt; quoniam abſolutè loquuntur, ac voluptates quaſlibet, prout ſe habent, intelligunt: Epicurus autem, quoniam loquitur ex ſuppoſitione dumtaxat, quòd omnis Voluptas doloris immunis, immiſtáque detur,

In pag. 93. detur, eò videtur ſe expedire poſſe faciliùs, quòd intelligat, eo caſu, nihil interfore, qualemcumque demùm voluptatem exegeris; quatenus omnes peræquè ſunt abſque omni dolore, omni pœnitentia, futuræ, ac ſeſe habituræ circulorum inſtar, qui omnes licet non æquè magni, æquè tamen rotundi ſunt.

Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum liberarent eos rerum ſublimium (ac Deorum proinde) *& mortis ac doloris metu, docerént que, qui eſſent fines cupiditatum; nihil haberem quod reprehenderem, cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum; id eſt malum.*

ỿ.14. Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν. Eſt & hæc Sententia quaſi ad duas antecedenteis Corollarium. Interpretatio au-
a.De fin. tem tota eſt Ciceronis (& verbis quidem illis præmiſſis, *Animaduerte, igitur, rectè-ne hanc ſententiam interpreter*) niſi quòd cùm vocem μετεώρων interpretetur ſimpliciter *Deorum*, nos reddimus, *rerum ſublimium*; quo nomine Epicurus intellexit Siderum ortus, conuerſiones, eclipſeis, fulmina, & ſimilia; & ob Ciceronem tamen, addimus, *ac Deorum proinde*, quatenus ex viſis ſublimibus rebus, Deorum metus conſequitur. Mirum porrò dictu, quanta illam ſugillatione inſectetur: Quippè, vbi integram recitauit: *Hoc loco*, inquit, *ſe tenere Triarius* (tertius ſcilicet interloquutorum) *non potuit. Obſecro*, inquit, *Torquate, quare hac dicit Epicurus? quod mihi quidem viſum eſt, cùm ſciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, ſanéque fidenter, iſtis quidem ipſis verbis, inquit: ſed quid ſentiat, non videtis. Si alia ſentit, inquam, alia loquitur, nunquam intelligam quid ſentiat; ſed planè dicit, quod intelligam; Idque ſi ita dicit, non eſſe reprehendendos luxurioſos, ſi ſapientes ſint, dicit abſurdè. Similiter &, ſi dicat non reprehendendos parricidas, ſi nec cupidi ſint, nec Deos metuunt, nec mortem, nec dolorem; & tamen quid attinet luxurioſis vllam exceptionem dare, aut fingere aliquos, qui cùm luxurioſè viuerent, à ſummo Philoſopho non reprehenderentur, eo nomine, dumtaxat cætera cauerent? Sed tamen, nonne reprehenderes, Epicure, luxurioſos, ob eam ipſam cauſam, quòd ita viuerent, vt perſequerentur cuiuſquemodi voluptates: cùm eſſet præſertim, vt ais tu, ſumma voluptas, nihil dolere? Atqui reperiemus Aſotos, primùm ita non Religioſos, vt edant de patella; deinde ita mortem non timenteis, vt illud in ore habeant ex Hymnide,*

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ; ſeptimum
Orco ſpondeo.

Ac ſtatim: *Quid ergo attinet dicere, Nihil haberem, quod reprehenderem, ſi finitas cupiditates haberent? Hoc eſt dicere, Non reprehenderem aſotos, ſi non eſſent aſoti, Iſto modo, ne improbos quidem, ſi eſſent boni viri. Hic homo ſeuerus luxuriam per ſeipſam reprehendendam non putat. Et Hercule, Torquate, vt verum loquamur, ſi voluptas ſummum bonum eſt, rectiſſimè non putat. Nolim enim mihi fingere aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur; crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent; qui ſolem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem; qui conſumtis patrimoniis egeant. Nemo noſtrum iſtius generis aſotos iucundè putat viuere, mundos, eleganteis, optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitanteis cruditatem, quibus vinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, vt ait Lucilius; cui nihil demſerit nix, nec ſacculus abſtulerit: adhibenteis ludos, & qua ſequuntur, illa, quibus detractis elamat Epicurus ſe neſcire quid ſit bonum. Adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent; reſpondeat his veſtis, argentum, ealicium, locus ipſe, ædificium. Hos ego aſotos benè quidem viuere: at beatè nunquam dixerim.* Et poſteà: *Ipſe negat, vt antè dixi, luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi planè fatui ſint; id eſt, niſi cupiant, aut metuant; quarum ambarum rerum cùm medicinam pollicetur, luxuriæ licentiam pollicetur. His enim rebus detractis, negat ſe reperire in aſotorum vita, quid reprehendas. Non igitur poteſtis, voluptate omnia dirigentes, aut tueri, aut retinere virtutem.* Rata Sententia.

Atque iſta quidem Cicero, & plura, in quibus tamen conditionalem Epicuri ſententiam deflectens, videtur paulò inuidioſiùs in Epicurum ſe gerere, ac potiſſimùm illud interiiciens, *Quibus detractis, clamat Epicurus ſe neſcire, &c.* Quippe, non ea eſt Epicuri mens, vt luxurioſis patrocinetur; ſed ſupponendo id, quod mox dictum, quódque ſuperiùs probatum fuit, Nullam voluptatem ex ſe, hoc eſt, præcisè, vt voluptas eſt, malum quidpiam eſſe, ſed bonum potiùs, quatenus eſt expetendum aliquid; hoc ſolùm contendit: Si eſſent quidem luxurioſorum voluptates eiuſmodi, vt puræ, & ab omni malo, ſeu diuinitùs, ſeu aliunde impendenti ſecluſæ forent; & neque damni, neque doloris quidpiam, ſiue præſentis, ſiue futuri; ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in fama, ſiue in f[illegible]tatibus, aliiſve id genus rebus timeretur; non peruidere ſe quamobrem, caſu hoc poſito, reprehenderentur. Et cùm ſubſumi valeat, Atqui eiuſcemodi ſunt luxurioſorum voluptates, vt omni prorsùs malo vacent: vel, Atqui eiuſcemodi ſunt, vt omni prorsùs malo non vacent: cur aſſumatur illud potiùs, quod Epicurus nũquam dixit, ad inferendum, Non eſſe ergo luxurioſorum voluptates ex eius mente reprehendendas; quàm hoc, quod expreſsè aſſeruit, ad concludendum placuiſſe illi, Reprehendendas igitur eſſe luxurioſorum voluptates: vti & reipsâ illas reprehendit in Epiſtola ad Menœceum?

Expetit Virtutes propter Voluptatem.

tudines, quibus eorum animi noctes, atque dies exeduntur, à Diis immortalibus ſupplicij cauſâ importari putant. Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ moleſtias acceſſio fieri poteſt, quanta ad augendas, tùm ex conſcientia factorum, tùm pœna legum, odioque ciuium? Et tamen in quibuſdam neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque imperij, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla præda vnquam improbè parta minuit, ſed auget potiùs, atque inflammat, vt coërcendi magis, quàm dedocendi eſſe videantur. Inuitat igitur vera ratio benè ſanos ad Iuſtitiam, æquitatem, fidem: neque homini infanti, atque impotenti iniuſtè facta conducunt, qui nec facilè efficere poſſit, quod conetur; nec obtinere, ſi effecerit; & opes, vel fortunæ, vel ingenij liberalitati magis conueniunt; quæ qui vtuntur, beneuolentiam ſibi conciliant, &, quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum, caritatem; præſertim, cùm omnino nulla ſit cauſa peccandi. Quæ enim cupiditates à natura proficiſcuntur, facilè explentur, ſine vlla iniuria; quæ autem inanes ſunt, his parendum non eſt: Nihil enim deſiderabile concupiſcunt; pluſque in ipſa iniuria detrimenti eſt, quàm in aliis rebus emolumenti, quæ iniuriâ pariuntur. Itaque, ne iuſtitiam quidem rectè quis dixerit per ſeipſam optabilem; ſed quia iucunditatis vel plurimùm afferat. Nam diligi, & carum eſſe iucundum eſt; propterea, quia tutiorem vitam, & voluptatem efficit pleniorem. Itaque non ob ea ſolùm incommoda, quæ eueniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; ſed multò etiam magis, quòd cùm in animo verſatur, nunquam ſinit eum reſpirare, nunquam acquieſcere. Hactenus Torquatus.

Ac multa quidem ſunt, quæ deinceps à Cicerone obiiciuntur; verùm ea maxima ex parte præoccupata iam antè ſunt, & vel ex eo refelluntur, quòd excepta illa de voce quæſtione, an quæ Epicuro Stabilis vocatur, appellanda Voluptas ſit; cætera ad rem attinentia dicantur contra Voluptatem, quam Epicurus non modò non probauit, ſed verbis etiam conceptis reſpuit. QVOD ad calcem autem huius capitis deducit Epicurus, *Virtutem ſolam à Voluptate eſſe inſeparabilem*; partim declaratum iam eſt, partim eſt inferiùs quoque attingendum. Addo heic ſolùm, cùm Voluptas, quæ de hoc loco agitur, ea intelligatur, quæ vera, germanáque ſit, & in qua ratio ſummi boni, fœlicitáſque ipſa conſiſtat; ideò Virtutem ſolam dici ab ea inſeparabilem, quod ea ſit ſola, vt vera, ac germana, ſic neceſſaria illius cauſa, hoc eſt, quâ poſitâ voluptas, felicitaſque conſequatur; quâ ſublatâ tolli voluptatem, fœlicitatémque oporteat. Eo ſcilicet modo, quo Sol dici poteſt ab ipſo die ſolus inſeparabilis, quod ſit ſolus diei, vt vera, ac germana, ita & neceſſaria cauſa; hoc eſt, quo poſito ſupra horizontem, eſſe diem neceſſe ſit; quo ſublato, neceſſe ſit non eſſe. Et quod Epicurus quidem Virtutem eſſe cauſam felicitatis effectricem voluerit, cùm ex ſæpiùs iam hactenus dictis intelligitur, tùm vel ex eo inducitur, quod reputauerit Prudentiam eſſe quaſi omnem virtutem (quippè cùm aliæ omnes virtutes ex ipſa oriantur, cumque ipſa connexæ ſint) & Plutarchus & Chryſippum agens, contradictioniſque eum arguens, hoc, cætera inter, inſeruerit, Εἰ μὲν ὂν τὴν φρόνησιν ἡγεῖτο ποιητικὸν εἶναι τῆς εὐδαιμονίας τὸ ἀγαθὸν, ὥσπερ ὁ Ἐπίκουρος. *Si igitur exiſtimauit eſſe Prudentiam tale bonum, quod vim efficiendæ felicitatis habeat, quemadmodum ipſe Epicurus: oportuit ſolùm, &c.* Quomodo verò ſit accipiendum, quod heic additur, cætera à voluptate, felicitatéve, ſeiungi, οἷον βροτὰ, *quaſi mortalia*, atque caduca (nempè quaſi ſola Virtus immortalis, ſeniſque incapax ſit) id circa Epiſtolæ ad Menœceum concluſionem fuit declaratum.

In pag. 91.

De Stoi. rep.

RATÆ SENTENTIÆ.

ỳ. 20. KAi φύσει ἂν ᾖ νῦν. Poſtremum hoc eſt ex iis quatuor Membris, in quæ viſum eſt poſſe diuidi, quæ de Morali Epicuri Philoſophia Laërtius collegit. De titulo porrò, quo Epicuri liber inſcriptus eſt Κυρίαι δόξαι, *Ratæ Sententiæ*, dictum in Apologia eſt circa librorum Indicem. Ad rem quod ſpectat, libellus fuit, in quem Epicurus congeſſit præcipuas Sententiarum Moralium, vt vno quaſi faſciculo collectæ haberentur in promptu. Scilicet de illis ita Cicero: *In alio verò libro, vbi breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis, oracula edidiſſe ſapientiæ Epicurus dicitur, ſcribit his verbis, quæ nota tibi profectò, Torquate, ſunt, Quis enim veſtrùm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id eſt, maximè ratas, quia grauiſſimæ ſint ad beatè viuendum breuiter enunciatæ ſententiæ.* Quibus ex verbis intelligitur, Epicureos facto probaſſe, quod ait Demetrius Cynicus apud Senecam; docens ſcilicet, *Plus prodeſſe, ſi pauca præcepta Sapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in vſu ſint, quàm ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Et tales certè ſententiæ *feriunt animum*, ait Quintilianus, *& vno ictu frequenter impellunt, & ipſa breuitate magis hærent, & dictione perſuadent.* Ac non ſunt illæ quidem ordine digeſtæ, ſed permiſtim compoſitæ, vt Plutarchus quidem non ſemel cauſatur; ſed ne memorem, quod Galenus habet circa Aphoriſmos Hippocratis; ne praxim ipſam Antonini, libros de vita ſua ſcribentis (&, ſi modò dicere liceat) ipſius quoque Salomonis mortalium ſapientiſſimi; addo id dumtaxat, quod ait Simplicius: videlicet celebre illud *Epicteti Enchiridium, contextum fuiſſe non ab ipſomet, ſed ab Arriano, qui id ex ipſis Epicteti diſſertationibus excerpſerit; ad eum modum, quo Ratæ ſententiæ ex variis Epicuri libris, ceu florilegio collecta ſunt.* Cæterùm ipſarum quaſi argumentum Luciani verba continent, cùm de famoſo illo Pſeudomanti loquens: *Deſignauit*, inquit, *Alexander, quidpiam riſu digniſſimum. Ratas ſententias Epicuri nactus (librum, vt noſti, pulcerrimum,*

1. De fin.

7. De benef. 5.

Lib. 12. c. 10.

De Pyth. orac. Et de ſer. pun. In aph. 1.

Cõment. in Enchir.

In Pſeud.

In pag. 91. *mum, & qui ſummatim decreta ſapientia ſummi viri complectitur) in medium forum deportauit, lignis cremauit ficulneis (vt ſi Authorem ipſum cremaſſet) ac cineres in mare abiecit; edito etiam oraculo:*

Πυρπολέειν κέλομαι Δόξας ἀλαοῖο γέροντος.

Hæc luſci Decreta ſenis comburere mando.

Non agnoſcens, ſceleſtus ille, quantorum bonorum ſit cauſa huiuſmodi libellus iis, qui in ipſum inciderint; quantamque illis & quietem, & tranquillitatem, & libertatem pariat. Δειμάτων μὲν, καὶ φασμάτων, καὶ τεράτων ἀπαλλάττον, καὶ ἐλπίδων ματαίων, καὶ περιττῶν ἐπιθυμιῶν, νοῦν δὲ, καὶ ἀλήθειαν ἐντιθὲν, καὶ καθαῖρον, ὡς ἀληθῶς τὰς γνώμας, οὐχ ὑπὸ δᾳδὶ, καὶ σκίλλῃ, καὶ τῇ τοιαύτῃ φλυαρίᾳ, ἀλλὰ λόγῳ ὀρθῷ, καὶ ἀληθείᾳ, καὶ παῤῥησίᾳ. *Abigens pauores, & ſpectra, & prodigia, & ſpes vanas, & cupiditates ſupernacaneas; ac luſtrans omnino animi conſilia, non ſanè tedâ, neque ſquillâ, neque id genus aliis nugamentis; ſed recta ratione, & veritate, & confidentia.*

Quod beatum, æternúmque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquam, nec exhibet alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ tenetur, quòd quæ talia ſunt, imbecilla ſint omnia.

1. Aduerſ. Col. ℣. 19. Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον. Hæc eſt, quam Plutarchus, meritò cauſatur non per ambages, non clàm, non perplexâ ratione præaſſumptam eſſe τὴν πρώτην τῶν κυριωτάτων δοξῶν, *maximè Ratarum ſententiarum primam*; quippè, quæ pugnare adeò manifeſtè cum ipſa diuina prouidentia videatur. Prætereo autem, vt ipſius non-nemo penè meminerit, ac ferè quidem cum aliqua, ſed
In Apocol. leui tamen immutatione. Nam v. c. Seneca ludens in Claudium Cæſarem, Ἐπικούρειος θεὸς οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. (Quâ
Plaut. in Caſin. ludendi occaſione adnotari poteſt Comicum
3. Hypot. 24. quoque huc reſpexiſſe, cùm ait, *Enimverò* πράγματά μοι παρέχεις. *St. Dabo* μέγα κακὸν, *&c.*)
2. Aduerſ. Col. Empiricus verò, τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, μήτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, μήτε ἑτέροις παρέχει. Plutar-
Diſſert. 29. chus. Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι
De nat. ho. 44. συνέχεται. Maximus Tyrius. Τὸ ἀθάνατον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Et, ne plureis conſecter, vnus Nemeſius eſto ſatis, qui poſtquàm integram, iiſdémque verbis retulit ſententiam, niſi quod pro πᾶν τὸ θεῖον, habet πάντα τὰ τοιαῦτα, adiicit hæc verba, ὀργὴ γὰρ θεῶν ἀλλότριον, ἐπὶ γὰρ ἀβουλήτῳ γίνεται, θεῷ δὲ οὐδὲν ἀβούλητον. *Res enim aliena à Diis eſt ira; quoniam excitatur ob id, quod præter voluntatem fit; præter autem Dei voluntatem fieri nihil poteſt.* Ad
Lib. 1. interpretationem quod ſpectat, ea eſt ex Cicerone deſumpta, qui non modò in libris de Legibus ait: *Primum caput libri optimi eſſe, in quo Epicurus ſcripſerit, Nihil curare Deum, nec ſui, nec alieni*: (Quo modo in libris quoque
Lib. 2. de Diuinatione: *Illius enim Deus*, inquit, *nihil habens nec ſui, nec alieni negotij non poteſt hominibus diuinationem impertire*: ac rursùs; *Quis* Rata Sententia.
hoc vobis dabit? Epicurúſ-ne, qui negat quicquam Deos nec alieni curare, nec ſui?) ſed in libris Lib. 1.
etiam de natura Deorum, Velleium inducit illam his verbis referentem: *Quod æternum, beatúmque ſit id, nec habere ipſum negotij quidquam, nec exhibere alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ teneri; quòd quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia.* Ac in libris de Officiis: *Quid eſt* Lib. 3.
igitur, inquit, *dixerit quis, in iureiurando? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium Philoſophorum; non eorum modò, qui Deum nihil habere ipſum negotij dicunt, & nihil exhibere alteri: ſed eorum etiam, qui Deum ſemper agere aliquid, & moliri volunt, nunquam nec iraſci Deum, nec nocere.* Nihil verò neceſſe eſt
adnotare Lactantium interpretationem feciſſe De ira Dei, 4.
cauſalem, dum, poſtquàm id præmiſit, quod ſuperiùs retulimus: *Cùm putaret Epicurus alienum eſſe à Deo malum facere, atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque naſcitur; ademit ei etiam beneficentiam; quoniam videbat conſequens eſſe, vt ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam; itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem*; tùm ſubiicit: *Ex hoc*, inquit, *beatus, & incorruptus eſt, quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet.* Multò minùs neceſſe eſt referre interpretationem verſibus expreſſam, qualis eſt illa Auſonij,

Quod eſt beatum morte & æternum carens,
Nec ſibi parit negotium, nec alteri.

Aut vberior illa Lucretij, Lib. 1.

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſummo cum pace fruatur,
Semota à rebus noſtris, ſeiunctáque longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Aut quam ex Lucretio, & imitatione quidem Lib. 5.
illius verſus,

Nã benè qui didicere Deos ſecurum agere æuũ, &c.

Horatius hiſce attigit, 1. Sat. 5.

——Credat Iudæus Apella,
Non ego: namque Deos didici ſecurum agere æuum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Triſteis ex alto cæli demittere tecto.

Ad rem ipſam quod attinet, cùm pari ratione Epicurus ſcripſiſſet ad Herodotum, οὐ συμφωνεῖν πραγματείας, καὶ φροντίδας, καὶ χάριτας μακαριότητι, ἀλλ᾽ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεσθαι. *Non congruere cum felicitate negotia, ſollicitudines, iram, gratiam; ſed hæc præ imbecillitate, metu, opiſque externæ indigentia contingere*: Anſam cepimus illeic loci, tuendi, quantum per vireis licuit, Diuinam Prouidentiam, ac adnixi ſumus ſic oſtendere eam, quam habet Deus rerum curam, non laborioſum eſſe negotium, neque ſollicitudinem anxiam; eam, quâ tenetur, iram, aut gratiam, non eſſe affectionem quampiam turbulentam; nihil ideò iſtorum cum felicitate pugnare, aut imbecillitatem, metum; indigentiámque arguere;

Digitized by Google

Rara Sententia. Vt nihil videatur, quod hoc loco adiiciendum ſit, ſupereſſe. Hoc ſolùm, quaſi ad hominem prætereundum argumentum non eſt, quòd quæri ex Epicuro poteſt, Deus-ne (quilibet-ve Deorum in Intermundiis illis, aut, vt Lucretius vocat, *ſedibus quietis*, degentium) voluptate afficiatur quapiam, ſeu aliqua re delectetur, an-non? Nàm ſi nulla re delectetur, & ne ſuam quidem felicitatem cognoſcat, ac ſentiat, Marpeſia eſt cautes, neque vlla in eo felicitas intelligi, magiſquam in lapide poteſt. Sin delectetur; perſpicuum eſt, delectationem eſſe affectionum, ſeu paſſionum vnam; atque ideò non omnem, omníve modo acceptam paſſionem alienam eſſe à diuina natura; ac iſtam quidem tantò minùs, quantò eſt quaſi flos, ac veluti coronamentum omnis actionis elicitæ ſecundum naturam. Porrò, ſi in Deo delectatio eſt; quænam, amabò, eſſe maior, quàm quæ ex Beneficentia percipitur, poteſt? Quomodo autem poteſt Deus vberiùs, magnificentiúſque ſuam teſtari beneficentiam, quàm toti Mundo prouidens, ac ſpeciatim hominibus, qui ſint huius beneficentiæ, Prouidentiæque intelligentes? Verùm homines quidem experiri huiuſmodi beneficentiam, ſeu largiri Deum illis beneficia, planum ſuperiùs fa-
4. Benef. 9. ctum eſt prolixo ex Seneca loco, quo ille, quaſi indiguabundus: *Non dat*, inquit, *Deus beneficia, ſed ſecurus, & negligens noſtri auerſus à Mundo aliud agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuria tangunt, &c.* Quod ſupereſt au-
Loc. cit. tem, præclarè Lactantius: *Quæ igitur in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi ſemper quietus, & immobilis torpet; ſi peccantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm Prouidentia?* Hic verò locus reuocat in mentem, non id modò, quod aduerſus Marcio-
Lib. 1. nem habet Tertullianus; Nam, *ſi aliquem*, inquit, *de Epicuri ſchola Deum affectauit Chriſti nomine titulare, vt quod beatum, & incorruptibile ſit, neque ſibi, neque aliis moleſtias præſtet (hanc enim ſententiam remouens Marcion, remouit ab illo ſeueritates, & iudiciarias vices) aut in totum immobilem, & ſtupentem Deum conce-*
Lib 5. *piſſe debuerat; aut, &c.* ac iterum: *Sed Marcion principalem ſuæ fidei terminum, de Epicuri ſchola agnoſcat dominum, inferens hebetem, nec time-*
Diſſert. 19. *ri dicat eum, &c.* verùm etiam id, quod Maximus Tyrius, dum Philoſophos cum Poëtis circa opiniones de Deo comparans, Epicurum habet circa hanc ſententiam quovis Poëta ſocordiorem, diſſolutiorem, Numiniſque imperitiorem; & poſtquàm ipſam fabulam dixit, quæſiitque, in eiuſmodi Voluptatibus, verſari Deum putet, ſubdit: *At ne Sardanapalus quidem negotio vacabat, qui degeret licet clauſis foribus, & in cælato recubans lecto, mulierum chorum circumſtantem haberet, nihilominùs de ſalute Nini, déque Aſſyriorum felicitate conſilia habebat. Tibi-ne ergo videtur Iouis, quàm Sardanapali voluptas languidior?* ὢ μύθων ἀπί-ſτων; *O incredibileis fabulas!* Dicit porrò etiam
In pag. 91. De orat. def. fabulas Plutarchus, qua occaſione ipſi Epicurei Prouidentiam μῦθον, *fabulam* dixerunt: ac fatuum ſubinde pronunciat, quod illi fuere argumentati aduerſus Empedoclem Dæmonas inducentem: *Non poſſe illos* (quod eſt antè notatum) *praui, & vitioſi cùm ſint, felices, longæuoſque eſſe, quòd prauitati inſit multa cæcitas, & ad afferentia interitum propenſio*; vt liceat proinde fatuum dicere, quod pari ratione argumentabantur commotionem illam, quæ per iram ſentitur, tendere ad diſſolutionem. Attexendum verò & hoc, quaſi ad hominem argumentum. Fatetur Epicurus, ex ſuperiùs dictis, Eſſe in Deo, *Non corpus, ſed quaſi corpus; non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem*: Quid-ni ſimiliter fateatur eſſe in Deo, non Paſſiones, ſed quaſi Paſſiones? atque adeò non iraſci illum, ſed quaſi iraſci; non teneri gratiâ, ſed quaſi teneri? quatenus ſcilicet id præſtat, caſtigando improbos, quod hominum vulgus ſolet facere, dum iræ ſuccumbens vlciſcitur, facítque iniuriam; & benè afficiendo bonos, quod homines faciunt, dum capti alicuius indole geſtiendo lætantur? Et ſanè, ſi poteſt Vir ſapiens, vt obſeruatum ſuperius eſt famulum peccantem increpare, & corrigere, ac animo tamen quieto conſtare: ſi ſine geſtiente lætitia egenti benefacere, ac ita ſe quoque habere erga miſerum, vt nihil opis prætermittens, quò minùs illum ſubleuet, dolorem tamen fractâ mente non ſentiat, ſeu ipſa affectione miſericordiæ non perturbetur; Erit-ne minor in Deo virtus, vt punire ſonteis, gratificari indigentibus, afflictis ſuccurrere, niſi imbecillitatem teſtetur, ac faciat ſimul ſuæ ſapientiæ felicitatiſque iacturam, non poſſit? An in Deo eſſe non poterit, quæ eſt in Iudice animi ſedatio; qui vbi de damnando reo agitur, vſurpare poteſt illud
1. De Ira, 10. Senecæ: *Procedam in tribunal, non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis; & illa ſolemnia verba, ſeuera magis, grauique, quàm rabida voce concipiam; & agi iubebo non iratus, ſed ſeuerus. Et cùm ceruicem noxio præcidi imperabo; & cùm parricidam inſuam culeo; & cùm mittam in ſupplicium militare; & cùm Tarpeio proditorem, hoſtémve publicum imponam; ſine ira, eo vultu, animoque ero, quo ſerpentes, & animalia venenata percutiunt. Iracundiâ opus eſt ad puniendum? Quid? Tibi videtur lex iraſci his, quos non nouit, quos non vidit, quos non futuros ſperat? Illius ſumendus eſt animus, quæ non iraſcitur, ſed conſtituit.*

ỷ. 33. Ἐν ἄλλοις ᾗ. Laërtij eſt additamentum: Lego verò ſtatim ὃ μὲν, pro ὃς μὲν, & ὡς ᾗ, pro ὃς ᾗ, quòd ſecùs appareat, quid ſenſus exinde poſſit elici. Nihil eſſe interim videtur, quod ad loci declarationem iis addatur, quæ ſunt de ipſo circa habitam Exiſtentiæ Dei notitiam ſuperiùs allata; ac indicatis potiſſimùm illis ex
1. De Nat. Deo. Cicerone verbis; *Eam eſſe vim, & naturam Deorum vt primùm non ſenſu, ſed mente cernatur; nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, vt ea, quæ ille, propter firmitatem, στερέμνια appellat; ſed ima-*

ginibus

In pag. 91. 92. *ginibus ſimilitudine, & tranſitione perceptu, cùm infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus indiuiduis exſiſtat; & ad eos affluat cum maximis voluptatibus. In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere quæ ſit & Beata natura, & Æterna.* Vbi voces illæ, *nec ſoliditate, nec ad numerum*, ita videntur accipiendæ, vt intelligamus imagines, quæ nobis in ſomnis occurrunt, eſſe & tenuiſſimas, & animis noſtris continuo affluxu ſic appellere, vt aliæ aliis quaſi cohæreant, nec diſcerni, ac veluti numerari vt plures valeant; inſtar ſcilicet earum rerum, quæ ſolidæ ſunt, & interſtitiis diſtinguuntur vt declaratum ſuo loco eſt. Ac tenuitatem
1. Plac. 7. quidem indicat Epicurus, cùm apud Plutarchum docet Deos omneis λόγῳ θεωρητοὺς (quod ſanè vocabulum in ipſo etiam contextu ex-
Ecl. Phyſ. 3. ſtans reponendum apud Stobæum eſt, pro ἀθεωρητοὺς, ob quam vocem Interpres *Sectileis* Deos fecit,) διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως, *Cogitatione percipi, ob natura imaginum tenuem contexturam.* Cætera tùm Cicero ipſe poſteà indicat, dum, *Fluentium*, inquit, *frequenter tranſitio fit imaginum, vt è multis vna videatur*; tùm ipſemet textus ſuggerit non obſcurè. Extrema autem illa Ciceronis verba: *In eas imagines mentem intentam, infixámque noſtram intelligentiam capere quæ ſit & beata natura, & æterna*, apertè inſinuant, quò Laërtius ſpectarit, ſeu quamobrem ipſi venerit in mentem, vt ad ſententiam hæc adderet. Ad-
De orac. def. noto verò interim, vt Plutarcho eſt ſubſcribendum, cùm, *Si quid ſit*, inquit, *in Philoſophia riſu dignum, videantur iſta imagines mutæ, cæcæ, inanima, quas illi neſcio vbi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere, apparendo, paſſimque oberrando; cùm alia à viuis, alia à pridem crematis, aut etiam putredine abſumptis corporibus defluxerint:* Ita dignum eſſe conſideratione, quod Metrodoro B. Clemens tribuit, de agnitione Dei per Viſa, ſeu Imagines (quas ille non εἴδωλα, ſed φάσματα vocat) vbi animæ noſtræ è corpore exceſſerint puræ. Ac non videtur quidem res genium ſiue Metrodori, ſiue Epicuri ſapere; at eiuſmodi tamen eſt, vt ſeu Metrodori, ſeu alterius ſit, non videatur eſſe heic prætermittenda. Itaque ſuadens B. Clemens, vt ad diſciplinam veram acceſſurus aliquos ex Ethnicis audiat, poſtquàm præmiſit Parmenidem, ſub-
Strom. dit: Μητρόδωρός τε, καίτοι Ἐπικούρειος γενόμενος, ἐνθέως ταῦτα εἰρηκὼς, Μέμνησο, Μενέστρατε, διότι θνητὸς φὺς, καὶ λαβὼν βίον ὡρισμένον, ἀναβὰς τῇ ψυχῇ, ἕως ἐπὶ τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων κατεῖδες, καὶ τὰ ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα, ὅτε σὺν εὐδαίμονι χορῷ, κατὰ τὸν Πλάτωνα, μακαρίαν ὄψιν τε, καὶ θέαν ἐποπτεύσομεν ἑπόμενοι, μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλων θεῶν τελετὴν, ἣ θέμις λέγειν, μακαριωτάτην τελούμενοι, ἣν ὀργιάζομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ, καὶ ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑπέμενεν, ὁλόκληρα δὲ, καὶ ἀτρεμῆ φάσματα μυούμενοί τε, καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ, καθαροὶ, καὶ

ἀσήμαντοι τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. *Metrodorum quoque, qui licet Epicureus fuerit, diuinè tamen iſtud dixit,* Rara Sententia.
Memento, ô Meneſtrate, quandoquidem mortalis es, & limite clauſam accepiſti vitam, animo aſcendere; quouſque ipſam æternitatem, immenſitatémque rerum, & quæ ſunt futura, prateritáque peruideris. Id, quod eueniet, cùm, iuxta Platonem, vnà cum felici choro beatam faciem, & ſpectaculum contuebimur; ac inſequentes, nos quidem cum Ioue, alij verò cum aliis Diis, myſteria peragemus, celebrabimuſque, ſi fas dicere, beatiſſima: & perfecti iam, malorúmque omnium, quæ nos manſerint poſteriùs, expertes, perfecta, & pacata viſa aſſequemur, contuebimúrque in pura luce; puri ipſi, ac nullum ampliùs retinentes veſtigium huius, quod nunc nominitamus corpus; cuique oſtrei inſtar illigati ſumus.

Mors ad nos nihil pertinet. Quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu. Quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omnino ad nos pertinet.

℣. 4. Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Eſt & hæc Pag. 92
ſententia carbone notanda, quatenus quidem nullum ſupereſſe à morte ſenſum ita ſupponit, vt inferri exinde poſſit, eſſe animum, non minùs quàm corpus, diſſolutioni obnoxium; quod ſuperiùs eſt fusè refutatum. Quæ adhibita porrò eſt ad ipſum textum interpretatio, Ciceronis ad verbum eſt, nemóque penè eſt Authorum, qui ipſam quoque verbatim non habeat. Cæteros inter, Empiricus tùm eam copulat cum iis, quæ hac eadem de re in Epiſtola ad Menœceum ex- Adu. Gram.
ſtant; tùm illud, τὸ γὰρ διαλυθὲν, pro demonſtratione habet, dum *Mortem*, inquit, *nihil pertinere ad nos, dictum quidem fortè à Sophrone fuit; verùm demonſtratum eſt ab Epicuro; neque, quod dictum fuerit, ſed quod demonſtratum, mirabile eſt.* Quo loco obiter obſeruari poteſt, Lib. de Poët.
cùm Sophron Mimographus fuerit, cuius lib. 9.
Ariſtoteles, Athenæus, Laërtius, alij memi- Ibid.
nerunt; Interpretem tamen videri habuiſſe 1. Tuſc.
vocem σώφρων, quaſi Epitheton, quo Epicurus intelligere Epicharmum voluerit. Fortè, quòd Epicharmus quoque ſimile quidpiam edixerit, cuiuſmodi eſt v. c. carmen, quod Cicero ita expreſſit:

Emori nolo; ſed me eſſe mortuum, nihili æſtimo.

Huiuſcemodi porrò demonſtratio, ſiue argumentatio eſt, de qua A. Gellius hæc habet: Lib. 2. c. 8.
Plutarchus ſecundo librorum, quos de Homero compoſuit, imperfectè, atque præpoſterè, atque inſcitè, ſyllogiſmo eſſe vſum Epicurum dicit; verbáque ipſa Epicuri ponit ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Nã, prætermiſit, inquit, quod in prima parte ſumere debuit,* ὁ θάνατος ψυχῆς, καὶ σώματος διάλυσις, *Tum deinde, eodem ipſo, quod omiſerat, quaſi poſito, conceſſóq; ad confirmandũ aliud vtitur. Progredi autẽ hic, inquit,*

Bina Sententia. *ſyllogiſmus, niſi illo priùs poſito, non poteſt. Verè hoc quidem Plutarchus de forma, & ordine ſyllogiſmi ſcripſit. Nam ſi, vt in diſciplinis traditur, ita colligere, & ratiocinari velis, ſic dici oportet,* ὁ θάνατος, ψυχῆς, καὶ σώματος διάλυσις, τὸ δὲ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Sed Epicurus, cuiuſmodi homo eſt, non inſcitiâ videtur partem illam ſyllogiſmi prætermiſiſſe. Neque id ei negotium fuit, ſyllogiſmum, tanquam in ſcholis Philoſophorum, cum numeris omnibus, & cum ſuis finibus reddere. Et profectò, quia ſeparatio animi, & corporis in morte euidens eſt, non eſt ratus neceſſariam eſſe eius admonitionem, quod omnibus prorſus erat obuium; ſicuti etiam, quòd concluſionem ſyllogiſmi non in fine poſuit, ſed in principio. Nam id quoque non imperitè factum, quis non videt? Apud Platonem quoque, &c.* Quæ quidem ex parte telata libro Apologiæ octauo, heic iterum refero, tùm quia controuerſia ob hunc locum fuit, tùm vt innuam, niſi Agellius inſtituto à ſe ſyllogiſmo concluſionem adhibuit, quæ eſſe potuit huiuſmodi, ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, idcircò videri ab ab eo factum, quòd cùm præmiſerit *ſic dici oportere, ſi velis ita colligere*, viſus fuerit nihil velle aliud quàm antecedens, ſiue Præmiſſas proponere, quibus poſitis ea concluſio neceſſariò conſequeretur. Quamquam & obſeruari poteſt debere in eius ſyllogiſmo, qui nihil aliud eſt, quàm Sorites, duas poſteriores propoſitiones ita copulatas haberi, vt pro vnica aſſumptione ſint, ne non ſit ſyllogiſmus tricorpor; & cùm hoc fuerit præſtitum, fore dumtaxat ſyllogiſmum Galenicæ, vt vocant, formæ, iuxta quam in ea figura, quæ Ariſtoteli eſt prima, Medium prædicatur in Propoſitione de Minore extremo. Poſſet proinde ſyllogiſmus hac fortè ratione efferri, ᾧ τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Τῷ θανάτῳ δὲ τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· ὁ θάνατος ἄρα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς: poſſet & commodiùs cum ſubſumpto exprimi; verùm nihil eſt vitilitigandum; niſi quòd prætereà adnotandum eſt, quòd

1.De fin. Cicero hanc in rem habet. Is ergo prolatâ ſententiâ; *Hoc ipſum*, inquit, *elegantiùs poni, meliuſque potuit. Nam quod ita poſitum eſt, Quod diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu, id eiuſmodi eſt, vt non ſatis planè dicat, quid ſit diſſolutum; ſed tamen intelligo quid velit. Quæro autem quid ſit, quod cum diſſolutione, id eſt, morte exſtinguatur. Et cùm reliqui nihil ſit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate, tamque diligenter caueat, & ſanciat, vt Amynomachus, & hæredes ſui de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit, ad diem agendum natalem ſuum quotannis menſe Gamelione, &c.* Adnotandum &

Lib. de an. (cæterorum vice) quid Tertullianus eandem ad rem. Ille ſcilicet, *Epicurus*, inquit, *vulgari ſatis opinione negauit mortem ad nos pertinere. Quod enim diſſoluitur*, inquit, *ſenſu caret, & quod ſenſu caret, nihil ad nos. Diſſoluitur autem, & caret ſenſu non ipſa mors, ſed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit paſſionem cuius eſt actio. Quòd ſi hominis eſt pati mortem, diſſolutionem corporis, & peremptionem ſenſus; quàm ineptum, vt tanta vis ad hominem non pertinere dicatur?* In pag. 92. *Multò conciſius Seneca, Poſt mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipſa.* Prætereo autem hanc ſententiam affini illi in Epiſtola ad Menœceum iunctam, locum feciſſe Patribus ſanctis, taxandi ſæpiùs Epicurum; præ cæteris autem B. Hieronymo, dum in verba illa Eſaiæ, *Ecce gaudium, & lætitiam: occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carnes, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur;* intelligi id poſſe dicit, *non ſolùm de hæreticis, ſed de omni peccatore, qui negligens peccata ſua, deſperatione fit peior, & voluptatibus irretitus, iungit peccato blaſphemiam, dicens illud Epicuri: Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Itemque Cap. 22 dum ſcribens aduerſus Iouinianum: *Manduca*, inquit, *& bibe, & ſi tibi placet, cum Iſraële lude conſurgens, & canito, Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Manducet, & bibat, qui poſt cibos exſpectat interitum; qui cum Epicuro dicit, Poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil eſt.* Lib 2. Quibus ſanè congruit, quod inter collecta veterum Poëtarum Epigrammata, illud Epicuro, tametſi non fuerit verſificator, tribuitur:

Cùm te mortalem nôris, præſentibus exple
Delitiis animum: poſt mortem nulla voluptas.

Prætereo hæc, inquam, aliáque id genus, & quæ prætereà ediſſeri aduerſus ſententiam heic poſſent; cùm ſufficere illa debeant, quæ pro animorum immortalitate aduerſus Lucretium diſputata ſuperiùs ſunt, tam circa primam illam rationem, qua de humore quaſſatis vaſis, diffluente, déque Nebula, ac fumo loquens:

Lib. 3. *Crede*, inquit, *animam quoque diffundi, multóque perire*
Ocyùs, & citiùs diſſolui corpora prima,
Cùm ſemel ex hominis membris ablata receſſit.

Quàm etiam circa cæteras, ac Nonam ſpeciatim, cuius concluſio eſt,

Quare etiam, atque etiam, reſoluto corporis omni
Tegmine; & eiectis vltra vitalibus auris,
Diſſolui ſenſus animi fateare neceſſe' eſt,
Atq; animam, quoniã coniuncta' eſt cauſa duobus.

Voluptas ſumma ipſa eſt doloris amotio. Nam vbicumque voluptas adeſt, quamdiu quidem adeſt, ibi nihil eſt aut dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul.

ỿ. 7. Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν. Hanc quoque ſententiam, celebrem & ipſam, Cicero locis pluribus attingit, & interpretatur. Lego autem ỿ. 9. ὅταν γὰρ ἄν, pro ὅταν δ' ἄν, quòd ſenſus ſatis perſpicuè cauſalem exigat coniunctionem. Notandum verò, quod Cicero tributis illis Torquato verbis: 1.De fin. *Omnis autem priuatione doloris putat Epicurus terminari ſummam voluptatem*, videtur ὑπεξαίρεσιν

priuationem

In pag. 91. *priuationem* ioterpretari; reddere illum quoque deinceps *amotionem*, *detractionem*, *&c.* vt occurret etiam poſteà attingendum.
De na. ho. 18. Symp. Nemeſius huiuſmodi vocem, quaſi Epicuri propriam habitam, interpretatur ἀπαλλαγὴν, *liberationem*; & Plutarchus, cùm ipſius non ſemel
Adu. 1. meminerit (veluti dum ait non omneis τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ὅρον ἡδονῆς, καὶ πέρας ſtatuere) dicit etiam ioterdum φύσιν, interdum φυγὴν, *&c.* Empiricus autem declarans
Adu. Gram. non deſumpſiſſe Epicurum ex Homero τὸν ὅρον τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, multùm differre docet, quod ille ait:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.
At poſtquam excempta eſt, potuſque, cibique cupido;

Et dicere, ὅρον εἶν τοῦ περὶ τὰς ἡδονὰς μεγεθῶν τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, *Magnitudinis voluptatum terminum eſſe amotionem doloris*. Aduertendum interim circa vocem ἀλγοῦντος, quam cum Cicerone nomine *Doloris*, tùm heic, tùm priore ſententiæ loco reddimus (quod enim poſteriore reddimus τὸ ἀλγοῦν, *Dolens*, Ciceronianum quoque eſt) cepiſſe rursùs Plutarchum anſam intentandi Epicuro litem, quam rurſus ex Agellio quoque cognoſcere operæ pretium eſt. Verba itaque ipſius hæc ſunt:
Lib. 2. c. 9. *In eodem libro idem Plutarchus eundem Epicurum reprehendit, quod verbo vſus ſit parùm proprio, & aliena ſignificationis*; Ita enim ſcripſit Epicurus, ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. *Non*, inquit, παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος, *ſed* παντὸς τοῦ ἀλγεινοῦ *dicere oportuit: Detractio enim ſignificanda eſt doloris, inquit, non dolentis. Nimis minutè, ac propè etiam ſubfrigidè, Plutarchus in Epicuro accuſando* λέξεις τηρεῖ. *Has enim curas vocum, verborúmque elegantias, non modò non ſectatur Epicurus, ſed etiam inſectatur.* Hæc ille, quæ etiam in Apologia notauimus. Ad rem ipſam quod attinet, Nihil eſt, cur quidpiam addamus ad ea, quæ tùm paucis non multò antè circa diſcrimen Epicurum inter, & Ariſtippum attigimus; tùm multis ſuperiùs circa naturam Voluptatis pro fine habitæ proſequuti ſumus: Quippe ex illis abundè conſtat, cupiditates, quas natura ingenuit, eſſe cum aliquo dolore, ad quem eximendum natura, tanquam ad ſuum finem, inſtiget; & quò ad actionem illi eximendo neceſſariam comparatiores ſimus; condire naturam huiuſmodi actionem ipſa voluptate in motu, quaſi dulcore aliquo; ac inde conſequi, vt tam ipſa actio, quàm voluptas illius comes ad ipſam doloris exemptionem terminetúr; ipſaque proinde exemptio doloris, tùm ſit voluptatis in motu, quantomvis magnæ, terminus, tùm comparata ad ipſam ex eo ſummum teneat, quòd illius ſit (& à natura quidem inſtitutus) finis.

1. Adu. Col. Ac multa quidem ſunt, quæ Plutarchus præ cæteris exaggerat, vt probet nos exemplo auium, animantiúmque cæterarum, quæ exſatiatæ canunt, & volant, & natant, & ludunt, aut alia ratione ſe oblectant, quærere etiam aliquid, præter exemptionem doloris; ne, ſi ea ſummum bonum ſit, tale ſolùm eſſe dicatur, quale eſt mancipiorum, atque captiuorum, quibus nihil ſit, quàm ſeruitute, & vinculis eximi, melius. Verùm deductum ſuperiùs eſt, longè abeſſe Epicurum, vt velit illum Indolentiæ, ſiue tranquillitatis ſtatum incapacem eſſe oblectamentorum, qualia Plutarchus deſiderat; ſed velle eum eſſe habendum, quaſi quandam ſummam, generalémque voluptatem, quæ cæteras omneis voluptates ſic condiat, vt ſine ipſa voluptates non ſint: veluti ſi quis habeat ſaccharum, quaſi ſummum quoddam, & generale dulcoramentum, cuius participatione omnes cibi dulces reddantur. Scilicet inferiùs ſpeciali ſententia docet, ſumma hac voluptate obtenta, *Non augeri ipſam deinceps, ſed variari ſolummodò*; ob varia, putà, oblectamenta, quibus quaſi ſubſternitur; eo modo, quo, habito ſacchari dulcore, non augetur ille quidem, ſed variatur tamen ob multiplicem ciborum miſturam. Ad huiuſmodi porrò oblectamenta, ſeu voluptates ſpectare etiam poſſunt, quæ plerumque viſu, auditúque, & non ſolùm olfactu, quem Plato obiicit, percipiuntur. 9 De Rep. Quippè tametſi hæ voluptates nullo præeunte dolore poſſint percipi; idcircò eſt, quia natura non fecit earum cupiditates, vt cæterarum, neceſſarias; ſed fecit ſolùm conducenteis ad variandum illam, quam ſummam inſtituit. Quod Plutarchus autem cauſatur, non fore aliud ſummum bonum, quàm cuiuſmodi mancipiorum, aut captiuorum eſt; Quæſierim ſolùm, an-non pro mancipiis, captiuiſque habeat, quoſcumque homines aut corporis dolores, aut animi ægritudines, paſſionéſve, occupatos teneant? Quid-ni ergo, vt illi nihil ſuauius ducunt, quàm in libertatem aſſeri; ſic reputare omnes debeant nihil eſſe poſſe, quàm mentem ſanam in corpore ſano obtinere, iucundius. Ac citat ille quidem Platonem, non admittentem ipſam doloris exemptionem voluptatem cenſeri; Verùm, cùm, vt iam antè eſt dictum, ſola Platoni ratio ſit, quia pari modo voluptatis deſitio eſſet dolor exiſtimandus; quod tamen non ſequi declaratum eſt: tùm videre profectò licet, longè eſſe Platonem, vt de Voluptatis deſitione paria afferat, ac de deſitione, ſiue exemptione doloris. Ecce nimirùm, vt colloquatur. *Dic, amabò, Nunquid* Loc. cit. *Dolorem Voluptati eſſe contrarium dicemus? Sic ſanè eſt. Nunquid etiam aliquis eſt, quo neque lætari, neque dolere contingat, ſtatus? Aliquis omninò. Cùm is igitur inter vtraque ſit, tranquillitatem animi quandam circa ea verſari, dices ne, an non? Dico penitùs. An-non meminiſti, inquam, cuiuſmodi ſint verba; quæ ſcilicet donec laborant morbo, proferunt? Cuiuſmodi-nam? Nempe, nihil eſſe ſanitate ſuauius: ſed ſe id latuiſſe, priuſquàm ægrotarent, cùm foret tamen iucundiſſimum? Me-*

mini, inquit. *An-non & acerbiſſimis doloribus vexatos audis, vt dicant nihil eſſe, quàm doloribus huiuſcemodi liberari iucundius? Cùm vides etiam homines in aliis id genus conſtitutos anguſtiis; an-non, donec anguntur, mirè commendant ipſum non angi, & ab angore eximi; idque ipſum, non verò lætari, rem eſſe omnium iucundiſſimam dicunt? Ita eſt, inquit.* Rata Sententia.

Non diu perſeuerat in corpore continens dolor; ſed ſummus quidem deſinit breui (quoniam aut ſoluit, aut ſoluitur) *& qui moram trahit, non multos eſt dies abſque aliqua in ipſo corpore voluptate. Qui verò morbi productiores ſunt, ij* per interualla *plus habent in corpore iucundi quàm mali.*

2.De fin. ψ. 13. Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν. Potuit contrahi Sententia in pauca, imitatione Ciceronis, cùm, *Doloris*, inquit, *medicamenta illa Epicurea, tanquam è Narthecio promant, Si grauis, breuis; ſi longus, leuis, &c.* Lego autem ψ. 15. τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον ἄνευ τοῦ ἡδομένου, pro τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον. Siquidem, niſi ita fiat, aut nullus, aut etiam repugnans ipſi Epicuro elicietur ſenſus. Is verò, quem deducimus, & additiunculâ etiam ad interpretationem factâ declaramus, confirmari poteſt ex variis Authorum, qui huius ſententiæ meminerunt, locis. Nam Plutarchus, exempli gratiâ, illud Æſchyli referens: De aud. po.

Θάρσει, πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον,

Confide: ſummus haud trahit tempus dolor:

Subdit: *Hoc idem eſſe cum famigerata illa, & admirationi ſemper habita Epicuri ſententia*, οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσι, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσι, *Summi dolores breui abducunt; diuturni verò magni non ſunt;* Adiicitque, *Æſchylum illud perſpicuè dicere; hoc ipſius conſequens eſſe.* Εἰ γὰρ ὁ μέγας, καὶ συντονὸς, οὐ παραμένει πόνος, οὐκ ἔστι μέγας ὁ παραμένων, οὐδὲ δυσκαρτέρητος. *Si enim magnus, intenſuſque dolor, non perdurat, is qui perdurat, non eſt magnus, neque intolerabilis.*

1 De fin. Cicero verò, Tùm inducit Torquatum illud ex Epicùro referentem, quod iam antè retulimus: *Maximos dolores morte finiri; paruos multa habere interualla quietis, &c.* Itémque, *Dolorem in longinquitate leuem, in grauitate breuem eſſe ſolere; vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio conſoletur?* Ac rursùs: *Nunquam vim tantam dolores habent, vt non plus habeat Sapiens quòd gaudeat, quàm quòd*

2.De fin. *angatur*: Tùm quaſi id exprobrans, *Quod autem*, inquit, *magnum dolorem breuem, longinquum leuem eſſe dicitis, non intelligo quale ſit:* Quod idem aliàs etiam inculcat. Vt præteream, quod ex Zenone Epicureo refert, *Dolorem* nempe, *ſi ſummus foret, futurum breuem; ſi productior, plus habiturum iucundi, quàm mali.* 3.Tuſc.

Epiſt 94. Seneca autem huc, vt apparet, reſpectans: *Optimam Doloris eſſe naturam* ait, *quòd non poteſt, nec qui extenditur, magnus, nec qui eſt magnus, extendi.* Quod autem dicit alibi: *Longum morbum habere intercapedinem* (vti & *breuem exſtinguere, aut exſtingui*) quodque Cicero aliis verbis ait *habere interualla quietis*; illud ita ad poſteriorem ſententiæ partem attinet, vt etiam pertinere poſſit ad acutos morbos, quibus laborare aſſuetus quis ſit. Propterea enim videtur Epicurus apud Plutarchum dicere, γελᾶν ταῖς ὑπερβολαῖς τῆς περὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα τὸν σοφὸν, *Sapientem ſæpius laborantem, etiam per ipſam morbi corpus afficientis vehementiam, ridere.* Quem ſanè locum, ſuperiùs licet relatum, heic iterum citò, ad excuſandum, quod vocem σαρκὸς ſynonymam in hiſce locis cum voce σώματος habitam, nomine *Corporis* reddam potiùs, quàm *carnis*. Denique M. Antoninus, *In maxima*, inquit, *dolorum parte, illud Epicuri ſuccurrat*, ὅτι οὐκ ἀφόρητον, οὔτε αἰώνιον, ἐὰν τοὺς ὅρους μνημονεύῃς, καὶ μὴ προσδοξάζῃς, *Neque intolerabilem, neque perpetuum eſſe dolorem; ſi modò finium ipſis rebus præſcriptorum memineris, nihilque adieceris ex tuo opinatu.* Scilicet hoc modo vocem προσδοξάζῃς, iuxta ea, quæ dicta ſunt in Epiſtolam ad Herodotum interpretor; ac ſimul ad illud Senecæ reſpicio: *Noli mala tua facere tibi ipſi grauiora, & te querelis onerare: leuis dolor eſt, ſi nihil illi opinio adiecerit.* In pag. 92. Epiſt. 78. 7. De vi. ſu. Epiſt. 78.

Qui præcipuè heic aliquid obiiciat, ipſe eſt Cicero: Nam, cætera inter, quæ variis in locis: *Venit Epicurus*, inquit, *homo minimè malus, vel potiùs vir optimus; tantum monet, quantum intelligit. Negligo*, inquit, *dolorem. Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem ſummum malum: Vix ſatis conſtanter: audiamus. Si ſummus dolor eſt*, inquit, *breuem eſſe neceſſe eſt. Itera dum eadem iſta mihi: non enim intelligo, quid ſummum dicas eſſe, quid breue. Summum, quo nihil ſit ſuperius; breue, quo nihil breuius. Contemno magnitudinem doloris, à qua me breuitas temporis vindicabit, antè penè, quàm venerit. Sed ſi eſt tantus dolor, quantus Philoctetæ; benè planè magnus mihi quidem videtur, ſed tamen non ſummus; nihil enim dolet, niſi pes. Poſſunt oculi; poteſt caput, latera, pulmones; poſſunt omnia. Longè igitur abeſt à ſummo dolore. Ergo*, inquit, *dolor diuturnus habet lætitiæ, pluſquàm moleſtiæ. Hunc ego non poſſum tantum hominem nihil ſapere dicere; ſed nos ab eo derideri puto. Ego ſummum dolorem (ſummum autem dico, etiam ſi decem atomis eſt maior alius) non continuò dico eſſe breuem; multoſque poſſum bonos viros nominare, qui complureis annos doloribus podagræ crucientur maximis; ſed homo cautus nunquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum, vt ſciam, quid ſummum dicat in dolore, quid breue in tempore. Omittamus igitur hunc nihil prorsùs dicentem, &c.* Ad hæc porrò, & conſimilia, non id oppono, quod habet Plato, dum vehementiores eſſe per morbum, quàm per ſanitatem voluptates ediſſerit; *Nam &*, inquit, 2.Tuſc. In Philebo.

qui

In pag. 92. *qui febre, aliiſque huiuſmodi morbis laborant, vt vehementiùs, quàm cæteri ſitiunt, algent, & ſolita id genus alia in corpore patiuntur, ne idcircò ſunt in maiore indigentia, quàm cæteri; ita & auidiùs indigentiam explentes, maiorem exinde capiunt voluptatem* Non id, inquam, oppono: ſed illud potiùs, quod Seneca, qui hanc Epicuri ſententiam quaſi amplificans, & probans: Epiſt.78. *Magnos*, inquit, *cruciatus habet morbus; ſed hos tolerabilem interualla faciunt; nam ſummi doloris intenſio inuenit finem. Nemo poteſt valdè dolere, & diù. Sic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Maximi dolores conſiſtunt in macerrimis corporis partibus; nerui, articulique, & quicquid aliud exile eſt, acerrimè ſæuit, cùm in arcto vitia concepit. Sed citò hæ partes obſtupeſcunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt; ſiue quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in peius, vim ſuam, quâ viget, admonètque nos, perdit; ſiue quia corruptus humor, cùm deſiit habere quò confluat, ipſe ſe elidit, & his, quæ nimis impleuit, excutit ſenſum. Sic podagra, & chiragra, & omnis vertebrarum dolor neruorúmque interquieſcit, cùm illa, quæ torquebat, hebetauit. Omnium iſtorum prima verminatio vexat; impetus morâ exſtinguitur, & finis dolendi eſt, obtorpuiſſe. Dentium, oculorum, aurium dolor, ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſcitur, non minùs mehercule, quàm capitis ipſius. Sed quò incitatior eſt, eò citiùs in alienationem, ſtuporémque conuertitur. Hoc itaque ſolatium vaſti doloris eſt, quòd neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris. Illud autem eſt, quòd imperitos in vexatione corporis malè habet; non aſſueuerunt animo eſſe contenti; multum illis cum corpore fuit. Ideò vir magnus, ac prudens animum deducit à corpore, & multùm cum meliore, & diuina parte verſatur; cum hac querula, ac fragili, quantum neceſſe eſt.* Et poſteà: *Toto contra illum pugnet animo: vincetur, ſi ceſſerit; vincet ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt; attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. Iſtud, quod premit, quod impendet, quod vrget, ſi ſubducere te cœperis, ſequetur, & grauiùs incumbet; ſi contrà ſteteris, & obniti volueris, repelletur. Athletæ quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt? Ferunt tamen omne tormentum gloriæ cupiditate; nec tantum, quia pugnant, iſta patiuntur; ſed, vt pugnent, exercitatio ipſa tormentum eſt. Nos quoque euincamus omnia, quorum præmium non corona, nec palma eſt, nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens: ſed virtus, & firmitas animi, & pax in cæterum parta, ſi ſemel in aliquo certamine debellata fortuna eſt. Dolorem grauem ſentio. Quid ni ſentias, ſi illum muliebriter tuleris? Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus; ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti, & auerſo. Sed graue eſt. Quid? nos ad hoc fortes ſumus; vt leuia portemus? Vtrum vis longum eſſe morbum, an concitatum, & breuem? Si longus eſt, habet intercapedinem; dat refectioni locum, multum temporis donat: neceſſe eſt, vt exſurgat, & deſinat.* Rata Sententia. *Breuis morbus ac præceps, alterutrum faciet; aut exſtinguetur, aut exſtinguet. Quid autem intereſt, non ſit, an non ſim? in vtroque finis dolendi eſt. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes auertere animum, & à dolore diſcedere. Cogita quid honeſtè, quid fortiter feceris; bonas porteis tecum ipſe tracta; memoriam in ea, quæ maximè miratus es, ſparge. Tunc tibi fortiſſimus quiſque, & victor doloris occurrat. Ille, qui dum varices exſecandas præberet, legere librum perſeuerauit. Ille, qui non deſiit ridere, cùm ob hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus eſt riſu? Quicquid vis, nunc licet dicas. Diſtillationes, & vim continuæ tuſſis egerentem viſcerum parteis, & febrem præcordia ipſa torrentem, & ſitim, & artus in diuerſum articulis exeuntibus tortos: plus eſt flamma, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipſis intumeſcentibus, quod illa renouaret, & altiùs vrgeret impreſſum. Inter hæc tamen aliquis non gemuit. Parùm eſt; non rogauit. Parùm eſt; non reſpondit. Parùm eſt; riſit; & quidem ex animo. Vis tu poſt hoc dolorem deridere? Sed nihil,* inquit, *agere ſinit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Corpus tuum valetudo tenet, non animum. Itaque curſoris moratur pedes; ſutoris ac fabri manus impediet. Si animus tibi eſſe in vſu ſolet; ſuadebis, docebis, audies, diſces, quæres, recordaberis. Quid porrò? nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? Oſtendes morbum poſſe ſuperari, vel certè ſuſtineri. Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantum arma, & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus: & in veſtimentis vir fortis apparet. Habes, quod agas: benè luctare cum morbo. Si nihil te coëgerit; ſi nihil exorauerit; inſigne prodis exemplum. O quàm magna erat gloriæ materia, ſi ſpectaremur ægri! Ipſe te ſpecta: ipſe te lauda. Præterea duo ſunt genera voluptatum: corporaleis morbus inhibet, non tamen tollit; imò, ſi verum æſtimes, incitat* (Platonicum heic argumentum habes) *Magis iuuat bibere ſitientem: gratior eſt eſurienti cibus. Quicquid ex abſtinentia contigit, auidiùs excipitur. Illas verò animi voluptates; quæ maiores, certioreſque ſunt; nemo medicus ægro negat. Has quiſquis ſequitur; & benè intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit.*

Non poteſt iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur: neque ſapienter, honeſtè, iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Adeò proinde, vt cui non contingit ſapienter, honeſtè, iuſtè viuere, illi nec iucundè viuere contingat.

ỿ.21. Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν. Lego in hac ſententia, οὐδὲ φρονίμως, &c. ad vſque οὐκ ἔστι τοῦτον, pro ἄνευ τοῦ ἡδέως. ὅτῳ δὲ τοῦτο μὴ ὑπάρχει, οὐ ζῇ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως ὑπάρχει.

Digitized by Google

Ante ſententia. *ὑπάρχει*. Scilicet ex his, vt ſe habent, qui intenditur, non elicitur ſenſus; & locus initio deprauatus perinde eſt, ac ſimilis ille in Epiſtola ad Menœceum, qui ex Cicerone reſtitutus fuit. Ac poteſt quidem pars ſententiæ poſterior videri ſuperflua; niſi aliunde reponatur, ὅτῳ ᾗ, & ad ipſum vſque, illa, οὐδὲ φρονίμως, & cætera, deleantur; ſed illud, ἄνευ τοῦ ἡδέως, indicat ſententiam fuiſſe enunciatam; vt in illa Epiſtola; ac poteſt pars poſterior adhibita fuiſſe quaſi conſequutio, ad exprimendum magis, vt cum virtute viuere, quò cum voluptate viuatur, oporteat. Cùm tam multa verò ad hanc rem dicta in eum locum iam ſint; nihil ſupereſſe circa iſtum poteſt; niſi vt inculcemus, dignum admodum conſideratione videri, quantâ in Epicurum inuidiâ ſit actum; cùm hæc etiam adeò præclara, adeóque perſpicua ſententia eò deflexa fuerit, vt quod heic dicitur, *iucundè viuere*, ad illegitimas, obſcœnáſque Voluptates fuerit traductum: ac ipſo Epicuro præſertim apertiſſimè profitente, non compotationes, non id genus alia iucundam vitam gignere, ſed Rationem ſobriam, ſed Prudentiam; ſed ortas ex ipſa virtutes, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, à quibus iucunda, beatáque vita ita inſeparabilis ſit, vt neque ipſæ ſine illa, neque illa ſine ipſis poſſit vſquam conſiſtere. Hoc profectò ſuppoſito, iuuat ſolùm attendere, quàm parùm æquè magni alioquin viri, etiam cognitâ, ſed detortâ

3. Tuſc. ſententiâ, in Epicurum inuehantur. Cicero enim, v. g. *Negat*, inquit, *Epicurus iucundè poſſe viui, niſi cum virtute viuatur. Negat vllam in Sapiente vim eſſe fortunæ; tenuem victum antefert copioſo: negat vllum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit. Omnia Philoſopho digna; ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicit voluptatem: dicat quamlibet; nempè eam dicit, in qua virtutis nulla pars inſit.* Et rursùs, alloquens

2. De fin. Torquatum: *At negat*, inquit, *Epicurus (hoc enim veſtrum lumen eſt) quemquam, qui honeſtè non viuat, iucundè poſſe viuere; Quaſi ego id curem, quod ille aiat, aut neget. Illud quæro, quid ei, qui in voluptate ſummum bonum ponit, conſentaneum ſit dicere: Quid affers, cur Thorius, cur Poſthumius, cur Chius, cur omnium Magiſter Orata, non iucundiſſimè vixerit.* Quo loco, quia Oratam omnium Magiſtrum vocat, iuuat obiter adſcribere verba, quæ de eo B. Augu-

Lib. de vi. be. ſtinus ex ipſo Cicerone citat: *Orata*, inquit, *homini ditiſſimo, amœniſſimo, delicatiſſimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam, integrámque valetudinem. Nam & prædiis quæſtuoſiſſimis, amicis iucundiſſimis, quantum libuit, & abundauit, & illis omnibus aptiſſimè ad ſalutem corporis vſus eſt: eiuſque, vt breuiter totum explicem, omne inſtitutum, voluntatémque omnem ſucceſſio proſpera conſequuta*

1. Cont. Col. *eſt.* Plutarchus verò, cùm integrum librum titulo illo ſcripſerit, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, *Ne iucundè quidem licere, iuxta Epicurum, viuere*; tùm non longè ab initio aientem ad Theonem, Ariſtodemum inducit: *Quàm compendioſâ, planâque via ſermonem nobis intercepiſti; non ſinens putà Sectam illam, cauſam de honeſto priore loco dicere? Neque enim facile eſt à iucunda vita eos depellere homines, qui Voluptatem eſſe finem conſtituunt: verùm ſi honeſta exciderint vita, etiam à iucunda protinùs excidunt,* ἐπεὶ τὸ ἡδέως ζῆν τοῦ καλῶς ἀνυπάρκτον ὂν, *quando, vt iucundè viuatur, niſi & honeſtè viuatur, effici non poteſt, ſicut ipſimet autumant.* Tùm & Theonem ſic excipientem: *Iſtud quidem ipſo in progreſſu ſi videbitur reponemus; nunc vtemur iis, quæ ipſi concedunt, &c.* Seneca quoque, *Itaque*, inquit, *negant poſſe voluptatem à virtute diduci; & aiunt, nec honeſtè quemquam viuere, vt non iucundè; non iucundè, vt non honeſtè viuat. Non video, quomodo iſta tam diuerſa in eandem copulum coniiciantur. Quid eſt, oro vos, cur ſeparari voluptas à virtute non poſſit? Videlicet, quòd omne boni ex virtute principium eſt: ex huius radicibus etiam ea, quæ vos & amatis, & expetitis, oriuntur. Sed, ſi iſta indiſcreta eſſent, non videremus quædam iucunda, ſed non honeſta: quædam verò honeſtiſſima, ſed aſpera, & per dolores exigenda.*

In pag. 92. | Lib. de vit. be. Cap. 6.

Cap. 7. *Addite nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpiſſimam venit: at virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non ſine voluptate, imò ob ipſam voluptatem ſunt; quod non eueniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, nunquam indiget. Quid diſſimilia, imò diuerſa componitis? Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum; cuius ſtatio, ac domicilium, fornices, & popina ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea, ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero, atque vnguento madentem, pallidum, fucatam, & medicamentis pollutam.* Et infrà: *Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris,*

Cap. 9. *qui pecudibus, ac beluis laxior eſt. Diſſimulas*, inquit (ſupple Epicurus) *quid à me dicatur. Ego*

Cap. 10. *enim nego quemquam poſſe iucundè viuere, niſi ſimul & honeſtè viuat: quod non poteſt mutis contingere animalibus, nec bonum ſuum cibo metientibus. Clarè, inquam, ac palàm teſtor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non ſine adiecta virtute contingere. At quis ignorat pleniſſimos eſſe voluptatibus veſtris ſtultiſſimos quoſque? & nequitiam abundare iucundis; animúmque ipſum non tantùm genera voluptatis praua, ſed multa ſuggerere? Imprimus, inſolentiam, &c.* Ac ſtatim: *Temperantia læta eſt: Temperantia autem, cùm voluptates minuat, ſummi boni iniuria eſt. Tu voluptatem complecteris: ego compeſco. Tu voluptate frueris: ego vtor. Tu illam ſummum bonum putas: ego nec bonum. Tu omnia voluptatis cauſâ facis: ego nihil. Cùm dico me nihil voluptatis cauſâ facere; de illo loquor Sapiente, cui ſoli concedis voluptatem.*

Cap. 11. *Non voco autem Sapientem, ſupra quem quid-*

quam

In pag. 92. *quam eſt; nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus, quomodo reſiſtet labori, ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam circumſtrepentibus minis? Quomodo conſpectum mortis? quomodo doloris feret? Quomodo mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium tum molli aduerſario victus? Quicquid voluptas ſuaſerit, faciet. Age; non vides quàm multa ſuaſura ſit. Nihil, inquis, poterit ſuadere turpiter; quia adiuncta virtuti eſt. Non tu vides iterùm quale ſit ſummum bonum, cui cuſtode opus eſt, vt bonum ſit? Virtus autem, quomodo voluptatem reget, quam ſequitur, &c.* Quibus profectò omnibus quid reſponderi debeat, adeò eſt in promptu ex hactenus dictis, vt penè ſuperfluum ſit admonere ſequi non multis pòſt
Cap.12. verſibus, apud ipſummet Senecam, egregiam illam Apologiam, quæ ſuis iam locis recitata eſt. *Ita non ab Epicuro impulſi luxuriantur: ſed vitiis dediti, luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt.* Et, *Non æſtimatur voluptas illa Epicuri, quàm ſicca, ac ſobria ſit.* Et, *Mea quidem iſta ſententia eſt, Epicurum ſancta, & recta præcipere, & ſi propiùs acceſſeris, triſtia.* Et, *Quum nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati, &c.*

> *Fuère qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur (ac pro conditione quidem principatus & regni, ex quibus eam vulgò, comparari putant) affectauerint gloriâ præfulgere, illuſtréſque euadere; exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillúmque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquilláque ipſorum vita, ij ſunt illud ipſum quod eſt naturæ bonum conſequuti. Niſi autem ſecura tranquilláque fuit* (vt reuera eſſe vix poteſt) *tùm exciderunt ſanè ab eo quod naturæ congruum nanciſci ex principatu* fruſtrà *appetierunt.*

℣. 28. Ἔνιοι τ̃ διαφέρειν. Fuère omnino aliqua, ad eruendum quempiam perſpicuum iſtius Sententiæ ſenſum emouenda. Nimirùm ℣. 30. viſum eſt legi poſſe ἐξ ὧν ἀγαθῶν τοῦτο οἷον), pro ἀγαθὸν ἐξ ὧν ἄν ποτε τοῦτο οἷον τε ἦ. Et poſteà, εἰ δὲ, pro ὥστε. Ac rurſus, τ̃ ἀρχῆς, pro ἐξ ἀρχῆς. Siquidem, niſi aliqua ſimilis immutatio fiat; ac, niſi ex duabus periodis, parentheſeos interiectu, fiat vnica; conſtat nihil confuſius, obſcuriúſque eſſe. Eſt porrò hæc ſententia vna earum, quas ſubnotari ex Epicuro à Plutarcho antè eſt dictum, cùm Plutarchus eſſe Philoſophorum dixit,
Lib. de aud Poë. quod adoleſcentes audire ex Poëtis poſſunt: *Mortem nihil ad nos pertinere, naturæ diuitias eſſe definitas, & felicitatem, beatámque vitam parere,* οὐ χρημάτων, πλῆθος οὐδὲ πραγμάτων ὄγκον, οὐδὲ ἀρχάς τινας, *&c. Non numeroſam pecuniam, aut poſſeſſionem rerum amplam; non principatum, aut potentiam dominatricem, &c.* Eſt & eadem,

quaſi antecedens ad illud Effatum, quo Epicurus contendit Sapientem, Niſi quid interuenerit, οὐδὲ πολιτεύσεσθαι, οὐδὲ τυραννεύσειν, *Neque ad Rempublicam acceſſurum, neque principatum geſturum.* Rat. Sent. 112. Quippè hoc facere illum non debere, quòd in eo vitæ genere ſecuritatem, tranquillitatémque nanciſci aut ægrè, aut prorſus non liceat: Heinc, quæ hoc loco dicenda forent, proſequuti iam antè ſumus tùm circa id Effatum, tùm circa Ciuilem Prudentiam; adeò vt, ſi eſſe aliquid hoc loco videatur addendum, illud ſit maximè ſententia B. Ioannis Chryſoſtomi; quippè quæ (ſalua diſparitate) eodem penè ſenſu, ac modo, quo partim iſta, partim illa, quæ in Epiſtola ad Menœceum, continet veræ Voluptatis declarationem, conſcripta videatur: Ille itaque in Epiſtolam ad Romanos ſcribere aggreſſus, poſtquàm præmiſit, *Eum, qui adoptionem diuinam, ſanctitatémque vitæ cuſtodit, eſſe longè illo, qui diademate exornatur, purpuráque induitur, illuſtriorem, ac feliciorem; & tranquillitate in hac vita affluentem; optima innutritum ſpei, ac nulli tumultui, perturbationique obnoxium, verùm continenti voluptate perfruentem,* Hom. 1. tùm ſubdit: εὐθυμίαν γὰρ, καὶ χαρὰν οὐκ ἀρχῆς μέγεθος, οὐ χρημάτων πλῆθος, οὐ δυναστείας ὄγκος, οὐκ ἰσχὺς σώματος, οὐ πολυτέλεια τραπέζης, οὐχ ἱματίων κόσμος, οὐκ ἄλλο τι τῶν ἀνθρωπίνων ποιεῖν εἴωθεν, ἀλλ' ἡ κατόρθωμα μόνον πνευματικὸν, καὶ συνειδὸς ἀγαθόν· καὶ ὁ τοῦτο κεκαθαρμένον ἔχων κἂν ῥάκια περικείμενος ᾖ, καὶ λιμῷ παλαίων, τῶν σφόδρα τρυφώντων ἐστὶν εὐθυμότερος. *Animi enim tranquillitatem, & lætitiam, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentia pompa, non corporis robur, non menſæ ſplendor, non veſtium decor, non aliud quidpiam rerum humanarum ſolet parere; ſed rectitudo ſpiritus, & conſcientia bona; quam purum quiſquis obtinet, ſit licet panneſus, & luctetur cum fame, iis tamen, qui deliciis valdè affluunt, tranquillior eſt.* Dixi hoc eſſe maximè addendum; cùm & prætereundum alioquin non ſit, reſpexiſſe videri ad hanc ipſam Epicuri ſententiam Lucretium, illis verſibus: Lib. 5.

At claros ſe homines voluere eſſe, atque potenteis,
Vt fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam poſſent opulenti degere vitam:
Nequicquam: quoniam ad ſummum ſuccedere honorem,
Et tamen è ſummo quaſi fulmen deiicit iſtos
Inuidia interdum contemtim in tartara tetra;
Vt ſatius multò iam ſit parere quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere.

Pergit autem admonendo:

Proinde, ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes ambitionis;
Inuidiâ quoniam, ceu fulmine ſumma vaporant
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cumq;
Res ex auditis potiùs, quàm ſenſibus ipſis.
Nec magis id nunc eſt, neque erit mox, quam fuit antè.

Quo loco imitatos putes Lucretium Poëtas cæteros, quorum protrita illa ſunt,

In pag. 93. detur, eò videtur ſe expedire poſſe faciliùs, quòd intelligat, eo caſu, nihil interfore, qualemcumque demùm voluptatem exegeris; quatenus omnes peræquè ſunt abſque omni dolore, omni pœnitentia, futuræ, ac ſeſe habituræ circulorum inſtar, qui omnes licet non æquè magni, æquè tamen rotundi ſunt.

Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum liberarent eos rerum ſublimium (ac Deorum proinde) *& mortis ac doloris metu, docerént que, qui eſſent fines cupiditatum; nihil haberem quod reprehenderem, cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum; id eſt malum.*

℣. 14. Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν. Eſt & hæc Sententia quaſi ad duas antecedenteis Corollarium. Interpretatio autem tota eſt Ciceronis (& verbis quidem illis præmiſſis, *Animaduerte, igitur, rectè-ne hanc ſententiam interpreter*) niſi quòd cùm vocem μετεώρων interpretetur ſimpliciter *Deorum*, nos reddimus, *rerum ſublimium*; quo nomine Epicurus intellexit Siderum ortus, conuerſiones, eclipſeis, fulmina, & ſimilia; & ob Ciceronem tamen, addimus, *ac Deorum proinde*, quatenus ex viſis ſublimibus rebus, Deorum metus conſequitur. Mirum porrò dictu, quanta illam ſugillatione inſectetur: Quippè, vbi integram recitauit: *Hoc loco*, inquit, *ſe tenere Triarius* (tertius ſcilicet interloquutorum) *non potuit. Obſecro*, inquit, *Torquate, quare hæc dicit Epicurus? quod mihi quidem viſum eſt, cùm ſciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, ſunéque fidenter, iſtis quidem ipſis verbis, inquit: ſed quid ſentiat, non videtis. Si alia ſentit, inquam, alia loquitur, nunquam intelligam quid ſentiat; ſed planè dicit, quod intelligam; Idque ſi ita dicit, non eſſe reprehendendos luxurioſos, ſi ſapientes ſint, dicit abſurdè. Similiter &, ſi dicat non reprehendendos parricidas, ſi nec cupidi ſint, nec Deos metuant, nec mortem, nec dolorem; & tamen quid attinet luxurioſis vllam exceptionem dare, aut fingere aliquos, qui cùm luxurioſè viuerent, à ſummo Philoſopho non reprehenderentur, eo nomine, dumtaxat cætera cauerent? Sed tamen, nonne reprehenderes, Epicure, luxurioſos, ob eam ipſam cauſam, quòd ita viuerent, vt perſequerentur cuiuſquemodi voluptates: cùm eſſet præſertim, vt ais tu, ſumma voluptas, nihil dolere? Atqui reperiemus Aſotos, primùm ita non Religioſos, vt edant de patella: deinde ita mortem non timenteis, vt illud in ore habeant ex Hymnide,*

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ; ſeptimum
Orco ſpondeo.

Ac ſtatim: *Quid ergo attinet dicere, Nihil haberem, quod reprehenderem, ſi finitas cupiditates haberent? Hoc eſt dicere, Non reprehenderem aſotos, ſi non eſſent aſoti, Iſto modo, ne improbos quidem, ſi eſſent boni viri. Hic homo ſeuerus luxuriam per ſeipſam reprehendendam non putat. Et Hercule, Torquate, vt verum loquamur, ſi voluptas ſummum bonum eſt, rectiſſimè non putat. Nolim enim mihi fingere aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conuiuiis auferantur; crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent; qui ſolem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem; qui conſumtis patrimoniis egeant. Nemo noſtrum iſtius generis aſotos iucundè putat viuere, mundos, eleganteis, optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitanteis cruditatem, quibus vinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, vt ait Lucilius; cui nihil demſerit nix, nec ſacculus abſtulerit: adhibenteis ludos, & quæ ſequuntur, illa, quibus detractis clamat Epicurus ſe neſcire quid ſit bonum. Adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent; reſpondeat his veſtis, argentum, inlicium, locus ipſe, ædificium. Hos ego aſotos benè quidem viuere: at beatè nunquam dixerim.* Et poſteà: *Ipſe negat, vt antè dixi, luxurioſorum vitam reprehendendum, niſi planè fatui ſint; id eſt, niſi cupiant, aut metuant; quarum ambarum rerum cùm medicinam pollicetur, luxuriæ licentiam pollicetur. His enim rebus detractis, negat ſe reperire in aſotorum vita, quid reprehendas. Non igitur poteſtis, voluptate omnia dirigentes, aut tueri, aut retinere virtutem.*

Rata Sententia.

Atque iſta quidem Cicero, & plura, in quibus tamen conditionalem Epicuri ſententiam deflectens, videtur paulò inuidioſiùs in Epicurum ſe gerere, ac potiſſimùm illud interiiciens, *Quibus detractis, clamat Epicurus ſe neſcire, &c.* Quippe, non ea eſt Epicuri mens, vt luxurioſis patrocinetur; ſed ſupponendo id, quod mox dictum, quódque ſuperiùs probatum fuit, Nullam voluptatem ex ſe, hoc eſt, præciſè, vt voluptas eſt, malum quidpiam eſſe, ſed bonum potiùs, quatenus eſt expetendum aliquid; hoc ſolùm contendit: Si eſſent quidem luxurioſorum voluptates eiuſmodi, vt puræ, & ab omni malo, ſeu diuinitùs, ſeu aliunde impendenti ſeclusæ forent; & neque damni, neque doloris quidpiam, ſiue præſentis, ſiue futuri; ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in fama, ſiue in f[illegible]tatibus, aliíſve id genus rebus timeretur; non peruidere ſe quamobrem, caſu hoc poſito, reprehenderentur. Et cùm ſubſumi valeat, Atqui eiuſcemodi ſunt luxurioſorum voluptates, vt omni prorſùs malo vacent: vel, Atqui eiuſcemodi ſunt, vt omni prorſùs malo non vacent: cur aſſumatur illud potiùs, quod Epicurus nũquam dixit, ad inferendum, Non eſſe ergo luxurioſorum voluptates ex eius mente reprehendendas; quàm hoc, quod expreſſè aſſeruit, ad concludendum placuiſſe illi, Reprehendendas igitur eſſe luxurioſorum voluptates: vti & reipsâ illas reprehendit in Epiſtola ad Menœceum?

Rara Sententia. ccum? Nã quòd Cicero quidem Aſotos fingit *non religioſos, non mortem timentes*; vt tales dentur, non ij ſunt tamen, quibus timenda mala non ſint, quæ Pruuidentiæ Numinis, immortalitatiſque animorum incredulos manent; aut ij, qui finitas cupiditates habeant. Et quamvis hoc ille idem eſſe cauſetur, ac dicere, *Aſotos, niſi eſſent aſoti, reprehenſum non iri*: nihil tamen ea in re abſurdi, cùm ſit perinde, ac dicere, illos homines, qui aſoti ſunt, non iri reprehenſum, niſi aſoti eſſent. Neque enim exigitur, vt aſoti ſimul, & non aſoti ſint; ſed, vt hominum ſermo pati poteſt, enunciatur illos, cùm eſſe non aſoti poſſent, quo caſu non reprehenderentur, ideò reprehendi, quia aſoti ſunt. Quod autem eſſe taleis fingit, *non qui in menſam vomant, qui ſe ingurgitent, &c. ſed qui ſint mundi, elegantes, optimis cocis, &c.* aut non poteſt ex eorum victu nihil omnino mali ſequi dicere; aut, ſi admittat nihil prorsùs ſequi, dicat, amabò, quid reprehendat? Nam quicquid demum ſit reprehenſurus, id reprehendet, quia erit malum; porrò & idipſum, quia malum erit, ab Epicuro reprehendetur. Niſi autem ſit quidquam mali, ac nihil ideò quod reprehendat; ecquid erit, quod Epicuro eſſe velit reprehendendum? Videri certè poteſt hoc loco 7. Ethic. audiendus Ariſtoteles, cùm loquens de Aſotis, qui Voluptatum præclariorum (ipſius nempè animi) percipiendarum incapaces, eas perſequuntur, quæ corporis, ac vehementes maximè ſunt, ſitimque earum etiam arceſſunt (Sicilicet, vt interpres habet, totum bibere diem volentes, ſalſamenta comedunt, vt ea ratione ſitientiores fiant) ſubdit; ὅταν μὲν ὦν ἀβλαβεῖς, ἀνεπιτίμητον, ὅταν δὲ βλαβεράς, φαῦλον, *Donec igitur innoxias ſequantur, id reprehendendum non eſt; donec verò noxias, id malum.* Eadem penè reponi poſſent ad quædam loca Sanctorum Patrum; niſi quòd illi fuiſſe vi-3. Epiſt. 25. dentur, quàm Cicero fuerit, æquiores. Nam, v. c. D. Ambroſius reprehendens aſotos quoſdam: *Quæ*, inquit, *iſtos Epicureos noua ſchola miſit? Non Philoſophorum, vt ipſi aiunt, ſed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant, caſtimoniam nulli vſui eſſe dicant.* Et paucis interpoſitis, *Ipſe quoque Epicurus, quem iſti ſibi magis ſequendum, quàm Apoſtolos putant, [illegible]orem voluptatis; etſi neget inuectricem mali [illegible]oluptatem; non negat tamen ex ea fieri quædam, ex quibus generentur mala.* Pergit; *Denique nec luxurioſorum vitam reprehenſibilem videri, quæ repletur delectationibus; niſi vel doloris, vel mortis quatiatur metu.* Quo loco, & Aſotis illis nihil aliud, quàm nomen Epicureorum tribuit (cum alioquin idem penè quod Seneca dicat, loquente de illis, qui *non ab Epicuro impulſi luxuriantur, ſed vitiis dediti, &c.*) & fatetur non negare quidem Epicurum voluptatem eſſe per ſe malum; ſed tamen, non negare, quin ex ea mala ſequi poſſint, ob quæ iure fugienda ſit: & ſententiam, commemorans, quæ de hoc loco agitur, admittit Epicu- In pag. 93.
rum id mali in luxurioſis agnoſcere, propter quod ſint reprehendendi. Sic etiam D. Augu- 7. Confeſſ. 16.
ſtinus: *Diſputabam*, inquit, *cum amicis meis Alipio, & Nebridio de finibus bonorum, & malorum, Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego credidiſſem poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Et quærebam, ſi eſſemus immortales, & in perpetua corporis voluptate ſine vllo amiſſionis terrore viueremus, cur non eſſemus beati, aut quid aliud quæreremus. Neſciens idipſum ad magnam miſeriam pertinere; quòd ita demerſus, & cæcus, cogitare non poſſem lumen honeſtatis, & gratis amplectendæ pulcritudinis, quam non videt oculus carnis, & videtur ex intimo.*

Si nihil conturbaret nos, quod ſuſpicamur, veremúrque *ex rebus ſublimibus; neque item quod ex ipſa morte, nequando nimirum ad nos pertineat aliquid: ac noſſe præterea poſſemus, qui* germani *fines dolorum atque cupiditatum ſint, nihil Phyſiologiâ indigeremus.*

ỽ. 25. Εἰ μηθὲν ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν. Hæc ſententia eſt, ob quam aliquoties ſuperiùs inſinuauimus Epicurum tanti feciſſe Moralem philoſophiam, vt primas ipſi detulerit, ac Phyſiologiã idcircò ſolùm, quòd ad eam conferret, eſſe neceſſariam cenſuerit. Repono autem in contextu voculam ὑπὲρ ex Plutarcho; & cùm ſta- 2. Adu. Col.
tim, pro ϗ, ille habeat ἔτι τε, legendum puto ἔτι τε αἱ. Subinde verò poſt vocem ἡμᾶς, lego ἄν τι, ἔτι τ' ἐδεόμεθα, pro ἄ τι, ἔτι τετόλμηκα, quæ eſſe corrupta perſpicuum videtur, maximéque ad verbum quod ſpectat, quod eo numero, temporéque elatum interſeri (ne de ſignificatu quid dicam) videtur non parum incongruum. Plutarchi porrò locus, in quo hanc ſententiam refert, ſic habet: Εἰ μηδὲν ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν, ἔτι τε αἱ περὶ θανάτου, καὶ ἀλγηδόνων οὐκ ἄν ποτε προσεδεόμεθα φυσιολογίας εἰς τοῦτο. Non heic adnoto Epicurum tam in Epiſtola ad Herodotum, *eſſe* admonuiſſe *Phyſiologici muneris cauſas præcipuarum, quæ in natura ſunt rerum, accuratè perueſtigare, & hinc profluxiſſe quicquid felicitatis eſt, &c.* quàm in Epiſtola ad Pythoclem, edixiſſe: *Non alium eſſe ſtatuendum finem cognitionis rerum ſublimium, quàm ſtatum mentis imperturbatum*, ac ideò deinceps nulla non occaſione inculcaſſe, *Nihil eſſe timendum à rebus illis ſublimibus.* Adnoto dumtaxat Lucretium ipſi cre- Lib. 1.
brò ſuccinere; & ferè quidem ab vſque initiu:

Tutemet à nobis iam quouis tempore vatum
Terriloquis victus dictis deſiſtere perges.
Quippe etenim, quã multa tibi iã fingere poſsũ
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,

Fortunaſque

In pag. 93.
Fortunaſque tuas omneis turbare timore:
Et merito. Nam ſi certam finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus, atque minis obſiſtere vatum
Nunc ratio nulla 'ſt reſtandi, nulla facultas.
Ignoratur enim quæ ſit natura animaï;
Nata ſit, an contrà naſcentibus inſinuetur;
Et ſimul intereat nobiſcum morte dirempta:
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas:
An pecudes alias diuinitus inſinuet ſe, &c.

Ac ſtatim:

Quamobrem benè cum ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio: cæli, Lunæque meatus
Quâ fiant ratione; & quâ vi quæque genantur.
In terris, tùm cùm primùm ratione ſagaci,
Vnde anima, atq; animi conſtet natura, videndũ,
Et quæ res nobis vigilantibus obuia menteis
Terrificet morbo affectis, ſomnóque ſepultis;
Cernere vti videamur eos, audiréque coràm,
Morte obitâ quorum tellus amplectitur oſſa.

Quod ſupereſt; Vtcumque Epicurus Phyſiologiæ ſcopum non malè conſtituat, quòd ſpectat quidem ad dolorum, & cupiditatum fineis; quatenus exinde poteſt aliqua vitæ tranquillitas comparari, vt ex ſupra dictis intelligitur; Perperam tamen omnino facit, quatenùs eò ipſam inſeruire vult, vt excutiatur Numinis metus, ex prouidentia non agnita; ac metus etiam Inferorum, ex non agnita animi immortalitate. Et quòd conferat quidem potiùs Phyſiologia imprimis ad agnoſcendum diuinum Numen, eiuſque prouidentiam, ſuo fusè loco deduximus. Quod exinde autem ille ſequi putat, vt animus metuere, ac perturbari debeat; hoc tantum abeſt, vt potiùs fit, vnde alacritate humaniſſima, ac ſuauiſſima perfundatur. Id nempè, tùm ex ea notitia, quam aſſequitur præclariſſimæ maieſtatis; tùm ex iuſta veneratione auguſtiſſimi Principis; tùm ex agnitione, & recordatione Optimi benefactoris; tùm ex ſpe, quâ ſibi nihil malè conſcius, nonniſi fauſta omnia exſpectanda ab illo ducit. Certè, cùm ita fuerit affectus; longè erit, vt percellatur iis pauoribus, quibus terretur ſuperſtitioſus. Nouit enim Deum, ſiue primam cauſam, ita moderari vniuersè omnia, vt patiatur tamen cauſas naturaleis ſuas agere vices; & cùm perſpectas habeat cauſas conuerſionum, exortuum, occaſuum, eclipſeon, cometarum, fulminum, oſtentorum, monſtrorum, aliorúmque ſimilium; non ea ſibi mala metuit, & adſciſcit, quæ metuunt, & adſciſcunt ij, qui iſta ad Deos, aut Genios malos ſic referunt, vt eſſe alias cauſas non putent; ac proinde aliquid ſemper à confictis illis Numinibus metuant; & vel minimâ occaſione impendere ſibi malum ſuſpicentur, quod ſit ſuperſtitioſo cultu, quâ fieri poſſit, auerruncandum. Deinde, quòd etiam Phyſiologia, naturaliſve ratio conferat potiùs ad ſtabiliendum animi immortalitatem, deductum copioſè ſuo loco eſt. Quòd ille autem fieri heinc credit, vt inferorum metus ſequatur, ex quo inſignis ſit perturbatio; id in prauis quidem contingit, quos expauere, perturbarique, nihil ſanè incommodum eſt; quoniam cùm malitiam probitati præferant, ideò omnibus potiùs furiis, quàm perturbatione ſunt digni. At verò, bonus vir qui fuerit, quid eſt, quod ſibi metuendum putet? Nam quæ ſupplicia poſt mortem manent, nihil ad ipſum attinent. Ea viris malis deſtinata ſunt; ipſum felicitas exſpectat. Et quantâ potiùs voluptate non continenter afficitur, cùm præſentit ſeſe in morte non iri omnino abſumptum; ſed ſuperſtite parte ſui meliore, futurum adhuc, & longè meliùs quàm in hac vita fuerit? Verùm hac de re dicta plura ſunt, cùm præſertim repreſſimus Lucretianum illud, Lib.3.

Rata Sententia.

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus, &c.

Videtur etiam vnum prætereà perperam feciſſe Epicurus; nempè quatenus Phyſiologiam non fecit neceſſariam, cum ad alia, tùm maximè ad mirificam voluptatem, quæ ex ipſa naturæ contemplatione paritur, ac illam per ſe, aliíſque ſeclusis deſideratiſſimam facit. Præclarè enim Cicero tùm illa præmittit: *Similia dici poſſunt de explicatione naturæ, quâ hi vtuntur, & veſtri. Neque enim ob duas modò cauſas, quod Epicuro videtur, vt pellatur mortis, & religionis metus; ſed etiam modeſtiam quandam cognitio rerum cæleſtium affert iis, qui videant, quanta ſit etiam apud Deos moderatio, quantus ordo; & magnitudinem animi, Deorum opera, & facta cernentibus: Iuſtitiam etiam, cùm cognitum habeas, quod ſit ſummi Rectoris, & Domini numen, quod conſilium, quæ voluntas; cuius ad naturam apta ratio vera illa, & ſumma Lex à Philoſophis dicitur.* Tùm cohærenter ſubiicit: *Ineſt in eadem explicatione naturæ inſatiabilis quædam è cognoſcendis rebus voluptas, in qua vna, confectis rebus neceſſariis, vacui negotiis, honeſtè, ac liberaliter poſſumus viuere.* Sed plura ad hanc rem, cùm de voluptate, quæ ex virtute percipitur, iam antè diſſeruimus. Quædam illeic, cætera inter, ex Seneca relata ſunt: Heic non tam illud eſt memorandum, quod penè ex parte cum Epicuro habet; dum poſtquam præmiſit: *Non aliunde animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ,* 7. Qu. nat. vlt.
ſubdit: *Proinde, ſi volumus eſſe felices, ſi nec hominum, nec Deorum, nec rerum timore vexari; ſi deſpicere fortunam ſupervacua promittentem, leuia minitantem; & ſi volumus tranquillè degere, & ipſis Diis de felicitate controuerſiam facere; anima in expedito eſt habenda, &c.* Non tam, inquam, hoc memorandum, quàm illud attingendum eſt, quod habet, dum ita requirit: *Quod, inquis, erit pretium operæ?* ac ita reſpondet: *Quo nullum maius eſt; Noſſe naturam. Neque enim quidquam habet in ſe huius materiæ tractatio pulcrius, cùm multa habeat futura vſui, quàm quòd homines magnificentiâ ſui detinet; nec mercede, ſed miraculo colitur. Inſpiciamus ergo*

 quid

Rata Sententia. *quid ſit, propter quod accidunt hæc, quorum eſt adeò mihi dulcis inſpectatio, vt, &c.* Adderem, quæ Plato interdum, ſed in Theæteto cum primis, huc attinentia edifferit; ac declarando quidem præſertim quos hæc Philoſophia
Differ. 6. addat animos, dum *Tam parui facere docet, quæ homines vulgò mirantur, vt, inter cætera, principatum, cui texuntur encomia; vt nobilitatem, quâ quis genus, & proauos, & quæ ipſe non fecit, iactat, &c.* Adderem item, quod Maximus Tyrius, dum multis in eandem ſententiam præmiſſis, & comparato Philoſophiæ ſpectaculo cum perſpicuo ſomnio, quo animus terram vniuerſam perluſtrat; cum Sole, & Luna circumfertur; ſiderum choro adſidet; parúmque abeſt, quin habeas eum ipſo Ioue teneat: tùm exclamat: *O peregrinationem felicem! ô pulcra ſpectacula! ô vera inſomnia!*
Præfat. in Phyſ. Adderem rursùs quod Simplicius ſcitè fuséque proſequitur; dum oſtendit quantum Phyſiologia inſeruiat, vt ad Numinis agnitionem, & cultum; ita ad Iuſtitiam, ad Temperantiam, ad Fortitudinem, ad Prudentiam, & ad magnanimitatem, magnificentiámque vel ex eo, quod exinde agnoſcitur, nihil eſſe magnum in rebus humanis; hominem quoque ipſum vix eſſe partem Vniuerſi ſenſibilem; ac totam eius durationem vix quicquam eſſe æternitatis, &c. Adderem quin etiam,
Lib. 12. c. 2. quod habet Quintilianus, dum ad artem ſuam reſpiciens: *Pars verò naturalis*, inquit, *cùm eſt ad exercitationem dicendi tantò cæteris vberior, quantò maiore ſpiritu de diuinis rebus, quàm de humanis loquendum eſt; tùm illam etiam Moralem, ſine qua nulla eſſe, vt docui, oratio poteſt, continet. Nam, ſi regitur Prouidentiâ mundus; adminiſtranda certè bonis viris erit Reſpublica. Si diuina noſtris animis origo; tendendum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis ſeruiendum.*
De orat. perf. Adderem proinde id, quod Cicero, cùm poſtquam docuit Oratorem, quò grandior, & excelſior ſit, non debere eſſe Phyſicæ ignarum: *Nam omnia profectò*, inquit, *cùm ſe à cœleſtibus referet ad humana, excelſiùs, magnificentiúſque & dicet, & ſentiet.* Adderem plura; ſed iſta nimis.

Fieri non poteſt, vt metu perculſus circa res quæ ſunt in rerum naturâ, vitâque *præcipuæ, ipſo eximatur, qui, qualis ſit naturæ rerum vniuerſitas non perſpexerit, ſed quidpiam eorum ſuſpicetur quæ iuxta fabulas traduntur: adeò proinde vt ſinceras voluptates percipere citra Phyſiologiam non liceat.*

¶. 32. Οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν, ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων. Lego heic τὸν φοβούμενον, pro τὸ φοβούμενον, ex ipſa ſenſus neceſſitate. Eſt autem hæc ſententia eadem reipsâ cum ſuperiore; ſed abſolutè poſita, ac adhibita inſuper conſequutione. Exprimit ipſam paucis Torquatus, cùm, *E Phyſicis*, inquit, *& fortitudo ſumitur contra mortis timorem; & conſtantia contra metum Religionis; & ſedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione ſublata; & moderatio cupiditatum, naturâ, generibuſque earum explicatis.* Lucretius eandem ſæpiùs inculcat, ſæpiúſque concludit illis iiſdem carminibus: In pag. 93. 1. De fin.

Hunc igitur terrorem animi, tenebráſq; neceſſe'ſt Lib. 1. 2. 3. 6.
Non radij Solis, neque lucida tela diei
Diſcutiant; ſed naturæ ſpecies, ratióque.

Quibus poſtremis verbis exprimi Phyſiologiam vides; vti & illis, quibus cum docuit quemque ſe fruſtrà fugere, id fieri pergit:

Propterea, morbi quia cauſam non tenet æger; Lib. 3.
Quam benè ſi videat, iam rebus quiſque relictis,
Naturam primùm ſtudeat cognoſcere rerum.

Quod Epicurus autem hoc loco ἀκεραίας ἡδονὰς, *ſinceras voluptates* dicit; id videtur Lucretius exprimere voluiſſe illis verſibus, quibus admonuimus illum perperam ideò contendiſſe Acheruntis metum agendum foras funditus eſſe, quia nullam

Eſſe voluptatem liquidam, puràmque relinquit.

Cùm & videatur Virgilius eodem reſpexiſſe, dum magni ducens poſſe cauſas rerum naturalium pernoſſe; ac imprimis

Defectus Solis varios, Lunæque labores; 2. Georg.
Vnde tremor terris: quâ vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, ruſúſque in ſeipſa reſidant:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Subiicit ſtatim id, quod eſt etiam recitatum ſuperius,

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Ille metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitúmque Acherontis auari.

Succurrit hoc loco, quod Horatius habet, dum eum reprehendens, qui non inſtar Democriti, in contemplatione naturæ totus erat, ſic canit:

Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos, 1. Epiſt. 12.
Cultáque dum peregrè eſt animus, ſine corpore velox;
Cùm tu, inter ſcabiem tantam, & contagia lucri,
Nil paruum ſapias, & adhuc Sublimia cures?
Quæ mare compeſcant cauſæ? quid temperet annum?
Stellæ ſponte ſuâ, iuſſæ ne vagentur, & errent?
Quid premat obſcurum Lunæ, quid proferat orbem?
Quid velit, & poſſit rerum concordia diſcors?

Succurrit, inquam, vt tametſi res præclarè quadret in Democritum, inſinuem non deeſſe, qui putent attribuiſſe illi Horatium, quod competeret Anaxagoræ, ob id, quod ſcriptum eſt à Plutarcho, reliquiſſe eum agros depaſcendos pecudibus; dum eam ſibi naturæ rerum cognitionem acquireret, quâ Periclem deinceps inſtituens, magnum virum fecit. Intereà certè, quæ ex eius conſuetudine conſequutus eſt Pericles: *Illud fuit*, inquit Plutarchus, Sim. Bol. de non ſeruet. In Pericl.

In pag. 93. rarchus, *quòd euaſit longè omni ſuperior ſuperſtitione, quæ terrorem parere ex rebus Sublimibus ſolet apud eos, qui cauſas ignorant, & circa diuina, ob inexperientiam, mentis impotes, plenique perturbationis ſunt; quam eximens λόγος φυσικὸς, naturalis ratio, pro tremenda illa, æſtuantéque ſuperſtitione, ſecuram ſpe bonâ ſanctitatem facit.* Denique verò, quod Epicurus habet de Superſtitione, *περὶ τοὺς μύθους, quod attinet ad fabulas*; id Lucretius ſic explicat, vt oſtendat ea, quæ Poëtæ ſunt fabulati de Inferorum ſuppliciis, tropologicῶs accipienda eſſe,

Atque ea nimirùm, quæcumque Acherunte profundo,
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis, &c.

Notum porrò eſt, ex ſuperiùs dictis, quid ad hæc reponendum ſit; vti & ad conſimilia illa,

Iuuen. ſatyr.
Eſſe aliquos Maneis, & ſubterranea regna
Et contum, & Stygio ranas ſub gurgite nigras;
Atque vnâ tranſire vadum tot millia cymbâ;
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

2. De diuin. Quocirca & hiſce dimiſſis; ſupereſt ſolùm attexamus ex Cicerone egregium locum, qui hcic potiſſimùm ad rem faciat. Ille enim loquens de prodigiis, tùm illud habet: *Atratum fluuium fluxiſſe ſanguine, Deorum ſudaſſe ſimulacra, num cenſes his nuntiis Thaletem, aut Anaxagoram, aut quemquam Phyſicorum crediturum fuiſſe? Nec enim ſanguis, nec ſudor, niſi è corpore eſt: ſed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena, &c.* tùm paucis interpoſitis, in hunc modum excipit: *Nos autem ita leues, atque inconſiderati ſumus, vt ſi mures corroſerint aliquid, quorum eſt opus, hoc vnum, monſtrum putemus. Ante verò Marſicum bellum, quod Clypeos Lanuuij, vt à te eſt dictum, mures roſiſſent, maximum id portentum haruſpices eſſe dixerunt. Quaſi verò quidquam interſit, mures diem ac noctem aliquid rodentes, ſcuta, an cribra corroſerint. Nam, ſi iſta ſequimur, quòd Platonis Politiam nuper apud me mures corroſerint, de Republica debui pertimeſcere; aut ſi Epicuri de Voluptate liber corroſus eſſet, putarem annonam in macello cariorem fore? An verò illa nos terrent, ſi quandò aliqua portentoſa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? Quorum omnium, ne ſim longior, vna ratio eſt. Quicquid enim oritur, qualecumque eſt, cauſam habeat à natura neceſſe eſt; vt etiam ſi præter conſuetudinem exſtiterit, præter naturam tamen non poſſit exſiſtere. Cauſam igitur inueſtigato in re noua, atque admirabili, ſi potes. Si nullam reperies; illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa; eumque errorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturæ ratione depellito. Ita te, nec terræ fremitus, nec cæli diſceſſus, nec lapideus, aut ſanguineus imber, nec traiectio ſtellæ, nec faces viſæ terrebunt.*

Nihil prodeſt ſecuritatem, quod ad homines attinet, parare, ſi ſuperſit eorum ſuſpicio, quæ aut supernè impendeant, aut inferiùs ſub terra maneant, aut vniuersè vſquam ſint in ipſa rerum immenſitate. Nam ſecuritas quidem quæ haberi poteſt ex hominibus, aliquatenus ſolùm eſt; ac nequicquam eſt, niſi quis ſit à ſeſe ipſo maximè ſecurus. Rara Sententia.

¶. 4. Οὐδὲν ὄφελος ἦν τὴν κατ' ἀνθρώπους ἀσφάλειαν. Eodem quoque ſententia hæc, quò & duæ ſuperiores, ſpectat: ac ſimul prætereà declarat fruſtrà ſperare homines ſecurum tranquillúmque ſtatum; ſi, cùm ſe extra metum à tyrannis, ab improbis, ab inimicis, ab inuidia, ab ignominia, à paupertate, aliiſque id genus conſtituerint; non inſuper ſe à ſeipſis, hoc eſt, à propriæ opinionis tyrannide ſecuros reddant; quâ nempè ſuſpicentur ſibi ſupernè, infernè, vndique mala impendere; ac omnia etiam tuta timentes, fingant ſibi, quod ille ait, PAG. 94

Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas, Horat. 2. Epiſt. vlt.
Nocturnos lemures, portentáque Theſſala.

Et quicquid denique terroris incutiendi eſſe poteſt capax. Adiicitur autem ſecuritatem ab hominibus aliquatenus eſſe: Imprimis, quia poteſt quidem loci munimentum, ſtipatio ſatellitum, exercitus robur, ſplendor maieſtatis, amplitudo imperij; poſſunt id genus cætera rurum vtcumque facere, ſeu aliquam ſecuritatem præſtare ab hominibus; at præſtare tamen non poſſunt ſecuritatem à ſeipſo; neque obſtare, quin ſuperſtitio, quin metus, quin ſollicitudo, quin cupiditates, quin auaritia, quin ira, quin ambitio, quin paſſiones cæteræ, quaſi aurum illud Poëtarum, & ſatellites, & aheneas turreis fulmine potentiùs perrumpant, ac in miſerum inuolantes cor, ipſum exedant, canéque peius, & angue conficiant. Hoc ipſum eſt, quod aliquoties, ſed verſibus illis præſertim, expreſſum à Lucretio eſt:

Quapropter quoniam nil noſtro in corpore gazæ Lib. 2;
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod ſupereſt, animo quoque nil prodeſſe putandum'ſt,
Si non fortè, tuas legiones per loca campi
Feruere cùm videas belli ſimulacra cienteis,
Feruere cùm videas claſſem, latéque vagari;
His tibi tùm rebus timefacta relligiones
Effugiant animo pauida, mortiſque timores
Tùm vacuum pectus linquunt, curâque ſolutum.
Quòd ſi ridicula hæc, ludibriáque eſſe videmus
Reueráque metus hominum, curæque ſequaces
Nec metuunt ſtrepitus armorum, nec fera tela,
Audactérque inter reges, rerumque potenteis
Verſantur, neque fulgorem reuerentur ab auro;
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureaï?
Quid ſupereſt, niſi vt omne ſit hoc rationis egeſtas,

Omnia

Omnis cùm in tenebris præſertim vita laboret.

Rara Sententia. Deinde, quia licet quidem ſic defugere homines, vt magis, magiſque ab iis recedendo, nihil ab ipſis timendum ſit; at non licet tamen ſeipſum ſic defugere, qui in media etiam ſolitudine ſecum ipſo habitandum ſit, & à ſeipſo ſummè timendum; quatenus animo non purgato, ea paſſionum turba, de qua dictum mox, ita comitatur, vt quaſi arundo lethalis hæreat lateri, aut quaſi aſilus,

3.Georg. *Quo quondam monſtro horribileis exercuit iras,*
Inachia Iuno peſtem meditata iuuencæ:

Epiſt.17. Iure profectò Seneca, poſtquàm illud ex Epicuro retulit: *Multis paraſſe diuitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio*; ſubdit: *Non hoc miror, non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud, quod paupertatem grauem fecerat, & diuitias graueis fecit. Quemadmodum nihil differt, vtrùm ægrum in ligneo lecto, aut in aureo colloces; quocumque illum transtuleris, morbum ſuum ſecum transfert: ſic nihil refert, vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur: Malum ſuum, illum ſequitur.* Facere huc poſſet, quod Charinus apud Plautum, aut Chorus apud Ennium, referente Agellio habet; ſed referre præſtat, quod Lucretius attingit, cùm docet homines plerumque:

In mercat. Lib 9. cap. 10. Lib.3.

Quid ſibi quiſq; velit, neſcire, & quærere ſemper;
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſet.

Pergit ſcilicet,

Exit ſæpè foras, magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum 'ſt, ſubitóque reuertit;
Quippe foris nihilo meliùs qui ſentiat eſſe.
Currit, agēs mannos ad villam hic præcipitāter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat exemplo, tetigit cùm limina villæ;
Aut abit in ſomnum grauis, atque obliuia quærit;
Aut etiam properans vrbem petit, atque reuiſit.
Hoc ſe quiſque modo fugit, &c.

Quæ ſecuritas habetur ex tranquillitate deuitationéque multitudinis, eadem paratur per facultatem, quâ ſibi ipſi temperando, ex cupiditatibus, quicquid neceſſarium naturæ non eſt, *detrahitur, ac per ſimpliciſſimam* facillimámque rerum neceſſariarum *parabilitatem.*

¶. 11. Δυνάμει τε ἐξαιρετικῇ. Cohæret hæc ſententia quadamtenus cum ſuperiore. Lego autem ἐξαιρετικῇ, pro ἐξεταστικῇ, quoniam huius vocis (vtcumque eſſe poſſe in vſu fingatur) nullus eſſe poteſt hoc loco, niſi aut alienus, aut repugnans ſignificatus: Quam ſubſtituo autem, eiuſmodi eſt, quæ à Seneca penè demonſtretur, dum & refert illam, quam *nobilem* dicit, (quamque iam ſuperius memorauimus) Epicuri ſententiam: *Si vis Pythoclea diuitem facere, non Pecuniæ adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt*; & admonet ſtatim, ne iſtud tantum exiſtimemus de diuitiis dictum; Nam, *quocumque*, inquit, *transtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honeſtum facere, non honoribus adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea eſſe in perpetua voluptate; non voluptatibus adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea ſenem facere, & implere vitam; non annis adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum.* Hæc igitur tam latè patens, videtur ea eſſe, quæ hoc loco dicitur facultas ἐξαιρετική, *detructoria.* Notauimus certè iam antè placere Epicuro ὑπεξαίρειν, vtcumque fortaſſis in Epiſtola ad Idomeneum Senecæ citata non verbo ἐξαίρειν, ſed περιτέμνειν fuerit vſus; quòd Stobæus ſcribat Epicurum interrogatum, πῶς ἄν τις πλουτήσειεν; *qua quis arte diteſceret? reſpondiſſe*, οὐ τοῖς οὖσι προστιθεὶς, τῆς δὲ χρείας τὰ πολλὰ περιτέμνων: *Non iis, quæ iam habeat adiiciens, ſed ex iis, quorum eſſe putet vſum neceſſarium, multa reſecans*; verumtamen perinde eſt; ac præſertim quidem, cùm ipſe etiam Plato apud eundem Stobæum pari modo interrogatus, paritérque reſpondens, verbo μειῶσαι, minuendi, vſus fuerit. Interim autem ex hac *detractione*, vnà cum adiuncta *parabilitate* rerum naturæ neceſſariarum, ſecuritatem fieri confirmari poteſt ex eo, quod habetur in Epiſtola ad Menœceum; illos videlicet, qui ſeſe ad tenuem victum reduxerint, eſſe πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους, *interritos aduerſus fortunam.* Quamobrem & cum illeic loci rem ſatis abundè deduxerimus, nihil eſt neceſſe hoc loco addatur. Obſeruo dumtaxat, ob comparationem, quæ hoc loco fit, Securitatem hac ratione partam iure haberi ſimilem illi, quæ ex quieta, ſeu priuata vita; aut ex ſeceſſu, atque fuga multitudinis, obtinetur. Quippe qui in ſocietate degit, & in gerendis rebus occupatur, ſi inaneis modò ex animo cupiditates detraxit, deſideriúmque ſuum eluſit; hic nihilo magis quicquam affectat, nihilò magis iniurius eſt, nihilo magis vindictam metuit, nihilo magis ruinam timet, quàm is, qui negotia omnia refugit, qui in claritate populi non eſt; qui extra omnem ſocietatem degit. Adeo proinde, vt ille verâ, creditâque adeſſe ſolitudini ſecuritate, tranquillitatéque animi fruatur; non qui in eremum, ſed qui in ſeipſum ſecedit; quique non ipſos homines, ſed ſuas cupiditates fugit; ac ſibi eſſe non tam ab aliis, quàm à ſeipſo cauendum putat: quemadmodum dictum mox eſt. Quamquam id ita eſt accipiendum, non quòd non laudabile ſit, tranquillitatem, ſecuritatémque in vita priuata, ac ſolitaria quærere, & maximè quidem, cùm adeò difficile ſit, in mediis negotiis, inque communi ſocietate cupiditates reſcindere, vbi tot exempla, totque occaſiones veluti incentiua ſunt: ſed quòd ſingulari ſapientiæ, virtutiſque ſtudio fieri valeat, vt quis etiam in ſocietate, mediiſque negotiis, animum ſecurum, tranquillúmque poſſideat; quódque aliunde præſtet, cupiditates reſecantem

In pag. 94.

Serm. 17.

Serm. 20.

Digitized by Google

In pag. 94. cantem cum hominibus viuere, quàm deuitantem homines, deuehere ſecum cupiditates.

Diuitiæ, quibus natura contenta eſt, terminatæ, & parabiles ſunt, earum verò quæ iuxta inaneis opiniones concupiſcuntur, nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt.

1.De fin. ỳ.15. **O**ʹ Τῆς φύσεως πλοῦτος. Sententiæ interpretationem ex Cicerone deſumptam verbis accommodauimus leuicula immutatione: Nempè, Torquatus apud illum, *Natura*, inquit, *diuitias, quibus contenta eſt, & parabileis, & terminatas habet: inanium autem cupiditatum nec modus vllus, ac finis inueniri poteſt.* Poteramus verò etiam breuiùs interpretari ex Seneca, apud quem, poſtquàm Epicurus dixit; *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquam diues*; tùm ſententiam ſic exprimit: *Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.* Agnuſcis porrò hanc ipſam eſſe Epicuri ſententiam, quam ſub Animaduerſionum initium obſeruauimus Athenæum comprehendiſſe illo diſticho:

> Τῆς φύσεως δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπίσχει,
> Αἱ δὲ κεναὶ κρίσεις τὰν ἀπέραντον ὁδόν.
> *Præſcripſit natura opibus finémque modúmque;*
> *Vani at opinatus fine, modóque carent.*

Quia verò illeic Solonis verſum in eandem ſententiam ex Plutarcho retulimus; placet nunc integram ſententiam apud Stobæum
Serm. 9. exſtantem referre.

> Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
> Οἱ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον,
> Διπλασίως σπεύδουσι. τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;
> *Finis opum apparens non eſt mortalibus vllus:*
> *Nam quibus ex nobis copia turget opum,*
> *Hi duplum affectant. Ecquis ſatiauerit omneis?*

Prætereo porrò in contextu particulam ἐκ, antè voces τῶν κενῶν δοξῶν, fuiſſe repoſitam ex
1 De Abſtin. Porphyrio, qui aliunde & antitheſeos ac breuitatis gratiá, vice earum vocum, εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει, habet vocem ἀόριστος, & ſubiicit plura (vt conſtat ex luco ſuperiùs citato) in eandem ſententiam. Neque verò eſt prætereà neceſſe congerere in hunc locum plura: cùm multa oppidò hac de re allata iam ſint, dum eiuſmodi retulimus locum, circa illa verba ex Epiſtola ad Menœceum, αὐτάρκειαν ἀγαθὸν μέγα, & aliqua etiam paulò poſt attingenda ſint circa inaneis cupiditates. Heic ſufficiet, quod Seneca, ad ea, quæ ſunt mox ex ipſo cummemorata, ſubiungit: *Congeratur*, inquit, *in te quicquid multi locupletes poſſederunt. Vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat; auro tegat, purpurá veſtiat, & eò deliciarum, opúmque perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare diuitias. Accedant ſtatuæ, & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ laborauit; maiora cupere ex his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia vbi deſinant, non habent: nullus enim terminus falſo eſt. Viá eunti, aliquid extremum eſt: error immenſus. Retrahe te à vanis, & cùm voles ſcire, quod petis, vtrùm naturalem habeat, an cæcam cupiditatem; conſidera, an poſſit alicubi conſiſtere. Si longè progreſſo ſemper aliquid longius reſtat; ſcito id naturale non eſſe.* An verò & poſſit huc appoſitè adhiberi Horatianum illud, 1.Epiſt. 12. Rata Sententia.

> ——*Tolle querelas*
> *Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus,*
> *Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil*
> *Diuitiæ poterunt regales addere maius.*

Exigua fortuna ſapienti interuenit: maximæ verò & grauiſſimæ res conſilio ipſius, & ratione, in vitæ ſerie adminiſtrantur.

ỳ.19. **B**ραχέα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Eſt etiam penè tota huiuſmodi ſententiæ interpretatio ex Cicerone; tametſi alicubi bre- 3.Tuſc.
uiùs, & quaſi non βραχέα, ſed ὀλίγα τύχη legeretur, dixerit negare Epicurum *Vllam in ſapientem vim eſſe fortunæ*, vti & cùm Sapiens ab Horatio deſcribitur: 2.Sat.7.

> *In quem manca ruit ſemper fortuna.*

Lego autem κατὰ τὸν τοῦ βίου συνεχῆ χρόνον διῴκηκε, Pro διῴκηκε καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον διοικεῖ, καὶ διοικήσει. Imprimis enim vocem τοῦ βίου repono ex Stobæo, Ecl. Eth.
apud quem poſt vocem λογισμός, habetur, tametſi etiam illeic corruptè legi videtur, διῴκηκε, καὶ τὸν βίον, ἢ συνεχῆ χρόνον. Deinde verbum διοικεῖ, poſt vocem χρόνον relinquo, propter aliud præſens παρεμπίπτει, repetitum autem præterito, futurôque temporibus expungo, non modò, quod partim ſuperfluat, partim orationis tenorem perturbet; verùm etiam quòd, neque apud Stobæum repetitum exſtet; neque repetitum inſinuetur ipsâ tam Ci- 1.De fin.
ceronis, quàm Vitruuij Sententiæ totius interpretatione. Nam apud illum quidem Torquatus: *Optimè, verò*, inquit, *Epicurus, quod exiguam dicit fortunam, interuenire ſapienti; maximáſque ab eo, & grauiſſimas res conſilio ipſius, & ratione adminiſtrari.* Vitruuius autem; *Epicurus verò*, inquit, *non diſſimiliter ait, Pauca* In præfat. l. 6.
ſapientibus fortunam tribuere; quæ autem maxima, & neceſſaria ſunt, animi, mentiſque cogitationibus gubernari. Et quomodo quidem Librarij gloſſemata multa ſæpè induxerint, non ediſſero: vt neque mordicùs contendo non fuiſſe eas voces ex textu: quod Magni illi Interpretes reputare potuerint omnia tempora præſente ſolo repræſentari: eo modo, quo etiam videntur illo comprehendiſſe, quod de continuo tempore, ſeu de ſerie vitæ tam apud Stobæum, quàm apud Laërtium diſertè exprimitur. Adnoto hoc potiùs, videri Vitruuium alio modo ſententiam, quàm aut Ciceronem, aut cæteros accipere. Nempè iuxta ipſum, ſenſus eſſe videtur, quòd Fortuna ſapientibus bona

Rata Sententia. pauca largiatur ; iuxta alios, quòd mala quidem, verùm quibus Sapiens parùm admodùm moueatur, immittat. Videtur autem eſſe poſterior interpretatio legitima ; quoniam mala fortuna eſt, in qua præſertim excipienda retundendáque ſapientia elucet. De hac certè intelligi videtur, quod congruè iſti ſententiæ à Metrodoro dictum celebratur (vti & ſuperiùs inſinuatum eſt) προκατείληφά σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν παρείσδυσιν, hoc

5. Tuſc. eſt, vt Cicero ipſemet eſt interpretatus, *Occupaui, te, Fortuna, atque cepi, omneiſque aditus tuos interclusi, vt ad me adſpirare non poſſes.* Quod quidem poteſt concipi factum, cùm ille ſe vnà cum Epicuro ad tam pauca

Epiſt. 18. de conſt. Sap. c. 15. reduxit, vt iam aliquoties ex Seneca retulimus, *Quæ nulla eripere fortunæ iniquitas poſſet.* Prætereo autem illud quoque recitatum ex

Epiſt. 82. Seneca: *Epicurus, quem vos Patronum inertiæ veſtræ aſſumitis, putatiſque mollia, ac deſidioſa præcipere, & ad voluptatem ducentia. Raro*, inquit, *ſapienti interuenit fortuna.* Prætereo & quod de munimento, quaſi Metrodoreo verbis illis habet: *Philoſophia circumdanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitam non tranſit. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus; neminem occupat, niſi hærentem ſibi. Itaque, quantum poſſumus, ab illa reſiliamus; quod ſola præſtabit ſui, naturæque cognitio. Sciat quò iturus ſit; vnde ortus, &c.* Hæc, inquam, aliáque prætereo, vt

De an. tranqu. egregium vnum dumtaxat ex Plutarcho attexam locum, quo docens, quemadmodum eſſe aduerſus Fortunam præmunitos oporteat; *Illud*, inquit, *eſt exercitatione, & meditatione dignum; vt quo pacto is, qui iacto in canem lapide, eùm ab eo aberrans, nouercam feriiſſet, neque ſic, inquit, malè ceſſit; pari nos modo putemus ea, quæ nobis præter voluntatem fortuna obtulerit, poſſe in quidpiam nobis commodum transferri. Actus Diogenes in exilium eſt; nec ſic quidem malè; nam factus extorris philoſophari cœpit. Zenoni Citienſi nauis vnica oneraria ſupererat: illam ſimul cum mercibus vi fluctuum ſubmerſam accipiens; Benè*, inquit, *Fortuna facis, quæ nos ad palliolum, & Porticum mittis. Quid abeſt, quò minùs iſtos imiteris? Magiſtratum affectans, voto excidiſti? In agro deges, res tuas curans. Principis amicitiam ambiens, paſſus repulſam es? Viues, periculis, negotiiſque immunis. Geſſiſti aliunde negotia occupationibus, & ſollicitudinibus plena? Nec calida quidem, iuxta Pindarum, ita fouebit mollia membra, vt gloria, honoſque potentiæ alicui coniunctus, & laborem ineundum, & moleſtiam non moleſtam faciet. Fecit calumnia, aut inuidia, vt negotium tibi infeliciter, & cum exſibilatione ſucceſſerit? Nauigare ſecundo vento ad Muſas, & Academiam licet, Platonis inſtar, poſtquàm naufragium amicitia cum Dionyſio fecit. Iuuat proinde maximè ad animi tranquillitatem illuſtreis viros conſiderare, an non tale quid paſſi fuerint. Moleſtum eſt, exempli causâ, liberis carere? Attende ad Romanorum reges, quorum nemo fuit, qui regnum filio ſuo reliquerit. Eſt tibi præſens paupertas grauis? Ecquem Bœotorum eſſe te, quam Epaminondam malles; aut Romanorum, quàm Fabricium? Adulterata vxor eſt? An non legiſti inſcriptionem in Delphis?* In pag. 94.

Agis me poſuit, qui eſt Rex terræque, mariſque.

Et nonne etiam inaudiiſti vxorem illius Timæam ab Alcibiade vitiatum, ac filium vocaſſe Alcibiadem, id ancillis inſuſurrando? Et hoc tamen non obſtitit, quò minùs Agis clariſſimus, maximuſque fieret Græcorum. Vti neque Stilponem, iucundiſſimè omnium ætatis ſuæ Philoſophorum viuere prohibuit intemperans filia.

Vir iuſtus, eſt maximè omnium à perturbatione immunis: iniuſtus ex oppoſito perturbationis pleniſſimus.

℣. 23. Ὁ δίκαιος ἀταρακτότατος. Cùm in hanc ſententiam dicta ſint iam multa aliquot occaſionibus, ac de ipſa potiſſimum Iuſtitia cùm diſſereremus, & superſint etiam nonnulla attingenda inferiùs; Adnoto heic ſolùm B. Clementem Alexandrinum, poſtquam fuiſſe ait ſcriptum ab Ariſtophane,

Βέβαιον ἕξεις τὸν βίον, δίκαιος ὤν,
Χωρίς τε θορύβου, καὶ φόβου ζήσεις καλῶς.
Sis iuſtus, & ſecura vita erit tibi:
Viues decorè, ſine tumultûque, & metu:

Subiicere hanc ex Epicuro ſententiam, Δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία, *Fructus Iuſtitiæ maximus eſt vacuitas perturbationis.* Senecam Epiſt. 97. verò relatâ illâ, quæ occurſura poſterius eſt, Epicuri ſententiâ: *Poteſt nocenti contingere, vt lateat, latendi fiducia non poteſt:* paucis interpoſitis ſubiicere: *Illeic diſſentiamus, cum Epicuro; vbi dicit nihil Iuſtum eſſe naturâ; & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſſit. Heic conſentiamus, mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimùm illi tormentorum eſſe; eò quod perpetua illam ſollicitudo vrget, ac verberat; quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere.* Et poſteà: *Proprium eſt nocentum trepidare. Malè de nobis, &c.* Ac poſſet quidem illud præſertim, quod eſt apud Beatum Clementem, ex eo confirmari, quòd Socrates vbique docet (ſcribente apud eundem Cleanthe) *eſſe eundem virum iuſtum, & beatum* (Docet autem potiſſimùm tùm in libro de Republica primo, vbi allatis variis aduerſus Traſymachum argumentis, concluditur denique, *eſſe virum iuſtum felicem, iniuſtum verò miſerum:* tùm in ſecundo de Legibus; vbi iuſto habito felice, ſubditur, *Iniuſtum, Cynirâ licet, ac Midâ ditiorem, eſſe nihilominus infelicem, inque angore viuere*) confirmari, inquam, ex hoc poſſet, prout vacuitas perturbationis, ſeu animi tranquillitas ſummum bonum eſt, quo Lib. 2.

fumus

In pag. 94. ſumus felices, quôque adeò maior fructus nullus eſt: Poſſent & alia innumera in eandem ſententiam adtexi; verùm ſufficiet ad-
Serm 9. ſcribere, quæ apud Stobæum à Diogene ediſſeruntur: *Iuſtitia*, inquit, *animæ tranquillitatem vberem præbet. Siquidem, ita viuere, vt neminem timeas, apud neminem erubeſcas, voluptas eſt quædam, & ſibi ipſi ſufficiens vita. Porro enim, qui iuſtitiam animo complectitur, non aliis ſolum vtilis eſt; ſed eſt maximè etiam ſibi ipſi. Aberit quippe, vt ſe conetur vlla ex parte offendere; neque enim ſibi doloris, morbive vllius cauſa erit; ſed ipſa ſenſuum inſtrumenta naturæ quaſi diuina eſſe reputans, iis iuſtè vtitur; nihil ſupra vireis aggrediens; cuſtodiens illa maximè, & voluptates ex ipſis, vtilitatémque percipiens. Quippè & ex auditu, & ex viſu, & ex alimenti, ac Venereorum vſu, voluptates illi, qui iuſtè ſeipſo vtetur, contingent. Secus autem agendi pericula erunt circa eas res, quarum maximè intereſt, quæque cumprimis ſunt neceſſariæ. Niſi non aliquos vidiſti, qui nocte, diéque animo perturbati præcipites ſeſe in mare, alióque egerunt?*

Non augetur in corpore voluptas detracto dolore, qui ex indigentia eius rei quâ naturæ opus eſt, *oritur, ſed dumtaxat variatur.*

i. De fin. §. 25. Οὐκ ἐπαυξᾶται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκί. Sententia hæc eſt, quam Cicero innuit, dum Torquatus apud ipſum: *Omnis autem*, inquit, *priuatione doloris putat Epicurus terminari ſummam voluptatem: vt poſteà variari voluptas, diſtinguique poſſit: augeri, amplificarique non poſſit.* Ac rursùs: *Cùm omnis dolor detractus eſſet, variari, non augeri voluptatem.* Et poſteà, dum ipſe diſputans aduerſus Torquatum: *Quid ſi efficio*, inquit, *vt fateare, me non modò quid ſit voluptas, ſcire (eſt enim iucundus motus in ſenſu) ſed etiam quid eam tu velis. Tum enim eam ipſam vis, quam modò ego dixi, & nomen imponis in motu, vt ſit, & faciat aliquam varietatem: tùm aliam quandam ſummam voluptatem, cui addi nihil poſſit; eam tu adeſſe, cùm dolor omnis abſit, eamque ſtabilem appellas.* Elicitur porrò ex hoc loco, quî valeat ſententia quadamtenus intelligi iuxta ea quæ dicta iam ſunt circa amotionem doloris, magnitudinis voluptatum finem. Videlicet, quòd Indolentia, quæ eadem eſt cum Sanitate, ſumma quædam voluptas ſit; ſine qua nulla, & cum qua omnis ſit, quæ prætereà poteſt haberi voluptas; eo modo quo ſaccharum haberi poteſt quaſi ſummum dulce, cuius admiſtione cætera dulcia intelliguntur; vel generalius ipſum Sal haberi ſummè ſapidum, cuius participatione cætera omnia ſapida fiant. Quo item modo calida omnia cenſeri poſſunt calida participatione ſummè calidi, putà ignis; omnia humida participatione ſummè humidi, putà aquæ; atque ita de cæteris: adeò vt ſummo habito in vnoquoque genere, non illud augeri, intenſiúſve effici valeat, ſed pro diuerſitate rerum, quibus applicetur, variari dumtaxat. *Rata ſententia.*
An verò poteſt Epicurus habuiſſe quoque indolentiam quaſi maſſam ceream, quæ diuerſimodè formetur; quaſi pannum, qui diuerſimodè complicetur; quaſi tabulam, quæ diuerſimodè pingatur; quoniam, vt rerum iſtarum moles non ideò augetur, ſed variatur ſolummodò; ita perfectio illius ſtatus non amplificatur ex ſuperuenientibus diuerſimodè iis, quæ in motu ſunt, voluptatibus, ſed variatur ſolùm? Vtcumque ſit; quò ſaltem liceat intelligere Epicurum, Indolentiâ, ſeu ſtabili illâ voluptate obtentâ, habere iſtas mobileis, quaſi non neceſſarias; adiici poteſt ad ante dicta, quod Plutarchus ait, ad hanc ſententiam attinens. Nam de voluptatibus loquens, *Epicurus*, inquit, πέρας αὐταῖς κοινὸν τὴν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ἐπιτέθεικεν, ὡς τῆς φύσεως ἄχρι τοῦ λῦσαι τὸ ἀλγεινὸν αὐξούσης τὸ ἡδύ, περαιτέρω δὲ προελθεῖν οὐκ ἐώσης κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ ποικιλμούς τινας, οὐκ ἀναγκαίας, ὅταν οὐκ ἐν τῷ μὴ πονεῖν γένηται, δεχομένης, *Finem iis communem præſtituit doloris omnis amotionem; videlicet, quaſi natura, quouſque prorſus exemerit dolorem, voluptatem augeat; non patiatur verò vlteriùs ſecundùm magnitudinem prouehi; ſed admittat ſolùm varietates quaſdam minimè neceſſarias; vtpotè, quæ ad id, ne doleamus, non comparentur.* Porrò & ex hoc intelligitur, eas voluptates in motu, quas Epicurus, vt varianteis ſolum, & vt non neceſſarias reſpuit, non eſſe illas, quæ percipiuntur, donec, quæ parta ob indigentiam moleſtia eſt, detrahitur; veluti donec fames leuatur, aut ſitis reſtinguitur; ſed illas, quæ hac detracta moleſtia intemperanter capeſſuntur. Iſtæ nempè ſunt, quas natura nobis neceſſarias non fecit; quaſi aſſecuta ſemel Indolentiam, nihil affecter amplius, ſed in ea conſiſtat, vt in apice: cùm & priores illas eò vſque dumtaxat neceſſarias fecerit, quouſque fuerit indolentiam nacta; ac veluti inſufurrare vnicuique illud potuerit, quod occaſione diuitiatum naturæ, non multò antè retulimus,

——Tolle querelas,

Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibúſque tuis.——

Intelligitur verò etiam tùm ex his, tùm ex ſupradictis, quid ad Ciceronem reſpondeti valeat; cùm exaggeratis illis ex libro de Fine Epicuri verbis: *Nec equidem habeo, quid intelligam bonum, &c.* ſubiicit tandem: *At idem ait, non creſcere voluptatem dolore detracto; ſummámque eſſe voluptatem, nihil dolere. Paucis verbis magno tria peccata. Vnum, quòd ſecum ipſe pugnat: modò enim ne ſuſpicari quidem ſe quidquã bonum, niſi ſenſus quaſi titillarentur voluptate: nunc autem ſummam voluptatem eſſe, dolore carere. Poteſt-ne magis ſecum ipſe pugnare? Alterum eſt peccatum, quòd cùm in natura tria ſint, vnum gaudere, alterum dolere, tertium nec gaudere, nec dolere; hic putat primum, & tertium idem eſſe, nec diſtinguit à non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune cum quibuſdam, quòd cum virtus maximè expetatur, eiuſque adipi-*

Rata Sententia. *ſcenda causâ Philoſophia quæſita ſit, ille à virtute ſummum bonum ſeparauit.*

Id quod mentis finem (ſummám-ve , quæ in animo *voluptatem) peperit , ipſa fuit expunctio earum opinionum (illiſque affinium) quibus metus maximi ipſi menti incutiebantur.*

℣. 29. Τῆς δ' ἀταραξίας τὸ πέρας. Vt ſententia ſuperior ſpectat ad voluptatem corporis ſummam , quæ in indolentia eſt ſita ; ſic attinet iſta ad ſummam voluptatem animi, quæ in vacuitate perturbationis, ſeu tranquillitate conſiſtit. Summam verò dico , propter vocem πέρας , ex qua intelligimus inſinuare Epicurum voluiſſe, poſtquàm aliquis ad eiuſmodi perturbationis vacuitatem peruenit, variari quidem per ſtudiorum , ſpeculationúmque lepores ; at non augeri nihilominùs ſummam animi voluptatem. Quin-etiam proinde intelligimus , quamobrem non cenſuerit eſſe Phyſiologiam neceſſariam , niſi ad vacuitatem illam perturbationis comparandam ; nempè , quaſi ipsâ ſemel habitâ , voluptates ſpeculationum neceſſariæ magis non ſint, quàm fame ſublatâ ciborum cupediæ. Quippè res à pari intelligitur ; neque opus eſt , vt quidpiam hoc loco ſpeciatim addatur ; & maximè quidem cùm res fuerit mox antè circa Phyſiologiæ neceſſitatem declarata.

Ex infinito tempore ætatis non maior voluptas poteſt percipi, quàm percipiatur ex hoc, quod videmus eſſe finitum ; ſi quis modò illius fineis recta ratione dimetiatur.

PAG 95 ℣. 1. Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονήν. Sententiæ interpretationem ſuggeſſit Cicero, cùm Torquati ore Epicurum

1.De fin. dicentem induxit : *Non maiorem voluptatem ex infinito tempore ætatis percipi poſſe , quàm ex hoc percipiatur, quod videamus eſſe finitum.* Prætereo autem , quòd poſt-modum illam iterùm re-

L.b.1. cenſet his verbis : *Negat Epicurus diuturnitatem temporis ad beatè viuendum aliquid afferre ; nec minorem voluptatem percipi in breuitate temporis , quàm ſi illa ſit ſempiterna.* Et rursùs : *Negat infinito tempore ætatis voluptatem fieri maiorem , quàm finito , & modico.* Tametſi verò Cicero , non improbatâ alioquin ſententiâ , ipſam Epicuro non congruere cenſeat ; id facit tamen ob præſumptam , & quæ afficta tamen ſit , de voluptate opinionem. Et certè conditio , quæ apponitur , *Si quis modò , &c.* declarat ſatis Epicurum voluptati modum, non libidine , ſed ratione præſcripſiſſe. At quomodo poteſt voluptas tempore finito percepta , reputari æqualis illi , quæ infinito , ſi vita foret ſempiterna, perciperetur ? Quatenus , inquiet , voluptatis finem rectâ ratione dimetiendo, ac ſummam proinde voluptatem, In pag. 94.

non aliam , quàm vacuitatem , tùm doloris, tùm perturbationis eſſe reputando , conſtat illam neque maiorem , intenſiorémve fieri longinquitate temporis ; neque minorem, remiſſiorémve eiuſdem breuitate reddi. Et qui hoc bono , donec viuit communem vitam , fruitur , tam eſſe eum beatum , quàm foret, donec viueret , ſi fieri poſſet, vitam ſempiternam. Et quamvis ſperata productior, ſeu longioris æui , voluptas videatur præſentem voluptatem facere intenſiorem ; id tamen apud eos , qui voluptatis finem nun recta ratione , ſed cupiditate inani metiuntur ; quíque ſic ſe habent , quaſi cùm non erunt , ſeu vita deſierit , ſenſuri ſint moleſtiam ob priuationem voluptatis, quam ſentirent, ſi ſupereſſent. Addet ipſam Sapientis vitam , æternitati æquiparari , vt ſuperiùs deduximus ; quatenus non modò præſentia intuetur ; ſed ea etiam , quæ præterierunt , ſibi ponit ob oculos ; ac ea, quæ futura ſunt , vniuerſim proſpicit ; Ortus ſiderum , occaſus ; tempeſtatum viciſſitudines ; generationum , & corruptionum varietates ; Rerum publicarum , morúmque mutationes ; bellorum, & pacis alternanteis vices ; fidei , & perfidiæ ; crudelitatis , & clementiæ exempla, cæteráque id genus omnia , quæ exſtitura in futurum, ex iis, quæ præexſtiterunt, coniicere in promptu ſit ; adeò proinde , vt ille habeat, quaſi in proſpectu æternitatem totam ; intereſſe ſe illi putet ; neque vitam breuem conceſſam queratur , quam ſapientia in omne æuum tam præteritum , quàm futurum extenderit. Spectare huc proinde poteſt , tùm illud Ciceronis , cùm Philoſophiam alloqui- 5.Tuſc.

tur : *Eſt enim vnus dies benè , & ex præceptis tuis actus penè toti immortalitati anteponendus* : tùm illud Poſidonij apud Senecam ; *Vnus dies homi-* Epiſt.71.

num eruditorum plus patet , quàm imperitorum longiſſima ætas ; tùm id genus alia , quæ iam antè attigimus. Nihil porrò neceſſe eſt ipſius Poſidonij occaſione admoneam fuiſſe eandem, quam Epicuri , Stoïcorum ſententiam ; cùm vtcumque Plutarchus Chryſippum contradictionis redarguat ; ſcripſiſſe eum tamen variis in lociis referat , ὅτι παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονοῦσιν, ἀλλ' ὁμοίως, καὶ ἐπίσης τῷ ἀμερῆ χρόνον εὐδαιμονίας μετεσχηκόσιν. *Nihilo eſſe homines feliciores longinquitate temporis , ſed perinde eſſe , & ex æquo eum iis , qui ſunt vel momento temporis felices.*

Præſcripti ſunt quidem à natura *fines voluptati corporis , ſed illos temporis æterni deſiderium ipſi ademit. Superuenit porrò mens, quæ de corporis fine , extremóque ,* vt par fuit , *ratiocinando , & ſempiterni temporis deſiderium eliminando, vitam vndique perfectam conſtituit , effecítque , vt* eâ contenti , *haudquaquam ipſa temporis infinitate*

In pag. 93. *finitate indigeremus. Quin-etiam volupta-te quoque fruſtrata non eſt, ne tum quidem cùm rerum* mortalium *conditio exceſſum è vita molitur, quippè pro-vt optima vita perfectum*, atque adeò delectabilem, *nanciſcitur finem.*

ỳ. 5. Η' μὴν σὰρξ ἀπέλαβε τὰ πέρατα. Perſpicuum eſt textum huiuſce ſententiæ fuiſſe admodum deprauatum. Quamobrem & ad eliciendum, quatenus licet, aliquem ſenſum, Lego ỳ. 6. ἀπέραντον δ' ἄπειρος πόθος χρόνου, pro ἄπειρα, καὶ ἄπειρος αὐτὴν χρόνος. Alioquin enim quomodo ſint, quæſo, τὰ πέρατα ἄπειρα; quôve modo ἄπειρος χρόνος αὐτὴν παρεσκεύασε? Sic verò etiam verſu 10. lego πόθους ἐκλείσατο, pro φόβους ἐκλύσατο, non quòd alioquin voces iſtæ cum iis, quæ præcedunt, cohærere non poſſent; ſed quia non ſimul congruunt cum conſequutione, quæ deducitur, quatenus infertur, *Effectum eſſe ratiocinando, vt nihil egeremus infinito tempore*; quippè cùm hoc fiat, non metum doloris æterni tollendo, ſed diuturnioris temporis cupiditatem detrahendo. Id videlicet iuxta illud non ita pridem repetitum: *Si vis Pythoclem ſenem facere, & implere vitam, non annis adiiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum*: &, *Qui deſiderium cluſit, &c.* Denique lego, ὡς τελευτὴν λαβοῦσα τὴν τοῦ ἀρίστου βίου καταστροφήν, pro ὡς ἐλλείπουσά τι τοῦ ἀρίστου βίου κατέστρεψεν. Nempè non apparet, quid poſſit germani ſenſus hinc colligi. Habeo autem vocem ἀρίστου, pro ἀρίστου, ex MS. cùm & videatur Epicurus voluiſſe heic ſcripto docere, quod reipsâ facto oſtendit, dum moriens illud extulit: *Cùm ageremus vitæ beatum, & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc.* Obiter porrò videre licet, quàm Epicurus abfuerit, vt idem, quod Theophraſtus conquereretur: *Qui moriens*, inquit Cicero, *accuſaſſe naturam dicitur, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet. Quorum ætas, ſi potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur. Querebatur igitur*, per-

3. Tuſc. git Cicero, *ſe tùm, cùm illa videre cœpiſſet, extingui.* Quod quidem viſus Seneca in Ariſtotelem transferre, exprobrat illi, *Cum rerum natura exigenti minimè conuenientem ſapienti viro litem eſſe; Illam animalibus tantum indulſiſſe, vt quina, aut dena ſæcula educent; homini in tam multa, ac magna genito tantò citeriorem terminum ſtare.* Lucretius certè ex oppoſito conquerentem ipſam naturam, iuxta Epicurum inducit, aduerſus illos, qui ſibi vitam non eſſe longiorem congemunt, ac flent, verſibus illis ſupra relatis,

Lib. 3. *Quid tibi tantopere'ſt, mortalis, &c.*

Ac illis demum propoſitis,

——Eadem tamen omnia reſtant,
Omnia ſi pergas viuendo vincere ſæcla,
Aut etiam potiùs, ſi nunquam ſis moriturus.

Subdit:

Rata Sententia.

Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam, & veram verbis exponere cauſam.

Sed, ne hæc repetantur, attexere præſtat, quod Seneca relatâ illâ Ariſtoteleâ ſententiâ in hunc modum ſubiicit: *Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota benè collocaretur. Sed vbi per luxuriam, ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bona impenditur; vltima demùm neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus. Ita eſt: non accepimus breuem vitam, ſed fecimus; nec inopes eius, ſed prodigi ſumus. Sicut ampla, & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur: at quamvis modica, ſi bono cuſtodi tradita ſunt, vſu creſcunt; ita ætas noſtra benè diſponenti multum patet. Quid de rerum natura querimur? illa ſe benignè geſſit: vita, ſi ſcias vti, longa eſt. Alium inſatiabilis tenet auaritia; alium in ſuperuacuis laboribus operoſa ſedulitas; alius vino madet; alius inertiâ torpet; alium defatigat ex alienis iudiciis ſuſpenſa ſemper ambitio; alium mercandi præceps cupiditas circa omneis terras, omnia maria ſpe lucri ducit. Quoſdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios; ſunt, quos ingratus ſuperiorum cultus voluntaria ſeruitute conſumat. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit; pleroſque nihil certum ſequenteis, vaga & inconſtans, & ſibi diſplicens leuitas per noua conſilia iactauit.* Et infrà: *Non eſt itaque, quod quemquam propter canos, aut rugas, putes diù vixiſſe; non enim ille diù vixit, ſed diù fuit. Quid enim, ſi illum multum putes nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum huc, & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diuerſo furentium per eadem ſpatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, ſed multum iactatus eſt. Mirari ſoleo, cùm video aliquos tempus petere, & eos, qui rogantur, facillimos. Illud vterque ſpectat, propter quod tempus petitum eſt; ipſum quidem neuter. Quaſi nihil petitur; quaſi nihil datur; re omnium pretioſiſſima luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis eſt, quia ſub oculos non venit, ideóque viliſſima æſtimatur: imò penè nullum pretium eius eſt. Annua congiaria homines clariſſimi accipiunt, & his aut laborem, aut operam, aut diligentiam ſuam locant: nemo æſtimat tempus; vtuntur illo laxiùs, quàm gratuitò. At eoſdem ægros vide; ſi mortis periculum admotum eſt propiùs, medicorum genua tangenteis; ſi metuunt capitale ſupplicium, omnia ſua, vt viuant, paratos impendere; tanta in illis diſcordia affectuum eſt. Quòd ſi poſſet, quemadmodum præteritorum annorum cuiuſque numerus proponi, ſic futurorum; quomodo illi, qui paucos viderent ſupereſſe, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile eſt, quamvis exiguum diſpenſare, quod certum eſt; id debet ſeruari diligentiùs, quod neſcias, quando deficiat. Nec eſt tamen, quòd ignorare putes illos, quàm cara res ſit. Dicere ſolent eis, quos validiſſimè diligunt, paratos ſe partem annorum ſuorum dare. Dant, nec intelligunt:*

Cap. 2. Cap. 8.

Rata Sententia. *daat autem ita, vt ſine illorum incremento ſibi detrahant : ſed hoc ipſum an detrahant, neſciunt ; ideò tolerabilis eſt illis iactura detrimenti latentis. Nemo reſtituet annos ; nemo iterùm te tibi reddet. Ibit quà cæpit ætas, nec curſum ſuum aut reuocabit aut ſupprimet : nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis ſuæ ; tacita labetur. Non illa ſe regis imperio, non fauore populi longiùs proferet : ſicut iuſſa eſt à primo die, curret ; nuſquàm remorabitur. Quid fiet ? tu occupatus es, vita feſtinat : mors interim aderit ; cui, velis, nolis, vacandum eſt.* Hæc recitata licet prolixiùs, obſtare non debent, quin illud addamus, quod idem aliàs præclarè habet, cùm nos docet, quemadmodum horrere mortem deſinamus : *Deſinemus autem*, inquit, *ſi fineis bonorum, ac malorum cognouerimus ; ita demùm nec vita tædio erit, nec mors timori. Vitam enim occupare ſatietas ſui non poteſt, tot res varias, magnas, diuinas percenſentem ; in odium illam ſui adducere ſolet iners otium. Rerum naturam peragranti, nunquam in faſtidium veritas veniet ; falſa ſatiabunt. Rurſus, ſi mors accedit, & vocat, licet immatura ſit ; licet mediam præcidat ætatem ; perceptus longiſſimè fructus eſt. Cognita eſt illi ex magna parte natura : ſcit tempore honeſta non creſcere. His neceſſe eſt videri vitam breuem, qui illam voluptatibus vanis, & ideò infinitis metiuntur.*

Qui fineis in vitâ degenda à natura præſcriptos *perſpexit, nouit quàm parabile ſit quod ad detrahendum quicquid ob indigentiam in corpore dolet, ſufficiat : nouit & ſeriem vitæ totius præclarè conſtituere : adeò vt rebus aleæ periculíque plenis nullatenus egeat.*

ỿ. 19. O'τὰ πέρατα, τοῦ βίου κατειδὼς. Intelligendam eſſe ſententiam, non de durationis vitæ, ſed de concomitantium vitam cupiditatum finibus, præſcriptóve ipſis à natura modo, vt interpretando expreſſum eſt ; videtur ex eo ſatis colligi, quòd ſubiicitur, *Parabile id eſſe, quod cupiditatibus ſedandis, tollendave moleſtiæ ex ipſis creatæ eſt ſatis.* Illud verò πραγμάτων ἀγῶνας κεκτημένων, accipiendum eſſe de rebus aleæ, & periculi plenis, ex eo videtur intelligi, quòd qui ita vitam inſtituit, vt ſit rebus paucis, iiſque facilè parabilibus contentus, ille, nihil indigeat, iis opibus, quas quærere eſt labor, tueri angor, amittere dolor. Spectat huc præſertim Lucretianum illud, Lib. 5.

Ergo hominum genus incaſſum, fruſtráq; laborat,
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum.
Nimirùm, quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas.

Serm. 101. Pertinet verò eodem quoque, quòd Democritus apud Stobæum, Author eſt illi, qui inſtituit tranquillè vitam degere : *Vt neque priuatim, neque publicè multa agat ; vtque quicquid fuerit ſupra ſuas vireis, ſuamque naturam, non adoriatur ; ſed eam ſui curam habeat, quæ fortunam, etiam fauentem, & quicquid poteſt ad decorem ſpectare, offerentem, declinet ; neque plura attingat, quàm quibus præſtandis par ſit ; cùm moles commoda, parua licet, tractatu tutior, quàm magna ſit.* In pag. 95. Verùm plura in hanc ſententiam deducta paſſim hactenus ſunt.

Oportet porrò ſibi finem, ſiue vitæ ſcopum, *ratum conſtantémque præfixum habere, ratione bene initâ ſecundum omnem euidentiam, quâ vulgo ſolemus, ſi quid opinamur, expendere : omnia quippè, niſi id fiat, indiſcretæ temeritatis, confuſioniſque plena euadent.*

ỿ. 25. Τὸ ὑφεστηκὸς δὲ τέλος δεῖ ἐπιλογίζεσθαι. Adhibeo heic particulam δὲ, vt Phraſis conſtet ; ac ſtatim lego ἐπὶ pro καὶ, & poſteà, εἰ δὲ μὴ, pro εἰ μὴ, vt ſenſus ſit planus. Porrò tam multa diximus, quæ ad hanc ſententiam pertineant, vbi de Prudentia Priuata eſt actum, vt nihil heic adiiciendum ſit, ſed Notandum ſolùm, τοῦ ὑφεστηκότος τέλους nomine, intelligi quidem tùm generalem illum ſcopum, quem homines omnes ſibi præfixum habere debeant ; vt nempe quam minimùm ſit, & doloris in corpore, & perturbationis in mente ; quòd euidentiæ innixa ratio nos demùm præclarè docuiſſe comprobabitur, cùm quacumque demùm conditione fuerimus, deſideria noſtra reduxerimus ad contentam paucis naturam, nec nos permiſerimus vanis, & fine, modóque carentibus cupiditatibus, ob quas effici perturbatam, tumultuoſámque vitam contingit : ſed intelligi quoque maximè ſpecialem ſcopum, ſeu genus vitæ, quod niſi quis ſibi inita ratione ex ſua indole, ex naſcendi conditione, ex aliis circumſtantiis conſtituerit ; neceſſe eſt ſemper ab incerto pendeat, & quaſi in ſalo continenter fluctuet : quemadmodum illeic eſt vberiùs dictum.

Si omnibus ſenſibus fidem adimas, ne habebis quidem, quoſcumque ipſorum falli dixeris, ad quid reuocans examen, id diiudices.

ỿ. 30. Εἰ μάχῃ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν. Occaſione eius, quod obiter dictum ſuperiore Sententia fuit, ἐπὶ πᾶσαν τὴν ἐνάργειαν, ἐφ' ἣν τὰ δοξαζόμενα ἀνάγομεν, *Secundum omnem euidentiam, qua vulgò ſolemus, ſi quid opinamur, expendere* ; ſubiiciuntur heic tres, aut quatuor ſententiæ circa Veritatis Criteria ; vtpote, quæ non iis modò, quæ ad Phyſicam attinent, verùm etiam iis, quæ Ethicæ ſunt conſiderationis, inſeruiant. Certè & hæc ipſa ſententia, quæ eſt de fide non adimendâ omnibus planè ſenſibus, generatim quidem eſt vera ; ſed ſpeciatim nihilominùs ideò ſpectat ad

Ethicen,

In pag. 95. 96. Ethicen, quòd ea verſetur in moderandis cùm paſſionibus cæteris; tùm potiſſimùm voluptate, doloréque ſenſu perceptis; &, ſi abrogatâ fide omnibus, aſſumamus vnum, qui falli cenſeatur dum dicetur quidpiam iucundum, aut moleſtum percipere, nulla ſuperſit regula, quâ ipſa cenſura expendatur, ſeu iudicium legitimum, illegitimúmve probetur; vt putà nulla ſuperſtite (& quæ ſola tamen eſſe vſui poſſit) ſenſuum euidentia. Verùm nihil heic addendum ad ea, quæ de Criteriis, cùm ageremus, dicta in Canonica ſunt.

Si quempiam ſenſuum abſolutè explodas, neque id quod eſt opinabile, diſtinguas in id quod expectabile eſt (tempúſve quaſi nondum ſit debitè perſpectum depoſcit, priuſquàm quale ſit pronuntietur) *& in id quod præſens* (*poſitúmve* coràm, exploratúmque) *eſt, ac rurſus in id quod ſecundum ſenſus, ſecundum paſſiones*, affectionéſve animi; *ſecundum omnem mentis intuitum, pro rerum apparentia factum: tùm ſenſus quoque cæteros opinione vanâ ita conturbabis, vt nullum* tibi *criterium*, quo ſolidè quidpiam iudices, *ſit ſuperfuturum*.

Pag. 96 ℣. 1. Εἴ τινα ἐκβάλλεις ἁπλῶς αἴσθησιν. Sententia quoque iſta ex iis, quæ in Canonica dicta ſunt explicari debet, ac intelligi; alioquin enim nimis multa intempeſtiuè mouenda heic forent. Adnoto ſolùm, propter contextum, fuiſſe circa illud ℣. 2. διαιρῶν τὸ δοξαζόμενον, expunctam particulam εἰς, quæ vulgò habetur ante ipſum τὸ, quoniam non ipſe ſenſus eſt, qui hoc loco diuiditur, ſed ipſum Opinabile, quod alioquin fieret diuiſionis membrum, & ſpecies ſenſus aliqua. Lego autem ſtatim προσμενόμενον, iuxta antè dicta, & vt habetur etiam mox, non verò προμενόμενον, aut προσδεχόμενον, vt vulgò. Rurſus autem ℣. 4. ἔτι δὲ, pro ἤδη, quòd adiecta ſpecies diuiſionis ſit; & mox τὰς αἰσθήσεις, pro τὴν αἴσθησιν, vt ſit numeri cum ſequentibus conſonantia. Additiunculæ ad interpretationem factæ, patet ratio ex aliàs dictis.

Si id *omne*, quod heic appellatur *Exſpectabile, cùm opinabilia mente agitabuntur, firmiter habueris vt tale: neque* leuiter *præterieris* (quaſi conſtans & admittendum) *id quod nullius euidentiæ ſuffragium habens, falſum eſt*: eo caſu *geres te pro eo, qui ab omni ambiguo cauet, attenditque ſollicitè, quale omne iudicium ſit, quod de re opinabili, aut rectè, aut perperàm fertur*.

℣. 10. Εἰ δὲ βεβαιώσεις καὶ τὸ προσμενόμενον. Hæc rurſùs Sententia ex dictis in Canonica eſt intelligenda. Addo autem ad calcem, vocem δοξάζουσιν, quoniam alioquin ſententiæ ſenſus, vt ſatis conſtat, mutilus eſt; ac aliunde ſatis attentione egens. Rata Sententia.

Niſi qualibet occaſione vnamquamque actionum tuarum ad ipſum naturæ finem referas, ſed ad aliud quidpiam ſiue proſequendo, ſiue refugiendo deflectas: non erunt tibi vitæ actiones propriis ſermonibus conſentaneæ.

℣. 17. Εἰ μὴ παρὰ πάντα καιρὸν ἐπανοίσεις. Hæc iam Sententia, quæ attinet ad Criteriorum tertium (Paſſionem nimirùm, qua de proſequendo, fugiendóque fertur iudicium) cohæret cum illa, cuius occaſione, tres, quæ mox præcedunt, ceu parentheſi interiectæ ſunt. Scopus autem ipſius eſt, vt quacumque agendi occaſione oblata, meminerimus generalis illius, & ſecundum naturam inſtituti finis; ne paſſione quadam, vt fieri ſolet, abrepti, à recto tramite diſcedamus, ac viam virtutis tenere profeſſi, deprehendamur lapſi in vitium; & ex duobus oppoſitis, vnum collaudemus, proſequamur aliud. Ecce verò ad hoc cauendum, quidnam Epicurus eximij conſilij apud Senecam ſuadeat: *SIC fac*, inquit, *omnia, tanquam ſpectet aliquis*; quod Seneca quidem excipit his verbis: *Prodeſt, ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè magnificentius eſt, ſic viuere, tanquam ſub alicuius boni viri, ac ſemper præſentis oculis: ſed ego etiam hoc contentus ſum, vt ſic facias, quæcumque facies, tanquam ſpectet aliquis. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt ſit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorum authoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia ſupprimerent, dum te efficis eum, coram quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui eſſe dignatio; incipiam te tibi permittere; quod idem ſuadet Epicurus.* Hæc Seneca, qui & rurſùs aliàs: *Iam clauſulam*, inquit, *Epiſtola poſcit; accipe, & quidem vtilem, & ſalutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus; & omnia tanquam illo vidente, faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: Cuſtodem nobis, & Pædagogum dedit; nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius authoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat: O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur tibi nimis* Epiſt. 25.

rigidus,

Rata Sententia. *rigidus, elige remiſſioris animi virum, Lælium. Elige eum, cuius tibi placuit, & vita, & oratio; & ipſius animum ante te ferens, & vultum; illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum.* In Enchir. Spectat huc illud Epicteti: *Congreſſurus cum aliquo, ac eorum præſertim, qui eminentem locum tenent; propone tibi, quid ea occaſione Socrates, aut Zeno feciſſet; ne non hærebis, quid facto opus, vt decorè te pro re nata geras.*

Cupiditatum aliæ ſunt naturales & neceſſariæ; aliæ naturales, nec tamen neceſſariæ; aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed ex opinione inani prognatæ.

℣. 22. Τῶν ἐπιθυμιῶν, αἱ μὲν φυσικαὶ, καὶ ἀναγκαῖαι. Repono poſt hanc, & ſequentem ſententiam treis alias, quæ ſolent ipſas præcedere, vt tranſpoſitas ſatis manifeſtè. Quæ certè eſt illarum prima, cum ſequente iſtarum cohærenter effertur; & diuiſionem cupiditatum in hac ipſa factam ſupponit. Poteſt verò tranſpoſitionis occaſio ex eo fuiſſe facta, quòd incipiat quoque hiſce vocibus, τῶν ἐπιθυμιῶν, pertractis vna aliis duabus, per quas fit iſtarum de cupiditatibus interruptio. ℣. porrò 25. addo, interſeróque has voces ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ, καὶ, tanquam perſpicuè deficienteis, vt Stephano quoque indicauit ille Torquati apud Ciceronem lo-
1. De fin. cus: *Quæ eſt enim aut vtilior, aut ad benè viuendum aptior partitio, quàm illa, qua eſt vſus Epicurus; qui vnum genus poſuit earum cupiditatum, quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ; alterum, quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ; tertium, quæ nec naturales, nec neceſſariæ.* Adde verò Ciceronem heine reſumere, quod
Lib. 2. poſtea cauſatur his verbis: *Tria genera cupiditatum, naturaleis, & neceſſarias: naturaleis, non neceſſarias: nec naturaleis, nec neceſſarias.* Alio
5. Tuſc. autem loco: *Vides, credo*, inquit, *vt Epicurus Cupiditatum genera diuiſerit, non nimis fortè ſubtiliter, vtiliter tamen: Partim eſſe naturaleis, & neceſſarias: partim naturaleis, & non neceſſarias; partim neutrum.* Vbi, quod vides, *non nimis fortè ſubtiliter*, dici, eò ſpectat, quod in-
2. De fin. nui Ciceronem cauſari, diuiſionem cupiditatum hac ratione inſtituere, eſſe, *non diuidere, ſed frangere rem*: Id nempè iam retulimus circa Epiſtolam ad Menœceum; vbi & adnotauimus, cùm Cicero velit, inſtituendam potiùs hoc modo diuiſionem fuiſſe; *Cupiditatum eſſe duo genera, Naturaleis, & Inaneis; Naturalium quoque item duo, Neceſſarias, & Non neceſſarias*; adnotauimus inquam Epicurum diuiſionem illeic hoc prorsùs modo inſtituiſſe; Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν εἰσὶ φυσικαὶ αἱ δὲ κεναὶ καὶ τῶν φυσικῶν, αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον, ac ſimul inſinuauimus, eo modo diuidere, quo factum in hac ſententia videmus, non fuiſſe rem frangere, ſed ſcrupuloſitatem illam, quæ in diuidendo, ſubdiuidendóque plerumque importuna eſt, deuitare; idque præſertim, cùm nullum membrum neceſſarium prætermittatur, & nihil magis in promptu ſit, quàm rem ad illam argutiem, ſubtilitatémve ſubdiuidendi reducere. Prætermitti verò non debet Nemeſium diuiſionem hanc Epicuri fuiſſe æmulatum, cùm cupiditatum vice, voluptates diuidens: Αἱ μὲν, inquit, εἰσὶν ἀναγκαῖαι, ἅμα καὶ φυσικαὶ, αἱ δὲ φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δὲ, αἱ δὲ οὔτε ἀναγκαῖαι, οὔτε φυσικαὶ. Admoneo interim videri corrigendum exinde eſſe illum apud Euſtratium locum, vbi in Ariſtoteleam cupiditatum diuiſionem ſcribens: *Epicurus*, inquit, *& qui eum ſequuntur, ita diuidunt*, τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν ἡδονῶν, αἱ μὲν τινες ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δὲ, αἱ δὲ οὔτε ἀναγκαῖαι, οὔτε φυσικαί. Manifeſtum ſiquidem eſt, vocem τινὲς eſſe ſuperfluam, ac vice illius reponendum eſſe, φυσικαὶ, καὶ.

In pag. 96.

De natur. hom. cap. 18.

In 3. Eth. cap. 11.

An non verò pari ratione corrigendus apud Athenæum locus, cùm, *Plato*, inquit, Lib. 12. *primus oſtendit, quod ſemper in ore Epicureorum eſt*, ὅτι τῶν μὲν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν εἰσὶ φυσικαὶ μὲν, οὐκ ἀναγκαῖαι δὲ. αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ, οὔτε ἀναγκαῖαι. Conſtat nimirum inde abeſſe totum primum membrum, ſiue genus cupiditatum, cuius aliunde quaſi veſtigium ſit illud μὲν antè verbum εἰσὶ; quod ſtatim non repeteretur poſt vocem φυσικαὶ, niſi ad aliud membrum ſpectaret. Quôque minus dubites, ecce Plato in eo, 8. De Rep. quem Athenæus citat, ac recitat, loco, non diuidit quidem Cupiditates in Naturaleis, & Non naturaleis; ſed cùm diuidat tamen in Neceſſarias, cuiuſmodi ſunt σίτου, & ὄψου, *cibi, & obſonij*, attinenteis ad ſanitatem, bonámque habitudinem; & Non-neceſſarias, cuiuſmodi ſunt ἀλλοίων ἐδεσμάτων, *variorum eduliorum*, à quibus, corpori, animæque ad prudentiam, temperantiámque noxiis difficile non ſit rectè inſtitutum abſtinere; cùm, inquam, Plato ſic diuidat, patet non omitti ab ipſo cupiditates neceſſarias, quæ in illa tamen apud Athenæum diuiſione, quatenus exſtat, prætermittuntur. An non rursùs pari de cauſa apud Plutarchum corrigendus, cùm ille ſub perſo- In Gryllo. na Grylli recenſiturus tria iſta cupiditatum genera, præfatur primùm, Τὰς δὲ ἐπιθυμίας ἐφορᾷς τὰς μυρίαν διαφορὰν, *Agnoſcis eſſe cupiditatum innumeras diuerſitates*; ac tùm legitur cohærenter, τὴν πόσιν ἅμα τῷ φυσικῷ, καὶ τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσαν. Scilicet, aut tota diuiſio eſſe videtur interiicienda; aut primum ſaltem membrum diſertè inſerendum; aut demùm, quia illud heic obliquè habetur, videtur ſaltem ita legendum, αἱ μὲν γὰρ περὶ τὴν πόσιν (legerem etiam potiùs περὶ βρῶσιν, καὶ πόσιν, & non facio tamen, quod apud Laërtium in adhibitis ad textum exemplis, ὡς ποτῶν dumtaxat legatur) ἅμα τῷ φυσικῷ, καὶ τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσιν: *Nam quæ ſpectant quidem, verbi gratiâ, ad potum, illa cum eo, quod naturale eſt, etiam id quod eſt neceſſarium habent.* Confirmatur verò, quoniam pro ſecundo membro illud ſequitur, αἱ δὲ τῶν ἀφροδισίων,

Digitized by Google

In pag. 96. σιων, &c. φυσικαὶ μὲν ὤν, οὐκ ἀναγκαῖαι δὲ ἐκλήθησαν. Et pro tertio illud, τὸ δὲ τῶν μήτε ἀναγκαίων, μήτε φυσικῶν, γένος, &c.

Verùm, hæc vt mittam; quoniam memi-
Cap. 13. ni obiter Ariſtoteleæ cupiditatum diuiſionis, quam citatus Euſtratius cum Epicurea com-
Cap. 6. parat: Ecce illa ſic inſtituitur libro Nicomachiorum tertio, & ſupponitur ſeptimo, vt dicatur Cupiditatum αἱ μὲν κοιναὶ, αἱ δὲ ἴδιαι, καὶ ἐπίθετοι, *Alia quidem communes, alia verò propria, & appoſititia*, ſiue adſcititiæ. Vbi communes appellantur, quæ omnibus competunt, cuiuſmodi eſt vniuerſè cupiditas cibi, & potus; propriæ verò, quæ ſingulis, vt talis cibi, aut talis potus. Et cùm priores ſint naturales, inque ipſis ſolo exceſſu peccetur (quo nomine dicit appellari γαστριμάργους, *ventri inſanè indulgentes*, taleiſque eſſe λίαν ἀνδραποδώδεις, *ingenio admodum ſeruili*) poſteriores quadamtenus ſolùm naturales ſunt; ac ideò in ipſis non exceſſu ſolùm, ſed qualitate etiam peccatur, cùm ea nimirum appetuntur, quæ odio potiùs digna ſunt, quia ex parte dicuntur ἐπίθετοι, quaſi non à natura nobis inſitæ, ſed à nobis ipſis præ intemperantia adſcitæ, & ſuper-adiunctæ. Eſt verò & alia diuiſio,
Cap. 11. quâ primo loco Rhetoricorum, Cupiditatum αἱ μὲν ἄλογοι, αἱ δὲ μετὰ λόγου, *aliæ irrationales, alia cum ratione* dicuntur: ac priores eædem cum naturalibus fiunt (videlicet cibum, & potum ſine diſcurſu appetimus) poſteriores eæ perhibentur, quibus, perſuaſione præeunte, aliquid concupiſcimus, vt dum videre, poſſideréve aliquid, de quo audimus loqui, auemus; eædémque adeò ſunt cùm ἐπιθέτοις, ſeu iis, quas neque naturaleis, neque neceſſarias *ex vana opinione progigni* Epicurus dicit: Nota verò has eaſdem eſſe, quæ ean-
Cap. 6. dem ob cauſam dicuntur apud Plutarchum & ἐπείσακτοι, *ſuper-inducta*, aduentitiæve, & ἐπικεχυμέναι ὑπὸ δόξης κενῆς, *ab opinione vana ſuperfuſa*. Præterea verò Ariſtotelem ſeptimo Moralium, vtraſque partim laudabileis, partim vituperabileis facere. Quippe, vt poſteriores, alioquin habitæ honeſtæ, & laudabiles, qualis eſt honoris cupiditas, vituperantur tamen, cùm modum excedunt, qualis eſt eadem cupiditas, cùm nimia euadens appellatur ambitio; ita priores aliquando laudatæ, qualis eſſe in liberos, parentéſque affectus ſolet; tùm, cùm excedunt, vituperantur; qualis idem fuit in Niobe affectus, quæ propter liberos auſa eſt ſe etiam Latonæ præferre; aut in Satyro, qui Patrem ſuum ita deperiit, φιλοπάτωρ exinde dictus, vt eo vitâ functo, ſe ſuſpenderit, viſúſque adeò ſit λίαν μωραίνειν, *valdè deſipere*, inquit ille: Præterea id, inquam,
9. De Rep. vt obſeruem Platonem videri diuiſionem cupiditatum εἰς ἀλόγους, καὶ μετὰ λόγου, *in Irrationaleis, & cum ratione*, in genere naturalium quidem, ſed non neceſſariarum tamen, ſic accipere, vt eas eſſe velit, quæ aut rationi pareant, aut irrationalem, ferinámque partem ſequantur; ac vtrum-num fiat, coniiciendum ducat ex iis, quæ in ſomnis contingunt. Rua somnia.
Quoniam quatenus temperanter, aut intemperanter; leniter, aut ferociter viuitur, inſomnia honeſta, vel turpia; mitia, immaniáve creantur, arguúntque adeò quid per vigiliam pronum ſit agi, vel non agi.

Cæterùm, cùm Laërtius PRIMÙM in exemplum cupiditatum Naturalium, & Neceſſariarum, afferat cupiditatem *rei potulenta, donec viget ſitis*, & Plutarchus ſimiliter, vti adnotatum mox eſt; ecce à Nemeſio Naturales, & neceſſariæ deſcribuntur, ὧν χωρὶς ζῆν ἀδύνατον, ὡς αἱ τροφαὶ, αἱ τῆς ἐνδείας ἀναπληρωτικαὶ, καὶ τὰ ἐνδύματα ἀναγκαῖα, *quæ ſunt eiuſcemodi rerum, ſine quibus vita tranſigi non poteſt, cuiuſmodi ſunt cibi, qui indigentiam expleant, ac neceſſaria indumenta*. Ab Euſtratio verò dicitur ἡ τῆς τροφῆς ἐπιθυμία, καὶ τῆς ἐσθῆτος ἀναγκαία, *cupiditas cibi, ac veſtis neceſſaria*. Vbi rursùs corrigendum, ſupplendúmque eſt, καὶ φυσικὴ, *& naturalis*. Nam ſi dicas fortè legendum eſſe ἀναγκαίας, vt, quemadmodum apud Nemeſium, relatio fiat ad vocem ἐσθῆτος, tunc totum membrum deerit, quo cupiditas φυσικὴ, καὶ ἀναγκαία exprimatur. DEINDE, cùm Laërtius cupiditates naturaleis, & non neceſſarias eas eſſe declaret: *Quæ nihil aliud quàm voluptatem variant, non verò abſolutè dolori detrahendo neceſſaria ſunt, vt quæ eduliorum ſunt delicatiorum*; Plutarchus verò in exemplum illas afferat, quæ ſunt venereorum, ὡς ἀρχὰς ἡ φύσις ἐνδίδωσιν, ἔστι δὲ ποτε καὶ μὴ χρώμενον ἔχειν ἱκανῶς ἀπαλλαγῆναι, *Quibus*, inquit, *præbet natura principium, & à quibus tamen poteſt quis non incommodè abſtinere*; Ecce imitantur cæteri Plutarchum, dum ab Euſtratio quidem proponitur ſimpliciter in exemplum ἡ τῶν ἀφροδισίων, *cupiditas rerum venerearum* (vtcumque Ariſtoteles, non niſi præmiſſis cibi, & potus cupiditatibus, ſubiiciat illam, quæ ἥβης, *lectis* eſt, ſecundùm Homerum, in eo, qui eſt νέος, καὶ ἀκμάζων, *adoleſcens, florenſque ætate*) & à Nemeſio cum diſtinctione cupiditates tales dicuntur, ὡς αἱ περὶ φύσιν, καὶ περὶ νόμον μίξεις, αὗται γὰρ εἰς μὲν τὴν διαμονὴν τοῦ παντὸς γένους συντελοῦσι, δυνατὸν δὲ καὶ χωρὶς αὐτῶν ἐν παρθενίᾳ ζῆν, *cuiuſmodi ſunt, qui ſecundùm naturam, aut ſecundùm leges ſunt concubitus; nam illi quidem ad generis totius perpetuitatem faciunt; ſed poteſt tamen ſine iis, veluti in ſtatu virginitatis, viui*. DENIQVE, cùm apud Laërtium neque naturales, neque neceſſariæ dicantur, *Quales coronarum, ſtatuarúmve erigendarum ſunt*; & Plutarchus texat longam earum ſeriem, vt *quæ ſunt cultus elegantis, pretioſarum veſtium, auri, argenti, eboris, &c.* Ecce ab Euſtratio talis dicitur, qualis eſt ἡ τῶν τοιῶνδε σιτίων, ἡ τοιᾶσδε ἐσθῆτος, ἡ τοιῶνδε ἀφροδισίων, *cupiditas talium ciborum, talis indumenti, talium venereorum*. A Nemeſio autem tales perhibentur, ὡς αἱ μέθαι, καὶ αἱ λαγνεῖαι, καὶ αἱ πλησμοναὶ χρείαν ὑπερβαίνουσαι. οὔτε γὰρ ὡς

Digitized by Google

Rata' Sententia. διαδοχὴν τοῦ γένους ἡμῶν συμβάλλονται), ὅτι εἰς σύστασιν τῆς ζωῆς, ἀλλὰ καὶ προσβλάπτουσι, *Cuiuſmodi ſunt temulentia, & ſalacitas, eaque expletiones, quæ neceſſitatem excedunt Quippè neque ad propagationem noſtri generis, neque ad vitam conferunt; quinimò inferunt etiam noxam.*

Iam cùm ſint tam multa vt paſſim, ſic fusè plerumque hactenus deducta, quæ, quod ad rem ſpectat hiſce confirmandis poſſunt facere; nihil ſanè aliud addendum heic eſt,

Lib. 5. quàm quod Cicero in Tuſculanis, relata trimembri, quæ hoc loco fit, cupiditatum diuiſione, ſubdit: Docet nimirum ex Epicuro, Cupiditates naturales, & *Neceſſarias ſatiari poſſe penè nihilo*; ac ſubinde pergit: *Secundum autem genus cupiditatum, nec ad potiendum difficile cenſet, nec verò ad carendum. Tertias, quòd eſſent planè inanes, neque neceſſitatem modò, ſed ne naturam quidem attingerent, funditus eiiciendas putauit.* Ac ſubiicit quidem Cicero præterea, diſputari multa ab Epicureis, *De extenuatione voluptatum obſcænarum*; additque *iis ſimilia ad victum transferri, extenuarique magnificentiam, & ſumptus epularum, quòd paruo cultu natura contenta ſit, &c.* Sed ea recitata ſuperiùs iam ſunt.

Quæ naturales cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt; ſi vehemente cum ſtudio ſint, illæ ob vanam opinionem euadunt huiuſcemodi, ac non ex ſua ipſarum natura (quâ parte nimirum naturales ſunt) *ſed præ ipſa quæ in homine eſt opinionum inanitate vltra modum diffunduntur.*

Pag. 97. ℣. 5. EN αἷς τῶν φυσικῶν ἐπιθυμιῶν. Sententia hæc, cum inſequente, attinet ad cupiditates; hæc quidem, generis ſecundi; illa verò tam ſecundi, quàm tertij. Vtræque enim eo charactere à cupiditatibus generis primi diſcernuntur; quòd cùm iſtæ, niſi expleantur, dolorem creent, imò & noxam (in corpore videlicet) illæ ex oppoſito non creent; adeò proinde, vt non ex quadam naturæ indigentia oriantur, ſed ex inani opinione, quâ iis frui rebus, quæ concupiſcuntur, oportere, præſumitur. Repono autem ℣. 10. διαχέονται) ex MSS. pro διὰ χρείαν τινά, quòd & ob has voces inanis fiat repetitio, & phraſis idoneo alioquin verbo deſtituatur: vt taceam potuiſſe vocem indicari vel ex ſequente ſententia, in qua legimus ἐνδιαχυδὴν ὄρεξιν, itémque ex loco paulò antè citato, quo Plutarchus meminit cupiditatum ἐπικεχυμένων. Interpretor verò τὴν κενοδοξίαν, non *ambitionem*, aut *vanum gloriæ appetitum*; ſed *opinionum inanitatem*, quatenus de ea, & generaliùs quidem, quàm vt ad ſolam gloriam referenda ſit, agitur. Quòd ſpeciatim porrò adhibetur, τοῦ ἀνθρώπου, *hominis*; An non huc videtur idem Plutarchus reſpexiſſe, cùm tribuit Animali Bruto (illi nempè vni ex Vlyſſis ſociis à Circe in feras mutatis) tribuit, inquam, exprobrationem huiuſcemet inanitatis; & factam quidem homini habito ſapientiſſimo (vt ideò poſſit tanto magis aliis fieri hominibus) cùm ſint tamen ipſæ, quas dicimus brutas animanteis, illius expertes? An non proinde facere quoque Ariſtoteles citatus videtur, vt rationis noſtræ ſuppudere nos debeat; cùm cupiditates illæ, quæ ſunt ἄλογοι, quaſque Bruta habent nobiſcum communeis, naturales ſint; cæteræ, quæ præter, vel contra naturam, eiuſmodi ſint, vt illis bruta careant, ſint verò nobis propriæ, & μετὰ λόγου, *cum ratione* quidem. Sed ne iſtis hæream, affero dumtaxat, quæ habet Lucretius, cùm diſſerendo de artibus, quas In pag. 97. In Gryllo. Lib. 5.

——Paullatim protrahit ætas
In medium, Ratióque in luminis eruit oras.

Quippè vbi illa primùm de primis interſeruit hominibus:

Sæpè itaque intèr ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora habebant,
Præſertim quom tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,
Tùm ioca, tùm ſermo, tùm dulces eſſe cachinni
Conſuerunt; agreſtis enim tùm muſa vigebat.

Ac iſtud ſubiunxit:

Sic odium cæpit glandis; ſic illa relicta
Strata cubilia ſunt, herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit, veſtis contemta ferina'ſt,
Quam reor inuidia tali tunc eſſe repertam, &c.

Tùm proſequitur:

Tunc igitur pelles; nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, bellóque fatigant;
Quò magis in nobis, vt opinor, culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine pellibus excruciabat
Terrigenas: At nos nil lædit veſte carere
Purpurea, atq; auro, gemmiſque inſigniter apta,
Dum plebeia tamen ſit, quæ defendere poſſit.

Concludit proinde:

Ergo hominum genus incaſſum, fruſtráq; laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum.
Nimirùm, quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas.

Quæcumque cupiditates ad nullum dolorem, licet non expleantur, deducunt, eæ neceſſariæ non ſunt, ſed appetentiam continent diſſolutam, temeréve diffluentem; *quandò vel difficilè explebiles ſunt, vel cauſa etiam* alicuius *nocumenti* iure *reputantur.*

℣. 13. TΩν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπ' ἀλγοῦν. Reponuntur heic iam intermiſſæ ſententiæ. Hæc verò trium prima eam habet cum ſuperiore connexionem, de qua mox dictum circa eam eſt; ac illam præterea, quòd, cùm in

vtraque

In pag. 97. vtraque agatur de cupiditatibus, quæ, non expleræ licer, in moleſtiam tamen nullam deſinunt, huiuſmodi cupiditates declarentur, in illa quidem ex vana opinione ortæ, quatenus in ipſis explendis vehemens ſtudium impenditur: in iſta verò non neceſſariæ, quatenus & citra moleſtiam poſſunt negligi; & inexplebiles alioquin ſunt, ac ſæpè detrimentum creant. Lego verò, ἢ τῆ βλάβης, pro ἢ βλάβης, phraſi, ſenſúque inuitante, & quaſi præeunte non modò citato paulò antè Nemeſio, ἀλλὰ τῆ προβλέπτοισι, ſed ipſo quoque Epicuro in iis, quæ Sapienti attribuit, εἰ μὴ ᾗ ἔβλαψεν. Ne quidquam porrò heic repetam ex iis, quæ partim circa illud, partim circa aliud affine de Amore effatum recitata ſunt; adnoto dumtaxat ob illud ἀνεξάχυτον ὄρεξιν, videri poſſe Lucretium hac de cauſa vaſis metaphorâ vſum, cùm obſeruaſſe docet Epicurum, quod ſuprà quoque retulimus:

Lib.6.
Diuitiis homines, & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bonâ natorum excellere famâ;
Nec minùs eſſe domi quicquā tamen anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſeruire querelis.

Subiicit verò,

Intellexit ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniáque illius vitio corrumpier intùs,
Quæ conlata forent, & commoda cúmq; venirent;
Partim, quòd fluxam, pertuſúmque eſſe videbat
Vt nulla poſſet ratione explerier intùs,
Partim quod tetro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcumque receperat intùs.

Vbi illa diuitiarum inexplebilitas declaratur potiſſimū fluxo illo pertuſóque vaſe, ſeu quaſi Danaïdum dolio, quod nulla ratione explerier poſſit. Cùm ſint autem in promptu innumera exempla, ſuccurrit tamen præ aliis in mentem, quod de Cn. Lentulo augure habet
1.De benef.27. Seneca, à quo exſtitiſſe dicitur *diuitiarum maximum exemplum*; cùm & fuiſſe eum cenſu
In Tiber. maximo à Suetonio ſcribatur. Fuit illi nempè ex Seneca quater millies ſeſtertiûm, hoc eſt, monetæ quæ iam nobis in vſu, trecenties ſeptuagies bis centena librarum Turonicarum millia: *Hic ergo*, inquit Seneca, *cùm omnia incrementa ſua D. Auguſto deberet, ad quem attulerat paupertatem ſub honore nobilitatis laborantem, princeps iam ciuitatis, & pecuniâ & gratiâ, ſubinde Auguſto ſolebat queri, dicens, à ſtudiis ſe abductum; nihil tantum in ſe congeſtum eſſe, quantum perdidiſſet relictâ eloquentiâ (at illi inter alia hoc quoque D. Auguſtus præſtiterat, quod illum deriſu, ac labore irrito liberauerat.)* Pergit autem; *Non patitur auiditas quemquam eſſe gratum: nunquam enim improbæ ſpei quod datur, ſatis eſt. Eò maiora cupimus, quò maiora venerunt; multóque concitatior eſt auaritia in magnarum opum congeſta collocata. Vt flammæ infinitò acrior eſt vis, quò ex maiore incendio emicuit.* Verùm ad Lucretium vt redeam, Is declarare pergit quid remedij ad hoc Epicurus contulerit:

Veridicis igitur purgauit pectora dictis,
Et finem ſtatuit cuppediaiis, atque timoris;
Expoſuitq; bonum ſummum, quò tendimus omnes,
Quod foret; atque viam monſtrauit tramite prono, Rara Sententia.
Quà poſſemus ad id recto contingere curſu,
Quidve mali foret in rebus mortalibu' paſſim, &c.

Quod obiter porrò commemini vaſis, doliíve Danaidum, quicum vulgò ſolet inexplebilis diuitiarum cupiditas comparari; taceri non debet docere Lucretium eo ſignificari viuendi deſiderium, quod inexplebile quoque ſit, Lib.3.

Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper,
Atque explere bonis rebus, ſatiaréque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm
Cùm redeunt, fœtuſque ferunt, varioſque lepores,
Nec tamen explemur vitaï fructibus vnquam:
Hoc, vt opinor, id eſt, æuo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

Habet verò & paulò pòſt, quod ſuprà de eódem recitauimus,

Sed dum abeſt, quod auemus, id exſuperare videtur
Cætera; poſt aliud cùm contigit, illud auemus;
Et ſitis æqua tenet vitaï ſemper hianteis.

Omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſt amicitiæ poſſeſſione maius, nihil vberius, nihil iucundius.

℣.19. ὯΝ ἡ σοφία παρασκευάζε(τ). Sententiæ huius Interpretatio Ciceronis 1.De fin.
ipſius eſt, apud quem Torquatus dicere Epicurum ait: *Omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſſe maius amicitiâ, nihil vberius, nihil iucundius.* Vbi vides τὸ μέγιστον amplificatione quadam exprimi; Quod autem nos pro *amicitia*, *amicitiæ poſſeſſionem* reddimus, ideò facimus, vt magis ad verbum declaretur, quæ dicitur τῆς φιλίας κτῆσις. Videtur ipſe Cicero ſententiam aliàs imitatus, cùm, *Eſt* Lib. de Amic.
autem, inquit, *amicitia, nihil aliud, niſi omnium diuinarum, humanarúmque rerum, cum beneuolentia, & caritate ſumma conſenſio; quâ quidem haud ſcio, an, exceptâ ſapientiâ, quicquam meliùs homini ſit à Diis immortalibus datum.* Videtur & Lib.2.
Manilius:

Idcircò nihil ex ſemet natura creauit
Pectore amicitia maius, nec rarius vnquam

Vbi tametſi naturam dicat, cùm Epicurus ſapientiam; notum tamen eſt illud Iuvenalis, Sat.

Non aliud natura, aliud ſapientia dicet.

Quin-etiam Ariſtoteles id videtur ſupponere, cùm de beato loquens, quem niſi natura, ſapientiáque non finxerit, quærit, *An* 9.Eth.9.
beatus amicis indigeat; & ea dubitandi ratione allata, quòd, cùm beatus affluat bonis omnibus, ac bonis ſuis contentus ſit, nihilque ſit, quod deſideret; nulla re proinde indigeat; ac ideò, ne amico quidem, qui alter idem cùm ſit, id amico ſuppeditet, quod ille per ſe conſequi non poſſit; vnde & citatur ſenarius:

Bata Senecensis. *ὅταν ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων;*

Quid, quando Dæmon fauet, amicis eſt opus?

Excipit, hoc eſſe abſurdum, bona beato omnia tribuere, amicos non tribuere, *ὃ δοκεῖ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μέγιστον εἶναι*, *quod externorum quidem eſſe videtur optimum.* Interim porrò ipſa hæc quæſtio ab Ariſtotele diſputata, eſt, ad quam Epicurus, propter illa verba: *Ad beatè viuendum*, reſpexit. Neque enim alioquin fuit cauillaturus, vt Stoïci, quos inter Chryſippus Epiſt. 9. apud Senecam ait: *Sapientem nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe.* Nam illi quidem, *Et manibus, & oculis & multis ad quotidianum vſum neceſſariis opus eſſe: ſed egere eum nulla re; egere enim neceſſitatis eſſe; nihil autem eſſe neceſſe ſapienti.* Vnde & concludit *Sapienti, quamvis ſeipſo contentus ſit, amicis tamen opus eſſe.* Clariùs vtcumque Seneca ipſe, dum circa effatum, *Se contentus eſt ſapiens; Hoc, mi Lucili*, inquit, *perperam plerique interpretantur. Sapientem vndique ſubmouent, & intra cutem ſuam cogunt. Diſtinguendum autem quid, & quatenus vox iſta promittat. Se contentus eſt ſapiens ad beatè viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus eſt: ad illud tantum animo ſano, & erecto, & deſpiciente fortunam.* Vnde & ſtatim; poſtquam quæſiuit, *Qualis vita ſit ſapienti futura, ſi ſine amicis relinquatur, in cuſtodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus, vel in nauigatione longa retentus, aut in alienum littus eiectus?* Reſpondet, *Qualis eſt Iouis, cùm reſoluto Mundo, & Diis in vnum confuſis, pauliſper ceſſante natura, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus.* Verumtamen, Certum eſt quidem ſic affectum eſſe debere Sapientem, vt, ſeu ipſe amicis, ſeu ipſi amici, fortunæ iniuriâ ſubducantur; id æquo ferat animo, neque ægritudine ſe conficiat, ſed, quantum quidem licitum erit, beatè ſecum habitet: At cùm mortalium beatitudo intenſionem, ac remiſſionem, ſeu magis, minúſque, vt ſuperiùs eſt, iuxta Epicurum, oſtenſum, ſuſcipiat; fiet recurrétque de nomine quæſtio, etiam niſi admittatur Sapientem, quem & beatum volunt, beatiùs ſaltem cum amicis, quàm ſine amicis degere; ac illum idcircò amicis, niſi ad viuendum beatè, ſaltem ad viuendum beatiùs, egere. Ecquid certè, ſibi vult illud, quod De tranq. an. c. 7. aliàs idem Seneca, dum, *Nihil æquè*, inquit, *oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis, & dulcis? Quantum bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat; quorum conſcientiam minùs, quàm tuam timeas; quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet.* Eadem penè habet Ariſtoteles; ſed Loc. cit. Lib. de amic. præclariſſimè omnium Cicero, Nam, *Cui poteſt*, inquit, *eſſe vita vitalis, vt ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcit? Quid dulcius, quàm habere amicum, quicum omnia audeas ſic loqui, vt tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æquè, ac tu ipſe, gauderet? Aduerſas verò ferre difficile eſſet, ſine eo, qui illas grauiùs etiam, quàm tu, ferret. Denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus ferè ſingulis; diuitiæ, vt vtare; opes, vt colare; honores, vt laudere; voluptates, vt gaudeas; valetudo, vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet; quoquò te verteris, praſtò eſt; nullo loco excluditur; nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Itaque non aquâ, non igni, non aëre, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quàm amicitiâ.* In pag. 97. Quæ ſanè, cùm ita ſe habeant; eſt, cur non ipſi Senecæ modò, ſed cæteris etiam Stoïciſſimis Stoïcis habeatur amicitia bonum pluſquàm indifferens, ac eiuſmodi, ſine quo, non modo quiſquam beatior, ſed beatus quoque cenſeri vix poſſit.

Heinc non videtur eſſe hoc loco id prætermittendum, quod Epicurus apud Senecam habet, dum præmiſsâ illâ egregiâ Sententiâ, *ANTE circumſpiciendum eſt, cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas*, ſubiicit: *Nam ſine amico, viſceratio* (hoc eſt cum carne epulum, ſiue generaliùs, cibario, ac paſtus) *Leonis, ac Lupi vita eſt.* Scilicet exinde arguitur, quàm iucundus ſit, qui eſt cum ſinceris amicis conuictus, præ illa ſolitudine, qua quis amicis deſtitutus, ferarum inſtar veſcitur. Sanè & cùm ſit homo ſuapte natura animal ſocietatis amans, ſi ægrè adeò carere communi hominum ſocietate poteſt; quî poſſit non ægrè carere illorum ſpeciatim conſuetudine, quorum quivis ſit *ἕτερος αὐτός*; *alter idem?* Poterat verò ipſe præ aliis Epicurus id dicere, quem vt aliàs retulimus, admiratur Cicero 1. De fin. *Vna in domo, & ea quidem anguſta, tam magnos, tantáque amoris conſpiratione conſentientes tenuiſſe amicorum greges*; cùm & Laërtij verba ſint: *Amicos ad illum vndequaque conueniſſe, eúmque eo in horto vixiſſe.* Appoſitè autem illeic Cicero (Neque enim hoc quoque repetere Lib. de amic. pigeat.) *Quod, quàm magnum ſit*, inquit, *ficta veterum fabulæ declarant; in quibus tam multis, tamque variis ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, vt ad Oreſtem perueniat, profectus à Theſeo.* Ecce verò vt alibi; *Quanta vis*, inquit, *amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maximè poteſt, quòd ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliauit ipſa natura; ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, vt omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur.* Prætereo porrò, vt Cicero videatur his locis eodem collineare, quò & Ariſtoteles, qui circa quæſtionem: *An plures amici adſciſcendi ſint?* tùm eſſe difficile docet, multus habere taleis amicos, qui communi vitæ conſuetudine coniungantur: tùm videri dicit commodius, non quamplurimos quærere, ſed quot dumtaxat eſſe videatur ad vitæ ſocietatem ſatis: tùm fieri ait non poſſe videri, vt quis ſit multis valdè amicus, multoſque adeò valdè amet (eſſe enim quendam exceſſum amicitiæ, qui niſi vnius reſpectu eſſe nequeat, ſicque amor valdè intenſus, niſi erga paucos eſſe non poſſit)

tùm

Digitized by Google

In pag. 97. tùm declarat hoc ipſum eſſe, quod re factôque comprobetur; *Num & ὑμνούμεναι*, inquit, *φιλίαι ἐν δυοῖν λέγονται*), *Illa, qua ſermone omnium celebrantur, fuiſſe inter duos amicitia dicuntur.* Et vide, vt pergat; *Quos amicorum multitudo delectat, quique familiariter, comitérve verſantur cum omnibus, ij nemini eſſe amici, niſi ciuili more videntur, quos & blandos appellitant. Quare & fieri quidem poteſt, vt ciuili more quiſpiam multis amicus ſit, ac, niſi blandus, ſaltem vir bonus, modeſtúſque eſſe cenſeatur: At vt quis multos propter virtutem, propteréque ipſoſmet, adamet, non poteſt: praclaréque agatur, ſi vel paucos taleis reperire liceat.* Ex quibus intelligitur felicitatis miræ fuiſſe, tot poſſe in Epicuri domo, ſcholâque homines repetiri, qui vt in eandem planè ſententiam, ſic in amorem illum mutuum, quem in Apologia vitæ Epicuri deſcriptum habes, conſpirarint. Certè ipſe quoque Epicurus, quàm difficilè id occurrat in ſocietate vitæ communi, ac citra ſpeciale inſtitutum, in quod conſentiator, perſpexit, cùm Epiſtolam ad Menœceum concludens, non multos, ſed vnum amicum deligendum ſuaſit, quicum, vt ſui ſimillimo, habeat omneis meditationes, cogitationeſque communeis. Verumtamen de Amicitia aliquot iam locis plura diximus.

Eadem ſcientia confirmauit animum, ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum, qua perſpexit in hoc ipſo vita ſpatio amicitia præſidium eſſe firmiſſimum.

℣. 23. Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν. Eſt etiam huiuſce ſententiæ interpretatio ex Cicerone tota. Lego autem ℣. 27. *κατανοῆσαι*, pro *κατεῖναι*, cum Stephano, ob adhibitum à Cicerone verbum *Perſpexit*. Facit verò hæc eadem vox, vt quam *γνώμην* Cicero eſt interpretatus *Scientiam*, videatur debere accipi pro mente, animóve ſciente, ſeu inſtructo ſcientia naturalium, humanatúmque rerum. Nempè interdum quoque vox *γνώμη*, pro mente, *animóve* vſurpatur; ac eſt aliunde proprium mentis, ſiue animi *κατανοῆσαι*, *perſpicere*. Vtcumque ſit, ſenſus videtur, Ex eadem eſſe ſcientia, tùm quod certum eſt nullum eſſe nobis perpetiendum dolorem ſiue in hac vita diuturnum, ſiue poſt mortem ſempiternum; tùm quòd ſecuri reddimur aduerſus huius vitæ caſus, ſeu calamitates, atque infortunia ex amicitiæ præſidio, quo eſſe maius nullum poſſit. Et de dolore quidem, ſeu malo non diuturno, nec ſempiterno ea ſupponere Epicurus poteſt, quæ expreſſit in aliquot ex ſuperioribus ſententiis. Quod ad caſus autem, ſiue infortunia per vitæ ſeriem occurrentia ſpectat, ſupponere licet ea, quæ dicentur circa ſententiam vltimam, ac adnotare heic interim, quod Cicero iſtam veluti amplificans habet, dum in Lælio ita effatur: *Cùm plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat; tùm illa nimirùm præſtat omnibus, quod bonam ſpem prælucet in poſterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur; verùm etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes abſunt, & egentes abundant; & imbecilli valent; &, quod difficilius dictu eſt, mortui viuunt; tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum; ex quo illorum beata mors videtur; horum vita laudabilis.* Rata Sententia.

Ius, ſiue *Iuſtum naturale eſt teſſera vtilitatis*, ſeu ea, conſpirantibus votis, propoſita vtilitas, *vt* homines *ad inuicem neque lædant, neque lædantur*, atque adeò ſecurè degant; quòd naturâ duce quiſque expetit.

℣. 29. Τὸ τῆς φύσεως δίκαιον. Multa ſunt profectò, quæ edîſſerenda in hanc ſententiam viderentur; ſed illa iam fusè anteuertimus, cùm de Iuſtitia diſputaremus. Quocirca, obſeruo heic ſolùm non fuiſſe me nudè interpretatum *τὸ δίκαιον*, *Ius*, ſed addidiſſe, *ſiue Iuſtum*; quoniam cùm vox Iuris, cætera inter, vſurpari plerumque ſoleat pro dominio, & facultate in aliquid; ac proinde Ius naturale intelligi poſſit generale illud, quod, primævo ſtatu naturæ ſpectato, homines omnes æquè habent ad omnia (quippè, cùm ea omneis pateis fecerit, neque meum, ac tuum definierit) de Iure eo ſenſu accepto heic non agitur, ac potiſſimùm, quia illo quis vſus, non continuò dicitur iuſtus, quin-etiam plerumque, ſi, vt res ſunt, illo vtatur, iniuſtus habeatur, & ſit: Sed agitur ſolùm de Iure, quatenus eſt idem quod Iuſtum, ſeu mavis ſancitum, & præſcriptum quid, quod tueri ſit æquum; quodque adeò tuens vt iuſtus, ſic iuris, & æqui ſeruans appelletur; non tuens verò, ſed violans, iniuſtus, iniurius, iniquus. Subinde autem, ſi phraſis tuliſſet, interpretatus fuiſſem *σύμβολον τοῦ συμφέροντος*, *pactum conuentum de vtilitate*, quòd ob non diſſimilem ſenſum Harpocration doceat ex Demoſthene, & Iſæo, *σύμβολα* eſſe *τὰς συνθήκας, ἃς ἂν ἀλλήλαις αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις, ὥστε διδόναι, καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια*, *Pacta conuenta, qua ciuitates adinuicem ſancientes, ciuibus præſcribunt, vt dent, accipiántque ea, qua iuſta ſunt*: verùm interpretari licuit *vtilitatis teſſeram*; cùm hac voce intelligi poſſit *hominum vota conferentium in communem vtilitatem conſpiratio*; atque id quidem eo penè ſenſu, quo Ariſtoteles eſſe refert genteis, apud quas ſint *Pacta de rebus importandis, tabula de bello ſociatim ineundo*, καὶ *σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν*, *& teſſera, de iniuria non inferenda*. Tandem, cùm conſtet verba illa, *εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι*, *vt adinuicem neque lædant, neque lædantur*, æquiparari illis ex Platone relatis, cùm docet *tùm cœpiſſe leges, cùm viſum eſt vtile ξυνθέσθαι ἀλλήλοις μήτ᾽ ἀδικεῖν μήτ᾽ ἀδικεῖσθαι*, *paciſci mutuò, ne facerent, paterenturve*

In Lex.

3. Polit. 9.

Rara, Sententia. *túrve iniuriam* ; addo ad interpretationem, *atque adeò ſecurè degant ; quod natura duce quiſque expetit* ; vt intelligatur, quorſum tale Ius, Iuſtúmve naturale dicatur. Cùm res ſit porrò, vt admonuimus copioſè ſuperiùs deducta ; idcircò ſufficiet conſectaria quædam ex eo loco deducere, ex quibus Epicuri mens, quantum ſpectat quidem ad hanc, & inſequenteis ſententias, pateat.

Itaque iuxta antè dicta, Dicturus eſt Epicurus *Primùm*, Legem propriè eſſe, quæ vocetur Ius. Nam habere quidem à natura hominem facultatem quidpiam agendi, vtendive re aliquâ ; ſed hanc nihilominus facultatem, donec vaga eſt, & incerta, non debere appellari Ius ; debere verò ſolummodò, cùm lege definita eſt, ſeu ad quidpiam certum, determinatúmque relata. Videlicet, qui antè legem, ſecundùm facultatem agat, dici quidem poſſe naturaliter agere, at non tamen agere Iure ; quia tunc ſolùm poſſit dici Iure agere, cùm tueri ſe Iure, hoc eſt lege, quæ Ius eſt, poteſt ; veluti etiam, qui antè legem, talem facultatem impedit, aut violat, dici quidem poteſt damnoſus, aut nocens ; at non tamen iniurius, quoniam contra ius, ſeu legem non facit. *Secundò*, vt à Iure pro lege ſumpto, ipſa naturalis facultas appellatur Ius ; ita ipſam Legem, à facultate naturali certa, firmâque per eam redditâ, appellari Ius Naturale. Et quia Iuſtitia virtus eſt, quâ vnuſquiſque velle debet ſeruari cuique ſuum Ius ; ideò dici poſſe Iuſtum naturale id, quòd ſecundùm legem, ſiue Iure fit ; Iniuſtum, quod contra, ſeu quod fit Iniuriâ. *Tertiò*, quia Lex, vt ſit verè lex, ſiue Ius, tendere debet ad eundem-met cum ipſa facultate ſcopum ; hoc eſt, ad eorum vtilitatem, qui obſeruant legem ; adeò vt, ſi ex lege agant, vt iuſtè, ſic vtiliter agant ; idcircò iuſtam dici eam Legem, quæ vtilis eſt, ſeu quæ vt iuſtitiam, ita vtilitatem parit ; eam verò iniuſtam, quæ non vtilis, hoc eſt, noxia eſt, ſeu quæ vt iniuſtitiam, iuriſve detrimentum ; ita nocumentum, ſiue damnum creat. *Quartò*, proinde benè reperi naturale Ius ex pactionibus, ob vtilitatem communem inter homines initis ; nempè, cùm pactiones ſint ipſæmet Leges, ſeu Iura, quibus naturæ ſcopus, ſeu bonum, vtilitáſve attingitur. *Quintò*, ſi quis quærat Ius Gentium, ſeu quod ad omneis homines vniuerſè attineat ; illud non eſſe aliud, quàm ipſum vniuerſè factum de vtilitate Rationis dictamen ; quippè hanc eſſe ſolam legem, ſecundùm quam omnes vniuerſè agant ; ac ideò nullum aliud poſſe aſſignari Ius Gentium, quòd non modò homines omnes non expreſsè inierint pacta inter ſe, ſed ne tacitè quidem id egerint ; cùm ne vllo quidem tacito conſenſu ad comprobandum vllos mores, quibus inter ſe omnes vtantur, conſpirauerint. *Sextò*, ſi quis quærat Naturale Ius, ſiue, quo vtuntur omnia animalia ; illud non eſſe quoque aliud, quàm ipſum Naturæ de vtilitate, ſeu de commodo, bonôque dictamen. *In pag. 97.98.* Nempè iſtam quoque eſſe ſolam legem, quâ ad quidliber agendum regantur ; ac nullum poſſe aliud naturale Ius aſſignari ; quòd animalia omnia neque tacitè, neque expreſsè inter ſeſe aut pepigerint, aut ad eoſdem mores approbandos conſenſerint. *Septimò*, ſolùm Ius Sociale, ſeu à ciuibus vocatum Ciuile, eſſe propriè Ius ; quatenus id ſolùm continetur pactis, ſiue legibus propriè dictis, quibus, qui eiuſdem ſocietatis ſunt, ob commune bonum, communémve omnium Sociorum vtilitatem præſcriptis, vtuntur. *Octauò*, iſto etiam Iure contineri pacta, quæ cum finitimis ineuntur ; quatenus ex pluribus Societatibus (ſeu mavis, ciuitatibus, prouinciis, nationibus, Rebuſpublicis) vna quædam, quaſi generalis conſtituitur, dum ob vtilitatem mutuam, pacta inuicem ineunt de non impetendo, lædendóve ſe inuicem ; de ferendis ad oppugnandum, propugnandúmque ſuppetiis ; de eundo, redeundo, commercium profirendo, & quæ ſunt alia huiuſmodi: idque vnaquaque ſpeciali ſocietate ſuis interim legibus, moribúſque ſeorſim vtente. *Denique*, hoc Sociale, ſeu Ciuile ius, cenſeri poſſe nihil aliud eſſe, quàm ipſummet vulgò admiſſum Ius Naturale, & Gentium ; verùm ſpecialius, definitius, diſtinctius, exploratius, tutius ; hocque ſenſu accipi poſſe, quod vulgò admittunt : *Ius Ciuile, neque in totum à Naturali, ac* *L.6.ff.de iuſt. & iur.* *Gentium iure recedere, neque per omnia ei ſeruire ; adeò, vt cùm Iuri communi aliquid additur, vel detrahitur, Ius proprium, id eſt, Ciuile efficiatur.*

Inter quæcumque animalia conuenire non potuit, vt, nec læderent, nec læderentur adinuicem ; nulla eſt iuſti aut iniuſti, ſeu iuris iniuriæve, *ratio. Pari autem modo nulla* eſſe cenſenda *eſt inter eas nationes quæcumque non potuêre aut noluêre vt adinuicem neque læderent, neque læderentur, paciſci.*

ỿ.1. Ὅσα τῶν ζώων μὴ ἐδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι. Cohæret ſententia hæc cum *Pag 98* ſuperiore. Lego autem ỿ.3. ἄλυλα, pro ἄλλα, tùm ex ipſo ſenſu, tùm ex phraſi antecedente. Porrò, cùm ſint huius ſententiæ duæ partes, videtur Pars PRIOR, ſeu quæ attinet ad animalia, poſſe admiri non tam ſanè, quatenus eſt comparationis propoſitio, quàm prout aliunde eſt ipſi naturæ inſtituto conformis. Etenim naturâ comparatum eſt, vt ſint accipitres, Leones, Lupi, cæteráque id genus animalia carniuora, quæ ſi iniuſtè agerent, dum columbas, ceruos, oueis, aliáque captant, occidunt, vorant, cenſendum foret, quod nefas eſt, naturam, eiúſve Authorem optimum, ſapientiſſimúmque, inſtituiſſe quidpiam iniuſtum. Ex quo fit, vt poſſit quidem dici lupus, v.c. inferre damnum, aut noxam oui, eſſéve illi noxius ; at

non

Digitized by Google

In pag. 98. non tamen propriè inferre iniuriam, eſſéve iniurius, quod nullum intercedat ius, nulláve iuſtitia, quam violare cenſeatur. Id certè vel ab ipſo Heſiodo obſeruatum adnotat Plutarchus, locum referens, quo dicitur *Iupiter*, ὁ Ζεὺς (ſupplenda ſcilicet vox eſt, vel ex Porphyrio, qui hunc locum, & plura ex Plutarcho deſumpſit) *cùm naturas rerum diſtribueret, conſtitueretque, permiſiſſe,*

Lib. de ſolert. anim. 3 De Abſtin. Lib. 3. opc. & di.

Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς.
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶ μετ' αὐτοῖς.
Piſcibus, atque feris, auibúſque, vt mutua ſeſe
Exederent; quoniam Ius non interuenit ipſis.

At, Quare dixit Epicurus ὅσα τῶν ζώων, quaſi aliqua eſſent animalium genera pactionis ineundæ capacia? Fortè, quia ſuppoſuit comparari poſſe animalia cætera cum hominibus; ſicque ſaltem ob facultatem paciſcendi, quæ in homine eſt, dubitari poſſe, Ius ne aliquod ipſi interueniat cum brutis. Dubitatio certè

Iliad. 22. excitari potuit non modò ob Homerum, cuius illud eſt,

ὡς οὐκ ἔστι λέουσι, καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
Vt non ſunt homini, atque leoni fœdera tuta.

Verùm maximè ob Pythagoreos, qui & communionem poſuerunt inter bruta, & hominem, propter communem Animam, ex qua docuerunt

Virgil. 4. Georg.

——*Homines, armenta, viros, genus omne ferarum,*
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſcere vitas;

Et celebrem illam inuexêre μετεμψύχωσιν, cuius causâ eſt illa apud Empiricum declamatio

1. Aduerſ. Phyſ. Empedoclis,

οὐ παύσεσθε φόνοιο δυσηχέος.——
Non deſiſtetis crudeli à cæde, &c.

(Quòd ſic nimitum parentes filios, & filij parentes perimant, ac vorent) Itémque illa Py-

15. Metamorph. thagoræ ipſiuſmet, apud Ouidium:

Ergo, ne pietas ſit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas; ne ſanguine ſanguis alatur.

Et,

Cumque boum dabitis cæſorum membra palato,
Mandere vos veſtros ſcite, & ſentite colonos.

Enimverò hæc μετεμψυχώσεως fabula meritò habetur, & aduerſus illud ex Anima Mundi ſumptum argumentum, ſufficere poteſt, quod

Loc. cit. habet Empiricus, obiiciens: *Non, ſi ſpiritus bruta ſimul, ac nos peruadit, interuenire continuò ipſis, nobiſque aliquam Iuſtitiam. Nam ecce conſimiliter lapides, plantáſque peruadit; & nihil tamen inter plantas, lapidéſque, & nos, interuenit iuris.* Ex quo efficitur, vt (quod mox dicebam de Animalibus) ipſe quoque homo dici quidem poſſit reſpectu aliorum animalium noxius, damnoſus, pernicioſus, ferus, ſæuus, immitis, crudelis; & interdum quoque ingratus, ac intemperanter, malignéque abutens eâ facultate, quâ ipſis præpollet; at non poſſit tamen, propriè loquendo dici iniurius, ſeu iniuſtè agens, defectu iuris intercedentis, vti neque ex eodem defectu videtur poſſe dici Leo iniurius, aut iniuſtè agens, erga hominem, cùm eum vice versâ dilaniat, ac vorat. Notandum verò obiter, non videri Pythagoram vetare voluiſſe omnium penitus animalium cædem; excepiſſe enim videtur ea, quæ hominibus pernicioſa ſunt, referente Laërtio placuiſſe illi, *Planta manſueta non accendum, veluti neque animali, quod non noceat hominibus.* Addi heic poſſet, ad oſtendendum non interuenire Iuſtitiam bruta inter, & homines, quod Peripatetici, Stoïcique apud iam citatos Plutarchum, Porphyriúmque ediſſeruut; verùm id ſufficere poteſt, quod idem Porphyrius refert, ſubiicítque ex Epicureis, rationem iuxta Epicurum èx eo repetentibus, quòd fieri non poſſit, vt aliqua pacta inter homines, brutáque ineantur. Id porrò habetur ad eius loci calcem, quem, de Iuſtitia cùm ageremus, tranſcripſimus integrum, quemque repetere nihil eſt neceſſe.

Rata Sententia.

At verò pars Sententiæ POSTERIOR videtur non legitimè inferri; non quatenus ſanè ſunt aliquæ leges, quibus ij dumtaxat tenentur, qui in illas conſenſerint, vt ſunt pleræque gentium, ſiue ciuitatum ſpecialium, quibus competit illa Demoſthenis, etiam apud Iuriſconſultos commendata, & ſuperiùs quoque relata deſcriptio, quâ Lex dicitur πόλεως συνθήκη κοινή, *commune ciuitatis pactum*; ſed quatenus ea in parte ſpectantur homines inter ſe collati, qui vnius ſunt omnes generis; cùm in Priore ſpectentur animalia, quæ generum ſunt diuerſorum, vt lupi, & oues; columbæ, & accipitres: atque idcircò, licet nulla inter illa iuſtitia ſit, eò quòd paciſci inter ſe nequeant; non ſequitur tamen nullam eſſe inter homines qui mutuò paciſci non poſſunt, aut nolunt. Videlicet præter pactionem ſupereſt generis cognatio, ob quam ſint mutuò ſociabiles, ac ideò ad mutua officia, ſine quibus ſocietas conſtare non poſſit, teneantur. Quòd ſi opponas, fore ergo aliquam Iuſtitiam inter ea bruta, quæ & eiuſdem ſunt generis, & gregaria, ſeu ſociabilia adinuicem ſunt; nam ex prouerbio veteri, etiam Ariſtoteli non ſemel vſurpato, 1. Rhet. 11. 8. Ethic. 1. κολοιὸς ποτὶ κολοιόν, *Graculus cum graculo*; &, vt eſt apud Theocritum: Idyl. 9.

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
Ἴρηκες δ' ἴρηξιν.
Formica formicæ, placétque cicada cicadæ,
Accipitri accipiter.

Excipio poſſe quoque in illis admitti quandam ſpeciem naturalis Iuſtitiæ, cuius exempla apud Plutarchum, alioſque obuia congerere, foret in communem excurrere locum: Tametſi ea longè illuſtrior, agnitiórque ſit in hominibus; qui, vt intelligentiâ, atque ratione præditi, ipſam diſertè cognoſcere, & ex ea agere explicitè poſſunt; ita magis propriè tueri, violatéque Iuſtitiam, æquitatémve naturalem dicantur. Quo nomine etiam adnotatum ſuperiùs eſt homines eſſe, penes quos attenditur propriè naturale ius, ſeu quæ lex dicitur

Digitized by Google

Ratio Sententiæ. dicitur Naturæ. Sed res dicenda vberiùs eſt circa ſententias inſequenteis.

> *Iuſtitia per ſe* (& quatenus quidem id quod heic eſt iuſtum, illeic eſt iniuſtum) *nihil eſt*; ac in homine ſolitariè ſpectato reperitur nulla, *ſed dumtaxat in mutuis hominum ſocietatibus, pro ea cuiuſque regionis amplitudine, in qua poſſunt pacta de non inferendo, accipiendóve nocumento iniri.*

ỹ.10. Οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη. Lego ἦν, pro ἐνί, Nam alioquin & verbum deeſt ad phraſin neceſſarium; & aduerbium ſuperfluit, ac ſenſum perturbat. Quod interpretando porrò interiicio, eò tendit, vt intelligatur, quo ſenſu, aut quo argumento permoueri Epicurus potuerit, vt exiſtimaret Iuſtitiam per ſe nihil eſſe. Nam primùm quidem illud, *Quod iuſtum habetur in vna regione, haberi iniuſtum in alia*; idipſum videtur, quod locus ex Porphyrio memoratus inſinuat. Siquidem tametſi initio legatur, *Eſſe fortè quandam inter homines naturalem conciliationem, qua, ne ſint procliues ad eadem, impediat*; ac ſequi exinde videatur abſtinentiam à tali cæde rem eſſe per ſe, ſeu ſuapte naturâ iuſtam, & legem, quæ eam prohibet, conſtituere id, quod, ipsâ etiam lege ſeclusâ, ſit iuſtum. Legitur tamen poſteà, *Ea qua legibus conſtituta ſunt, non eſſe iuxta propriam naturam, ſiue per ſe iuſta; quòd aliquibus indifferentia ſint, aliquibus etiam iniuſta habeantur; eo modo, quo Pharmacum, quod iſtis prodeſt, illis nocet, non poteſt dici ex ſua natura ſalubre potiùs quàm inſalubre; cùm ſi eſſet quidem ſalubre per ſe, omnibus prodeſſet; ſi per ſe inſalubre, omnibus noceret.* Conſtat verò idem eſſe argumentum, quo ſunt non modò Sceptici vſi, ſed aliqui etiam ex Dogmaticis, vt Ariſtippus, qui apud Laërtium Lib. 2. cenſuit nihil eſſe iuſtum naturâ, ſed νόμῳ, καὶ ἔθει, *lege, & conſuetudine*; & quos Ariſtoteles 5. Ethic. in Ethicis notat, cùm diuiſo Iure ciuili (vt ſuperiùs retulimus) *in naturale, & legitimum*, φυσικὸν, καὶ νομικὸν, propoſitiſque aliquot huius poſterioris exemplis: *Exiſtimant*, inquit, *nonnulli eſſe omnia iura eiuſcemodi; quoniam id, quod naturâ conſtat, immutabile eſt, ac vbiuis gentium eandem habet vim, vt ignis, qui heic, & apud Perſas vrit; ipſa autem iura eſſe mutationi obnoxia deprehenduntur.* Quod Ariſtoteles quidem reprehendit: ſed ita tamen, vt Ius quoque naturale mutabile faciat, quod priùs tamen eandem vim vbique habere definierat, exemplo licet nullo allato; vt minùs ſit mirum, ſi loco ex Rhetoricis recitato, non demonſtrare, ſed Lib. 1. cap. 13. diuinare dicat aliquos, *Eſſe quidpiam iuſtum, iniuſtúmque naturâ, tametſi nulla ſocietas, nulláque pactio inuicem ſit*; ac non afferat aliud in exemplum, quàm, quod Sophocles ait, *Sepelire mortuos*; & Empedocles, Non occidere, quod animatum eſt. In pag. 98. Præterea autem Empedoclem iuſta, & iniuſta νόμῳ, *lege*, definientem; itémque Carneadem: *Cuius*, inquit Lactantius, *hac fuit diſputatio*, In Epit. *Nullum eſſe ius naturale*; cæteroſque huiuſmodi. Illud deinde, *In homine ſolitariè ſpectato iuſtitiam reperiri nullam*, congruens eſt cum eo, quòd Epicurus nullam agnoſcit Iuſtitiam, niſi ἐν ταῖς συστροφαῖς, *in congreſſibus*, cœtibúſve; quaſi homo per ſe, priuatimque ſpectatus nullam neque iuſtitiam, neque iniuſtitiam exerceat. Quod idem docent vulgò omnes, *Iuſtitiam* nimirùm *eſſe ad alterum*, ac ideò cenſeri, dicique ἀλλότριον ἀγαθὸν, *alienum bonum*, vt notat Ariſtoteles, qui etiam addit, 5. Eth. 10. *Eiuſdem in ſeipſum, aut in ea, qua poſſidet, vt ſeruos, filioſque non emancipatos, quatenus ipſius veluti pars ſunt, nullam ſimpliciter iniuſtitiam eſſe.*

Enimverò, quod heic inculcatur, Nullam eſſe Iuſtitiam, niſi inter eos homines, qui in eadem, finitimíſve habitantes regionibus, pacta inire de non inferendo, accipiendóve damno poſſunt; ſuccinente etiam Lucretio, de primis illis temporibus: Lib. 5.

> *Tunc & amicitiam cœperunt iungere habentes*
> *Finitima, inter ſe nec lædere, nec violare*:

Hoc ſanè, quatenus excludit Naturalem Iuſtitiam, quaſi ipſa quoque citra pactionem nulla ſit, ac idcircò ſit res merè factitia, & ab hominum arbitrio dependens; id profectò iam eſt minùs ferendum. Nam verum eſt quidem barbaras eſſe genteis, & detectas potiſſimùm nuperis hiſce temporibus, quæ in peregrinas, ac finitimas, quibuſcum pacti nihil ſit, non ſecùs ac feræ immanes deſæuiant, vix quoque eſſe vllas excultas, quæ non perſtrepant inteſtinis diſcordiis, rixis, litibus, inſidiis, furtis, rapinis, cædibus, &c. ac non ſe cum finitimis inuicem diuexent, conficiántque bellis; & nihil requirentes, dolus-ne, an virtus, ſtrageis exciteni, carnificinámque exercentes crudeliſſimam, nihil minùs, quàm quod dicuntur, hoc eſt, homines, humanive ſint; ſed immites potiùs, efferatæque beluæ, vt proinde merito iure abierit in prouerbium, *Hominem eſſe homini lupum*; neque abs re queratur Lucretius non tantam fuiſſe initio perniciem à feris, quàm nunc ſit ab hominibus: Ibid.

> *Vnus enim tùm quiſque magis deprenſus eorum*
> *Pabula viua feris præbebat dentibus hauſtus;*
> *At non multa virûm ſub ſignis millia ducta*
> *Vna dies dabat exitio.*

Id, inquam verum: ſed non videtur ex deprauatione, quæ naturæ contingit, de ipſa natura 5. Eth. 10. ferendum iudicium. Sic arguit Ariſtoteles, non ex eo, quòd aliqui ambidextri naſcantur, eſſe minùs dexteram manum ſiniſtrâ valentiorem naturâ; ac eius Interpres, non ex eo quod monſtra naſcantur aliqua, eſſe minùs hominem naturâ conſtantem binis pedibus, binis oculis; digitis quinis, &c. Addi poteſt; eùm homo ſit duplicem ſortitus naturam, animalem

In pag. 98. lem putà, atque rationalem; & quatenus quidem eſt homo, ſeu quatenus differt ab animalibus cæteris, natura ipſius rationalis ſit; ideò explorando quid illi conueniat, aut non conuêniat, provt homo eſt; attendendum id potiùs eſſe ſecundum rationalem naturam, ſeu mavis ſecundum ſinceram, intaminatámque; quàm ſecundum animalem, ſeu mavis paſſionem bruti appetitus, quæ ipſum rationis ſplendorem obfuſcat. Ex hoc enim fit, vt dum quæritur, Sit-ne quæpiam in homine naturalis Iuſtitia, an non? ſpectandum non ſit quid illi conueniat, dum paſſione abripitur; ſed quid, dum rationem conſulit, audítque. Siquidem quemadmodum lux ineſſe Soli non deſinit, vtcumque ſuborti ex terra vapores ipſius radios intercipiant; ita neque Iuſtitia deſinet ineſſe naturæ, ſeu meliori illi parti hominis; vtcumque ſubortæ ex appetitu paſ- Ariſt. 5. Ethic. 5. ſiones illius iubar, quod *Heſpero, Luciferoque*, vt ille ait, *eſt admirabilius*, præripiant. Ecquis certè eſt hominum, qui in ſe deſcendens, ac rationis lumine vtens, non agnoſcat, exempli gratiâ, Lædendum eſſe neminem, aut non eum ſaltem, à quo laceſſitus non fueris, & à quo mali nihil metuas? Opem præſtandam indigenti, ſeu ſubleuandum miſerum; ſaltem, cùm citra incommodum, aut exiguum, aut nullum, licet; veluti lapſum erigendo, erranti viam demonſtrando, aliáque id genus ſimilia, quæ & ſuperiùs attigimus? Dicet fortè quis, pertinere iſta ad bonitatem, lenitatem, benignitatem, comitatem, aliámve ſimilem virtutem, quàm pernegaturus Epicurus non ſit, ipſe præſertim non modò bonus, verùm etiam optimus vir, (vt iam aliquoties ex Cicerone notatum eſt) non verò ad Iuſtitiam, quæ eſſe debeat lege, pactôve præſcripta, & adiunctam habere pœnam, qua in tranſgreſſorem animaduertatur. Verumtamen, cùm talis virtus dici ἐπιείκεια, ſeu tam *æquitas*, quàm *lenitas* valeat; non eſt, cur non etiam dicatur δικαιοσύνη Iuſtitia, cùm non modò virtus ſit ad alterum, ſeu bonum alienum reſpiciat, ſed etiam in iure, ſeu æquo verſetur; quandò tametſi non ſit vis cogens, non eſt minùs tamen ſecundum naturam obligatio, qua tenetur is, qui beneficium accepit, aut iniuriæ nihil patitur, ad agnoſcendum benefactorem, & ad abſtinendum ab inferenda iniuria; Ex quo rurſus natum eſt illud, de quo ſuperiùs quoque eſt dictum, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Profectò enim ipſa exhibitio gratitudinis, venerationis, obſeruantiæ, obſequij, qua proſequi Natura iubet rerum Authorem, Parentes, Principes, benè de nobis meritos, ac eminenteis virtute viros, aliud nihil eſt, quàm præſtatio debiti, & quaſi compenſatio quædam, qua par pari reddere, ſicque ſuum illi, ad quem ſpectat, tribuere, quantum in nobis eſt, conamur. Quòd verò prætereà lex quædam, qua præſcribatur, exigitur; ecce præſtantior alia non eſt, quàm ipſum Rationis

dictamen, quod familiare, receptúmque eſt, Rata Sententia. vt etiam iam antè obſeruauimus vocari Legem naturalem; vti neque aliud eſt præſtantius pactum, quàm tacitus ille conſenſus omnium hominum rationem audientium; Nam L. 32. ff. de leg. *quid intereſt*, inquit Iuriſconſultus, *ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis, & factis*? Ad pœnam quod ſpectat, licet non ſit Princeps, populúſve eam exigens, exigit tamen ipſa conſcientia, quæ vt delectat ob benefacta, ſic ob malefacta excruciat; ac iure ideò Chilon: *Damnum*, inquit apud Laërtium, *turpi quæſtui anteponendum; nam illud quidem, damnum ſemel (hoc eſt, præſentem ſolummodo) hic verò perpetuum dolorem inducit.* Graphicè autem Satyricus verſibus illis, quorum extremi recitati iam antè ſunt, Iuvenal. ſat. 13.

——Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum,
Pœna autem vehemens, ac multò ſævior, &c.

Iniuſtitia (quatenus rurſus quod heic eſt iniuſtum, illeic iuſtum eſt) *non eſt aliquid ſecundùm ſe malum; eſt autem malum in eo metu, quo* exſtimulante conſcientiâ *ſuſpicatur quis*, veretúrque, *ne quæ iniuſte patrata ſunt, animaduerſores ſcelerum non lateant.*

ỹ.15. Ἡ ἀδικία, οὐ καθ' ἑαυτὴν κακόν. Iſthæc iam Sententia eiuſmodi eſt, vt vniuersè intellecta ferri nulla ratione valeat. Nam quod interpretando quidem interiicio, eò ſolùm tendit, vt innuam Iniuſtitiam patratam tranſgrediendo leges, quæ heic iniuſtæ, illeic iuſtæ habentur, naturaléſque minimè ſunt; verſari poſſe in actione, quæ mala per ſe, ſeu ex ſua natura non ſit, ſed indifferens; vt provt vel iuſſa, vel prohibita fuerit; vel bona euadat, vel mala. Quod Ariſtoteles quoque ipſe 5 Eth. 10. proponit vniuersè de Iure legitimo: *Quod à principio*, inquit, *conſtitui, indifferens eſt; ſemel conſtitutum intereſt ſeruari.* At verò, quatenus res poteſt prætereà ſic intelligi, quaſi cùm ſint omnia ipſo naturæ iure communia, ſeu competat ius omnibus in omnia, cuilibétve in quidlibet; nulla per ſe, ſeu ſecundum naturam iniuſtitia ſit, quicquid vſurpet quis, aut reiiciat; quicquid moliatur, aut non moliatur; ſed Iniuſtitia ſolùm ſit, quatenus eſt Meum, Tuúmque diſtinctum, & hoc vetitum, præſcriptúmve: ea de cauſſa dixi ferri rem non poſſe. Etenim, vt omnis lex alia tollatur; at ſupereſt tamen ipſa Lex naturæ, ipſúmve Rationis dictamen, quo cauetur, ne quis in alium quod in ſe nolit peccatum, peccet: ac ne re, prius quidem communi, ſed occupatione tamen facta propria, vi, aut dolo alterum ſpoliet. Nec verò etiam ferenda eſt quatenus, cùm aliunde Epicuri ſententia ſit, non aliud

 eſſe

Rata Sententia. eſſe hominis malum, quàm vel dolorem in corpore, vel perturbationem in mente; ideò videatur illi placuiſſe, non eſſe per ſe Iniuſtitiam aliquid malum, ſi neutrius malorum huiuſcemodi fuerit cauſa. Ac ſupponit quidem eſſe Iniuſtitiam mali ſaltem illius cauſam, quòd continenter mens angatur, ob metum illum perpetuum, ne iniuſtè factum innoteſcat, ſicque meritas pœnas det: Verùm,ſecluſo etiam hoc metu, Iniuſtitia res eſt ſuapte natura, ſiue per ſe mala, quatenus eſt in anima priuatio boni ſummè naturalis. Deformat videlicet illam rationis rectitudinem, in qua eius decor præcipuus conſiſtit; ſicque eam deturpans deiicit è ſtatu, in quo ſolo mens benè conſcia tueri poteſt tranquillitatem,ac in eum demittit, in quo ipſa mali facti conſcientia, ſepoſito quoque illo metu, quaſi
6. Ænei. fera Erinnys regnat, eſtque verus ille Poëtarum vultur, qui

Immortale iecur tundens,fœcundáque pœnis
Viſcera, rimatúrque epulis, habitátque ſub alto
Pectore; nec fibris requies datur vlla renatis.

Heinc fit, vt tametſi Epicurus noluerit Iniuſtitiæ patrocinari, imprudens tamen id dixerit, ex quo anſam fuerint improbi ſumpturi patrandi Iniuſtitiam, ſi ſemel ſibi eam facere perſuaſionem potuerint, quòd ea ſit perpetuum futura occulta; aut quòd ipſi ſint eiuſce potentiæ, authoritatis, gratiæ, vt à nemine vnquam metuant pœnas: Quo nomine
7. De Rep. apud Platonem Traſimachus ille defendit: *Nihil eſſe melius, quam facere iniuriam, neque dare pœnas; nihil peius, quàm pati, nec poſſe vlciſci; medio autem modo ſe habere iuſtitiam, cùm quis nec facit, nec patitur; quod vt fiat, eſſe optabile; ſed nempè imbecillibus, quorum proinde intereſt paciſci, ac ſeruare pacta; non autem valentioribus, qui, ſi viri fuerint, ne ſapuerint, nullatenus pactum de iniuria inferenda, accipiendáve ſint inituri.* Quin etiam poteſt exinde deduci, nihil eſſe neceſſe, vt ſapiens oderit peccare virtutis amore, potiuſquàm pœnæ formidine; vt proinde mirum non ſit, ſi vtrum-
4. Strom. que coniungens B. Clemens Alexandrinus aut doceat, aut ſaltem deducat dictum fuiſſe ab Epicuro, ἀδικεῖν ἐπὶ κέρδει τινὶ βούλεσθαι τὸν, κατ' αὐτὸν, σοφὸν, πίστιν γὰρ λαβεῖν περὶ τοῦ λαθεῖν οὐ δύνασθαι, ὥστε εἰ ἐπιστεύετο λήσειν, ἀδικήσει, κατ' αὐτὸν, *Velle eum, quem ipſe deſcribit, ſapientem agere iniuſtè. Non poſſe enim illum* (ait) *ea eſſe fiducia, vt lateat; Quamobrem, ſi nôrit futurum, vt lateat, aget, ex ipſius ſententia, iniuſtè.* Ne
1. Adu. Col. adiiciam illi à Plutarcho exprobrari, quòd in Dubitationibus interrogârit ſeipſum, εἰ πράξει τινὰ ὁ σοφὸς, ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν, εἰδὼς, ὅτι λήσει; *Sit-ne facturus Sapiens aliquid eorum, quæ leges vetant, ratus fore, vt lateat?* ac reſponderit, οὐκ εὔοδον τὸ ἁπλοῦν ἐστι κατηγόρημα, *Non poſſe id ſimpliciter, vnoque verbo expediri*: hoc eſt, addit Plutarchus, πράξει, οὐ βούλομαι δὲ ὁμολογεῖν, *Faciet; ſed nolo confiteri.* Dico autem, tametſi noluerit iniuſtitiæ patrocinari; ac ideò feciſſe imprudentem; Nam aliam quidem
In pag. 95. fuiſſe eius mentem ſuadent, Tùm quòd inſequente ſententiâ deterrere homines ab iniuſtitia voluit, ob perpetuam illam diffidentiam latendi: Tùm quòd apud eundem Plu-
De Stoic. rep. tarchum, vt ſuperiùs retulimus, nullum non mouit lapidem, ἵνα μὴ καταλίπῃ ἀνέγκλητον τὴν κακίαν, *ne ſineret malitiam abire inculpatam*: Tùm quòd apud eundem Clementem,
6 Strom. vt antè quoque relatum eſt, tantoperè commendauit Iuſtitiam, cùm eius καρπὸν μέγιστον, *fructum maximum* eſſe dixit ἀταραξίαν, *pacatum ſtatum ſecuritatémve conſcientiæ*; ac vna proinde Ratarum ſententiarum iam antè fuit, *Eſſe virum Iuſtum omnium maximè perturbationis immunem: Iniuſtúmque ex oppoſito perturbationis pleniſſimum*; Tùm aurea, & ex Seneca etiam
Epiſt. 11. recitata ſententia: *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic, tanquam illo ſpectante viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus*: Tùm deſcripta illa ſuo loco erga omneis humanitas, ac incomparabilis bonitas, quæ illi tam caram, tam multorum amicitiam conciliauit: Tùm
2. De fin. quod Cicero ait, dum Torquato reſpondens, & facta illa, quàm ſuperiùs quoque obiecit, hypotheſi: *Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hereditatem reddas ſuæ filiæ, nec vſquam id ſcripſerit, vt ſcripſit Fadius, nec cuiquam dixerit, quid facias?* ſic pergit: *Tu quidem reddes; ipſe Epicurus fortè redderet, vt Sex. Peduceus Sex. filius, &c.* Ac ſtatim: *Nonne intelligis eò maiorem vim eſſe naturæ, quòd ipſi vos, qui omnia ad veſtrum commodum, & vt ipſi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, quibus appareat, non voluptatem vos, ſed officium ſequi; pluſque naturam rectam, quàm prauam rationem valere.*
Serm. 4. Tùm demùm, quia relata eius ex Stobæo ſententia: *Poſitæ ſunt leges in Sapientum gratiam; non ſanè, ne iniuſtè agant, verùm ne iniuſtè in ipſos agatur*; ſatis arguit voluiſſe illum, etiam ſine legibus,atque adeò ſine legum metu,nihil eſſe iniuſtè acturum ſapientem.

Fieri non poteſt, vt qui clam violauerit aliquid iuris *pactorúmve eo ſancitorum, ne quis faciat, patiatúrve iniuriam, ſecurus reddatur, vt facinus lateat. Scilicet quantumvis id millies impræſentiarum occultum ſit;incertum eſt tamen,an ad mortem vſque ſit futurum occultum.*

℣. 19. Οὐκ ἔστι λάθρα τι ποιοῦντα. Ideirco hæc Sententia ſuperiori ſubiicitur, quòd ſit quaſi inſtantia aduerſus eum,qui ſibi ſcelus clanculum, neminéque conſcio, perpetranti pollicetur impunitatem. Ea euaſit percelebris, & quantum ex ſe quidem eſt, digna videtur commendatione; vtcumque nonnulli ſic ipſam detorqueant, vt concluſionem eliciant, quæ Epicurus nihil minùs ſomniârit.

Digitized by Google

In pag. 98. 2. De fin. Talis videri Cicero poteſt, non eo modo loco, quem ſuperiùs retulimus, cùm Torquatum alloquens: *Cur*, inquit, *Iuſtitia laudatur, aut vnde contritum eſt hoc vetuſtate Prouerbium, Quicum in tenebris? &c.* verùm etiam illo, quo 1. De leg. alloquens Atticum; *Nam quid faciet*, inquit, *is homo, ſi in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, vel iudicem? Quid in deſerto loco, nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum, atque ſolum? Noſter quidem hic naturâ iuſtus vir, ac bonus etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet: Is verò, qui nihil alterius cauſâ facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus. Quòd ſi negabit ſe illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam ob eam cauſam negabit, quòd id naturâ turpe iudicet, ſed quòd metuat, ne emanet, id eſt, ne malum habeat.* Talis videri & Epictetus: Siquidem, poſtquam illud præmiſit: *Stultè facit, ſi quis cùm ſit iudex, & eripere aliis poſſit, ab alieno abſtinet: nam ſi videbitur, id ſolùm attendamus, vt res fiat clàm, vt tutò, vt ne quis ſit conſcius*; tùm pergit: Τὸ γὰρ κλέψαι, οὐδ' αὐτὸ ὁ Ἐπίκουρος ἀποφαίνει κακόν· ἀλλὰ τὸ ἐμπεσεῖν, καὶ ὅτι πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν, ἀδύνατον, διὰ τοῦτο λέγει, μὴ κλέπτετε, *Quippe Epicurus, ne furari quidem eſſe reputat per ſe malum, verùm deprehendi, nec ſecuritatem perpetuò latendi poſſe accipere; vnde &, Ne furemini, inquit*: Poſſent & citari Plu- 2. Adu. Col. tarchus, B. Clemens, & alij. Verumtamen vtcumque ſeu alij cauſentur; ſeu ipſe ſpeciatim Plutarchus obiiciat docere Epicurum, οὐκ ἄλλῳ τινὶ τῆς ἀδικίας δεῖν ἀπείργειν, ἢ φόβῳ κολάσεων, *Non alia re vlla arcendos ab iniuſtitia homines, quàm ipſo ſuppliciorum metu*: ſaltem certum eſt, eam eſſe malitiam maximæ partis hominum, vt nihil virtutem reueriti, nihil non flagitiorum aggreſſuri ſint, ſi ſe euaſuros ſupplicia confidant; adeò proinde, vt Epicuro non ſuccenſendum, ſed annuendum ſit, dum hanc confidentiam tollere allaborat. Hinc, prout verba quidem ſonant, admitti poteſt amplificatio, qua ille ſententiam veluti exornans Ibid. dicere Epicurum ait, τοὺς ἀδικοῦντας, καὶ παρανομοῦντας ἀθλίως καὶ περιφόβως ζῆν τὸν πάντα χρόνον, ὅτι κἂν λαθεῖν δύνωνται, πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν ἀδύνατόν ἐστιν. ὅθεν ὁ τοῦ μέλλοντος ἀεὶ φόβος ἐγκείμενος, οὐκ ἐᾷ χαίρειν, οὔτε θαῤῥεῖν ἐπὶ τοῖς παροῦσι, *Iniuſtè, ac præter fas agenteis, totum vitæ tempus perquàm miſerè, trepidéque exigere; quòd tametſi valeant, dum flagitioſè agunt, latere; effici tamen, vt fiduciam perpetuò latendi aſſequantur, non poteſt: Vnde & euentus futuri impendens indeſinenter metus non patitur ipſos nec lætitiam capere, nec ſe-* Epiſt. 97. *curitatem circa res præſenteis.* De Seneca verò vt dicam, ille ſententiam bifariàm effert. Siquidem poſtquàm retulit, quod ſuperius meminimus: *Putare ſe dictum eleganter ab Epicuro, Poteſt nocenti contingere, vt lateat, latendi fides* (ſeu fiducia) *non poteſt*, ſubdit: *Aut, ſi hoc modo meliùs hunc explicari poſſe iudicas ſenſum, Ideò non prodeſt latere peccantibus, quòd latendi, etiam ſi felicitatem habent, fiduciam non habent.* Præterea autem, quod ſubiicit: *Ita eſt, tuta ſcelera eſſe poſſunt; ſecura non poſſunt.* Et ſtatim pòſt: *Hoc enim ipſum argumentum, Epicure, eſt,* Rara Sententia. *naturâ nos à ſcelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter tuta, timor eſt. Multos fortuna liberat pœnâ; metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit. Ideò nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium eſt autem nocentium, trepidare. Malè de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem, & iudicem effugiant, & ſcripta ſupplicia; niſi illa naturalia, & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum patientiæ timor cederet.* Vidimus ſuprà à Torquato præoccupatum ve- 1. De fin. luti fuiſſe, quod obiici poterat, ſceleſtum, cui nemo eſt conſcius, ſeſe ipſum non proditurum. Siquidem, poſtquam illud præmiſit: *Cuius in mente iniuſtitia conſedit, hoc ipſo, quòd adeſt, non poteſt turbulenta non fieri; etſi verò molita quidpiam eſt, quamvis occultè fecerit, nunquam tamen confidet id fore ſemper occultum*; tùm ſequitur illud, *Plerumque improborum facta primò ſuſpicio inſequitur, deinde ſermo, atque fama; tùm accuſator, tùm iudex; multi etiam, vt te Conſule* (Cicerone putà) *ſe indicauerunt.* Porrò quia poſſet excipi, ſtare per illos qui ſeſe produnt, vt ſi velint, minimè prodant: Ecce duos caſus regerit Lucretius, quibus Lib. 4. prodant ſe, non valentes noſſe, aut conſiderare quid agant, ſomnium ſcilicet, ac delirium. Et de ſomnio quidem;

Multi de magnis per ſomnum rebu' loquuntur;
Indicióque ſui facti perſæpe fuère.

De ſomnio verò, ac delirio ſimul: Lib. 5.

Quippè vbi ſe multi per ſomnia ſæpè loquentes,
Aut morbo delirantes protraxe feruntur,
Et celata diù in medium peccata dediſſe.

Poterat verò & tertiam cauſam ebrietatem adiicere: Quippè experientia quotidiana docet pleroſque vino largiùs epoto propria crimina prodere; neque anni ſunt multi, ex quo veneficus fuit occaſione hac detectus, conuictus, combuſtus in Neuſtria. Vt proinde non malè Horatius Vinum, Irámque habuerit, quaſi duo quædam tormentorum genera, quibus arcanum elici poſſit,

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam, 1. Epiſt.
Commiſſúmque teges, & vino tortus, & ira.

Sed ad Lucretium vt redeam, is duas illas adhibet cauſas, poſtquam ſententiam ſic extulit:

Nec facile'ſt, placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etſi fallit enim Diuûm genus, humanúmque,
Perpetuò tamen id fore clàm diffidere debet.

Quo loco, vbi dicit, *Diuûm genus, humanúmq;* reuocat in mentem; Tùm quod Plato tyrannorũ 9. De Rep. occaſione legẽ ferens, adiiciendum cenſuit, ἐάν τε λανθάνωσι τοιοῦτοι ὄντες, ἐάν τε μὴ πάντας ἀνθρώπους τε, καὶ θεούς, *ſeu, tales cùm ſint, lateãt hominéſq; Deoſque, ſeu non lateant.* Tùm quod præclarè reſpondit Thales, cùm interrogatus, *An iniuſtè agens* Laërt. l. 1. *latere Deos poſſet*; ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος; *imò ne cogitans quidẽ*, inquit: Tùm, nõ modò, quod Seneca Epiſt. 10.

Rara Sententia. *Sic viue*, inquit, *cum hominibus, tanquam Deus videat; ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant*; ſed etiam, quod appoſitè D. Auguſtinus: *Sic peccare*, inquit, *vis, quære, vbi te Deus non videat, & fac, quod vis.* Tùm demùm quod Agellius refert audiiſſe ſe à Peregrino Philoſopho (Proteo illo videlicet, cuius eſt prolixa apud Lucianum mentio) quæque opportunè attexi heic poſſint: Textus itaque Agellij ſic habet: Lib. 12. Cap. 11. *Vtrum quidem Sapientem non peccaturum eſſe dicebat; etiam ſi peccaſſe eum Dij, atque homines ignoraturi forent. Non enim pœna, aut infamia metu, non eſſe peccandum cenſebat; ſed iuſti, honeſtique ſtudio, & officio. Si qui tamen non eſſent tali vel ingenio, vel diſciplinâ præditi, vti ſe vi ſuâ, ac ſponte facilè à peccando tenerent, eos omneis tunc peccare procliuiùs exiſtimabat, cùm latere poſſe id peccatum putarent, impunitatémque ex ea latebra ſperarent. At ſi ſciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutiùs poſſe celari; ſuppreſſiùs, pudentiùſque peccabitur. Propterea verſus iſtos Sophoclis prudentiſſimi Poëtarum in ore eſſe habendos dicebat.*

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπανθ᾽ ὁρῶν
Καὶ πάντ᾽ ἀκούων, πάντ᾽ ἀναπτύσσει χρόνος.

Nihil age adhac clàm; namq; cuncta quod videt,
Auditque cuncta, cuncta tempus detegit.

Alius quidam veterum Poëtarum, cuius nomen mihi nunc memoria non eſt, Veritatem temporis filiam eſſe dixit. Hactenus Agellij textus.

Vniuersè quidem Ius, ſeu quod iuſtum eſt, *idem eſt apud omneis genteis (vtile nempè aliquid in ſocietate hominum mutua) verùm ſpectatis ſingulatim tùm regionibus, tùm cauſſis* apud varias *varijs, euenit vt non idem ius*, ſiue iuſtum *ſit apud omneis.*

§. 26. KAτὰ μὲν τὸ κοινόν. Articulum τὸ, interiicio eadem ratione, quâ habetur ſtatim, κατὰ δὲ τὸ ἴδιον. Sententia hæc autem nihil aliud eſt, quàm quædam velnti declaratio illius, quâ iam viſum eſt, Ius, ſiue Iuſtum naturale teſſeram eſſe vtilitatis. Videlicet eò ſolùm tendit, vt intelligamus nationes vniuerſè omneis in iure condendo, ferendíſve legibus, attendere quid Societati obſeruatu vtile ſit; neque præſcribere aliquid, quod ipſi obfuturum putetur. Quare & cùm Iuſtitia in iuris, legúmque obſeruantia ſit conſtituta, notionem Iuſti vniuerſè ſumpti non eſſe aliam, quàm notionem eius, quod obſeruatu vtile eſt. Ac eſſe quidem ſpecialia iura, ſpecialeiſque leges, quas ſingularis quæque natio, ciuitáſve ſibi præſtituit, & ea, quæ ab vna ſanciuntur, eſſe plerumque contraria iis, quæ ſtatuuntur ab alia; verumtamen tam hanc, quàm illam reſpicere ad vtilitatem, quam ex obſeruantia propriarum conſtitutionum percipit; eâ exſiſtente varietate circumſtantiarum in variis locis, vt quod in vno incommodum eſt, commodum in alio plerumque habeatur.

Heinc verò eſt illud Lactantij, *Cur enim per omneis populos diuerſa, & varia iura ſunt condita, niſi quod vnaquaque gens id ſibi ſanxit, quod putauit rebus ſuis vtile.* In pag. 98. Lib. 6. cap. 9. Et mox ſpeciatim de Romanis: *Sicut illi duodecim Tabularum conditores, qui certa publica vtilitati pro conditione temporum ſeruierunt.* Verùm de hac vtilitate ſuperiùs longè plurima, etiam ex ipſo Cicerone; quem proinde eſt, cur quiſpiam miretur hæc interdum exaggerantem: 1. De leg. *Si populorum iuſſis, ſi Principum decretis, ſi ſententiis Iudicum iura conſtituerentur, ius eſſet latrocinari, ius adulterari, teſtamenta falſa ſupponere; ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur.* Nimirùm, quaſi ipſi quoque, in quo verſabatur, populo Romano non eſſet, quod ipſe & ſequebatur, & commendabat, Ciuile Ius, ea, quam heic improbat, ratione (& ab ipſis quidem vſque XII. Tabularum conditoribus, qui inſeruierint publicæ vtilitati) conſtitutum. Et nonne de hoc Iure pro Cæcinna agens, hæc habet? *Nam qui Ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit, non modò iudiciorum, ſed etiam vtilitatis, vitæque communis. Qui autem Interpretes iuris vituperat, ſi imperitos iuris eſſe dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Sin peritis non putat eſſe obtemperandum; non homines lædit, ſed leges, ac iura labefactat. Quod vobis venire in mentem profectò neceſſe eſt, nihil eſſe in ciuitate tam diligenter, quàm Ius ciuile retinendum. Etenim hoc ſublato, nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe quid ſuum, aut quid alienum ſit; nihil eſt, quod æquabile inter omneis, atque vnum omnibus eſſe poſſit.* Heic non addo, quemadmodum quæ eſt vtilitas communis ſit vtilitas ſingulorum; eſt enim res abundè quoque declarata ſuperiùs. Adnoto ſolùm, cùm idem Cicero ſic in Trebatium Iuriſconſultum Epicureum factum iocatur: Lib. 7. Epiſt. 12. *Quonam modo ius ciuile defendes, cùm omnia tuâ causâ facias, non ciuium? Vbi porrò erit illa formula fiduciæ, VT inter bonos benè agier oportet? Quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſuâ causâ? Quod ius ſtatues communi diuidundo, cùm commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia vtilitate* (ita videtur, pro voluptate) *ſuâ metiuntur?* Adnoto, inquam, Ciceronem rem ſic accipere videri quaſi quis ad propriam vtilitatem reſpiciens, reſpicere ſimul non poſſit ad vtilitatem communem; neque idcircò poſſit communi vtilitati conſulere, niſi priuatæ quaſi renunciet, quam intelligere tamen liceat communi illa contineri. Et ſpectare quidem proinde huc poſſet, quod Torquatus habet, dum ad Ciceronis obiecta de maiorum factis reſpondens, illum, qui filium morte mulctauit, declarat *ſaluti ciuium proſpexiſſe, quâ intelligebat contineri ſuam.* Sed res memorata ſuperiùs iam eſt.

Quòd

In pag. 99. *Quod experientiâ comprobatur vtile eſſe ad mutuos vſus in ſocietate*, communíve eorum participatione, *quæ eſſe iuſta reputantur, illud iuſti naturam habet, ſi tale quidem ſit, vt vtilitas ad omnes attineat. Quod ſi tale quidem quis ponat, & contingat tamen vt mutuò ſociatis vtile non ſit, id iam* veram *iuſti naturam non habet.*

Pag. 99. ỿ. 1. Τὸ μὲν ἐπιμαρτυρούμενον, ὅπου μφιςὶ. Quod huius ſententiæ cootexrus admodum corruptè legatur; Viſum eſt poſſe ỿ. 4. haſce voces interiici, τὴν τοῦ δικαίου φύσιν, quod alioquin ſenſus ſit nullus, & non obſcurè res indicetur ex iiſdem vocibus eidem verbo ἔχει, in parte ſententiæ poſteriore præmiſſis. Potuit verò etiam vtcumque ex MSS. ſuggeri, vbi verbu ἔχει, adhibentur voces τοῦ τοῦ δικαίου, cùm & prætereà adſcribantur ad marginē hæ χώραν ἔν (neſcio an coniectura ducta ex ſuperioris ſenteotiæ calce) & Aldobrandious ex ſimili forte MS. deſumpſerit, quod legit (viderit quis ſenſu) νομισθέντων ἔν, δίκαιον ἔχει τοῦ δικαίου χώραν. Subinde autem lego, ἐὰν μὲν, pro ἐάν τε, & rursùs, ἐὰν δὲ, pro ἐάν τε, ob manifeſtam diſtributionem. Sic & conſequente particulâ μὴ, vt repugnante ſenſui, expunctá, lego μὲν, pro μόνον, ob particulam δὲ ſubiunctam. Legerem quoque θῆται (vel potiùs θετῆται) τι, pro θῆται τὶς, vel etiam νομοθετῆται τι, pro μόνον θῆται τὶς, &c. Sed quòd poſſit ſenſus alioquin vtcumque cooſtare, tale oihil moueo. Hæc porrò Sententia addere id ſolùm ad ſuperiorem videtur, quòd cùm omnis Lex, dum conſtituitur, eſſe iuſta exiſtimetur; ea tamen dumtaxat ſit reuerâ iuſta, quam deinceps euentus probat eſſe reuerâ vtilem, quod quæ deinceps non comprobatur ipſo euentu vtilis, ea non ſit iuſta reuerâ cenſeoda. Prætereo autem taleis Leges ſolere aut oppoſitis, aut ſolo nòn-vſu abrogari. Qui videlicet illas ferunt, eâ æquitate habendi ſunt, vt eas laturi haudquaquam eſſeot ſi non vtileis fore prouiderent. Heioc eſt illud Ciceroonianum non prætermiſſum ſuperiùs: *Neque enim* Maiores noſtri *ipſi Reipublic. quod obeſſet ſcribere volebant; & ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causâ ſaluas eſſe vult, ſed Reipublic. quod ex legibus omnes Rempublicam rectè putant adminiſtrari.* Et ſtatim: *Nam, vt ex Medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectet, quoniam eius cauſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipublica conducat, proficiſci; quoniam eius cauſa ſunt comparata.* Quo loco dum Lex eum Medicina comparatur, ſubit in animum, quod Plato Legiſlatorem eum Medico, eúmque Gubernatore confert. Id nempè, vt iotelligamus, ſicut Medico propoſitus ſcopus, ægrotorum eſt ſalus, & guberoatori nauigantium; ſic ciuium eſſe Legiſlatori. Et quemadmodum Medicus illud remedium prætermittit, quod profuturum prius ratus, deprehendit deioceps eſſe inſalubre, & gubernator inhibet curſum, quem rectum eſſe arbitratus, obſeruat poſteà deuium; ſic Legiſlatorem abrogare eam legem, quam opinatus profuturam, progreſſu tameo temporis ſecùs eſſe animaduertit. Quamquam, vt præclarè Ariſtoteles mooet, magna adhibeoda cautio eſt: *Quoniam, cùm legibus mutandis etiam aſſuefacere malum ſit, non decet ſanè ob paruam quandam vtilitatem eas mouere; ſed præſtat intacta aliqua peccata tùm Legumlatorum, tùm Magiſtratuum relinquere. Neque enim tantum emolumenti, qui eas mouebit, attulerit, quantam aſſuefaciendo ciueis ad non obediendum magiſtratibus, importauerit nocumenti.* Quin etiam Plato id exigit, vt *ſi qua interdum vigere neceſſitas videbitur, deliberent vnà & Magiſtratus omnes, & vniuerſus populus, ac ipſorum quoque Deorum omnia oracula conſulantur; &, ſi vnus quidem exſtiterit omniam conſenſus, tùm demum legem moueant; ſin verò minùs, nullatenus; ſed qui mouere prohibuerit* (vnus, puto ex tribus, h.e. Deorum, Magiſtratuum, populique ordinibus) *is ſecundum legem obtineat.* Dixi autem Legem ioterdum ſolo non vſu abrogari, quoniam noo modò experientiâ id vſu venire obſeruamus, ſed rationi quoque conſentaneum eſt, vt ſicut aliquando Leges ſola conſuetudioe inducuntur, ita ſola excedant deſuetudine; quatenus exinde arguitur, vt in conſueſcendo vtilitas, ſic in deſueſcendo eiuſdem defectus: cùm & aliunde, mious timeodum periculi exinde ſit, quàm dum momento ſit abrogatio, & lex ipſa vſu vegeta, quaſi ex arbore immaturus decerpitur fructus. Heinc proinde, *Rectiſſimè*, inquit Iuriſconſultus, *illud receptum eſt, vt leges non ſolùm ſuffragio, ſed etiam tacito conſenſu omnium, per deſuetudinem abrogentur.*

[Margin notes: 1. De inuent. — In Polit. — Rata Sententia. — 2. Polit. 8. — 2. De Rep. — L. 32. ff. de leg.]

Tametſi interdum ex eo, quod fuerit iuſtum habitum, vtilitas excidat, ſi nihilominus interdum vtilitas aliqua ſit, ac idcirco *ad prænotionem* quæ habetur de iuſto *congruat; id pro illo quidem tempore eſt iuſtum; certè apud illos qui ſeſe inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generaliùs perſpiciunt.*

ỿ. 10. Κἂν μεταπίπτῃ τὸ κατὰ τὸ δίκαιον συμφέρον. Id etiam dumtaxat Sententia hæc addit, vt, ſi contingat legem ſancitam, eſſe ioterdum quidem damnoſam, ſed interdum tamen etiam vtilem; ea nihilominùs ſit habenda iuſta pro eo tempore, quo vtilis exſtiterit; quaſi tùm coogruens ad prænotionem, qua legis iuſtitiam vtilitate eius metimur. Eſt verò eadem penè Sententia, quæ apud Platonem à Socrate ediſſeritur; Nimirùm, *Cùm Scopus ciuitatis ſit, quàm vtiliſſimas leges condere,* In Theæt.

Rata Sententia. *euenire quidem ſæpè numerò, vt ea, quæ ſunt conſtituta, ab hocce ſcopo excidant; ſed ἕωσπερ ἂν ᾖ), quamdiu quidem non excidunt, eſſe nihilominus iuſta.*

Vbi nullà nouâ ſuperueniente rerum circumſtantiâ, ea quæ fuerant habita iuſta circa actiones hominum, deprehenduntur ad prænotionem habitam de iuſto *non congruere; ipſa iuſta haudquaquam ſunt. Vbi verò nouatis rebus, ea, quæ fuerint decreta iuſta, eſſe vtilia deſierint; ea quidem illeic exſtitère iuſta, quanto tempore ad mutuam ciuium ſocietatem permanſere vtilia; deinceps verò ſtatim atque deſierunt eſſe vtilia, deſierunt ſimul eſſe iuſta.*

℣.17. Ἔνθα μὴ καινῶν γενομένων. Lego heic καινῶν, pro καὶ τῶν, quòd ita videatur exigere ſenſus, quo poſterior ſententiæ pars Prioris quaſi redditio eſt. Hæc autem denique Sententia addit ſolùm comparationem non aſſequutæ vtilitatem legis ex non interuenientibus, aut interuenientibus circumſtantiis quibuſdam nouis. Nam, ſi nullis quidem interuenientibus ipſa lex ab initio ſtatim deprehenſa fuerit ab vtilitate aliena, eam non potuiſſe cenſeri iuſtam. Si verò, cùm nullæ interuenerint, vtilis quidem ab initio fuerit, ſed quibuſdam poſteà incidentibus rebus ab vtilitate exciderit, fuiſſe illam iuſtam, quovſque ceſſauit eſſe vtilis; ex quo verò eſſe ceſſauit, iniuſtam. Ex vtroque porrò capite eſſe poteſt, cur iuxta Ariſtotelem leges (2 Polit. 8.) mutandæ καὶ πῶς, καὶ ποτὲ, *& aliqua, & aliquando* ſint; tametſi cautione, de qua mox dictum, (L. 2 ff. de conſt. princ.) adhibita, & cui conſentit Iuriſconſultus, dum, *In rebus nouis conſtituendis*, inquit, *euidens eſſe vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diù æquum viſum eſt.*

Qui ſibi fiduciam ſecuritatémque ex rebus externis, quâ optimâ ratione licet, comparare aggreſſus eſt, is poſſibilia quidem paratu, tanquam à ſe non aliena quæſiuit; at impoſſibilia pro alienis habuit. Quinetiam poſſibilium benè multa non attigit, ac ea omnia, quæ obtinere nihil fuit neceſſe, abdicauit.

℣.29. Ὁ τὸ θαῤῥεῖν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. Scilicet eliciendo ſenſui, & congruè ad ſequentem ſententiam, viſa eſt expungenda ante vocem θαῤῥεῖν, particula μὴ, quæ etiam reipſa à Baſileenſi editione abeſt; & qua occaſione congruit ſine illa vox θαῤῥεῖν in inſequente ſententia, eadem heic quoque magis congruit. Lego autem poſteà, τὰ ἀλλόφυλα ἐγγίσας, &c. ad vſque finem ſententiæ, pro ἐκ ἀλλόφυλά γε ὅσα μηδὲ τοῦτο δυνατὸς ἦν ἀνεπίμικτος ἐγένετο καὶ ἐξωρίσατο ὅσα τοῦτ' ἐλυσιτέλει πράττειν. Et nimiâ profectò licentiâ: ſed quid facias tamen, vbi manifeſtè deprauatiſſimus eſt locus? (In pag. 99.) Reputâram quidem τὰ ἔξωθεν intelligi poſſe, vel potiùs debere, non de rebus externis (ſeu quæ præter corpus, & animum ſunt) ſed de extraneis gentibus, à quibus deberet ſe quiſpiam, quo poſſet modo, facere tutum; idque ob quandam connexionem cum ſuperioribus ſententiis argumenti politici, ac ob illas voces, ὁμόφυλα, ἀλλόφυλα, ἀνεπίμικτος, præter vocem ὁμορούντων quæ in inſequente haberetur ſententia; quaſi in illa ageretur de gentibus conterminis, in iſta verò de diſſitis, ſeu quomodocumque externis. Verùm ea eſſe ſagacitate, ſolertiâque non potui, vt motis etiam pleriſque licet, attingere potuerim ſenſum, qui eſſet veriſimilis, & vt ad vſum accommodatus, ſic eiuſmodi, in quem collineaſſe Epicurum probabile foret. Quamobrem, ne hoc quoque loco non balbutirem aliquid, eò adductus ſum, vt ipſius textus veſtigia, quam proximè licuit, ſectatus, legerim ſententiam, quo propoſui modo. Ea ſaltem hoc modo nihil continet à ſuperioribus diſſonans, cuiuſmodi ſunt tùm ea, quæ habentur. De non negligenda rei familiaris (ſed citra tamen diteſcendi cupiditatem) cura; tùm ea, quæ traduntur de frugalitate, abſtinentiáque à rebus iis, quas nobis natura neceſſarias non fecit. Nihil verò ipſis addendum iam eſt, niſi quòd videtur Plutarchus ex Epicuro illud deſumpſiſſe, quod de diuitiarum cupiditate ſcribens, τῶν ἀρκούντων, inquit, οὐδεὶς πένης ἐστίν, *Ad ea, quæ ſufficiunt, nemo pauper eſt.* Ita nimirùm Seneca eſt ex Epicuro interpretatus (Epiſt. 25.); ac non modò Lucretius expreſſit paucis vocibus:

——*Nec enim eſt vnquam penuria parui.* (Lib. 5.)

Sed Horatius quoque verſibus illis pluſculis, quibus, vt illud inferat,

Neſcis, quò valeat nummus, quem præbeat vſum: (1. Sat. 1.)
Panis ematur, olus, vini ſextarius; adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis:

(vbi τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, *eius, quod dolet, exemptionem* Epicuream vides) hæc præmittit;

Millia frumenti tua triuerit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus, quàm meus: vt ſi
Reticulum panis, venaleis inter, onuſto
Fortè vehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fineis viuenti, iugera centum, an
Mille aret? At ſuaue eſt ex magno tollere aceruo?
Dum ex paruo nobis tantumdem haurire relinquas;
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Vt tibi ſi ſit opus liquidi non amplius vrnâ,
Vel cyatho; & dicas, magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantumdem ſumere: eò fit,
Plenior vt ſi quos delectet copia iuſto,
Cum ripâ ſimul auulſos ferat Aufidus acer.
At, qui tantulo eget, quanto eſt opus, is neque limo

Turbatam

In pag. 100. *Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in vndis.*
At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quantū habeas, ſis.
Quid facias illi? iubeas miſerum eſſe libenter, &c.

Quibuſcumque plenam fiduciam, ſecuritatémque parare fas fuit ex ſocietate hominum pari ſententiâ affectûque viuentium, ij firmiſſimo freti pignore, quàm ſuauiſſimè inter ſe vixerunt; ac pleniſſimâ neceſſitudine iuncti, praoptauêre ſine lamentis, pro illo qui foret ad mortem deſtinatus, mortem ſubire.

Pag. 100. ŷ. 1. Ὅσοι τὴν δύναμιν ἔσχον. Vltima hæc eſt Sententiarum Rararum, in qua lego imprimis ŷ. 2. ὁμονοούντων, pro ὁμορούντων, quoniam rametſi vox ὁμορούντων, quemadmodum dictum mox eſt, ſubinſinuare valear, agi heic de finitimis, conterminíſve Nationibus; non licuit nihilominùs, veſtigiis textus vtcumque ſeruatis, ita verſare ſententiam, vt congruus ſenſus ſeu ad vſum, ſeu ad Epicuri mentem haberetur. Ex voce autem ὁμονοούντων illi ſubſtituta, is viſus eſt ſenſus poſſe fieri, qui non omninò malè quadraret tùm ad ſuperiorem illam, de amicitiæ fructu ſententiam, ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν, &c. tùm ad illud, quod Effatorum de Sapiente vltimum fuit, ὑπὲρ φίλου ποτὲ τεθνήξεσθαι. Ex hoc certè capire eſt, cur poſteà ŷ. 7. repoſuerim, οὐκ ὀδυρόμενοι, &c. ad finem vſque, pro οὐκ ὠδύραντο ὡς ἔλεον (habent MSS. ὀδύραντο ὡς πρός σε ἐλέον. Aldobrandin. ὡς πρὸς ἔλεον) τὴν τοῦ τελευτήσαντος προκαταστροφήν. Quibus ex verbis velle quidpiam congrui ſenſus exigere, eſt aquam, quod aiunt, ex pumice poſtulare. Sed nimirum, cùm tot in textum reliquum irrepſerint menda, vt exinde remora paſſim iniiceretur lectoribus; mirum non eſt, ſi hæc ſententia, quæ fuit toti non modò vitæ, doctrinæque Epicuri, ſed operi etiam Laërtiano quaſi coronis impoſita, ſic deprauata euaſerit, vt lectores eâ ſuperatâ, quaſi impranſi, aut malignè paſti, querulique diſcederent. Quò magis profectò excuſandus videor, ſi qualemcumque tandem ſenſum conatus fuerim exprimere; tametſi procul abfuerim, vt ſicut in plerîſque aliis, ſic in iſto maximè loco mihi ipſi fecerim ſatis. Cogitâram quoque ita legere, ἀλλ' ὠλιγώρησαν ἀντ' ἀλλήλων δεόντως τελευτήσαντες προκαταστρέφειν, *Ne præmori quidem, decorè occumbentes pro ſe inuicem, neglexerunt*: verùm, cùm ſententia videretur clarior; viſa eſt tamen ſimul à textus veſtigiis aliquantò remotior. Vtcumque ſit verò, tacendum non eſt, videri vocem ὁμονοούντων, ac totam interpretationem de fructu amicitiæ ſuggeri
Ser. 135. potuiſſe vel ex ſolo illo Chryſoſtomi loco, qui apud Antonium, & Maximum eſt, quemque ſi huc retulero, pretium operæ fortè erit. Is nimirum ſic incipit, οὐδὲν ὁμονοίας ἴσον. *Nihil eſt concordia æquiparandum.* Sequitur autem, *Videlicet, qui Vnus eſt, Multiplex redditur in hunc modum. Si vnanimes ſint duo, vel decem; non iam amplius vnus eſt vnus, ſed illorum quiſque decuplex euadit, ac vnum in decem, decem in vno deprehendes; inimicoſque ſi habuerint, qui in vnum impetum faciet, perinde erit, ac ſi in decem faciat, hacque ratione opprimatur. Eget ipſorum aliquis, at in egeſtate non eſt; quoniam indigentia à maiori parte, quâ abundans eſt, obfuſcatur. Eorum cuilibet viginti ſunt manus, ac totidem pedes, & anima decem: neque enim ſuis ſolùm membris, ſed aliorum etiam, perinde ad omnia vtitur, ac ſuis. Si verò illi centum fuerint, idem rurſùs multiplicando, pari proportione continget. Poteſt hoc modo idem ſimul in Perſide, ac Roma eſſe; ſicque quod non eſt in natura, in amicitia eſt facultate. Quòd ſi etiam mille amicos, aut bis mille habueris, cogita rurſùs, quò facultas exereſcat. Mirabile profectò, vnum efficere primum, & milleſimum ſimul. Præſtat exſtingui nobis Solem, potiuſquàm amicis orbari. Plerique enim, Solis videndi capaces, in tenebris ſunt; at quibus amici ſuppetunt, ij ne incidere quidem in calamitatem poſſunt. Nihil profectò, nihil amicitiâ iucundius eſt; ecquid enim verus amicus non faciat? ecquam voluptatem non pariat? ecquam vtilitatem non afferat? ecquam ſecuritatem non præſtet? Tametſi ingenteis theſauros recenſueris; nihil tamen, quod ſit cum vero amico comparandū, inuenies. Et, vt corpora lucida ſplendorem emittunt in loca circumſtantia; ſic ipſi amici, vbivis loci exſtiterint, gratiam effundant. Prorſus, vt optabilius ſit in tenebris degere, quàm in amicorum orbitate eſſe.* Hactenus ille; & ita quidem, vt videri aliunde poſſit illuſtrare eum id voluiſſe, quod Ariſtoteles reſpondit; qui, cùm ex eo quæreretur, quid eſſet amicus, Μία ψυχή, inquit apud Laërtium, δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, *Anima vna, qua in duobus inhabitat corporibus.* Ad alias voces quod attinet, dicas præſertim occaſionem ipſius verbi, ἄλλου (cuius in voce ἔλεον, eſt aliquod veſtigium) fieri potuiſſe ex pari ſententia, quæ apud Sanctum Patrem ita legitur, ὑπὲρ φίλων τῶν ὄντως φίλων πολλοὶ ἐζημιώθησαν αὐτοὶ πολλάκις, *Elegère multi ſæpè numerò pro amicis, qui reverâ eſſent amici, mulctam ſubire.* Rara Sententia. Lib. 5. Chryſ. hom. 1 in 1. ad Tim.

De re ipſa, nihil adiiciendum; quando exempla protrita ſunt, imprimis illorum, qui patriam, ſuoſque vniuersè conciueis ea caritate ſunt proſequuti, vt læti, alacreſque illorum ſalutem morte ſua redemerint; adeò vt nequiequam proinde non ſit, quod Seneca exaggerat; dum, *Vir fortis, & iuſtus,* inquit, *cùm mortalitatis ſuæ pretia ante ſe poſuit, libertatem patriæ, ſalutem omnium, pro quibus dependit animam, in ſumma voluptate eſt, & periculo ſuo fruitur. Sed ille quoque, cui etiam hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maximum, & vltimum præſtat, nihil cunctatus deſiliet in mortem, facere rectè, piéque contentus. Oppone etiam nunc illi multa, quæ dehortentur; Dic, Factum tuum matura ſequetur obliuio, & parùm grata exiſtimatio ciuium: Reſpondebit tibi: Iſta omnia extra opus meum ſunt, ego ipſum contemplor: hoc eſſe honeſtum ſcio.* Deinde illorum,

APPENDIX.

LÆTOR, MI BARANCI, in eo eſſe prœlum, vt meæ illæ qualeſcumque in Decimum Laërtij librum Animaduerſiones breui abſoluantur. Quod de contexendis Indicibus ſcribis, eſto, vt vules: nemo enim Te, qui Opus pernoſti, confecerit meliùs. Aſſentior verò Librum ipſis maximopetè indigere; quando præter cauſas initio conſcriptas, ea quoque deinceps acceſſit, quòd procedentibus operis, partim Tu, partim alij Amici, illa interaddi expetieritis, ex quibus Opus vt mole maius, ita confuſius euaſerit. Quippè, quamvis inſerta illa colligare eum argumentis ſiue antecedentibus, ſiue conſequentibus ſum conatus; non fui tamen ſemper eâ rerum ad te antè tranſmiſſarum memoriâ, vt omnia ſatis appoſitè collocari mandauerim, aut nihil tractatum, tractandúmve, ſecus ac factum, inſinuârim. Quin-etiam erit, quod quis rideat, cùm, verbi causâ, ad Meteorologiæ calcem, viderit conteſtari me nihil fuiſſe dictum de Galaxia, de Exercitibus in aëre viſis, aliiſque eiuſcemodi: & præcedentia tamen legens, dicta fuiſſe multa iis de rebus agnouerit. Sed nimirum non memini illud delendum perſcribere, cùm ſatis longo pòſt tempore, quidpiam his de rebus habere voluiſti: vti neque aliàs plerumque memini circa cætera, quæ ex aliis quibuſdam meis elucubrationibus excerpta, præſumpſiſti poſſe iſti Operi interiici non indecorè. Hinc verò eſt, cur argumenta, quæ præferuntur titulis, tractata cum inſigni quadam inæqualitate habeantur: ſiquidem videbor haud-dubiè nunc exſtitiſſe nimis profuſus in iis, quæ fuêre, te depoſcente, aut ampliora facta, aut ex toto interſita; nunc nimis ieiunus in iis, quæ fuêre iuxta breuitatem mihi ab initio præſtitutam, intacta relicta. Ac doles quidem te non maturiùs cogitaſſe quidpiam abs me extorquere, vnde argumenta aut multipliciora, aut vbetiora euaderent: at ſatiùs longè fortaſſis fuiſſet, vt me inculcaſſe ſæpiùs memini, ipſas Epicuri opiniones aut ſolas; nudéque, aut ſimpliciùs certè ſic deducere, quemadmodum factum in Canonica, & per Phyſiologiæ initia; quàm illas, aut cum cæterorum opinionibus commiſcere, aut variis rebus ſic obruere, vt plerumque aut non emineant, aut ægrè etiam internoſcantur. Tolerabilius ſaltem fuiſſet, ſi ab vſque initio intrudenda in Opus omnia prouidiſſem; quippè non ſine aliquo ordine digeſſiſſem omnia, ac præfando manifeſtaſſem, quarum rerum facerem ſpem; nunc autem, cùm omnia confuſanea ſint, & totum Animaduerſionum corpus quaſi ſine capite ſit, nihilque, quod Lectorem inuitet, illiciátque, ferat præ ſe; quid ſupereſt, niſi vt omnia committam bonis auibus, & felicitati vertam, ſi qui reputent non eſſe me magni hiatus promiſſorem, ac eum me habeant, qui ex fumo lucem, non ex luce fumum dare cogitem.

Quod depoſcis verò, vt patiar attexi, quaſi Appendicem, excerptos illos ex opere de Animalibus quaterniones, quos continenteis diſſertationem tùm de Venis lacteis, tùm de Sanguinis circuitione, idcirco habere voluiſti, vt eos cum Interpretatione eiuſdemmet Diſſertationis, quæ eſt nuper Gallicè facta, & in Hollandia Speciminis Sceptici titulo edita, conferres; neſcio, cæteris conceſſis, quî negem. Siquidem, cùm alia tam multa nihil Epicurum attinentia congeri paſſus fuerim; quid ni aggeri etiam hoc, tametſi nihil attinens, feram? Nihil, inquam, niſi fortè quòd aliquid etiam ex Epicuro fuiſſe citatum commemini, de Nutritione cùm diſputarem, & priuſquàm de Venis lacteis ſermonem inſtituerem. Et non reperies quidem id in Interpretatione expreſſum; ſed in cauſa eſt, quòd cùm plures forent de facultatibus Naturalibus, ac Vitalibus quaterniones, dederim dumtaxat commodatè illum, in quo eſſet pars de Nutritione poſterior, & de Pulſu ac Reſpiratione prior, quoniam in ipſo duo illa argumenta continerentur, de quibus dumtaxat amici diſſerentem me viua voce audierant, & de quibus, quod ſcripſeram, pellegere etiam optârant. Factum certè ob id comperies, vt quia Pagina prima quaternionis contineret reſiduum de animalium intra vterum, ac intra ouum nutritione, ideò Interpretatio exinde incipiat; quaſi illi videlicet nihil perire voluerint, quod ſibi ex me incidiſſet in manum. Hoc autem addo; ne præclarus, ac ſingularis noſter M. NEVRÆVS ſtomachari pergat, quòd illi meum nomen, quaſi non ſatis benè erga me affecti, retieuerint; quippè eos potiùs eſſe agnoſco; qui me, vt ſinceriſſimè, ſic ardentiſſimè adament, quique non iniuriâ ſuſpicati ſint laturum me æquiùs, meum ſupprimi, quàm inſcribi nomen. Adde &, quòd me ſic indigitârunt, vt qui vel tantillum me nôrunt, intellecturi ſint me eum eſſe, quem ediſſerentem inducunt, maximéque dum repeto experimenta de Venis lacteis, etiam in homine obſeruatis, & de obſeruatis ductibus in Septo cordis medio, per quos ſanguis ex dextro ſinu videri poſſit percolari in læuum.

Digitized by Google

Noſti tu illos; ipſi enim ſunt, tùm ANTONIVS PRATÆVS, cui interpretatio dicatur; tùm SAMVEL SORBERIVS, qui dicat; tùm THOMAS MARTELLVS, cuius ſub initium fit mentio, vt quicum ij ſæpiùs me conuenerint, ac variis de rebus rogârint. Quòd ſi ab illis Colloquutor, non item Scriptor inductus ſum; primùm, notus mos Dialogorum; deinde colloquutio quoque interceſſit quampluríma; poſtremò agnoſco id illos pro ſuo erga me amore feciſſe; ſcilicet eam mihi tribuenteis perſonam, quæ poſſet illa omnia & memoriter, & vno ductu pronunciare. Vt lubuerit ergo, ita facito; ac potiſſimùm, quia, vt ſcribis, eximius ille GVILLEMINVS, qui me iſteic inualeſcentem tanto curauit ſtudio, tanto amore eſt proſequutus, non improbat id, quod cepiſti conſilij. Vide dumtaxat, ne non ſatis manifeſtum fecerim, celebreis illas opiniones de Venarum lactearum vſu, déque Circuitu Sanguinis, non ideò abs me impugnari, quòd eas probabileis non putem, ſed quòd contendam ſolummodò difficultates proponere, quæ viſæ ſunt mihi ab vſque initio, quibus reſponderetur, dignæ. Nam quod præſertim quidem ſpectat ad Sanguinis circulationem, ea mihi potiùs ſic arridet, vt perparùm abſit, quin habeam indubiam. Etenim, eſt aliquid etiam, quod ipſe mihi ad meas illas difficultates reſpondeo; tametſi non ita mihi ſatisfacio, quin ſperem mihi maiorem quandam ab aliquo alio affulſuram lucem.

De facto nouo circa Inane Experimento.

PErgratum feciſti, quod Literis tuis attexuiſti earum exemplum, quibus ex Aruernia deſtinatis à præclaro Moſnerio, deſcribitur experimentum in illa Prouincia peractum circa hydrargyri è tubo ſupernè occluſo defluentis, & intra ipſum tamen aliquovſque reſiſtentis, variantem altitudinem; provt in loco humili, ſublimíve res exploratur. Refert ille nempè aſſumpto vitreo tubo quaternûm pedum, cum cohærente illi menſura in pedes, pollicéſque diuiſa, & quolibet pollice in ſenas lineas ſubdiſtincto, reſtitiſſe hydrargyrum, in planitie quidem, ad pollicum vigintiquinque, & linearum quinque ac ſemiſſis altitudinem, inque ea manſiſſe totis quinque horis; in monte verò vnâ propè leucâ ſupra planitiem edito, reſtitiſſe, & eodem quidem die, ad altitudinem viginti quatuor pollicum, & quatuor linearum: ac in vertice montis Podij, puteíve Dommæ nominati, & leucæ dodrante altioris, ad altitudinem pollicum viginti duorum, ac linearum quinque; idque obſeruatione quinquies repetitâ, partim intra Sacellum, partim aëre libero, & nunc quidem flante, nunc ſilente vento. Non hæreo porrò, quin res acta, quâ decuit diligentiâ, & ſedulitate fuerit: Nam & tametſi non deſignetur, quiſ-nam fuerit pes vſurpatus, neque cuius decliuitatis vterque mons exſtiterit (neque enim illa vtriuſque altitudo reputanda eſt perpendicularis) ſufficit tamen hydrargyrum eâ intra tubum exſcendiſſe diuerſitate, vt, cùm in editiore montis vertice illius altitudo fuerit tribus digitis cum vna vncia, quàm in planitie minor, non potuerint aut manus induſtriæ, aut eruditi oculi falli. Non hæreo item, quin obſeruatio tentata, perfectáque fuerit auſpiciis illius eximij, ſeu incomparabilis potiùs adoleſcentis PASCHALII, cuius mentionem factam habes in ea Diſſertatiuncula, quæ eſt inſcripta de nupero circa Inane experimento: nempè eruditus AVZOLIVS, cuius memini in ea quoque, narrauit, tùm adhuc Pariſiis verſarer, dediſſe illum operam, vt id negotij in Aruernia, vbi montes prælti ſunt, exſequutioni demandaretur. Quod ſupereſt autem, præuertiſti ipſe, quod rogas ex me de cauſa huius Phænomeni, dum ex præiactis abs me in illa Diſſertatione fundamentis, deduxiſti adeò perſpicuè, quamobrem neceſſarium ſit rem omnino ſic euenire.

Videlicet illeic inſinuaui PRIMÒ, duplex diſtingui poſſe Inane; alterum quidem Interſperſum rebus, ac minimulum, ſeu particulatim inſenſibile; tale ſcilicet, quod intercipiatur minutulis corpuſculis, ex quibus, vt principiis, aër, aqua, & cætera conſtant; eo modo, quo ſpatiola quædam intercipiuntur inter grana, ex quibus, tanquam partibus, conſtat aceruus tritici: Alterum verò Coaceruatum, ſeu grandiuſculum, ac ſenſibile, cuiuſmodi concipi poteſt intra aquam, aut aërem, ſi aqua, aut aër ita circumquaque abigatur ex ſpatio quopiam ſenſibili, vt non modò aqua, aut aër, ſed etiam omnino nullum aliud corpus in locum abacti ſuccedat; eo modo, quo poteſt intra aceruum tritici concipi grandiuſculum ſpatium, in quo nihil granorum ſit, granis vtputà vndique depulſis. Tantum porrò abeſſe, vt Natura Inane Interſperſum exhorreat, quæ vulgaris opinio eſt; quin-etiam non magis ſine eo eſſe valeat, quàm poteſt tritici aceruus ſine interceptis ſuis illis ſpatiolis; aut, ſi velis, quàm cutis noſtra ſine porulis, quibus continenter perſpiratio fiat. Et quod attinet ad Coaceruatum, non exhorrere quidem illud naturam; ſed cùm natura fecerit fluxilia quædam corpora, veluti aquam, & aërem, hanc fluxilitatem obſtare, ne particulæ quædam horum corporum ita facilè depellantur è quopiam, quod occupent, ſpatio, quin particulæ aliæ ſuis è locis pulſæ, in illud ſuccedant; & cùm talis fluxilitas inſit corporibus per ſe, eſſe ſolùm ex accidenti, quòd id ſpatium fieri inane non ſinant; eo etiam modo, quo, dum manus intra tritici aceruum mouetur, confluunt per ſe grana in locum, qui à manu deſeritur, & ex accidenti ſolummodò eſt, quòd locum non ſinant granorum inanem. SECVNDÒ, cauſam fluxilitatis eſſe

grauitatem,

granitatem ; quæ omnibus terrenis corporibus ineſt, ac ſpeciatim ipſi quoque aëri, quatenus is eſſe nihil videtur aliud, quàm congeries corpuſculorum ex terra, & aqua, miſtiſque corporibus continenter extrnſorum, ac in ipſum tamen, è quo propelluntur, telluris totius globum connitentium ; ſeu id à qualitate quadam ſibi inſita habeant, ſeu ab attractione ipſius telluris ; adeò proinde, vt totâ regione, quâ terram circumſtant, quæque Atmoſphæra appellitatur, connisum, ſine grauitatem, pondúſve ſuum exprimant, ac tantò maior expreſſio ſit, quantò ab Atmoſphæræ ſuperficie acceditur ad terram propiùs. Vt certè grana illa in locum à manu derelictum confluunt, quia grauia cùm ſint, & à ſe inuicem diſſociata (ſeu non mutuò continua, ſed contigua ſolummodò) cohærere ſuſpenſa non poſſunt, ac idcirco deorſum proruunt ; ita, cùm vides, verbi cauſa, aquam fluere, intelligendum eſt id fieri, quia partes eius graues ſint, & à ſe inuicem diſſociatæ, ſeſeve ſolùm contingentes (vtcumque ad ſenſum appareant vnum quid continuum conſtituere) ac patente loco vel tantiſper decliui, conſtantéve ex particulis magis, magiſque deorſùm factis, non poſſint, quin eò prolabantur, teneri. Quod idem ſanè intelligi de ipſo quoque aëre debet : Nam & quamvis aër videatur tam facile ſursùm, quàm deorſum ſuccedere ; non aliam tamen ob cauſam ſursùm in locum relictum ſuccedit, quàm quia totâ aëris regione à ſuperficie vſque Atmoſphæræ, grauitante, & compreſsâ manente, tùm is aër, qui locum derelictum circumſtat, generatim comprimitur ; tùm is, qui à moto ſursùm corpore propellitur, illum ſpeciatim vrget, adigítque ; adeò vt non poſſit proinde non quaſi elidi, & ſuccedere ſursùm. Idem nempè fit, quod in ipſa aqua : Neque enim aqua ob aliam rationem tantum aſcendit quantum deſcendit, quàm quia copia aquæ ponè deſcendentis & copioſior, & grauior eſt, quàm, vt aqua ad imum detruſa, & prorſum, ſurſúmque continuatum canalem habens, poſſit illi reſiſtere, & non ſurſum quaſi elidi, quovſque æquilibrium fiat ; ſeu quovſque aqua vtrimque ſupra eam, quæ in imo eſt, æqualiter pendat. Tertiò, licet aër facilè in locum à corpore moto relictum ſuccedat, quoties quantum eſt ſpatij, è quo prorsùm pellitur, tantundem deſeritur ponè, in quod ſeſe recipere (aut lateralem certè, cuius intereà locum inuadat, compellere) poſſit : nihilominus, quotieſcumque obex aëri ita ponitur, vt prorſum pulſus, ſuccedere ad latus, & ponè ipſum corpus propellens non valeat ; tunc illum & reſiſtere, difficiléque prorſum pelli, & cauſam eſſe, tùm quòd locus, in quem ſe recipiat, niſi amittendo ſolitam laxitatem, non pateat ; tùm quòd illa quidem, ex quibus conſtat, corpuſcula ſic aptare ſe adinuicem poſſint, vt ex ſingulis, quæ intercipiuntur, inanibus ſpatiolis quidpiam occupent, ſicque aëris maſſa facta ex laxiore condenſior, in ſpatium anguſtius cogatur ; verùm id fieri ſine vi quapiam ſatis inſigni minimè poſſit ; eo modo, quo licet modio granis pleno, poſſint grana ſic coaptari, vt intercepta ſpatiola aliquantò minora fiant, & moles granorum non-nihil ſubſidat, redigatúrque in ſpatium anguſtius ; nihilominus id fieri non poteſt, niſi ſucceſſu, aut ictu quodam validiuſculo in modium impacto. Experimur certè, donec embolum ad orificium vſque compulſum, ac obturato orificio, ex diabete educimus, ſicque retrorſum aërem, qui in locum intus relictum ſubire nequeat, comprimimus, id citra conatum vegetum non fieri ; vti & dum aërem intra bombardam pneomaticam comprimimus, non leuiculo connisu eſt opus. Qvartò, hanc ipſam videri cauſam, cur vis premens hydrargyri tubo contenti, hydrargyrum quidem infrà reſtagnantem ſic vrgeat, vt aër incumbens à reſtagnante ſurſum prematur ; ſed non tamen vis cuiuſcumque molis, altitudiníſve hydrargyri eiuſmodi ſit, quæ aërem cogere, vt in ſe quaſi ſubingrediatur (corpuſculis videlicet ſeſe in ſpatiola inania preſſiùs inſinuantibus) valeat, ſicque aliquid loci cedat : verùm neceſſaria ſit vis, ſeu, mavis, pondus eius molis, altitudiníſve, quæ vulgò in humili regione digitorum ſit, ſupra duos pedes, præter propter trium. Nempe aër ille proximè incumbens ea iam eſt partium ſui compreſſione, ob factam ab vſque Atmoſphæræ ſuperficie propagationem ponderis, vt exſiſtente hydrargyro minoris altitudinis, ſit eius compulſu validior ; exſiſtente maioris, imbecillior ; in eiuſmodi autem altitudine, ſit compulſioni eius æqualis, æquiponderánſve, ſiue æquilibris.

Atque hæc quidem eſſe videntur, ex quibus intelligitur, quamobrem in humili loco (veluti in conualle, aut planitie) defluens, ſubſidenſque intra tubum hydrargyrus conſiſtat altiùs, in ſublimi autem, (veluti in collis, aut montis vertice) humiliùs. Videlicet in humili, maior eſt ſuperincumbentis (ab vſque nempè Atmoſphæræ ſuperficie) aëris copia ; maior proinde partium connisus, atque grauitas (prout pars quælibet inferior præter grauitatem ſibi propriam, ſuperadditam omnium ſibi incumbentium grauitatem habet) maior idcirco partium compreſſio, earumque ſubingreſſio, accommodatióque intra inania ſpatiola ; maior eapropter denſitas, maiórque partium ad vlteriorem ſubingreſſionem difficultas : Quamobrem & neceſſe eſt maiorem in illo eſſe reſiſtentiam ad cedendum hydrargyro ; atque adeò vt æquilibrium fiat, maiore hydrargyri copiâ, altitudinéve in loco humili, quàm in ſublimi opus eſſe ſicque hydrargyrum intra tubum conſiſtere in humili altiùs, in ſublimi depreſſiùs. Poteſt res porrò pari ratione in ipſa

ipſa aqua intelligi ; quatenus præter aërem ipſi incumbentem, ipſámque prementem, plureis ſui parteis propè fundum, quàm propè ſuperficiem incumbenteis habet ; maioris proinde grauitatis ad imum, quàm ad ſummum eſt ; maioris illcic compreſſionis, ſubingreſſioniſque in inania ſpatiola ; maioris ſicut denſitatis, ſic difficultatis ad vlteriorem ſubingreſſionem, &c. Sanè eſſe quoque intra aquam inania ſpatiola tùm ex ſolutione, ſaturationéque ſalium declaratum eſt, cùm de Inani interſperſu ; & confirmari vel ex eo poteſt, quod aqua condenſari, ſeu in minus ſpatium redigi, eo modo, quo & aër, poteſt, vt vel diabete, vel ſi vas metallicum aqua opletum, ferruminatóque debitè orificio, ſic variè contundas, vt illius partes introrſum curuentur, ſicque ſpatium, quo eadem aqua continebitur euadat anguſtius (aquam certè vt compreſſiorem, ſic denſiorem factam ex eo pernuſces, quòd apertu quopiam, ac ſurſum conuerſo foraminulo viſurus ſis eam aquæ copiam magno impetu proſilientem, quam fruſtrà tentaturus ſis totam in vas refundere) Oſtenſum autem ſuo loco eſt condenſationem, ſeu redactionem corporis in minorem locum, ſine interceptis inanibus ſpatiolis, in quæ particulæ corporis ſubingrediantur, fieri non poſſe. Maioris aliunde ad imum, quàm ad ſummum compreſſionis, & grauitatis, argumentum eſt pernicitas exſilitionis, quam tantò maiorem eſſe notum eſt, quantò maior eſt copia, ſiue altitudo aquæ incumbentis : adeò vt, ſi aquæ Cylindrum aliquot pedum exſiſtentem, ad ſingulos pedes perfuraueris, tantò ſit pernicior futura exſilitio, quantò foramina inferiora fuerint ; tantò ſegnior, quantò ſuperiora. Vnde & captu facilius fit, quemadmodum eò maior aquæ grauitas, & compreſſio eſt, quò eſt altitudo ipſius ſupra fundum prolixior, ita eſſe quoque aëris ipſius ; adeò vt, ſicut aquæ pondus dum ſenſim ex imò verſus ſummum proceditur, decreſcit, ſic decreſcat & aëris, dum ex eius imo, ac veluti fundo verſus atmoſphæræ ſuperficiem, hoc eſt illius ſummum, itur : ac neceſſe idcirco ſit, vt æquilibrium aëris fiat ſenſim cum tantò minore hydrargyri copia, altitudinéve, quantò fuerit ad atmoſphæræ ſuperficiem acceſſum propiùs. Non eſt nequicquam interim, quòd dum copiam dico, adiicio altitudinem ; ſiquidem ſola eſt altitudo, & quæ ob ipſius prolixitatem adeſt copia, quæ vt pondus, compreſſionémque, ita & æquilibrium facit. Nam in aqua quidem manifeſtum eſt, non ipſam Cylindri amplitudinem, latitudinémve ad ipſius exſilitionis pernicitatem quicquam facere, ſed facere altitudinem ſolam ; nempè quaſi aperto ad baſin pedalem vnciali foraminulo, aqua reliqua Cylindro contenta, ab ipſa baſi ſuſtentetur, nihilque in foramen connitatur, ſolus autem ex tota aquæ mole cylindrulus foramini directè incumbens ſupra ipſum grauitet, & vim ad proſiliendum faciat. Quare & pari iure videtur non immenſitas aëris horizontaliter diffuſa, & à reliqua terræ ſuperficie, ceu quapiam baſi ſuſtentata quicquam conniti in eam partem reſtagnantis hydrargyri, quæ ab impendente intra tubum vrgetur ; ſed conniti illum dumtaxat, qui ex tota aëris maſſa ab vſque atmoſphæræ ſuperficie parti illi directè incumbit. Non addo poſſe rem iterùm aquæ exemplo confirmari, quatenus in Siphone aut canali recuruo, cuius alterum crus ſit amplius, ac ampliùs adeò aquæ contineat, non ideò ob hanc copiam euehitur aqua intra alterum crus magis anguſtum, altiùs ; quoniam tantundem ſolùm ex illo in imam aquam connititur, quantum eſt, quod capi intra iſtud ad ipſam vſque libellam poteſt. Obſeruo dumtaxat, vt, ſi alterum ſiphonis, aut canalis crus ſupra triginta, ac duos pedes ſecundum perpendiculum, altum ſit, futurum eſt, vt aqua, in imu ſic ab incumbente vrgeatur, vt infuſum in aliud crus hydrargyrum repellere, quovſque pondera exæquentur, poſſit ; pari modo poſſe intelligi fieri, vt Cylindro aëris incumbente, grauitatémque exprimente in reſtagnantem hydrargyrum, hydrargyrus intra tubum infuſus prohibeatur, ne diffluat, ac ibi conſiſtat, vbi ſit æquipondium.

An obiter verò attexam, declarari poſſe ex his id, quod, cùm de Motu rerum concretarum ageretur, aduerſus Ariſtotelem attigi ; nempè, non vt motus rerum decidentium, quemadmodum terræ, aut aquæ, procedendo acceleratur, ſic procedendo accelerari motum aſcendentium, veluti aëris, aut ignis ? Quippè, me inter cætera dixiſſe illeic memini : *Cùm veſicam aere plenam tantò laborioſiùs intra aquam deprimamus, quantò ad fundum magis acceditur ; ideò nihil eſſe probabilius, quàm eandem veſicam, & conſequenter aërem, ex ipſo aquæ fundo verſus regionem aëris tantò moueri ſegniùs, quantò propiùs acceſſerit ad ipſam aëris regionem ; & cauſam eſſe, quod tantò pauciores aquæ partes illis incumbant, quæ veſicam, aut aërem infernè ſubleuantes extrudant. Quare & probabiliſſimum eſſe, ſi fingas flammam aliquam aſcendere per aërem, perueniréque ad regionem, in qua ſphæra ignis eſſe fingitur, fore, vt moueatur ſemper tantò lentius, quantò aſcendet altiùs, & ad eam ſphæram accedet propiùs, idque propter eandem proportione cauſam.* Videlicet hæc proportione cauſa in eo conſiſtit, quòd aëris partes in inferiore loco compreſſiores, propter plurium incubitum, maiore conniſu extrudere ignem, quàm in ſuperiore, vbi propter incubitum pauciorum laxiores ſunt, poſſint. Sanè &, cùm iſtud ſupponat, quod non vno loco, ſed potiſſimùm in poſteriore Epiſtolarum de Motu impreſſo defendi, & variis probare experimentis adnixus ſum : *Ignem ſcilicet non vi ſuâ, ſed adactum ab aëre circùm reprimente*

ſurſum

Digitized by Google

ſurſum tendere; haud abs re erit, ſi ſimul declarem, quemadmodum hæc aëri compellendi ignem vis inſit. Etenim videtur res poſſe non malè oſtendi eodem ratiocinio, quo & oſtenſum eſt hydrargyrum ipſâ aëris energiâ non modò contineri ſuſpenſum ad certam altitudinem, donec vires æquales ſunt, ſed pelli etiam rapidè ſursùm, vbi aëris vis prævalentior eſt. Itaque, cùm corpus inflammabile, vt cera, adeps, oleum, ſulphur, bitumen, & quodcumque aliud pinguedine præditum eſt, lignum, ſtuppa, &c. corpuſcula ignifica, ſeu quæ ignis, flammæve ſpeciem exhibere valeant, contineat; notum eſt talia corpora, donec aliis partibus eiuſdem corporibus obruta, oppreſſa, & quaſi reuincta tenentur, nullam caloris, aut ignis vim, ſpeciémque poſſe exprimere; ſiquidem id poſſunt dumtaxat motione ſui pernice, dum nimirùm ſubeunt in aliquod corpus, aliquódve organum ſenſus, in quo calorem creent, ſpeciémve caloris, aut lucis exhibeant, vt fuſius dictum alibi eſt. Quamprimùm verò aut appoſito extrinſecùs igne, aut frictione validâ, aut motione etiam inteſtinâ eiuſmodi corpus illa continens ſic diſcutitur, ac exſoluitur, vt ipſa ab aliarum partium quaſi compedibus eximantur, tùm libertate erumpendi factâ, reipsâ proſiliant, & à corpore auolent, ac in ipſa ſui proſilitione, quâ cooferta ſunt, commiſtáque cum iis, quas ſecum abripiunt, fuliginoſis partibus, flammæ ſpecie appareant. Quoniam verò iſta eruptio, flammæque creatio intra regionem aëris fit, conſtat debere aërem tantumdem illi cedere loci, quanta ipſa eſt. Et quia interim locus nullus patet, in quem aër preſſus, cedereque coactus, ſe recipiat; neceſſarium eſt ceſſionem hanc fieri per ſubingreſſionem, accommodationémque preſſiorem particularum aëris in inania ſpatiola, eo modo, quo dictum eſt fieri, dum ad hydrargyro preſſus, locum cedit. Porrò autem, cùm aër ſic preſſus in continente quodam conniſu aduerſus vim prementem ſit; ideò efficitur, vt à flamma compulſus, ipſam, quantum poteſt, repellat, & ne longè excurrat prohibeat. Quare & fieri heinc videtur, cur flamma vndique repreſſa, ac veluti diuerberata, non procul circumquaque ad latus, ſeu tranſuerſùm abeat. Interim verò ſurſùm, non deorsùm excedit, quia ſursùm aër laxior eſt, & repercuſſa vndique, neceſſe eſt eò perrumpat, vnde repercuſſio imbecillior, ſeu repreſſio languidior fuerit, ſicque reſiſtentia exſtiterit minor. Hoc ergo modo vis compellendi, extrudendíque ſurſùm ignem ineſſe aëri videtur. Confirmari autem res poteſt ex eo, quòd in cryptis vinariis, dum muſta in cuppis ferueſcunt (eſtque adeò in illis aër vapore exhalato denſus admodum) non lucernæ modò inductæ, verùm etiam faces breui exſtinguũtur. Scilicet id fit, quia ipſarum flammæ non eâ erumpunt copiâ, ac vi, quæ reprimere, cogeréque circumſtantem aërem, ad ſubingrediendum in ſeipſum poſſint: argumentúque eſt, quòd copioſæ, viuidæque prunæ eodem illatæ, diutiùs accenſæ, ſegniúſque marceſcentes perdurent, quoniam vt vberior, ſic vegetior eſt, quæ fit ex illis in aërem ad eum comprimendum, compreſſúmque tenendum corpuſculorum ignearum eruptio. Certè & ex hoc declarari poteſt, quamobrem Græcus vocatus ignis intra aquam non exſtinguatur. Nimirùm ea eſt crebritas, is vigor erumpentis ſua ex materia flammæ, vt circumſtantem aquam propellat, & repulſuram, refluxurámque in relictum locum inhibeat, vtpote quaſi ſtationem tuens ipſâ ſui intra eundem locum vt creberrimâ, ſic validiſſimâ agitatione. Quin-etiam declarari poteſt, quorſum aër vulgò ad creandum flammam neceſſarius ſit: quia ſcilicet vulgò aliud corpus non eſt, quod magis ſit pote cedere erumpenti flammæ. Ex quo & intelligi licet ſi flamma crearetur ſupra atmoſphæram, ſeu in ſpatiis æthereis, aut etiam intra merum Inane, fore, vt in orbem formaretur, ac tenuior diflueret; quatenus nihil circumſtaret, quod ipſam reprimeret, aut à quo magis ſurſùm, quàm deorsùm, tranſuerſùmve reprimeretur. Sed hoc vt mittam, addo dumtaxat, dum aër flammam ſic reprimit, vt auolare eam ſurſùm cogat; non obſtare hoc tamen, quin puriſſima quæque, & tenuiſſima, ſubtiliſſimáque corpuſcula ignis ex corpore flammæ diſſiliant, & quoquoverſùm auolent, creéntque, quam dicimus Lucem; quippè quòd facilè tranſiliant per inania ſpatiola, neque ſiſti, aut reprimi ab aëris corpuſculis, quæ in illis nulla ſint, poſſint. Non quòd multa paſſim non intercipiantur, ac tantò quidem ampliùs, quantò aër magis craſſus fuerit (vt fusè diſſerui in Epiſtolis de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis) ſed quòd in quemcumque locum peruenit lux, dici poſſint corpuſcula ab vſque flamma per meatulos inaneis ad eum pertendiſſe. Dixiſſe me commemini, cùm de Rerum generatione, corruptionéque ageretur, deminui flammam aſcendendo, ac in acumen ideò abire, quòd exſiliente continuò luce, ſenſim abſumatur, ac nihil denique præter fumum fuliginémve ex ea ſuperſit; iam verò conſtat non poſſe flammam ob continuum lucis exceſſum non contractiorem fieri; quoniam, cùm, quò aſcenditur altiùs, eò minor erumpentium corpuſculorum copia ſit, non poſſit aër reprimens non relinqui validior, atque adeò flammæ in anguſtum cogentior. Verùm hoc quaſi Parergon eſto; nam & quod poſſet cauſa requiri obſtinatæ inſectationis, quâ aër pergit tamdiù, tamque conſtanter ignem, fumúmque non modò per caminum, ſed etiam vltrà propellere, ea videtur poſſe ex memorata de motu impreſſo Epiſtola intelligi. Nempè, quia, ſeu ignis,

ſeu fumus à circumuicino aëre repreſſus ſursùm tendit, pellitque prorsùm aërem, ipſe, qui vltra caminum eſt, ſibi vicinum ita compellit, vt qui ſuccedenter ab eo pellitur, domum veluti regrediatur, ingrediatúrque per ianuam, feneſtras, illarúmve biarus, aut rimas, & in inſectantis locum, ipſe pariter inſectaturus, ſuccedat; idque circulatiune quadam, & quamdiù quidem ignis, fumúſve creari, erumperéque perrexerit.

De Seſtertiorum monetâ noſtrâ expreſſorum Abaco.

POſtulas ſubinde, vt communicem tecnm, quem meos in vſus Abacum confeci, ad exprimendum monetâ noſtrâ quo valore fuerint quæ Romani pridem taxârunt Seſtertiis, vt quoties legenti Aothores, aliquid occurrit huius generis, ſit mihi quò id referam, in promptn. Nempè, qoòd ob aliquas voces paginâ Animaduerſionum 1498. verſibus 23. & 25. immutatas, cooqueſtus fuerim quem valorem conſcripſeram, peruerſum fuiſſe, & monuerim priore loco: *Nouem milliones, & trecenta quinque, aut ſex millia*; ac poſteriore, *Vltra nongenta ac triginta Turonicarum librarum millia*, legendum eſſe, interim verò eiuſce mei Abaci commemioerim: idcircò venit tibi in mentem, vt Abacum depoſceres, rogaréſque, vt inſinuarem, qoibus ex principiis illum dednxiſſem. Itaque, ne moroſus ſim, ipſum heic exſcriptum vnà cum literis habebis; ac expeditum erit, vt obſerues, quò, erratum illud corrigendo reſpexerim, vbi è regione *Millies ſeſtertiûm*, deprebendes bunc oumerum, ℔. 9305555. ſ. 11. den. 1$\frac{1}{7}$ & è regione *Centies Seſtertiûm*, deprehendes hunc, ℔. 930555. ſ. 11. den. 1$\frac{1}{7}$. Vode Abacum verò deduxerim, vt nôris, abundè fortè erit, dum legas, quæ de hoc argumento in vita Peireskij, & libro quidẽm ſecundo perſcripſi. Illeic ſcilicet declaraui, vt ad comparandum cum valore noſtræ, valorem monetæ Romanæ antiquæ, & quæ fuit præſertim in vſu primorum Imperatorum temporibus, teotauerim priùs Romana pondera cum noſtratibus comparare. Siquidem, quia nôram Denarium Romanum, oumnum eſſe argenteum, qui ſub primis Cæſaribns partem vociæ octauam, quam Drachmam vocant, penderet; ideò aoimo præconcepi, ſi ſemel noſſem proportionem, quâ ſe vncia illa ad noſtratem haberet, perſpectum fore, quota pars noſtræ vnciæ parti illi octauæ, ſeu Denarij ponderi reſponderet: & taxato apud nos argenti valore ſolidis, denariiſque Turoneis dictis, fore promptum exprimere, quotnam ſolidis, denariiſque Turoneis denarius Romanus valeret. Eamobrem ergo cùm Peireskius obtinuiſſet paulò ante obitum, modulum exquiſitum Coogij, qui decem libras Romanas pendens, & à Veſpaſiaoo conſecratus in Capitolio, ſuperſtes eſt adhuc, & adſeruatur Romæ in Farneſiaois ædibus (taceri autem noo debet obtentum fuiſſe modulum, iotercedente Optimo, & ob virtutem heroïcam ſupra dignitatem ſpectatiſſimo CARDINALI LVGDVNENSI, qui tùm Romæ agens, ædeiſque illas incolens, depromi Congium ex intimis penetralibus procurauit) ideò aquam putealem, cuius continendæ is Congius fuit capax, ſummo ſcilicet collo tenus, ad Pariſioum pondus exegi, deprehendíque eam pendere vncias centum vndecim, cum dodrante vnciæ. Cùm verò ipſa eadem aqua penderet Romaoas vncias centum, ac viginti (totidem enim apud Romanos decem libris, quæ duodeoûm erant vnciarum, continebantur) difficile noo fuit deducere exinde, diuiſâ Pariſinâ vnciâ, ſicut fieri ſolet, in graoa 576. contineri parium granornm io vocia Romana 536. Et quia Deoarius Romanus fuit octaua pars vociæ; difficile quoque intellectu oon fuit, pendere Denarium Romanum grana Pariſini ponderis 67. Denique verò, quòd ex recente Edicto, anni putà MDCXXXVI. argenti vncia taxata fuit ſolidis Turooicis 64. (ac ſpectato quidem præſertim communiſſimo, & quaſi notæ præcipuæ numo, qui, vt priùs fuit, ita etiam-num Scutari Quadrans appellitatur; is quippe pendens ſcrupulis, ſeu, vt Numarij vulgò loquuntur, deoariis 7. cum 12. granis, hoc eſt, voiuersè granis 180. taxatur ſolidis viginti; ac perſpicuum eſt, vt ſe habent 180. graoa ad 20. ſolidos, ita ſe babere grana 576. ad ſolidos 64.) difficile non fuit inferre Denarium Romanum valere ſeptem ſolidis, ac deoariolis Turooicis qninque cum triente voius Turonici deoarij. Suppono autem vnciam Pariſinam, partem ſcilicet Zygoſtaticæ, ſeu vulgaris libræ ſextam-decimam, eandem eſſe cum vncia, ſeu parte octaua eius libræ, quam Marcam appellant, & quâ toto Regno Monetarij, aurificéſque vulgò vtuntur. Suppono & hunc modum explorandi valorem Romani Denarij videri vt ſimpliciſſimum, ſic minimè omnium fallaciæ obnoxium. Nam quòd Budæus quidem, optimè alioquin, vt aliis de rebus, ſic de hac quoque meritus, noo aliâ ratione explorauerit, quàm appendendo aliquot, qnos babuit denarios, videri poteſt non omnino ad id, quod res eſt, collineaſſe, vt putà quòd tales Denarij (etiam integri inter illos viſi) pati potuerint intertrimentum, detrimentúmve ponderis; réſque vel ex eo intelligi poteſt, quod deduxit libram Romanam poſſe ſemunciâ additâ æquiparari libræ Marcæ, Pariſiniſve vnciis octo: quo caſu aqua illius Congij pendere debuiſſet non vncias proximè 112. ſed proximè ſolùm 77. quod immane diſcrimeo eſt, maiuſque, quàm vt vllo modo excuſari poſſe videatur. Suppono ad-hæc me vſurpaſſe Denarium, cuius pon-

dus

dus eſſet in vſu ſub ipſis primis Cæſaribus, ob memoratum Congium, de cuius pondere per ea tempora dubitare non licet; cùm & aliunde habitâ ſemel comparatione ponderum, facile ſit determinatu, quo valore foret Denarius dum penderet partem vnciæ ſeptimam, vt ſub Republica recentiore; dum vnciæ ſextantem, vt ſub antiquiore; dum trientem, vt ſub poſtremis Regibus, &c. ac pari ratione cùm cœpit deinceps pondere infra drachmam deminui. Suppono poſtremò comparaſſe me Denarij valorem cum eo valore monetæ, qui iam nobis in vſu eſt; tùm quia noſtris temporibus res agitur noſtra, quam nos ignorare cum primis non decet; tùm quia vbi in poſterum argenti vncia apud nos pluribus taxabitur, quàm nunc taxetur, ſolidis; (neque enim, vt res humanæ ſunt, ac vt nos docet experientia præteritorum temporum, ſperare licet valdè diuturnam huius taxationis conſtantiam) perfacilè ſemper erit definire, quanti Romanus Denarius æſtimandus ſit, pondere perſpecto, quo apud nos pendit. Quemadmodum etiam perfacile eſt definire, quanti æſtimandus fuerit prætergreſſis temporibus, perſpecto eodem pondere, cognitáque taxatione argenti.

Iam quia Romæ, præter Denarium, alij quidam numi argentei, qui eſſent illius partes, cudebantur, vt putà Quinarius (ſeu, à ſigno victoriæ Victoriatus dictus) pars dimidia; Seſtertius quarta; Libella (aſſi vni æquiualens) decima; Sembella vigeſima; Teruncius, quadrageſima: conſtátque adeò Quinarium valuiſſe tribus ſolidis, cum Denariis octo, ac vnius beſſe; Seſtertium vno ſolido, cum Denariis decem, ac triente; Libellam nouem proximè Denariis; Sembellam quatuor, cum ſemiſſe proximè; Teruncium duobus; cùm proximè quadrante; in promptu eſt agnoſcere quis ſpeciatim fuerit Seſtertij valor, quem vides veluti ſubſtratum, factúmque initium Abaci; tanquam quo ſemel habito, cætera omnia ſimplici additionis progreſſu habeantur. Notum porrò eſt, quemadmodum Græci dicebant τρίτον ἡμιδράχμιον, vt *duas cum ſemiſſe drachmas* deſignarent; ita Romanis fuiſſe Seſtertium, quaſi ſemiſtertium vocatum, quòd aſſibus duobus, cum ſemiſſe tertij valeret, quarta vtpotè pars Denarij, qui valebat aſſibus decem, hoc eſt, decem libris, ſiue pondo æris. Qua de cauſa notum eſt quoque, vt Nota, ſignúmve Denarij fuit X, & Quinarij V, ita Seſtertij fuiſſe IIS, hoc eſt duo, ac ſemiſſem; vtcumque libri vulgò habeant H-S, vel LLS. Præterea autem Aſſeis illos fuiſſe initio reuerâ liberaleis, hoc eſt ſingulos duodenûm vnciarum (vnde & meritò Æs graue vocatum) deinceps autem bello Punico primo, cùm Reſpublica impenſis non ſufficeret, fuiſſe ex libra æris factos aſſeis ſex; ſingulos nempè duûm vnciarum, ſeu ſextantis libræ (vnde & fuêre ſextantarij dicti) poſteà Annibale vigente fuiſſe quoque vncialeis factos (quo etiam tempore Denarium ſenis denis aſſibus, Quinarium octonis, Seſtertium quaternis, permutari placuit) & mox lege Papyria etiam Semuncialeis; adeò proinde vt ſemper quidem Aſſis nomen remanſerit, at pondus fuerit imminutum. Adnoto autem videri Seſtertium habitum numorum quaſi minimum, quique eſſet communis menſura omnis vt ſummæ pecuniariæ, ſic rei pecuniâ æſtimabilis; quòd Libella, Sembella, & Teruncius, pondere Denarij ex vncia in trientem, & ſextantem degenerante, eius exilitatis euaſerint, vt maturè eſſe in vſu deſierint. Certè & licet ipſa vox Numi aut expreſsè addatur, aut tacitè intelligatur, tam cùm Denarium, aut Quinarium, quàm cùm Seſtertium dicimus; vbi tamen vox Numi ſola adhibetur, pro Seſtertio accipitur, Seſtertiíve vox ſubauditur. Intelligenda tamen eſt prima, minimáve, & communis menſura Pecuniæ argenteæ; Nam æreæ quidem communis menſura habita eſt As (tametſi ſemper ſuas illas parteis, Semiſſem, trientem, quadrantem, & cæteras ad vſque vnciam, etiam pondere imminutus, retinuit) exindéque eſt, cur legamus interdum væniiſſe rem aliquam aſſe, vel aſſipondio, itemque dupondio, & treſſe, quadruſſe, octuſſe, nonuſſe, decuſſe, ac demùm centuſſe (neque enim vltra centum, aſſis vox ſic componebatur) aut væniiſſe, fuiſſéve decem æris, centum æris, mille æris, &c. intelligendo libras, vel pondo, ſeu totidem aſſeis. Adnoto deinde trifariam in Abaco procedere Seſtertiorum nomenclaturam; iuxta triplicem ordinem, quem in illo diſtinctum vides; Nam in primo quidem vſurpatur Seſtertij vox maſculinè, in ſecundo neutraliter, in tertio cum aduerbio numerali adiuncto: & cum incipiat primus ab Vno, incipit ſecundus à Mille, tertius à Centum millibus.

SESTER

SESTERTIORVM MONETA NOSTRA EXPRESSORVM, ABACVS.

Seſtertij, vel Numi,		ſeu Seſtertia, ſeu Seſtertiûm ſunt Monetâ noſtrâ	℔. Turon.	ſol.	den.
Vnus,	1		—	1	10 $\frac{1}{3}$
Duo,	2		—	3	8 $\frac{2}{3}$
Tres,	3		—	5	7
Quatuor,	4	[*Decem æris*, ſeu *Denarius vnus*]	—	7	5 $\frac{1}{3}$
&c.	5		—	9	3 $\frac{2}{3}$
	6		—	11	2
	7		—	13	0 $\frac{1}{3}$
	8		—	14	10 $\frac{2}{3}$
	9		—	16	9
	10		—	18	7 $\frac{1}{3}$
	20		1	17	2 $\frac{2}{3}$
	30		2	15	10
	40	[*Centum æris*, ſeu *Denarij decem*]	3	14	5 $\frac{1}{3}$
	50		4	13	0 $\frac{2}{3}$
	60		5	11	8
	70		6	10	3 $\frac{1}{3}$
	80		7	8	10 $\frac{2}{3}$
	90		8	7	6
	100		9	6	1 $\frac{1}{3}$
	200		18	12	2 $\frac{2}{3}$
	300		27	18	4
	400	[*Mille æris*, ſeu *Denarij centum*]	37	4	5 $\frac{1}{3}$
	500		46	10	6 $\frac{2}{3}$
	600		55	16	8
	700		65	2	9 $\frac{1}{10}$
	800		74	8	10 $\frac{2}{3}$
	900	SESTERTIA	83	15	0
	1000	Vnum,	93	1	1 $\frac{1}{3}$
	2000	Duo,	186	2	2 $\frac{2}{3}$
	3000	Tria,	279	3	4
	4000	Quatuor, [*Decem millia æris*,	372	4	5 $\frac{1}{3}$
	5000	Quinque, ſeu *Denarij mille*.]	465	5	6 $\frac{2}{3}$
	6000	Sex,	558	6	8
	7000	Septem,	651	7.	9 $\frac{1}{3}$
	8000	Octo,	744	8	10 $\frac{2}{3}$
	9000	Nouem,	837	10	0
	10000	Decem,	930	11	1 $\frac{1}{3}$
	20000	Viginti,	1861	2	2 $\frac{2}{3}$
	30000	Triginta,	2791	13	4
	40000	Quadraginta, [*Centum millia*	3722	4	5 $\frac{1}{3}$
	50000	Quinquaginta, *æris* ſeu *Decem*	4652	15	6 $\frac{2}{3}$
	60000	Sexaginta, *millia Denariûm*.]	5583	6	8
	70000	Septuaginta,	6513	17	9 $\frac{1}{3}$

Seſtertij

Seſtertij, vel Numi,	Seſtertia :	ſeu Seſtertiûm	ſunt	Monetâ noſtrâ ℔. Turon.	ſol.	den.
—	—	—	—			
80000	Octoginta,	—	—	7444	8	10 $\frac{8}{9}$
90000	Nonaginta,	SESTERTIÛM	—	8375	0	0
100000	Centum,	Semel,	—	9305	11	1 $\frac{7}{9}$
200000	Ducenta,	Bis,	—	18611	2	2 $\frac{5}{9}$
300000	Trecenta,	Ter,	—	27916	13	4
400000	Quadringenta	Quater,	—	37222	4	5 $\frac{7}{9}$
500000	Quingenta,	Quinquies,	—	46527	15	6 $\frac{2}{9}$
600000	Sexcenta,	Sexies,	—	55833	6	8
700000	Septingenta,	Septies,	—	65138	17	9 $\frac{7}{9}$
800000	Octingenta,	Octies,	—	74444	8	10 $\frac{8}{9}$
900000	Nongenta,	Nouies,	—	83750	0	0
1000000	Mille,	Decies	—	93055	11	1 $\frac{7}{9}$
2000000	Bis mille,	Vicies,	—	186111	2	2 $\frac{5}{9}$
3000000	Ter mill.	Tricies,	—	279166	13	4
4000000	&c.	Quadragies,	—	372222	4	5 $\frac{7}{9}$
5000000	—	Quinquagies,	—	465277	15	6 $\frac{2}{9}$
6000000	—	Sexagies,	—	558333	6	8
7000000	—	Septuagies,	—	651388	17	9 $\frac{7}{9}$
8000000	—	Octogies,	—	744444	8	10 $\frac{8}{9}$
9000000	—	Nonagies,	—	837500	0	0
10000000	—	Centies,	—	930555	11	1 $\frac{7}{9}$
20000000	—	Ducenties,	—	1861111	2	2 $\frac{5}{9}$
30000000	—	Trecenties,	—	2791666	13	4
40000000	—	Quadringenties,	—	3722222	4	5 $\frac{7}{9}$
50000000	—	Quingenties,	—	4652777	15	6 $\frac{2}{9}$
60000000	—	Sexcenties,	—	5583333	6	8
70000000	—	Septingenties,	—	6513888	17	9 $\frac{7}{9}$
80000000	—	Octingenties,	—	7444444	8	10 $\frac{8}{9}$
90000000	—	Nongenties;	—	8375000	0	0
100000000	—	Millies,	—	9305555	11	1 $\frac{7}{9}$
200000000	—	Bis millies,	—	18611111	2	2 $\frac{5}{9}$
300000000	—	Ter millies,	—	27916666	13	4
400000000	—	Quater millies,	—	37222222	4	5 $\frac{7}{9}$
500000000	—	Quinquies millies,	—	46527777	15	6 $\frac{2}{9}$
600000000	—	Sexies millies,	—	55833333	6	8
700000000	—	Septies millies,	—	65138888	17	9 $\frac{7}{9}$
800000000	—	Octies millies,	—	74444444	8	10 $\frac{8}{9}$
900000000	—	Nouies millies,	—	83750000	0	0
1000000000	—	Decies millies,	—	93055555	11	1 $\frac{7}{9}$
2000000000	—	Vicies millies,	—	186111111	2	2 $\frac{5}{9}$
3000000000	—	Tricies millies,	—	279166666	13	4
4000000000	—	Quadragies millies,	—	372222222	4	5 $\frac{7}{9}$
5000000000	—	Quinquagies mill.	—	465277777	15	6 $\frac{2}{9}$
6000000000	—	Sexagies millies	—	558333333	6	8
7000000000	—	Septuagies millies,	—	651388888	17	9 $\frac{7}{9}$
8000000000	—	Octogies millies,	—	744444444	8	10 $\frac{8}{9}$
9000000000	—	Nonagies millies,	—	837500000	0	0
10000000000	—	Centies millies,	—	930555555	11	1 $\frac{7}{9}$
20000000000	—	Ducenties millies,	—	1861r111111	2	2 $\frac{5}{9}$

30000000000	—— ——	Trecenties millies,	——2791666666— 13 —	4
40000000000	—— ——	Quadringentics mill.	——3722222222— 4 —	5 $\frac{1}{3}$
50000000000	—— ——	Quingenties millies,	——4652777777 — 15 —	6 $\frac{2}{3}$
60000000000	—— ——	Sexcenties millies,	——5583333333— 6 —	8
70000000000	—— ——	Septingenties millies,	——6513888888 — 17 —	9 $\frac{1}{3}$
80000000000	—— ——	Octingenties millies,	——7444444444— 8 —	10 $\frac{2}{3}$
90000000000	—— ——	Nongenties millies,	——8375000000 — 0 —	0
100000000000	—— ——	Millies millies,	——9305555555— 11 —	1 $\frac{1}{3}$

Ad PRIMVM ordinem quod ſpectat, ideò maſculina eſt vox,quòd ſubaudiatur vbiq; vox Numi,& quotquot in eo numerantur Seſtertij intelligantur ſimplices,ſeu quorum quilibet ſit expoſiti iam valoris, ſolidi ſcilicet 1.Denarior. 10 $\frac{1}{3}$. Cùm ſoleat autẽ infra mille copulari cũ adiectiuo in eodem caſu (dicimus enim *Vnum Seſtertium;duos*, vel *binos Seſtertios ; treis,vel ternos,&c.*)moris eſt tamen vt ſupra mille,& cum numerãtur plura millia,in genitiuo plurali ſyncopen paſſo conſtituatur :Tametſi enim dicere liceat, *bis mille Seſtertij, ter mille Seſtertij , &c.* frequentius eſt tamen,vt dicatur,*Seſtertiûm duo millia,Seſtertiûm tria millia,&c.*quemadmodum intelligi vel ex vna Actionũ Ciceronis in Verrem poteſt,in qua legere paſſim licet I I S,ſeu *Seſtertiûm* II.*millia*,V.*millia*,xxv.*millia*,L.*millia*, ccxvi.*millia*, cccxxiv *mill*. 13.*millia*,1 XL.*millia,&c.*Et cùm aliquando Seſtertij,ac Numi voces vnà adhibeantur,vt cùm dicimus eſſe quidpiam addictum *Seſtertio numo*,vel ſoluta eſſe *duo numûm ſeſtertiûm millia* ; frequens nihilominus eſt, vt ſola Numi vox efferatur, reticeatur Seſtertij,veluti,cũ Vlpianus ait *numo vno* conducere;vel Plinius ſcribit Aſiniũ Celerem mercatum fuiſſe Mullũ piſcem VIII. *millibus numûm*. Quin-etiã ſolet aliquando tã numi,quã Seſtertij vox ſupprimi,vt cùm Iuuen.de Criſpino ait,

——*Mullum ſex millibus emit.*

Imò & non ineleganter ſupprimitur quoq; vox millia,vt cùm Horatius de Tigellio loquens,

——*Decies centena dediſſes*
Huic parco,paucis contento : quinque diebus
Nil erat in loculis.——

Vbi *decies cẽtena* dicitur pro *decies cẽtena ſeſtertiûm numûm millia.* Vides interim, reſpectãdo ad ordinem quartũ,quo monetâ noſtrâ valor explicatur,quæ ſumma cuiq; numero ſeſtertiorũ reſpondeat. Cùm enim Mullus v.g.emptus legitur *octo numûm millibus*;deprehendis *octo millia numûm* eſſe monetæ noſtræ ℔.744. ſolid.8. den.10 $\frac{2}{3}$.Et cùm alium ſex millibus,eſſe hanc ſummã ℔.558.ſo.6.den.8.Nihil autem eſt neceſſe admoneam,cùm numerus non reperitur præcisè in Abaco , addendum ſolùm eſſe eius parteis , veluti cùm Martialis alium rurſus Mullum emptum dicit numis mille ducentis, nihil aliud , quàm iungendi ſunt duo numeri, quorum vnus eſt è regione 1000.ſcil.℔.93.ſ.1. den.1 $\frac{1}{3}$ alius è regione 200.ſcil.℔.18.ſ.12.den. 2 $\frac{2}{3}$ vt habeatur ſumma ℔.111. ſol.13. den.4. tanti videlicet emiſſe intelligitur Piſcem Calliodorus , qui cùm eodem pretio vendidiſſet ſeruum , anſam fecit Poëtæ exclamandi ,

——*Non eſt hoc, improbe , non eſt*
Piſcis, homo eſt : hominem, Calliodore voras.

Prætereundum autem non eſt appoſuiſſe me obiter,ad quatuor Seſtertios, *Decem æris*;ad 40. *Centum æris*, ad 400.*Mille æris,&c.* feci etenim, tùm vt intelligatur,ſingulis quaternis ſeſtertiis, ſeu numis totidem Denarios, ſeu denos aſſeis reſpondere ; tùm vt innuatur , quî inſeruire poſſit idem Abacus, cùm quidpiam per Aſſeis aut Æris libras æſtimatur.Ita enim, cùm v.c. occurrit illud Perſij :

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Intelligis hoc idem eſſe,quod quadraginta Seſtertios , quibus reſpondent monetæ noſtræ ℔. 3. ſ.14. den.5 $\frac{1}{3}$. Et cùm Cornelius Nepos ait,T.Pomponium Atticum(illum nempe Epicureum)cùm imprimis lautus eſſet eques Rom. & non parùm liberaliter,in domum ſuam omnium hominum ordines inuitaret,non ampliùs tamen,quàm *terna millia æris* in ſingulos menſeis expẽdiſſe;intelligi poteſt hoc idem eſſe,cũ mille ducentis Seſtertiis,quibus reſpondent,vt circa Calliodoreum mullum collegimus,℔.111. ſ.13.den.4.Quo pacto etiam intelliges quantus monetâ noſtrâ fuerit cenſus ſingularum Claſſium , cùm Liuius ait inſtituiſſe Seruium Tullum cenſum I. claſſis eſſe ſaltem *centum millia æris* ;II.75000.III.50000.IV.25000.V.11000. ac pari modo cætera.

Ad SECVNDVM quod attinet , ideò vox in neutro vſurpatur genere,quod non iã amplius deſignet numũ ſimplicem,ſed quidpiam quaſi compoſitum,ac veluti aceruum ex pluribus ſeſtertiis numis:adeò proinde,vt *Seſtertium* idem ſit,quod *mille nummi*, & quot numeramus Seſtertia,totidem millenos intelligamus numos. Scilicet factum id videtur,vt loquutionis compendio,ita quandoque ad varietatem, quemadmodum cùm Cicero in illa eadem Oratione,pro eadem re habet,*quinq; millia Seſtertiûm, quinque millia numûm* , & *quinque Seſtertia* ; aut cùm Iuuenalis memorato hemiſtichio

——*Mullum ſex millibus emit* , ſubiicit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Vbi,quia pondus Mulli debuit eſſe librarum ſex,pro eodem dicuntur ſex mille numi,& ſex ſeſtertia;adeò vt pro ſingulis libris numerati fuerint numi,ſeſtertiive milleni. Obſeruandum eſt autem non infrequens eſſe , vt ſeſtertiorum vox ſupprimatur,intellecta videlicet ſub numerali nomine ; veluti dum Horatius ait,

Si quadringentis ſex , ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi , &c.

Et Iuven *Bis, quingenta dedit : tanti vocat ille pudicam.*

Et Martialis,

Quadringento

Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas;
Centum da potins mutua, Phœbe, mihi.

Videre intereà licet, attendendo ad ſeriem, quâ valor monetâ noſtrâ exprimitur, quanti hæc, & cætera fuerint. Quippè *Quadringenta Seſtertia*, quæ fuere Equeſter cenſus reformatus (nempè priùs fuerant quingenta) deprehenduntur valuiſſe libr. 37222. ſol 4. den. 5 $\frac{2}{3}$. Et *bis quingenta*, hoc eſt *mille ſeſtertia*; lib. 99055. ſol. 11. den. 1 $\frac{8}{3}$ tantidem autem mercatus eſt Antonius Ciceronis caput. Et *centum ſeſtertia* lib. 9305. ſol. 11. den. 1 $\frac{2}{3}$. Summa, ob quam iure conqueritur Satyricus:

——Simplex ne furor, ſeſtertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere ſeruo?

Sic, autem Coruus ille ſalutator, pro quo Auguſtus numerari iuſſit *viginti ſeſtertia*, emptus cenſetur lib. 1861. ſol. 2. den. 2 $\frac{4}{3}$. Sic impenſa cœnæ, quâ Lucullus in Apollinis aula Ciceronem, & Pompeium quaſi ex improuiſo excepit, taxata ſeſtertiis quinquaginta, conſtitit lib. 4652. ſol. 15. den. 6 $\frac{4}{3}$. Sic *ducenta decem Seſtertia*, quæ Octauia Auguſti ſoror numerari iuſſit Virgilio pro recitatis in ſerie libri VI. Æneidos, viginti & vno illis verſibus, de præmortuo filio ipſius Marcello, quem Auguſtus ad Imperium deſtinauerat (nempè ad illum vſque verſum *Heu miſerande puer*, ad quem cùm peruentum recitando fuiſſet, defecit ipſa animo) fuêre libb. 19541. ſol. 13. den. 4. (Numerari nempè mandauit in ſingulos verſus *dena ſeſtertia*, hoc eſt lib. 930. ſol. 11. den. 1 $\frac{2}{3}$. Atque ita de cæteris, quæ apud Authores paſſim occurrunt.

Quod demùm attinet ad TERTIVM, ideò ad genitiuum Pluralem *Seſtertiûm* maſculinè vſurpatum, adhibetur numerale aduerbium *Semel*, *Bis*, *Ter*, *&c.* quòd compendioſa loquutio ſit, qua *centena millia* ſubintelliguntur. Incipit autem ordo à *Centum millibus*, quia apud Antiquos, inquit Plinius, nullus numerus vltra centum millia erat. Itaque heinc habes, cur *Semel Seſtertiûm*, idem ſit; ac *ſemel centena ſeſtertiorum numorum millia*; *Bis Seſtertiûm*, quod *Bis centena*, *&c.* Et rarius eſt quidem vt adhibeatur aduerbium ad vſque *Decies ſeſtertium*; legimus enim v. c. Neronem aleam luſiſſe in punctum, *quadringentis Seſtertiis*, non item *quater Seſtertiûm*; verùm ab vſque Decies, frequentius eſt, vt aduerbium audiatur; ſic enim Suetonius loquens de Senatorum cenſu, quem, cùm prius foret *octingentorum ſeſtertiorum* Auguſtus ampliauit, dicit potiùs ipſum ab illo taxatum *duodecies Seſtertiûm*, quàm *mille ducentis Seſtertiis*. Eſt autem heic quoque obſeruandum ipſam Seſtertiûm vocem aliquando ſupprimi, idque ſeu cum ſuperſtite aduerbio, vox centena, centúmve millia adiuncta habeatur, vt in memorato de Tigellio exemplo, & cùm Iuuenalis de Meſſalina loquens:

——Ritu decies centena dabuntur
Antiquo.——

Et Martialis, cùm de Scæuola,

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum.

Seu aduerbium ſolùm remaneat; vt in illo Epigrammate quod Martialis in eundem Apicium, ac ob eandem rem; cuius deſcriptio ex Seneca, vt meæ querimoniæ, ſic tuæ petitioni, aut hiſce, quæ iam abs me dicuntur, lucum fecit:

Dederas Apici ter trecenties ventri;
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem, & ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.

Vbi viſum eſt, non *bis trecenties*, vti vulgò, ſed *ter trecenties*, hoc eſt *nongenties*, legere, vt Poëta magis cum Seneca conſonet, apud quem quod dicitur *millies*, intelligi compoſitum poteſt ex eo, quod fuit voratum, *nongenties*, & eo quod ſuperfuit, *centies*. Verba porrò illa Senecæ: *Es velut ex vltima fame victurus, in Seſtertio centies ſi vixiſſet, veneno vitam finiit*; facit, vt obſeruem prætereà genitiuum *Seſtertiûm commutari interdum in ablatiuum Seſtertio*; Quippè & idem non multò pòſt; *Beatiores ne iſtos putas, quorum pantomimæ decies ſeſtertio nubunt, quàm Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo in dotem æs graue acceperunt*: & Plinius dicit *ſeſtertio tricies*, Tacitus, *ſeſtertio quadragies*, Valerius Maximus *ſeſtertio ſexagies*, *&c.* Vt prætercam interdum quoque in genitiuum ſingularem mutari; quemadmodum apud eundem Tacitum, *ſeſtertij centies*, *ſeſtertij ter millies*; imò & apud Ciceronem *ſeſtertij centies*, *&c.* Vtcumque ſit, videre demum in ſerie expreſſi monetâ noſtrâ valoris licet, quanti iſta ſint, aliáque habenda. Nam vt præcipua quædam attingam, illud quidem *decies ſeſtertiûm*, circa bis quingenta, aut mille ſeſtertia, taxatum iam fuit lib. 93055. ſ. 11. den. 1 $\frac{2}{3}$. Illud autem *duodecies*, qui cenſus Senatorius fuit, deprehenditur lib. 111666. ſ. 13. den. 4. Illud *Quater decies*, quod ex teſtamentis amicorum, intra annos viginti Auguſtus accepit, lib. 130277. ſol. 15. den. 6 $\frac{2}{3}$. Illud *Vicies*, quo à Patre accepto, geſſit ſe Atticus non parum ſplendidè; cùm ad vſque centies deinceps adauctus non ideò affluentiùs, quàm inſtituiſſet, vixerit, ſed pari faſtigio ſteterit in vtraque fortuna; lib. 186111. ſ. 2. d. 2 $\frac{2}{3}$. Illud *Quadragies*, quo cladem Lugdunenſem Nero ſolatus eſt; quanti aliunde vel vnius cœnæ Mellita illi conſtiterunt (non tanti certè mellitæ placentæ, quarum helluonem Nicetas Choniates Epicurum facit) lib. 372222. ſ. 4. den. 5 $\frac{1}{3}$. Illud *Sexagies*, quo væniit vnio Seruiliæ à Cæſare datus, lib. 558333. ſ. 6. den. 8. Illud *Octogies*, quod Claudius, vbi primùm eſt Summum Pontificatum adeptus, impendit, l. 744444. ſ. 8. den. 10 $\frac{2}{3}$. Illud *Centies*, quo valuit vnio, cuius detriti hauſtu Cleopatra Antonio ſumptuoſiùs cœnauit; quod in vnam Cœnam Caligula prodegit; quod Maſſilienſis Medicus Crinas

patriæ muris reliquit, &c. lib. 930555. ſ. 11. den. $1\frac{1}{3}$ Illud *Ducenties*, quod Æſopus Comœdus ex arte quæſitum reliquit filio, ℔.1861111. ſ. 2. den. $2\frac{2}{3}$ Illud Quadringenties, quo furta Verris æſtimata, & quo penè æſtimari potuerunt furta Lollij (cùm illius neptis ſpectata ad lucernas quadringenties operta fuerit) ℔.3722222. ſ. 4. den. $5\frac{2}{3}$ Illud *Septingenties*, quo habitum eſt æs alienum à Milone contractum, ℔.6513888. ſ.17. den. $9\frac{1}{3}$ Illud *Nongenties* quod Apicius nepotum omnium altiſſimus gurges, ex Martiali decoxit (nam quid ſit quidem *Millies*, ex Seneca, dictum iam eſt) lib. 8375000. Illud *Bis millies*, quo diuitiæ M.Craſſi ſunt habitæ, ℔.18611111. ſ. 2. den. $2\frac{2}{3}$ Illud *Bis millies quinquies*, quo contractum à Cæſare adhuc priuato alienum æs, lib. 23263888. ſ. 17. den. $9\frac{2}{3}$ Illud *Ter millies*, quo opes Senecæ itemque Pallantis, aliorúmque libertorum Claudij Cæſaris lib. 27916666. ſ. 13. d. 4. Illud *Quater millies*, quo opes Lentuli Auguris in Animaduerſionibus etiam memoratæ, lib. 37222222. ſ. 4. d. $5\frac{2}{3}$ Illud *Vicies bis millies*, quod Nero donationibus effudir, lib. 204722222. ſ.4. d. $5\frac{1}{3}$ Illud *vicies ſepties millies*, quod à Tiberio Cæſare tanto, ac tam diuturno ſtudio collectum, Caligula eius ſucceſſor, non toto anno vertente abſumpſit, lib. 251250000. ſol. 1. Illud *Quadragies millies*, quo videtur Veſpaſianus dixiſſe opus eſſe, vt Reſpublica ſtare poſſet, lib. 372222222. ſ.4. d. $5\frac{1}{3}$ Dico, videtur; Nam cùm alioquin legi vulgò ſoleat quadringenties millies, forent, hoc caſu, 3722222222. ſ.4. den. $5\frac{1}{3}$ Verùm iſta, quæ in exemplum ſolùm adſerro, ſunt plus æquo.

Non addo, quàm tibi ſit promptum, ſi lubuerit quidem, Abacum producere; Nam quòd ego quidem in *Millies millies* conſtiterim, cauſa fuit, quod percurrenti Authores nullus numerus iſto maior, aut qui propè ad ipſum accederet, occurrerit. Non addo etiam, quàm poſſet cuipiam videri derid iculum minutias illas ſolidorum, denariorúmque conſectari, ac in numeris potiſſimùm magnis in quibus libræ non ſingulæ modò, verùm etiam denæ, centenæque poſſunt negligi: ſed nempè aliud eſt rem velle ad vnguem, ſcrupuloſéque cognoſcere, quod requiri ex Abaco poteſt, vt chartæ proinde parcendum non ſit; aliud velle rem, oratorio more, exprimere ſolùm propè verum; quo caſu ſupprimi minutiæ, non modò non ineleganter, ſed etiam citra omne, quod momenti cuiuſpiam ſit, veritatis præiudicium poſſunt. Ego certè ne in iis quidem, quæ attigi, exemplis, ad illas vſque excurriſſem; niſi quia fuere ſolùm allata ad indicandum Abaci vſum, & res viſa eſt, vt in Abaco deprehenderetur, eſſe exprimenda. Hiſce ergo dimiſſis, illud potiùs addo, poſſe ex iis, quæ ſunt deducta intelligi PRIMÒ, cuiuſmodi apud Romanos fuerit Aurei vocati valor. Cum enim cœpto percuti Aureo numo annis duobus, & ſexaginta, poſtquàm argenteus ſignatus eſt (ſignatum autem eſt argentum anno Vrbis quingenteſimo octogeſimo quinto, Q. Fabio conſule) ſignarentur primùm ex vna auri libra triginta octo, aut triginta nouem, ac poſteà quadraginta, & quadraginta quinque, diù deinceps perſeuerauit mos, vt ſignarentur quadraginta octo (qui & primùm dici Solidi, quaſi integri, cœperunt, cùm ſub Alexandro Seuero percuſſi ſunt, qui Semiſſes ſunt, Tremiſſéſque appellitati:) Fuêre itaque Aurei ſinguli duarum drachmarum pondere; vtpote cùm libra vnciarum duodenûm ex nonaginta ſex drachmis conſtet. Et quia ex Plinio colligimus fuiſſe proportionem auri ad argentum, vt quindecim ad vnum (videlicet cùm ille dicat auri Scrupulum, h. e. partem vnciæ vigeſimam quartam, valuiſſe vicenis ſeſtertiis, & viceni ſeſtertij ſeu quinque denarij pendant ſcrupulos quindecim) ac aliunde eſt iam quoque apud nos eadem proportio quam proximè (quippè cùm, Solato ponderis granorum 63. elocato ſolidis 104. colligamus vnciam auri valere ſolidis 951. & vncia argenti, vt iam antè dixi, valeat ſolidis 64.) Quia id, inquam ita ſe habet; ſequitur, vt quemadmodum drachma argenti valet apud nos octo ſolidis, & drachma auri $118\frac{3}{4}$ ſeu proximè 119. ita drachmâ argenti ponderis Romani (hoc eſt, denario) valente ſolidis 7. den. $5\frac{2}{3}$ drachma auri Romana valeat ſolid. 110. den. 3. Ex quo efficitur, vt Aureus duabus drachmis pendens, valeat ſolidis 220. ſeu libris Turonicis XI. cum ſex Turonicis denariis. Quare & hac ratione; cùm videmus Strabonem, v. g. commendare frugalitatem, & moderationem Maſſilienſium, quòd apud illos dos maxima non excederet aureos centum, intelligere poſſumus, quia tunc Maſſilia Romanis parebat; vtebatúrque adeò numis illorum aureis, fuiſſe eam dotem noſtratium, ſeu Turonicarum librarum mille centum quinque, ac ſemiſſis.

SECVNDÒ, intelligi quoque quî referri valeat antiqua Græcorum moneta ad noſtram; quatenus apud illos Drachma (argenteus numus ſcilicet) eiuſdem ponderis, ac valoris cum Romano Denario, ex Plinio, Plutarcho, & aliis fuit. Siquidem nihil eſt facilius, quàm colligere, cùm Drachma perinde, ac Denarius, valeat 7. ſolidis, $5\frac{2}{3}$ denariis; idcircò Minam Atticam ab vſque Solone, 100. drachmis conſtantem (cùm priùs conſtaret 75.) valere ℔. 37. ſol. 4. den. $5\frac{1}{3}$ Atque adeò Atticum, communéve Talentum 60. Minis conſtans (quicquid ſit de alio maiori, quod 80. conſtiterit) valere ℔.2233. ſol.6. den.8. Vnde & fit, vt cùm legimus Epicurum, v. c. coëmiſſe, hortum Minis 80. dicere poſſimus pretium eius fuiſſe ℔.2858. ſol. $13\frac{1}{2}$ Nam & licet in Apologia eaſdem Minas taxauerim dumtaxat Solatis 550. cum taxare debuiſ-

ſem

ſem 573. vel 572. vltra ſolidos $67\frac{1}{2}$ error tamen fuit, vt opinor, quòd mente non ſatis attentâ, drachmas in Minam 96. tanquam in Romanam libram computarim. Sic tria Talenta, quibus Ariſtoteles panculos Speuſippi libros comparauit, fuêre ℔.6700. Sic Talenta 20. quibus Iſocrates vendidiſſe vnam Orationem dicitur; & quibus totidem à Demoſthene empta fuiſſe legitur vnius diei reticentia (tùm nempè, cùm ſimulatâ ſynanche, pati illum potius Argyranchen obiectum eſt) fuere ℔.44667. Sic 100. Talenta quæ Theombrotus Medicus ob Antiochum Regem curatum accepit, fuêre ℔.223750. Sic Talenta 800. quæ ad conſcriptionem hiſtoriæ Animalium Alexander dedit Ariſtoteli fuere ℔.179000000. Sic decem Talentûm millia, quibus Alexander Hephæſtionem funetaſſe legitur, aut quibus Gabinius, ob reductionem Ptolemæi in Ægyptum, damnatus eſt, fuere ℔.2237500000. Sic Gaza Darij, quem Alexander debellauit, Talentorum 180000. fuit ℔.40275000000. Atque ita de cæteris. Prætereo autem poſſe exinde quoque quid auri Talentum apud Græcos eſſet intelligi. Quia enim auri drachma fuit 110. ſol. 3. den. atque adeò Atticca auri Mina fuit 551. ℔.5. ſ. ſequitur Atticum auri Talentum fuiſſe ℔.33075. Sicque, cùm Apelles, v.c. dicitur auri talentis 20. pinxiſſe Alexandrum, fuiſſe ℔.661500. Quo verò minùs de hac monetæ Græcæ cum Romana, & vtriuſque cum noſtra, comparatione dubites, ecce, cùm Agellius, v. c. quos Speuſippi libros emptos ab Ariſtotele diximus, ſeptuaginta duobus numûm millibus æſtimet; vti ex numero Talentorum habemus lib. 6700. ita ex Numorum numero habemus 6697. diſcrimine admodum leui. Et cùm apud Ciceronem dicitur Curio pro Antonio interceſſiſſe ſexagies Seſtertiûm, Plutarchus verò ait interceſſionem hanc Talentis ducentis quinquaginta fuiſſe; habemus ex Seſtertiis quidem lib.558333. ex Talentis verò lib. 558336. diſcrimine quoque valdè contemnendo.

Tertiò intelligi prætereà, quî referri Hebraica valeat; quatenus ex Ioſepho, D. Hieronymo, & aliis, Siclus, ſiue Numus Argenteus, qui fuit Hebræis maximè in vſu, Tetradrachmalis exſtitit, ſiue æqualis pondere cum quatuor Romanis Denariis, ac proinde æquiualens ſolidis 29. & denariis $9\frac{1}{2}$ Ex hoc enim eſt, cur iam aliàs deduxerim 30. Argenteos, quibus à Iuda proditore diuenditus Seruator eſt, fuiſſe lib.44.ſ.13.den.4. Quia verò ex textu Ezechielis intelligimus Hebraïcam Minam cõſtitiſſe 60. Siclis, h.e. drachmis 240. ideò valuiſſe Mina debet lib. 89. ſ. 6. Qua ratione illæ exempli gratiâ quinquies mille Minæ, quas ad inſtaurationem Templi contuliſſe Primates apud Eſdram legimus, valuerunt lib.446500. Et quia ex libro Exodi colligere licet continere Talentum ter mille Siclos, hoc eſt, duodecies mille drachmas, intelligimus Hebraïcum Talentum, quod hac ratione, fuit Attici duplum, valuiſtque idcirco 120. Minas Atticas, fuiſſe lib. 4466. ſ. 13. den. 4. Quo modo illa v. c. millies mille Talenta argenti, quæ Dauid moriens teſtatus eſt ſe relinquere in ſtructuram Templi, fuêre vltra lib. 4466000000. Et quæ reliquit centum millia auri, fuêre ex proportione, quæ memorata iam eſt, vltra lib.6699000800. Taceo autem huiuſmodi tetradrachmaleis Siclos (qui & Stateres) fuiſſe appellatos Sacros, ſeu Sanctuarij; Siquidem fuere etiam alij dicti Regij, ſiue communes (tanquam attinentes ad rerum prophanarum commercium) qui fuerint ſolùm didrachmales, vt poteſt vel ex ſolo Cenſus numiſmate intelligi. Quo pacto illi Octoginta Sicli, quibus in Samariæ fame Aſini caput væniit, ſi ſacri quidem exſtitiſſent, valuiſſent lib. 119. cùm exſiſtentes alioquin Regij, valuerint dumtaxat lib. $59\frac{1}{2}$ Taceo quoque, quia Denarius diurnus, & qui fuit Chriſto Domino oblatus cum imagine Cæſaris, Romanus ipſe Denarius fuit; idcirco *ἀσσάριον*, ſiue Aſſem, quo duo paſſeres væniiſſe leguntur, valuiſſe denariolis Turonicis quam-proximè 9. deficiente nempè vna ſolùm decimaquinta denariuli parte. Et quoniam legimus duo Minuta quæ paupercula vidua intulit in Gazophylacium, eandem rem fuiſſe cum Quadrante; ideò videri Minuta hæc fuiſſe non Denarij, ſed potius Aſſis parteis ac duo proinde illa Minuta, ſeu duos octantes, Quadrantémve vnum valuiſſe denariolis duobus, cum parte vnius proximè quarta; & vnum Minutum vnum denariolum, cum parte vnius proximè nona. Quòd verè partes illæ Aſſis, non verò Denarij fuerint, tùm probari ex eo poteſt, quòd Denarius in denas parteis, non in octauas fuerit diuiſus; tùm confirmari poteſt ex eo, quod Martialis habet, de Sportula cùm loquitur:

Centum miſelli iam valete Quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi.

Miſellos nimirum eos Quadranteis dicit, quòd forent dumtaxat 25. Aſſes, ſeſtertiive decem, hoc eſt ſolidi non omnino 19. Certè enim ſi fuiſſent 25. Denarij, ſeu ſeſtertij 100. tunc fuiſſent ſolidi 186. hoc eſt, vltra libras Turonicas nouem; ac ideò non miſellum, ſed beatulum quid.

Qvartò denique poſſe etiam quadamtenus intelligi, quî valeant Monetæ priſcarum aliarum nationum referri, quatenus, cùm legimus, v. c. Talentum Babylonicum continuiſſe Minas 70. vel drachmas 7000. Ægineum Minas 10000. & Syrum vel drachmas 10000. vel Syrum continuiſſe ſolùm Minas 15. vel drachmas 1500. &c. intelligimus ex Polluce huiuſcemodi ſeu Minas, ſeu drachmas intelligendas Atticas eſſe; & hoc exceſſu, defectúve ad Talentum Atticum comparato, indicari ſolum proportionem,

quâ Minæ, aut Drachmæ vernaculæ aur Atticas excederent, aur ab ipſis deficerent; quippe cùm aliæ quoque nariones haberent haud ſecùs Talenrum Minarum 60. & Minam drachmarum 100. neque eſſe adeò ſecus rem accipiendam, eùm legimus ante Solonem fuiſſe vt Minam drachmarum 75. ita ipſum Talentum minarum 45. Dicerem ſpeciatim quid ſit coniiciendum de Mina Alexandrina, ex eo quòd cùm Plato diciturapud Laërtium emiſſe Philolai librum è quo Timæus deſcriptus ſit Alexandrinis Minis 40. Agellius ſcribat librum emptum decem Denariûm millibus, quæ forent Minæ Atticæ eentum (ex Abaco, libræ Turonicæ 3722.) Dicerem & alia;ſed quàm longè tamen,quàm leui occaſione excurro.

De Eclipſi ☾ diei Nouemb. vltimæ 1648.

DE nupera Lunæ Eclipſi qnod ſubdis; eſt ſanè, quòd doleam non exſtitiſſe vobis iſtheie tam bellè accinctis cælum fauentius; & ne Apianum quidem Lyæum, quem aduetſus Nebulas, quaſi aduerſus Indos comparaueras, perrumpere, exſolueréque caliginem illam immanem potuiſſe. Mibi id,quod metueram euênir; ne non ſeilicet in hae vrbe adeſſem ſaris tempori, vbi & inſtrumenta congrua, & adiutores idonei forent. Nempè Taraſeone reſiſtendum ſuit, quòd digreſsâ iſthuc, quæ me illeic diù præſtolata fuerat lecticâ, exſpectare aliam, quam optimus Princeps ſimul deſtinârat, oporruerit. Ac præſtiti quidem, quod potui; ſed non quud planè fecerit ſatis. Quippe adſuit quidem Teleſcopium non malum, vnà cum Phaſeon ſchematibus per ſemidigitos diſtinctis, quæ ante meum iſtheine diſceſſum Adoleſcentes nubiles IOANNES, FRANCISCVSque BOCHARTI CAMPINIj adeò officioſè apparauerant, ac ſchemate ſimul maximæ Eclipſeos, eum adiuncto calculo, quo à ſe inſtituto, egregius BELLVS me vltrò donârat: Verùm captandæ cœlitùs horæ, aliud nihil ad manum fuit, quàm Cireuli Quadrans, qui & radij fuit Patiſino pede haud maioris, & manu inter collineandum ad ſtellas continendus fuit. Vrcumque verò babetem me, diuerti eâ nocte apud Doctrinæ Chriſtianæ Patres, qui & me excepêre humaniſſimè, & appetenre horâ, euexêre, collocaueréqne quàm commodiſſimè fas fuit, in ipſa Collegij turri. Mane erat, vt noſti, diei vltimæ ſuperioris menſis; Non multùm ergo ab hora IV. inumbrationem quandam tenuem ad partem Lunæ verticalem diſcernere in promptu ſuit. Cùm eâ deinceps denſeſeente ad temerarionem limbi attenderem, viſa eſt Eclipſis mox cœpta, Ocolo Tauri (non procul à Luna) alto ad occaſum grad.15.min.30.hoc eſt,hora 5.min.22. & Humero dextro Orionis grad. 24. min.30. hoc eſt, Hor. 5. min. 19. Perſeuerauit ſubinde eadem diſerepantia per aliquot phaſeis, idque haud-dubiè inſtrumenri vitio; vteumque deinceps maior conſonantia inter eundem humerum, & Procyonem exſtirerit; ac ſpeeiatim, cùm iam Eclipſi promotâ ad digitos ſex, Humeri altitudo ſuit grad.16. min. 0. & Procyonis gr.30. min.30. qua vtraque ex altitudine elicitur Hora 6. min.6. Quare & nihil auſim tutò pronunciare; maximéque cùm in hac vrbe Prior Rocaſulij Honoratus Galtetius, vnà eum Gabriele Rouerio, vſi pariter teleſcopio, exceperint Sirij alrirudinem Octante peramplo, & adnotârint eonrigiſſe Inirium illâ exſiſtente grad. 15. min. 10. boc eſt, hor.5.min.19. Quod ſi rectè habuit, exhiberi mihi non aut eadem hora, vt ex vna ſtella, aur etiam promotior, vt ex alia, debuit; ſed quæ citeriùs conſiſterer, ob meridianum magis occiduum. Ad Quanritarem Eclipſéos quod ſpectat; tametſr fuetinr per auroram ſuborra quædam nubila, quæ ipſam Lunam inuaſetinr; non obſtitere illa tamen, quin viſus fuerit ſummus defectus ægrè accedere ad Digitos IX. Detegere certè Lunam ſemper licuir prærer nubila, quovſque eam nobis Bellicadrenſis turris eripuir. Exoptâram hac quoque vice explorare, num poſſent beine Luna, inde Sol ſupra horizonrem exſtanres ſimul conſpici; at non fuir horizon ſatis complanarus. Retulit tamen famulorum vnus, eùm in planirie Ernaginnm inter, & Auenionem lecticam meam requireret, id ſpectacnlum exbibitum ſibi; idque cùm nihil ampliùs ex eo quærerem, quàm attendiſſet ne ad Eclipſin. Nimirùm & annuit, & vltrò ſubiecir, eùm Luna mox oceubitura, beſſe deficiens videterur, fuiſſe ſibi, fortè conuerſo, oculos à Sole (neſciir, an iam orto, an adhuc otienre) perſtrictos. Sed bæc de Eclipſi; nam qnod obitet quidem ſubiicis de vſu Teleſcopij in tranſmittendis intra obſeuram ſeenam, Solarium inſtar, Lunæ radiis, ad exbibendum ipſius Phaſeis; meminiſſe potes, cur id improbârim, opémque ex pictarum phaſeon comparatione quæſierim, eùm in Meteorologia, de Eclipſibus ageretur. Quo loco, cùm etiam de Eclipſibus Errantium ſtellarum ſermo fuerit, ac meminerim, quî ſe Anſulæ Saturni haberent nupero Aprili ſub occaſum Heliacum; ideò admonete heic inuat, conſtare ipſas etiam num eodem ſitu, eâdémque formâ, vt vel facere fidem poſſunt memorati illi Adoleſeentes ingenui, quibus, ac vnà NEVRÆò noſtro (decumbenre alioquin Te) rem ſpectandam exhibui; & prægrandi quidem illo (quippe vltra vnde nos Pariſinos pedes prolixo Teleſcopio, quo EQVES IGBIVS, illuſtris ille, cùm Româ redux nuper foret, me in amicitiæ (mihi meritò cariſſimæ) pignus donanit.

Quod autem occaſione huius Eclipſeos, vſuſque, qui circa Geographiam poteſt ex id

genus

genus obſeruationibus elici, doles non exſcripſiſſe Te, quod Te meminiſti ad calcem Tractatus de Globo Telluris circa ipſius Globi inhabitationem legiſſe, rogaſque id exſcribi volens per amanuenſem patiar; facio ecce tuo voto ſatis, tametſi vereor, ne ille rem non abſoluerit ſatis tempori, vt poſſit ad te cum hiſce literis tranſmitti. Ni fecerit, poterit ſaltem occaſiune proximâ mitti; vteumque eam dum releges, factura Tibi haud dubiè ſit præ inſulſitate faſtidium; ſed Tibi nimirùm ipſe imputa. Admoneo ſolùm, ob id quod habes de Lunaris Eclipſeos vſu, cautè eſſe interpretandum, quod hanc in rem Manilius habet, dum Terram eſſe rotundam probans, argumento hoc vtitur:

Te teſtem dat, Luna ſui glomerabilis orbis,
Quæ, cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omneis pariter confundis ſidere genteis;
Sed priùs Eoa quærunt tua lumina gentes;
Poſt, medio ſubiecta loco quacumque coluntur;
Vltima ad Heſperios infectis volveris alis,
Seráque in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quòd ſi plana fores Tellus, ſemel icta, per omneis
Deficeret pariter toto miſerabilis orbe:
Sed quia per teretem deducta eſt terra tumorem,
His modò, pòſt illis apparet Delia terris,
Exoriens ſimul, atque cadens, &c.

Siquidem illa, *Non pariter, ſed priùs, poſt, &c.* non de diuerſis temporis momentis accipienda ſunt; quoniam ſimul potiùs, ſeu tempore eodem Luna deficit iis, qui ad ortum, qui ad occaſum, qui in locis interiectis ſunt, vno verbo, iis omnibus, quibus Luna eſt ſupra horizontem; ſed accipienda dumtaxat ſunt de diuerſitate horarum, quæ plures ab iis, qui ad ortum, pauciores ab iis, qui ad occaſum, numerantur. Neque enim, cùm Luna, v. g. deficere nobis in ipſo meridiano incipit, non deficit ſimul, temporéve eodem iis omnibus, qui nobis ad ortum, occaſúmque ſunt, quibuſque conſpicua eo momento Luna eſt; quaſi iam priùs defecerit iis, quos ad ortum habemus; iis, quos habemus ad occaſum, ſit defectura poſteriùs; ſed cùm nos, ac illi hinc inde, eodem tempore deficientem videamus, efficitur tamen, vt ob terræ deuexitatem, & quia Sol horas ſuo circa terram motu deſcribens, priùs inuiſit habitanteis ad ortum, quàm nos; & nos priùs quàm habitanteis ad occaſum; efficitur, inquam, vt cùm nos eo momento, quo Luna deficit, mediam noctem numeremus, ij qui nobis ad ortum ſunt, numerent horam à media nocte primam, ſecundam, tertiam, &c. & qui ad occaſum, numerent vndecimam, decimam, nonam, &c. ab antecedente meridie: idque quatenus propiùs, remotiúſve diſtantem à noſtro meridianum habent. Non videtur certè Manilius id dicere præciſè velle, quod alioqnin ipſius verbis ſatis diſertè exprimitur; ac potiſſimùm quia poſtmodum de meridiano circulo agens, arguit horarum diuerſitatem pro eius mutatione fieri, illis ſcilicet verſibus,

Cùmque loco Terra, cœlúmque, ac temporu mutat;
Quandò aliis aliud medium eſt; volat hora per orbem.

Neque enim *horam volare per orbem* aliud eſſe poteſt, quàm horam quamlibet, v. c. meridianam, eſſe ſucceſſiuè intra vnum diem in toto terræ ambitu; hoc eſt, modò nobis, mox aliis, qui ſunt proximè ad occaſum, mox aliis, qui proximè vltrà, mox rursùs aliis, &c. adeò vt die inſequente, & exactis viginti quatuor horis nobis iteratò adſutura ſit. Notandum verò, cùm ſubiicit,

Atque vbi ſe primis extollit Phœbus ab vndis,
Illis ſexta patet, quos tùm premit aureus orbis.
Rursùs ad Heſperios ſexta eſt, vbi cedit in vndas;
Nos imam, ac ſummam, ſextam numeramus vtramque.

Legi à nobis extremo verſu *imam*, non vt vulgò ab omnibus, *primam*, ob perſpicuam, quæ inter *imam*, ac *ſummam* eſt, antitheſin; & quia Poëtæ mens ea eſſe videtur, vt exprimat, quando Sol nobis eſt in ipſo exortu, occaſûve & quaſi ad latus conſtitutus; tunc, tametſi nobis hora *Prima* ſit (manè ſcilicet duodecim diurnarum, & veſpere duodecim nocturnarum, vti numerare antiquis mox fuit) illis tamen, qui, cùm Sol nobis oritur, habent ipſum in meridiano, numerari *Sextam*; quaſi Sole ipſis ſupra horizontem promoto, ex quo nobis fuit in parte meridiani noſtri inferiore: Ac illis rursùs, qui, cùm Sol nobis occidit, in meridiano pariter habent, numerari iterum *Sextam*; quaſi tùm Sol ipſis exortus primùm fuerit, cùm nobis in noſtro meridiano fuit: Nobis verò eam eſſe horam *Sextam*, quâ Sol, ſiue per noctem depreſſus nobis maximè eſt, ſiue per diem maximè elatus; hoc eſt, dum verſatur in ea parallelí parte, quæ meridianum ſecat, ima quidem infra, ſumma verò ſupra horizontem.

EXSCRIPTVM EX Tractatu de Globo Telluris.

De Terra circum-habitata.

COnſentaneum iam attexere pauca de Globi Telluris inhabitatione, quandò tametſi res videtur eſſe cum primis Geographica, nihilominus, qui Geographiam attigerunt primi, Philoſophi fuerunt, vt, Strabo Lib. 1.
præ aliis demonſtrat, citans præſertim Anaximandrum, quem tam ipſe, quàm Laërtius ex- Lib. 2.
ſtitiſſe memorant primum, qui πίνακα, ſeu Tabulam Geographicam ediderit. Euſtachius Init.
quoque Scholiaſtes Dionyſij Anaximandrum, vt primum habet, ſubiicitque illi pro ſecundo Hecatæum, pro tertio Democritum, pro quarto Eudoxum. Et cùm Laërtius teſtetur Lib. 9.
fuiſſe

Lib. 4. fuiſſe Geographiam conſcriptam à Democri-
to ; tùm Bionem citat Democriteum, qui
dixerit primus habitationes eſſe terræ, qui-
bus dies vnus ſex menſium, & nox vna tuti-
dem ſit. Imprimis ergo ab æuo vſque anti-
quiſſimo aliud fuit habita Terra, aliud ἡ οἰκου-
μένη Terra habitata, ſeu habitabilis Terræ
pars : Quippè & raram fidem inuenit habita-
tio Antipodum ; & rariorem adhuc habitatio
ſub Æquatore. Vt autem primùm aliquid de
Antipodibus dicamus, qui primus illos in
Lib. 3. Philoſophia ſic numinauit, Plato fuit, ex
Lib. 8. Phauorino apud Laërtium, cùm tamen idem
Laërtius ſcribat antiquiorem Pythagoram
aſſeruiſſe Antipodas, quibus illa eſſent deor-
ſum, quæ nobis ſurſum viderentur : Qui eoſ-
dem primus ἀντίχθονας appellârit, incertum
eſt ; id ſolùm conſtat, cùm Taprobane ante
Alexandrum eſſe alter orbis crederetur, in-
colas ipſius dictos fuiſſe Antichthonas, vt eſt
Lib. 6. c. 22. à Plinio obſeruatum. Porrò multi celebres
viri ſemper exſtiterunt, qui negârunt Anti-
podas, quouſque Terra fuit nuperis nauiga-
tionibus circum explorata. Tales fuêre quot-
quot iam antè aliam figuram tribuiſſe Terræ,
quàm orbicularem, obſeruauimus ; addique
illis Anaxagoras poteſt, qui, vt eſt apud Ari-
ſtotelem, cùm totam terram faceret ex na-
tura ſua fungoſam, ſolam ſuperiorem hanc
partem coaluiſſe imbrium beneficio aſſeruit,
ſolamque proinde (& quòd prætereà alia
pars inferiùs vergat) habitationis capacem
cenſuit. Videtur etiam Epicurus in eadem
fuiſſe ſententia, vt iam antè attigimus, de
Terra in Mundi medio conſiſtente cùm age-
Lib. 1. remus : vbi & retulimus etiam illa ex Lucre-
tio carmina :

Et quæ pondera ſunt ſub terris, omnia ſurſùm
Nitier, in terrâque retrò requieſcere poſta ;
Vt per aquas quæ nunc rerum ſimulacra vocamus,
Contendunt, neque poſſe è terris in loca cæli
Recidere, &c.

Ob quæ concludit,

Sed vanus ſtolidis hæc omnia finxerit error.

Quippè & tametſi videretur poſſe hoc ita ex-
plicari, vt illeic loci Lucretius non poſitio-
nem Antipodum, ſed conſequutionem dedu-
ctam ex aſſertione Medij in vniuerſo reiece-
rit ; non eſt tamen cur vlla vi ſeu Lucretium,
ſeu Epicurum ad veram ſententiam trahamus ;
cùm eadem fuerit etiam deinceps à magnis
viris repudiata. Illum prætereo, qui apud
Lib. de fa. lu. Plutarchum deriſit Antipodas, quaſi inſtar
teredinum, aut ſtellionum imis terræ parti-
bus ſurſùm conuerſi hæreſcerent. Taceo De-
monactem, qui deriſurus Phyſicum de Anti-
podibus diſſerentem, deduxit illum ad pu-
teum, vmbriſque ipſi in aqua monſtratis :
Nunquid, ait, *tales eſſe Antipodas aſſeris?* quod
In Demon. l. 3. c. 24. à Luciano recitatur. Dico ſolùm eam diſpli-
cuiſſe magnis Eccleſiæ Patribus, quorum no-
Lib. de tat. tep. c. 3. mine eſt ſuperiùs quoque recitatus Lactan-
tius tanquàm acriter inuectus in eos, *Qui tam*
ſunt inepti, vt credant eſſe homines, quorum ve-
ſtigia ſint ſuperiora, quàm capita, &c. adeò pro-
inde, vt cum nihil ſit opus addere Bedam, Io. Aust. in hist. Boi.
& alios ; aut commemorare etiam Antiſtitem,
quem fuiſſe ſua ſede ob aſſertos Antipodas
depulſum narrant : Vnus eſſe poſſit abundè
D. Auguſtinus, cuius verba ſunt ; *Quòd verò* 16. Ciuit. 9.
Antipodas eſſe fabulantur ; id eſt, homines à con-
traria parte Terræ, vbi ſol oritur, quando occidit
nobis, aduerſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nul-
la ratione credendum eſt. Cauſam ſubiicit pau-
lò pòſt : *Nimiſque abſurdum eſt*, inquit, *vt di-*
catur aliquos homines ex hac in illam partem,
Oceani immenſitate traiecta, nauigare, ac perue-
nire potuiſſe ; vt etiam illeic ex vno illo primo ho-
mine genus inſtitueretur humanum : Enimverò
hæc & alia id genus obiecta nunquàm obſti-
terunt, quin non modò Philoſophi, ſed bona
etiam Patrum, Doctorúmque ſacrorum pars
id defenderint, quod experientia tandem pla-
num fecit ; ſcilicet eſſe homines, qui *aduerſis*
veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, vt verbis Ci- 4. Acad.
ceronis dicam ; quique ſimul nobis oppoſita
habeant æſtatem, & hyemem, diem, & no-
ctem. Tales propemodum fuêre omnes, qui-
bus fuit terra orbicularis argumento illo Ari- 2. Cæli. 14. & 2. Meteor. 7. &c.
ſtoteli, præter cæteros, familiari, quod habi-
tatæ terræ portio quædam Globi portio eſſe
demonſtretur ex mutatione varia locorum ;
neque poſſit, quod ſupereſt, non eadem forma
continuari ; & cum ſimili quidem marium, in-
ſularum, & continentium facie, cúmque ſi-
milibus plantarum, animalium, cætera-
rúmque rerum ſpeciebus. Heinc & Mani-
lius poſt comprobatam Terræ rotunditatem
pergit,

Hanc circùm variæ gentes hominum atq; ferarum,
Aëriaque colunt volucres. Pars eius ad Arctos
Eminet ; auſtrinis pars eſt habitabilis oris,
Sub pedibuſque iacet noſtris, ſupráque videtur
Ipſa ſibi, fallente ſolo decliuia longa,
Et pariter ſurgente via, paritèrque cadente.
Heinc vbi ab occaſu noſtros ſol adſpicit ortus,
Illeic orta dies ſopitas excitat Vrbeis ;
Et cum luce refert operum vadimonia terris,
Nos in nocte ſumus, ſomnoſq; in membra locamus.

Et rursùs :

Altera pars orbis ſub aquis latet, inuia nobis,
Ignotæque hominum gentes, nec tranſita regna ;
Commune ex vno lumen ducentia ſole,
Diuerſaſque vmbras, læuáque cadentia ſigna,
Et dextros ortus cælo ſpectantia verſo.
Nec minor eſt illis Mundus, nec lumine peior
Nec numeroſa minùs naſcuntur ſydera in orbem.

Quod porrò de caſu vulgò metuebatur ; reſ-
ponſio ſemper in promptu fuit, eam rerum
naturam eſſe, vt pondera omnia in medium
ferantur, & ad medium connexa ſint omnia,
ſeu illud medium ſit centrum Mundi, ſeu ſpe-
ciale centrum Telluris, vt expoſitum antè
eſt. Quare & cùm nos non miremur nos ſem-
per rectis pedibus ſtare, dùm loca ſubinde
mutantes videmur ſemper magis, magiſque
inclinari

Digitized by Google

inclinari iis, à quibus receſſimus, ſi ipſi quidem, vel partis Terræ globoſam formam perſpectam habent; mirandum omnino non eſt, ſi tandem eò perueniamus, vt ad ſitum oppoſitum videamur illis inclinari, cùm recti ſemper ſteterimus. Nempè quòd cœlum vndique ſemper reſpectetur tanquàm ſuprema Mundi pars, & cenrrum Terræ tanquàm ima, ſicque nos tam ſimus hominibus illis Antipodes, quàm illi ſunt nobis; ac veriſſimè dicatur à Plinio: *Circumfundi Terræ vndique homines, conuerſiſque inter ſe partibus ſtare, & cunctis ſimilem eſſe cœli verticem, ac ſimili modo ex quacumque parte mediam calcari; illo quærente cur non decidant contrà ſiti; tanquàm non & ratio præſto ſit, vt nos non decidere mirentur illi.* Quod verò etiam dubitabatur, quomodo homines potuiſſeor inde illuc traiicere; Philoſophos primùm prætereo, qui homines eſſe Aborigines, vel ἀυτόχθονας vbique potuiſſe cenſuerunt; (quod & Diodorus ratiocinatur Lib. 3. de quibuſdam Æthiopibus, eo ſitu locorum concluſis, vt nulla ex parte penetrari illud potuiſſet) Itemque eos, qui exiſtimantes Mundum eſſe ingenitum, & continuam quandam, ſed per multa ſæcula inſenſibilem Terræ habitatæ, mariſque commutationem fieri, homines putârunt, & carere initio, & perpetua quadam propagatione, vbicumque patent, ſupperúntve alimenta, relinqui. Cùm verò profitendum ſit omneis homines deriuatos eſſe ab vno, qui in orbe hoc veteri, ac in Aſia conditus fuerit, reſponderi id ſemper potuit, quod reſpondetur etiam-num, potuiſſe primùm homines quoſdam ex hoc orbe eò peruenire per Iſthmos, atque continenteis; cùm etiam nondum conſtet, an extrema Scythia, ſeu Tartaria, qua parte ad ortum Aniano freto alluitur, intercidatur quoque ad Boream freto, maríve Scythico; vtcumque Plinius ex Cornelio Nepote referat Lib. 2. cap. 67. Q. Marello tùm Galliæ proconſuli Indos à Rege Sucuorum dono datos, qui ex India commercij cauſsâ nauigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti, Septentrionali putà circuitu; an continuetur potiùs cum Terra ad Polum vergente, & ad vocatam Americam Septentrionalem pertinente; quod quidem ſi ita ſit, manifeſtum eſt penetrari exinde poſſe in Auſtralem Americam, & ad Magellanicum vſque fretum. Deinde per freta, anguſtioráve maria; cùm & Nauigiorum vſus ad traiiciendum certè ſpatia non prolixa, ſit vbique gentium antiquiſſimus, & gentes maritimæ ita cùm natando, tùm nauigando aſſueſcant, vt donec conſpicua præſertim littora vlteriora ſunt, ad ea exploranda quàm facillimè, & vel leuiculo nauigio, ac cœlo præſertim maríque fauente ferantur. Cùm maria autem anguſtiora dico, etiam tractus illos Septētrionaleis intelligo, per quos, vt ex Gallia in Britanniam, ita ex Britannia, aut Noruegia in Iſlādiam perueniri potuit; (quippè cùm noſter quoque Pytheas Maſſilienſis eò peruenerit) & ex Iſlandia, Noruegiáve in Groenlandiam, ac porrò in Americam. Quâ eadem ratione potuit quoque ex Arabia, aut India perueniri ad Sumatram, ex eaque per Inſulas intermedias in maiorem Iauam, ac porrò in Auſtralem, & Magellanicam Terram. Ad hæc, per mare etiā patens; idque ſiue caſu, vento ſcilicet improuiſo abripiente nauigia; quo pacto abductum Mercatorem ferunt, cuius relatu Columbus fuit ad conquirendum, quem & reipſa detexit orbem, animatus (quippè & quod memoratur contigiſſe Mercatoribus illis Indis, contingere iis quoque potuit, qui Africam olim luſtrârunt, vt ſcilicet abriperentur in ipſam vſque Americam, ac tantò magis, quantò nauigia, ex quo in altum deducta ſunt, ob declaratum alibi aëris motum ſponte feruntur) ſiue certo conſilio, & data opera; non quo ſolùm modo ille Iambolus, de quo Diodorus, ex Æthiopia in Taprobanam, ſeu quæcumque ea fuit Inſularum Auſtralium, peruenit; verùm etiam quo modo ij, qui nouas regiones, incolatus, quæſtus, aut gloriæ ardore conquirunt. Cur-non enim vt nuper factum, ſic fieri quoque olim potuit, vt aliqui ex noſtro orbe in nouum illum contenderent (tametſi ob difficultates, aut lucrum ceſſans, damnúmque emergens, interrupta commercia fuerint, vt interrumpi quoque iam poſſent) & maximè quidem cùm ex illo orbe aliqui videantur veniſſe in noſtrum. Scilicet non omni ex parte fabuloſum eſſe videtur, quod Soloni apud Platonem ſacerdos Ægyptius narrauit de expeditione Incolarum Atlantidis inſulæ; non tam quòd Poſidonius apud In Tim. Strabonem, & alij id pro germana hiſtoria Lib. 2. habeant, quàm quòd reperta nuper in Atlantico Oceano America confirmet, quod fuit ab illo deſcriptum: nempè Atlantidem Inſulam (quæ credita fuerat deinceps abſorpta) fuiſſe Libya ſimul, Aſiâque maiorem; & (vt Ariſto In mirab. audit. teles habet de inſula plurimorum dierum nauigatione, vltrà columnas Herculis à Carthaginenſibus detecta) feracem, ſiluoſam, fluuiis nauigabilibus, fructuúmque varietate miram: quodque ſi Europæi in Americam per aliquot ſæcula nauigare deſinerent (vt vetitus aliàs acceſſus ad illam Carthaginenſium Inſulam, quæ eſſe ipſa eadem potuit) poſſent Americani, qui de noſtris expeditionibus quidpiam fando, & traditione quadam vetuſta inaudiiſſent idem de his noſtris continentibus dicere; quod de illorum continentibus Europæi olim, Ægyptiíque dixerunt. Prætereo autem, quòd etiam ſanctorum Patrum aliqui, vt Clemens apud Hieronymum, ſubodorati fuerint, eſſe In epiſt. ad Ephe. cap. 2. vltra Oceanum nouos orbeis; ne fortaſſis putes ſolos Ethnicos id habuiſſe probabile, vti Authorem libri de Mundo, & Silenum ex Theopumpo apud Tertullianum; ac aliquos etiam Adu. Hermog. velut prouidiſſe, quod & reipsâ contigit, vt illi nempè detegerentur; ac nominatim Senecam, dum in Medea ſic cecinit:

Digitized by Google

Act. 1.

——Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat Tellus, Tiphyſque nouos
Detegat orbeis, nec ſit terris
Vltima Thule.

Cùm nihil iam ſit addendum de iis, qui in eodem nobiſcum parallelo ſunt, ſed aduersâ tamen meridiani parte (περιοίκους Græci dixêre) quod illis penè eadem, quæ Antipodibus ſit cauſſa, ac olim perinde fuerit creditum perueniri ad eos non poſſe, ob innauigabilem, & beluoſum, vt Cleomedes habet, Oceanum; Cúmque addendum potiùs aliquid videatur de iis, qui in eadem quidem meridiani parte, ſed tantundem ab alio polo, quantùm nos à noſtro, ſepoſiti degunt (hos Græci non modò Lib. 1. c. 2. ἀντοίκους, ſed ἀντώμους etiam, vt Cleomedes habet; Lib. 1. c. 1. & 9 ἀντίχθονας, vt Mela; ἀντιστοίχους, & ἀντιπό-δας, vt Cenſorinus, dixerunt) Lib. de Die nat. c. 14. ſed quos adiri à nobis poſſe, ob interpoſitæ regionis feruorem creditum non eſt; 2. Plac. 12. Id iam ſupponit diuiſionem totius Terræ in varias Zonas. Illas ab omni antiquitate diſtinctas fuiſſe numero quinque, vel id teſtatur, quod Plutarchus, ita diſtinxiſſe Thaletem, & Pythagoram memorat, tametſi Poſidonius Authorem diſtinctionis primum apud Strabonem Parmenidem faciat. Lib. 1. Ac Polybius quidem ſex Zonas diſtinxit, Torridam ſcilicet in duas per Æquatorem diuidens; Apud Strabon. ibid. verùm, vt idem Strabo docet, diuiſione non neceſſariâ. Illud notandum, Poſidonium videri primum Zonas temperatas ſeparaſſe à frigidis per circulos illos, quos iam Arcticum, Antarcticúmque dicimus, deſcriptos nempè circumductione polorum Eclipticæ, cùm antiquiores illi omnes, in quibus 2. Meteor. 5. etiam Ariſtoteles, rem peragerent inconſtantiùs, vt putà in quavis regione habentes pro Arctico maximum parallelorum ſemper apparentium; pro Antarctico maximum nunquam apparentium; ſicque contrahentes, vel ampliantes Zonas pro eleuatione, aut depreſſione polorum. Eâ ratione ille optimè repoſuit περισκίους in frigidis Zonis, ἑτεροσκίους in temperatis; ἀμφισκίους in Torrida, quod ſoli habitantes in frigidis, ſi aliqui ſupponerentur, vmbras haberent vno, pluribúſve diebus, menſibúſque continuis circum totum Horizontem habitantes in Temperatis, haberent ſemper vmbram meridianam in partem tantùm alteram; habitantes in Torrida haberent eandem ad vtramque, pro varietate tempeſtatum. Iam tota ferè antiquitas tam Torridam, quàm Frigidas eſſe inhabitabileis cenſuit, vt vel ex Poëtis peruulgatiſſimum eſt:

Ouid. 1. Met.

Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nix tegit alta duas.

Et,

Virg. 1. Georg.

——Quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & Torrida ſemper ab igni,
Quam circum extremæ, &c.

Et,

——Mediam ſub tegmine rubro
Obſeſſam feruore notat, &c. Claud. 1. de Rap.

Et, ne ipſius quoque Lucretij deſideretur ſymbolum:

Inde duas porrò propè parteis feruidus ardor, Lib. 5.
Aſſiduúſque geli caſus mortalibus aufert.

Reliquêre verò Antiqui duas temperatas, vnam quam nos incoleremus; alteram, quam noſtri Antœci. Quod autem opinio communiſſima fuerit non poſſe Antœcos à nobis adiri ob interpoſitæ Torridæ inſuperabileis ardores, intelligitur ex Cleomede, Plinio, & Lib. 1. c. 2. compluribus aliis, Lib. 2. c. 67. ex quibus præſertim Macrobius de Zona Antœcorum loquens: *Illa,* Lib. 2. in Som. c. 5. inquit, *ſolâ ratione intelligitur, quòd propter ſimilem temperiem ſimiliter incolatur; ſed à quibus, neque licuit vnquam nobis, nec licebit cognoſcere. Interiectâ enim Torridâ vtrique hominum generi commercium ad ſe denegat commeandi.* Ac de cæteris quidem nihil mirum; verùm demiror Plinium, Lib. 2. c. 67. ac Melam, qui Africam totam circum-luſtratam agnouerant. Lib. 3. c. 10. Memorant enim nauigationes pridem peractas à Gadibus vſque ad Arabicum ſinum, vt Hannonis Carthaginienſis, & illius cuius ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragiis agnita fuere à Caio Cæſare Auguſti filio, cùm res ageret in Ægypto: & rursùs peractas ex Arabico ſinu in Gadeis, veluti Eudoxi fugientis Regem Lathyrum; quò ſpectare poſſet hiſtoriola à Strabone commemorata ex narratione Gaditanorum apud Ephorum, Lib. 2. de quibuſdam Æthiopibus, qui ad occaſum cùm perueniſſent, ibi conſtiterunt, & partem oræ maritimæ non exiguam occupauerunt. Sed enim Strabo repetit non circumiri vulgò Africam, niſi ob maris difficultates, cùm reperti porrò fuerint aliqui, qui difficultates illas ſuperârint; conſtat fieri id non potuiſſe, niſi peruagata tota regione torrida, & alterius etiam temperatæ, ſiue Antœcorum non exigua parte: atque id quidem, ne memorem, quod ab Herodoto proditum eſt, Lib. 2. Mare, quod Græci pernauigant, & id, quod extra Columnas eſt, Atlanticum dictum, ac Rubrum, idem eſſe mare. Dixi autem totam Antiquitatem *ferè*; quia quod ad Zonam Torridam ſpectat, excipiendi ſaltem Polybius & Era- Ibid. toſthenes veniunt, qui ex Strabone exiſtimârunt plagam Æquatori ſubiectam eſſe admodùm temperatam: Ac ſpeciatim Polybius, Cap. 13. qui, vt refert Geminus, librum etiam edidit de habitatione circa Æquatorem; ac præter hiſtorias eſt argumentatus tantò debere illam regionem eſſe temperatiorem eâ, quæ ſub Tropico & de cuius habitatione ſemper conſtitit, quantò Sol circa Æquatorem ſtatim tranſcurrit verticem; ad Tropicum verò moratur, ſeu continenter tranſit ſuprà verticem per complureis dies. Addi iam poſſet, experientiam, quæ de America habetur, docuiſſe noctium prolixitatem, quæ continuò eſt duodecim horarum, mirè temperare aëris calorem

Digitized by Google

calorem diurnâ ſolis morâ impreſſum ; & loca non planè inaquoſa ad vapores ſufficere, qui in renueis quidem, ſed crebras, & non parùm aërem temperanteis pluuias vertantur. Sed de antiquis vt dicamus ; notum eſt Ariſtotelem, cæteróſque exiſtimanteis totum id eſſe inbabitatum, quod Tropicis concluderetur, ſcitè reprehendi apud Strabonem à Poſidonio, quòd vltra Tropicum æſtiuum, in quo foret Syene, babitaretur Meroë, & longè adhuc vlteriùs Cinnamomifera dicta regio. Et videre certè licet Prolemæum, ne quidpiam de aliis ſiue Geographis, ſiue Hiſtoricis memorem, deſcripſiſſe, & regiones, & populos varios non mudò vſque ad æquatorem, ſed etiam vlterius ad quindecim gradus. Quod ad Frigidas verò attinet, fuère qui Hyperboreos ſuper Aquilonem Riphæoſque monteis, ac ſub ipſo etiam cœli cardine
Lib.4. c.12. Lib.3. c.5.
habitare prodiderint. Ita citati Plinius, ac Mela, qui etiam illis diem ſex menſium, noctem totidem prodiderunt. Quo rursùs loco deſiderarem eorundem Authorum conſtantiam, dum incultas regiones iactant, & incolas tamen memorant ; niſi tueri ſeſe poſſint,
Cap. 21.
quod fabuloſos incolas putent : Tametſi Solinns, *Fabula erat*, inquit, *de Hyperboreis & rumor irritus, ſi qua illeinc ad nos vſque fluxerunt temerè forent credita. Sed cùm probatiſſimi Authores, & ſatis vero idonei ſententias pareis faciant, nullus falſum reformidet.*

Atque ex his perſpicuum eſt, cur non vna fuerit pridem habita τῆς οἰκουμένης deſcriptio. Imprimis enim fuere non pauci, qui toti Terræ habitatæ, atque cognitæ circumfuſum eſſe Oceanum exiſtimârint. Ita Homerus, &
In Dionyſij perieg.
alij antiquiſſimi Poëtarum (quippè & Orpheum memorat Euſtathius) qui Oceanum
Cap. 13.
deſcripſerunt horizontis inſtar, & κύκλῳ, *Circulari ſpecie*, terræ circumpoſitum, vt à Gemino perhiberi repetitum iam antè eſt. For-
2. Meteor. 5.
taſſis verò exinde fuit, cur Ariſtotelis tempore ἡ οἰκουμένη circuli formâ, quod ipſi non pla-
Lib.2. cap.66. & 67.
cuit, ſoleret depingi. Ita Plinius, Mela, &
Lib 3. cap.10.
alij qui re babita velut in confeſſo, circa tam Ortum, quàm Occaſum, adnixi ſunt rem
In Alex.
etiam probare circa tam Auſtrum, quàm Boream, ex nauigationibus recitatis (quibus fuiſſe quidpiam non abſimile ab Alexandro affectatum, Plutarcbus ipſe teſtis eſt) ac propè aſſenſerunt Cleanthi, & Crati, qui Oceanum ex Gemino inter Tropicos effuſum vo-
Cap.13.
luerunt. Itâ quoque Dionyſius, & quem ille maximè æmulatus eſt, Eratoſthenes, vt ipſius
In Perieg.
Scboliaſtes refert. Nota verò Dionyſium eam tribuiſſe formam terræ habitatæ, vt eſſet σφενδόνῃ ἐμφερῆ, *funda ſimilis*, vt putà ab Ortu in Occaſum longior, quàm ab Auſtro in Boream, vti quinque excedunt tria ; idque iux-
2. Meteor.5.
ta Ariſtotelem ; cùm iuxta alios ſit paulò plus, aut minus. Subdit Scholiaſtes eandem fuiſſe Poſidonio ſententiam ; atque adeò terram fuiſſe habitam quaſi ex duobus conis conflatam, quorum cuſpides ortus, & occaſus ; baſes vero coniunctæ forent, heinc vnius Aſiæ, illeinc Europæ, & Africæ ſimul. Alij fuere, qui τὴν οἰκουμένην terminari crediderint non Oceano, ſed Terra ignota : Itâ præ aliis Pto-
Lib 7. Geograph. c 5.
lemæus, qui credidit Indicum mare non cum Atlantico connecti per Æthiopicum, ſed totum eum ſinubus ſuis, Gangetico, Perſico, & Arabico, Terra contiuente eſſe circumcluſum ; atque ideirco Indicam terram eſſe per meridiem cum Æthiopica omnino continuam. Quod idem niſi affirmauit, ſaltem incertum dixit Polybius, perinde ac incertum
3 Hiſt.
habuit, an quidquid inter Tanaim & Narbonem ad Septentriones vergit, continens ſit terra, an mari ambiatur, (nempe quod deſcriptus à Poëtis Argonautarum reditus com-
Orpheo, & Valer. &c.
municantem fecerit Euxinum Pontum cùm Saturnio, Occiduóve Oceano per interceptum aliquod ad occaſum Euxini fretum.) Deſcripſit porrò Ptolemæus terram habitatam forma Chlamydis, vt putà quaſi dependentem ex Scytbica terra ignota, in Indicam illam ; ac Æthiopicam ; & lateribus exſiſtentibus heinc occiduo Oceano, & parte ignotæ terræ Libycæ ; illeinc terra incognita Serum, Sinarum, Indorúmque. Eadem forma Chlamydis à Strabone agnoſcitur, verùm diſſenſus in eo
Lib.2.
eſt, quòd, vt iam inſinuauimus, is exiſtimet tam ad Auſtrum, quàm ad parteis cæteras, Oceanum terræ circumfundi. Ita cæteri, quos Plutarchus innuit, dum vltra Terras incogni-
Lib.1. & 2. In Theſ.
tas : *Depingunt*, inquit, *regiones arenteis, ac feras, aut limum inſuperabilem, &c.* ex quo videntur originem ſumpſiſſe fabulæ illæ Daimachi, Megaſthenis, Oneſicriti, & aliorum, quos Strabo
Lib 2. Lib 9. cap. 4.
& Agellius citant, quique induxerunt Monoculos. Aſtomos, Sciopodas, Enotocœtas, cæteráque id genus monſtra. Non videtur verò eodem habenda cenſu, quæ Strabo reprehendit in Pythea, dum narrauit ſe nauigante in Inſulam Thulen, obſeruatum à ſe, ibi eſſe non terram, non mare, non aërem, ſed quidpiam ex iis concretum, pulmoniſque marino ſimile, in quo terra & mare ſublimia penderent ; quodque eſſet quaſi vniuerſi vinculum, pedibus, manibuſque inacceſſum. Siquidem loqui potuit Pytheas de algoſo mari, in quo nempè algarum moles ſic aliquando ſuperuatant, vt præ nimia aggregatione nauigiis remoram iniiciant, & præ inſigni perplexitate ac veluti fungoſitate, pulmoni difflato poſſint comparari ; Aut certè loqui potuit de aëre caliginoſo, quo obſidetur Inſula ; deque viſis in vertice appellati iam Heclæ montis, candicantibus niuibus, & in radice rubeſcentibus flammis ; quaſi nempè omnia ſuſque deque forent. Cæterùm ex hac opinantium varietate effectum eſt, vt, cùm quatuor quidam magni Sinus ex Oceano eſſe vulgò crederentur, Mediterraneus, Arabicus, Perſicus & Caſpius, (neque verò vlla de Balthico mentio, quod Gothiam, Suediam, Noruegiam, &c. haberent antiqui non

peninſulam, ſed inſulam Scandiam vocatam) Geographorum quàm plurimi in eam ſententiam abierint, vt etiam Mare Caſpium cum circumfluo Oceano per anguſtum fretum iungi autumarint, nonnulli quidem ad Orientem; nonnulli verò ad Boream. Ita enim Dionyſius, Strabo, Mela, Plinius, Solinus, Æthicus, ac etiam Plutarchus; ſecus autem Herodotus, Ariſtoteles, Ptolemæus, qui ipſum, vt & res ſe habet, pro magno quodam Lacu habuerunt. Addendum foret aliquid de antiqua illa Terræ diuiſione in Aſiam, Africam, Europam; ſed vno verbo, conſtat primùm non paucos fuiſſe, qui duas tantùm Terræ partes agnoſcerent, Aſiam ſcilicet ac Europàm: ij videlicet Africam pro Europæ parte agnouerunt. Sic habet Salluſtius, & confirmat Varro, dum eiuſmodi opinionem refert ad Eratoſthenem; ſic inſinuat Olympiodorus de veteribus, qui Ariſtotelem præceſſerunt; ſic & Lucanus his veſibus,

In pe-ri g. l. 2. Lib. 3. c. 5. Lib. 6. c. 13. Cap. 21. in coſmogr. In Alex. Lib. 1. 2. Meteo 5. 7. Geog. 5. De bello Iug. Lib. 1. de re ruſt. In 1. meteor. Lib 9.

Tertia pars rerum Libyæ, ſi credere famæ
Cuncta velis; at ſi ventos, cælúmque ſequaris,
Pars erit Europæ.

Sed cauſſam huius opinionis, & quod tres partes diſtinctæ fuerint, præclariùs declarat D. Auguſtinus, dum, *Videntur*, inquit, *Orbem dimidium duæ tenere, Europa, & Africa; alium verò dimidium ſola Aſia, ſed ideò illæ duæ partes factæ ſunt, quia inter vtramque ab Oceano ingreditur quidquid aquarum terras interluit: & hoc mare magnum Mediterraneum nobis facit.* Conſtat deinde alios Europam, & Africam ab Aſia dirimere Tanaïde & Nilo; alios Iſthmo, qui inter maria Euxinum, & Caſpium; & Iſthmo, qui inter Mediterraneum & Arabicum ſinum. Sic habent Author libri de Mundo, Eratoſthenes apud Strabonem, itemque Dionyſius. Poſſunt verò inter priores numerari Plinius ac Mela; inter poſteriores Herodotus & Strabo; ſaltem quod ad Iſthmum, ſinumque Arabicum ſpectat. Prætereo autem quod Seneca habet, Danubium diſterminare Europam, & Aſiam, &, quod Phileæ Athenienſi tribuunt, Rhodanum vltimum Europæ ad Occidentem terminum eſſe; cætera Galliarum, atque Hiſpaniarum pertinere ad Africam. Prætereo & complura alia repetenda ex Geographis; ac præſertim quod attinet ad noui orbis deſcriptionem, terraſque adhuc tùm ad Boream, tùm ad Auſtrum incognitas; iam enim de re Geographica nimis.

17. Ciuit. 17. Cap. 3. Lib 1. In perieg. Lib 3. in præf. Lib. 1. cap 1. Lib 2. Lib 1. Lib. 6. cap. 7. Lib 1. Lib. 6. cap. 7.

Sed de Tabula manum tandem. Amicos illos tot, ac tam bonos, qui quàm frequenti, quàm iucunda, quàm erudita conſuetudine me deuinxerint, obliuiſci potis non ſum, ſaluere quam plurimùm iubeo. Tu, Mi Baranci, optime Vale. Dabam Aquis-Sextiis, Eidib. Decemb. ∞.IↃCXLVIII.

Sequuntur memorata duo ex Opere de Animalibus Excerpta.

EXCERPTVM PRIVS, de Nutritione Animalium,

In quo inter cætera diſſeritur de venis lacteis.

Facultatem Generatricem excipit Altrix, ſeu Nutritiua, ipſa quoque naturalis; ſeu ab arbitrio independens, & animalibus, cum Plantis communis. Videtur autem eſſe illius imprimis neceſſitas duplex. Vna, vt, quia ſtatim atque animal conformatum eſt (imò & inter conformandum) calor ineſt, cuius actione particulæ ipſius quædam exſoluuntur, ac pereunt, ſuccurrat nutritio, quæ æquiualenteis in ipſarum locum ſubſtituat. Ex quo fit, vt nutritio quaſi continens generatio ſit; & tam ſpeciali cuique naturæ conſeruandæ ſit neceſſaria, quàm eſt vniuerſæ ipſa Generatio. Altera, vt quia Animal functiones omneis, quarum eſt capax obire non poteſt in minutulis illis primis, rudibuſque ſtaminibus; ſuccedat nutritio quæ illa dilatet, ac amplificet, tot ſcilicet parteis ipſis interiiciens, & aſſimilans, vt animal ſuccreſcere, euadereque in magnitudinem congruam poſſit. Quo proinde loco adnotari poteſt nihil fore neceſſe, vt ſpeciale quidpiam hoc loco de facultate augmentatiua, déque incremento animalium dicamus; cùm præter ſuo loco dicenda, cùm de illorum ætatibus, conſtet augmentatiuam eſſe cum nutritiua indiuiduam; & præclarè doceat Ariſtoteles, Nutritionem, & Accretionem ratione dumtaxat differre. Cùm videatur porrò quidpiam præmittendum de facultatibus, organiſque variis, quibus nutritio peragitur; tùm illud attingendum eſt; Quoniam alimentum, quo nutriri, & accreſcere debet animal, extrinſecùs poſitum ſit; eapropter omni animali ineſſe os, quo id aſſumat, ſibique intrinſecum ſtatuat. Et quia illud eſt tùm diſſimile, tùm eâ denſitate, vt penetrare in omneis parteis, omnibúſque accommodari, niſi ſit exſolutum, nequeat; ideò vnicuique pariter ineſſe ſtomachum, ſeu partem quandam interiorem, quæ alimentum & exſoluat, & fluidum, ac in omneis parteis penetrabile faciat. Et quia in eodem alimento multæ ſunt partes heterogeneæ, ac vel non ſatis fluxibiles, vel animalis partibus non ſatis conſentaneæ, eamobrem, quòd eæ excernendæ, egerendæque è corpore ſint, ineſſe cuique ſimiliter partem aliquam, quâ egeſtio fiat.

1. De Gen. 5.

Exinde autem videre licet, quò tendant variæ adminiſtræ, famulantéſve facultates, quas Altrici, tanquam præcipuæ, tribuere Galenus, & cæteri ſolent. Eſt enim Primvm quædam Attractrix; eaque non modò in ipſo ore, donec alimentum externum eſt; ſed etiam & in ſtomacho, ſeu ventriculo, dum ore exceptum, ac, ſi opus ſit, comminutum

eſt;

eſt; & in omni parte, quæ aut ipſo eget, vt iacturam reſarciat; (ac ſi poſſit quidem cum fœnore aliquo) ant ipſum debet tranſmittere, quodámvè modo præparare. DEINDE Recentrix, eáque tùm in quacumque parte alimenti elaboratio peragitur, neceſſaria eſt, vt in ſtomacho, iecore, ſæpéque etiam in ipſo ore; tùm in oſculis venarum extremis, ſeu quà venulæ capillares appellunt ad ſingulas parteis, quibus alimentum paratur, quæque ipſum, vt nutriantur, alliciunt. AD-HÆC Exſolutrix (ita nimirum nobis videtur pro Alteratrice dicenda) ipſáque aut Commanducatrix in ore (certè in animalibus, quibus dentes ad diſcerpendum, deterendúmque conceſſi ſunt) aut Concoctrix in partibus aliis; ſed eum eo diſcrimine, vt cùm prima concoctio fieri dicatur in ventriculo, intelligendum ſit præcedere præparatoriam in ingluuie auium, & reticulo ruminantium. Quæ autem Concoctio in ventrieulo peragitur, alimentúmque in fluorem appellatum Chylum conuertit, Prima dicitur, ub Secundam, quæ peracta in iecore conuertit Chylum in Chymum, ſeu humorum, maſſam, quæ etiam à potiore, & rubicunda parte Sanguis appellatur; & ob Tertiam, quæ peracta in ſingulis partibus ſanguinem conuertit in magis affinem partibus ſubſtantiam, quam ex alteratione quaſi triplici Rorem, Cambium, & Gluten vocant. POSTEA Secretrix, quæ eadem penè cum Attractrice eſt, ipſáque non ſolùm in exitu à coneoquentibus partibus; quo pacto chylus à fæcibus, ſanguis à variis humoribus, & poſtrema illa ſubſtantia à ſudoribus repurgatur; verùm etiam ad parteis alias à natura ſic comparatas; veluti quà venæ emulgentes ſecernunt ſerum à maſſa ſanguinea; aut venæ, arteriæque ſeminales materiam ſemineam. VLTERIVS Expultrix; ipſáque non modò maſſæ alimentitiæ in partibus ipſam præparantibus, & functione quidem in præparando ſuâ defunctis, vt in ventrieulo, iecoréque; ac in vaſis etiam tranſmittentibus, vt in Inteſtino Duodeno, ac venis; verùm etiam excrementorum in vaſis transferentibus; & aliquantiſper aſſeruantibus, vt in veſica, & inteſtinis. INSVPER Digeſtrix, ſiue Diſtributrix; niſi quòd hæc eſſe non videtur alia ab expultrice maſſæ alimentitiæ, & attractrice tùm vaſorum deferentium, veluti venarum, quacumque aut pullulant in ſurculos, aut finduntur in ramos, tùm ſingularum partium, quarum vnaquæque tantùm alimenti, quantum eſt congruum, prolicit. Sic nimirum œconomia, hoc eſt, digeſtio, diſtributióve alimenti peragitur: vtcumque vulgò digeſtio pro Concoctione vſurpetur. POSTREMÒ eſt Aſſimilatrix, ipſáque in qualibet parte, quatenus appulſum ad ſe alimentum debitè concoctum, repurgatúmque ita ſibi agglutinat, vt ſimilis ſecum ſubſtantiæ, temperamentique efficiat.

Quod ſpectat verò ad organa huiuſcemodi Facultatum, Nutum eſt admitti villos, ſiue Fibras quibus directæ tranſuerſæ, obliquæ cùm ſint, tùm Attractio fiat, cùm laxatis cæteris directæ præſertim tenduntur; Expulſio, cùm tranſuerſæ; Retentio, cùm obliquæ; Digeſtio, cùm directæ, & tranſuerſæ ſimul; Secretio cùm directæ, & ſpeciales partium: Vt prætercam ad Retentionem præſertim facere Sphincteres, ſeu caruneulas, & ipſas ex fibris contextas, quæ ad orificia vaſurum appoſitæ, ipſa reſerent, occludántque. Vtcumque verò actio fibrarum reuocari poſſit in dubium; ea ſaltem manifeſta eſt in Periſtaltico Inteſtinorum motu, qui in Animalibus viuis exſectis, & manu præſertim admotâ deprehenditur: Is videlicet annellatim, vndulatímve, & ex ordine, appoſitéque propellendis fæcibus ita fit, vt nullum aliud organum, quàm fibræ, ex quibus contexta Inteſtinorum ſubſtantia eſt, aut excogitari, aut oſtendi poſſit. Quare & licet fibrarum actio non ſit perinde in Stomacho, veſica, venis, partibúſque aliis obſeruabilis, poteſt tamen aliqua eſſe, & pro ratione quidem texturæ ex partis cuiuſque ſpecialibus fibris. Neque obſtat quòd venæ vrgere poſſe non videantur ſanguinem intra ſe contentum, quatenus, fluidus cùm ſit, reſiſtere parte ſui interiore, ſecundum quam ab ipſo venæ corpore non contingitur, poteſt: Nam & memoratus inteſtinorum motus tùm colliquata excrementa vrgere non deſinit, tùm flatus quoque ipſos premit; & contactæ à venis partes extimæ ſanguinis vrgeri non poſſunt, quin ipſæ interiores vrgeant; & non modò venæ ſecundum totam ſui longitudinem prorsùm adigunt, ſed pars quoque ipſa, à qua ſanguis ſcaturit, ipſum ſic propellit, vt neque interiores, neque exteriores illius parteis refluere patiatur: & paſſim intra venas occurrunt valuulæ inferiùs dicendæ, quæ ſanguinem in anguſtum cogentes, facilem eius tranſmiſſionem, ſeu quaſi tranſilitionem faciant; & adeſt continens aliunde arteriarum pulſatio, quæ venis impreſſa tùm non patiatur ipſas feriati, tùm contentum ſanguinem continenter excalefaciat, rarefaciat, ſicque dilatet, vt ab ipſa vſque ſcaturigine, qua emittitur, non poſſit non ſemper propelli.

Enimverò promptum eſt, admittendum eſſe prætereà Calorem, tanquam ſpeciale organum, quo alimenti Exſolutio, ac ea ſpeciatim, quæ in Stomacho fit, & prima, ac per excellentiam Concoctio dicitur, peragatur; Niſi quòd Aſclepiades apud Aurelianum Exſolutionem quidem in ventriculo, non item verò concoctionem agnouit. (Lib. 1.) Sed quæſtio nimirùm de nomine eſt; ac præſertim cùm Exſolutio non ſine calore, quo partium penetratio adiuuetur, fiat: adeò vt, licet aliqui ita Concoctionem ab Exſolutione diſcernant, quòd hæc præcedat, illa ſequatur; videatur tamen ali-

mentum ex quo exſolui incipit, incipere & concoqui; ac dum perficitur Concoctio, perfici quoque Exſolutio, ſicque Concoctio nihil eſſe aliud, quàm Exſolutionis ſpecies, quæ aliquo fiat cum calore, videatur. Obſeruandum eſt autem Calorem ad hanc concoctionem neceſſarium, non modò eum eſſe, quem Actualem vulgò appellant, ſed etiam illum, quem Potentialem, ſeu qualem aliàs diximus eſſe aquarum fortium, vocant. Nam actualem quidem ad concoctionem facere, noſtri ſtomachi exemplo probatur; qui idcirco videtur cordi, diaphragmate ſolo intercedente, ſuppoſitus, & aliunde à iecore, lienéque velut circumdatus, vt alimentum concoctus huiuſmodi partium calore foueatur; & conſtat ferè parteis externas ſolere à paſtu quadamtenùs frigeſcere; quaſi euocato introrsùm ad coquendum cibum calore; ac aliunde, ſi ſtomachus refrigeratus fuerit, imperfectam fieri, vitioſámque coctionem. At verò calorem huiuſcemodi ſimplicem non ſufficere Probatur imprimis, quod ſtomachus Piſcium, qui ex ante-dictis non ſentitur calidus, alimentum tamen ſic coquat, vt in propriam partium ſubſtantiam vertatur. Deinde, quod in nobis quoque licet concoctio in ſtomacho ſit ſpecies quædam Elixarionis, quatenus cibo ſolido intra ipſum affunditur potus, vt carni aqua intra lebetem; attamen non pura Elixatio eſt, alioquin vt caro intra lebetem non penitùs exſoluitur; ita neque intra ſtomachum exſolueretur; & bullitione quidem neque tam vehementi, neque tam diuturna. Adde quòd nonnulla animalia ſunt, veluti Chamæleon, & ſimilia, quæ nunquam bibant (quin-etiam nobis amicus eſt, qui nunquam, aut vix anno ſemel, idque vt amicis gratificetur, bibit, præter multos alios, qui tota hyeme bibunt nihil) & ſolidum tamen alimentum coquant optimè, adeò vt ea dici Elixatio propriè non poſſit, quòd neque externus ſit humor, in quo fieri, neque internus tantus, in quo peragi poſſit. Itaque ſpecies quidem eſt Elixarionis aliqua, prout humor adhibitus (ſiue is affundatur, ſiue ex cibo exprimatur, ſiue à corpore ſuppeditetur) elicit quicquid ſalium, ſubſtantiæque alimentitiæ in cibo eſt, ac in ſe tranſſumit, ipſóque prægnans, efficitur ſuccus. At quia non poteſt ſatis plerumque penetrare, vt id eliciat; neceſſe eſt adſit exſolutiuum Principium, quod cibum aperiat, inque particulas comminuat, in quas ſubire, & quas ſibi incorporare humor valeat.

Et verò quod nam eſſe poteſt Principium huiuſcemodi? Id videtur eſſe ex parte ipſemet Ventriculus: Quippe cùm ventriculus auium eiuſmodi ſit vt ex eo poſſit excerni Sal, quo in renibus, & veſica humana exſoluantur Calculi, ſicque non ſit mirum res duriſſimas, compactiſſimáſque deglutitas ab auibus exſolui à ventriculo, huiuſmodi Sal in ipſas ſpirante; conſentaneum eſt omnis animalis ventriculum eâ eſſe texturâ, vt in eo Sal vigeat, quod cibis naturæ animalis congruis exſoluendis ſit opportunum, & in quo proinde conſiſtat quam vim dicere ſtomachi ſpecificam ſolent. Dico autem ex parte; vt intelligatur Exſolutionem, concoctionémve fieri in parte idonea, & quidpiam ex ſe conferente; Cæterum enim Principium exſoluens videtur potiſſimum eſſe ſuccus acidus, ab liene ſuppeditatus. Audio rem placere eximio Camaræo meditanti librum de vſu lienis conſcribere; Intereà verò mihi pridem argumentum fuit Vas breue vocatum, quo celebre eſt ventriculum cum liene communicare. Cùm enim hæc communicatio fruſtrà eſſe nequeat; haud facilè ſanè alius eius vſus, quàm propoſitus poteſt cogitari. Admittit porrò ferè non-nemo ſuccum vaſe iſto ex liene tranſmiſſum non eſſe modò acidum, ſed etiam creare, prouitaréque appetitum; licet qua ratione id faciat expoſitum à quoquam non norim. Videtur ergo Aciditas, quæ in illo eſt, ſubindicare vitrioli portionem, quæ miſta fortè in ſanguine cum portione nitri, ac ſalis communis (id eſſe quoque volatile, ſiue elementum Ammoniaci poteſt) ſeligatur à ramo venæ portæ ſplenico (eo nempè modo, quo aliunde, ab emulgente ſelectio fit) tranſfuſáque in ipſum lienem, intra illum elaboretur, vt intra quoddam chymicum vas, in ſpeciem quandam aquæ fortis, proportionem cum ea habentis, à qua ſuo loco deſcripta, & in veſicam iniecta calculos exſolui poſſe diximus citra læſionem ipſius veſicæ. Quare & fieri poſſe videtur, vt ſi acidus ille ſuccus ex liene effuſus in ventriculum quædam huiuſmodi ſit aqua, alimentum eo exſoluatur.

Comprobatur verò ex eo, quòd plerumque, dum concoctio peracta eſt, vapores ructantur, qui acorem referant; eadem ratione vtique, quâ ipſa quoque fermentata paſta aceſcit. Nempè & fermentum acidum eſt, & paſta eatenus fermentatur, quatenus acidus ſpiritus fermenti in eam penetrat, & minimas quaſque particulas farinæ exſoluit; maſſámque proinde inflari, ac veluti ſuccreſcere cogit. Ex quo fit proinde vt & ſuccus ille à liene ſubminiſtratus habendum ſit velut fermentum; & alimenta ipſius ope fermentari cenſenda ſint, hoc eſt, exſolui in particulas, ex quibus cum aqua, aliòve humore commiſtis creetur is ſuccus, quem dicimus chylum. Confirmatur rursùs ex eo quòd cùm is idem ſuccus dici Melancholicus ſoleat, ij, qui ob lienis magnitudinem, huiuſque adeò ſucci copiam, dicuntur Melancholici, edaces habentur, ac ſunt. Nimirum & citò, & multum alimenti exſoluitur, & cùm id exſolutum eſt, exceſſitque è ſtomacho, tùm agens in ipſam ſtomachi membranam ſuccus acidus, ipſum vellicat, ac in eo nouam alimenti appetentiam creat. Difficultatem facere poſſet, quòd Animalia

Animalia quædam ſint, quæ liene careant, vt cætera inter Teſtudo marina, iuxta proprium experimentum, cuius ſuperiùs meminimus. Neſcio verò an dici valeat ſufficere ipſis conſtitutionem ſtomachi; ac lienem eſſe iis dumtaxat conceſſum animalibus, quibus ſtomachus ſatis eſſe ad exſolutionem ciborum non potuit. Neque enim incongruum eſt tam inſignem partem factam eſſe ad famulandum ſtomacho; cùm etiam reticulum tam inſignis pars ruminantium ob eundem famulatum ſit, aliæque in aliis partes. Vtcumque ſit; ſi exſolutio eo, quo diximus, modo peragatur, ea fiet quidem non ſine calore; ſed ita tamen, vt huiuſmodi calor ſit ex actione ſpirituum tùm vitrioli aliorúmque ſalium, tùm eorum, qui in alimento contenti quaſi liberantur, planè vt in omni fermentatione fit, ac in ipſa adeò diſſolutione per aquas forteis, quippè quæ ſine aliqua ebullitionis ſpecie non fiat.

Quod ſpectat ad Exſolutionem, ſiue concoctiunem, quæ fit poſteà in iecore: ea neque vim exſolutricem adeò robuſtam exigit, neque eſt cum tanto calore; nempè quæ ſit quidem noua exſolutio, ſed præcipuè tamen ſit diſcretio quædam in varios humores pro conditione variarum partium, particularúmque, ex quibus chyli maſſa conſtat. Non modò certè aliqui excrementitij ſtatim ſeponuntur; ſed etiam qui videntur miſtim, confuſéque in venas erumpere, eiuſmodi ſunt, vt facillimè ſecernantut. Prætereo autem totam eorum maſſam prodeuntem è iecore non eſſe ſuapte naturâ rubeam, ſed id habere ex commiſtione dicti ſpeciatim ſanguinis, qui humor eſt conſtans iis corpuſculis, quæ provt à partibus variis intra quas morantur varietatem poſitûs ſubeunt, ita referunt cuiuſque colorem. Nempè ſicut à iecore rubicundo id obtinent vt ruborem exhibeant, ita à candidis mammarum glandulis, vt candorem, & ab omnibus partibus, ad quas allabuntur, quarúmque ſubeunt conditionem, vt colorem cuiuſque proprium. Denique autem quæ exſolutio, ſeu Concoctio in ipſiſmet partibus fit: ea, vt minimùm vehemens, ita minimo cum calore eſt; quippè cùm nihil ferè aliud, quàm ſecretio ſit, & particularum aſſimilandarum delectus. Non eſt verò quamobrem aliud urganum aſſimilationis requiratur, quàm ipſæmet partes; quatenus perenni illâ ſuâ motione, de qua dictum aliàs, appulſi ad ſe ſanguinis, ſeu alimenti, particulâs congruas, ſibique conformeis, deligunt, alliciunt, & conſociant ſibi. Quippè ex incredibili particularum varietate, ex quibus alimentum conſtat, iſtæ congruæ ſunt ad naturam carnis, illæ ad oſſis, aliæ ad aliam, non omnes verò ad quamlibet; cùm & quædam ſint, quæ ad nullam. Quamobrem vnaquæque pars taleis ſecernit, adſciſcitque, quales ſunt ſibi ſiſæve naturæ accommodatu faciliores; cæteras relinquit, aut reſpuit. Heinc cùm Quæſtio pridem agitata fuerit, vtrùm ſimile ſimili, an contrarium contrario nutriatur? Præclarè Ariſtoteles opiniones oppoſitas eâ diſtinctione conciliat, quòd, ſi alimentum ſumatur, quatenus inconcoctum, inelaboratúmque eſt, contrarium, ſeu diſſimile animali, ipſiúſve partibus ſit; ſin quatenus coctum, eâque ratione elaboratum, vt iam iam trauſire in ſubſtantiam, parteíſve animalis debeat, tùm ſimile eſſe, conforméve cenſeatur.

2. De an. 4.

Id porrò quod obiter dixi de Alimenti appetentia, complecti id, quod eſt in Fame, Sitique præcipuum videtur. Nam Plato quidem dixit has cupiditates eſſe manifeſtiſſimas, ac vtramque innatam eſſe, auribus carere, & totu conatu ad expletionem, voluptatem, liberationémque ab omni moleſtia, quaſi œſtro percellere; Ariſtoteles verò definit quidem Famem cupiditatem calidi, & ſicci; & Sitim, cupiditatem frigidi, & humidi: at neuter dixit neque vnde, aut quomodo excitaretur; neque quidnam in cibo, ac potu exigeretur potiſſimùm; quando multa ſuperflua ſunt, quæ ex vtroque reiiciuntur. Obiter verò adnotari poteſt, videri Ariſtotelem ſuis illis Qualitatibus nimis religioſè adſtrictum. Quippè, vt nihil dicam de fame infantium, aliorúmque recens natorum animalium, quæ lactis ſolius cùm ſit, appetitus ſicci non eſt; vt neque eſt frigidi ſitis. Ecce, eſt quidem adultorum fames cupiditas cuiuſdam cibi ſolidioris, compactioriſque, quàm res merè fluidæ, ſint; at quamvis conſtet cibus ex quadam ſubſtantiæ ſiccæ admiſtione, non ideò tamen humidi intermiſtio excluditur. Vide ſcilicet herbas, atque fructus, quibus animalia veſcuntur; iſta profectò eſſe non dices ſicca potiùs, quàm humida; cùm liceat præſertim ex ipſis eum humorem exprimere, qui longè excedat portionem ſubſtantiæ, quam appellant ſiccam. Quin-etiam licet donemus famem eſſe cupiditatem ſicci; quamobrem definiri quoque calidi cupiditas debeat; quaſi eædem herbæ fructúſque præ ſe caliditatem potiùs, quàm frigiditatem ferant? Quod ad ſitim ſpectat, ea quidem perſpicuè humidi cupiditas eſt, verùm ex accidenti eſt, quòd illud etiam frigidum ſit. Videtur ſanè Ariſtoteles ſolùm reſpexiſſe ad ſitim, quæ ex calore oritur, ſeu illum nimia agitatio, ſeu anni tempus, ſeu mora ad ignem, ſeu febris, ſeu cibus, ſeu quid aliud pariat. Non reſpexiſſe verò ad ſitim, quæ ſecundùm naturam eſt, eam nempè quæ ſuboritur, dum inter comedendum fit cupiditas humidi, quo cibus compactior ſoluatur, diluatur, elixetur, in ſuccum abeat, quemadmodum dictum iam eſt: cùm nihil ſit neceſſe id frigidum potiùs, quàm calidum eſſe, Platóque veriùs dixerit, ſi caliditas ſiti inſit, frigidi eſſe cupiditatem; ſi frigiditas, calidi. Nunne verò ſatis experientiâ conſtat, ſufficere ad reſtinguendum ſitim, ſi modò

6. De leg. & 4. de Repub.

2. De an. 3.

4. De Rep.

ſtomachus

ſtomachus exarefactus humectetur ; quantumvis humor calidus, aut ſaltem non frigidus ſit ? Ac voluptas quidem interdum eſt maior ; & videre plerumque licet hoſce delitiis deditos, niſi fuerit glacies, aut nix adhibita, non delectari. Verùm, ſi habeatur ratio valetudinis, docet experientia quàm ſæpè gelidæ potus noceat, quàm nunquam potus calefactæ. Quid quòd nihil etiam voluptatis deperit ex calidæ vſu, ſi modò tantilla fuerit aſſuetudo ? Teſtari certè id nobis licet, qui præ dolore dentium diuturniore coacti diutiùs aquam bibere paulò tepida calidiorem, eò fuimus adducti, vt dolore licet ſedato, frigida, etiam per æſtatem, habita fuerit iniucunda, ac inſipida ; & cùm poſt vnum alterúmve annum quotidiana febris duorum propè menſium incidiſſet, calida ſola per paroxyſmos ardentiſſimos delectârit. Neſcióque, an addere debeam, cùm res ſatis mira videretur medico, nullo me tentari ſolitorum ciborum faſtidio, ſed & illos appetere, & pari, quâ per ſanitatem, ſuauitate vſurpare, retuliſſe id me in calidæ vſum, quippè cùm non vt cæteri gelidam affunderem, quâ ſtomachi efferueſcentis vitiaretur temperies ; ſed calidam, ſeu familiarem, à qua nihil paſſus temperiem tueretur, ac ideò poſſet ſolitis fungi muneribus, hoc eſt, cibos, licet non tantos, appetere, concoqueréque.

Plac. 5. 28. Sed ad cauſam vt redeam, Empedocles apud Plutarchum cenſuit oriri famem, ac ſitim ob defectum alimentorum, ex quibus
Lib. 1. animalia conſtant ; & Aſclepiades apud Aurelianum fieri ſpeciatim famem dixit patefactione viarum maiore, & ſitim minore, tam in ſtomacho, quàm in venis. En autem, vt Lucretius rem ſpecialiùs expreſſerit ; Primùm circa Famem,

Illud item non eſt mirandum, corporis ipſa
Quòd natura cibum quærit quoiuſque animantis,
Quippè etenim fluere, atque recedere corpora rebus,
Multa modis multis docui ; ſed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu,
Mulsáque per ſudorem ex alto preſſa feruntur,
Mulsa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rareſcit corpus, & omnis
Subruitur natura ; dolor quam conſequitur rem.
Propterea capitur cibus, vt ſuffulciat artus,
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra, ac venas vt amorem obturet edendi.

Deinde circa ſitim,

Humor item diſcedit in omnia quæ loca cumque
Poſcunt humorem, glomeratáque multa vaporis
Corpora, quæ ſtomacho præbent incendia noſtro,
Diſſupat adueniens liquor, ac reſtinguit, vt ignẽ,
Vrere ne poſſit calor ampliùs aridus artus.
Sic igitur ſibi anhela ſitis de corpore noſtro
Abluitur, ſic expletur ieiuna cupido.

Quibus verſibus contiueri vides quicquid penè deinceps dictum à variis Authoribus fuit de exſolutione ſeu corporearum partium, ſeu Primigenij humidi, propter continentem actionem caloris ſiue innati, ſiue extranei ; itemque de reparatione, quæ fit tam per cibos, quam per aſſumptum potum in omnibus partibus ; licet ſpeciatim non declaretur, vnde oriatur ſpecialis ſenſus, qui creatur in ſtomacho, & ad ſuperius potiſſimùm orificium, vt vulgò præſcribunt. Cùm ſit porrò ſententia communis ſentiri famem in ſtomacho, eiúſve orificio, non verò in partibus aliis, quod facta ab aliis attractio, ac proinde quædam quaſi vellicatio ab extremis vſque, per intermedias ſuccedenter in orificium hoc deſinat ; veriſimilius tamen videtur, cauſſam eſſe, quam diximus ; humorem videlicet acrem ex liene in ſtomachum, non in alias parteis, effuſum. Quippè ſi ſimplex foret attractio, illa haud-dubiè ſentiretur in omnibus partibus, neque ſenſus deſineret in orificio ſtomachi, ſed in ſumma tantum œſophagi parte, vlterioribúſve cum ea continuatis. Non obſtat verò quòd ille ſuccus in ſtomachi fundum, non in orificium ſuperius fundatur ; cùm licet fames dicatur ſedem in hoc habere orificio, nemo ſit tamen, qui experiatur, ſe in ea præciſè parte eſurire, & non potiùs in ſtomacho toto, œſophagóque & faucibus ipſis ; ſcilicet quaſi humor ille effuſus in ſtomachi fundum attenuetur in quendam vaporem, qui quoquoversùm ſtomachum petat, œſophagúmque etiam, & fauceis compungat.

Hinc certè fieri videtur Primùm, quamobrem dum comedimus, non illico fames ſedetur ; ſed tùm ſolùm, cùm vel ſtomachum oppleuimus, vel quod quantitate modica ingeſtum fuit, exſoluitur, fermentatur, bollit ; nimirùm tunc ab alimento, craſſóve eius halitu abigitur, quod ex humore, vaporéve acri, tam fundo, & parietibus, quàm fornici ſtomachi hæret. Deinde quamobrem ingeſtum paulò calidius iuſculum, & pingue præſertim, ſtatim ſatiet ; nempè pari modo ſtomachus oppletur craſſo halitu, ipſoque ſecundum ſe totum quaſi illitus deſinit compungi. Et agnoſcis ſanè eo caſu, tametſi extremæ partes corporis refectæ non ſint, non vellicare eas tamen ; cùm deberet nihilominus, niſi ad fauceis ſtomachi, ſaltem ad parteis alias, ob attractionem, exſuctionémque ad eas terminatam, vt priùs ad ventriculum, vellicatio ſentiri. Rurſus quamobrem nos interdum inappetentia etiam impaſtos teneat. Videlicet aut poteſt vas huiuſmodi eſſe obſtructum, adeò vt ex acri humore vel nihil, vel parum effundatur in ſtomachum ; aut poteſt ſtomachus humore aliquo prauo imbui, ſicque veluti incruſtari, vt licet humor effundatur, compunctionem tamen non ſentiat ; aut poteſt membrana illius interior eam intemperiem contrahere (quemadmodum di-

ctum

Digitized by Google

ſtum eſt ex frigore gelidæ per paroxyſmum febris infuſæ) vt ſiue exuſta ſit, ſiue rigeat, vel alia ratione deprauata ſit, ea compunctione non moueatur. Ad hæc, quamobrem interdum βουλιμία, caninàve fames nos vrgeat; Siquidem tanta eſſe poteſt humoris acris copia, vt alimentum ipſo imbutum acre admodùm adhuc ſit; ita vt eo quoque vellicetur ſtomachus, & cùm non ſit eiuſmodi, vt attrahatur à partibus, etiam ab ipſo ſtomacho, cui eſt oneri, plerumque euomatur.

Ex quibus, aliiſque id genus intelligi licet nullium videri argumentum, quo Auerruës
a. Collig.c.9. probat nutriri chylo ſtomachum, quoniam fames ceſſat ilico à cibo aſſumpto. Videlicet ceſſare poteſt propter cauſam expoſitam; cùm ſatis aliunde incongruum videatur cæteras membranas ſanguine nutriri, non nutriri verò ſtomachum, qui membraneus eſt;
3. Fac. nat. 13. & 21. vtcumque Galenus, nobileſque alij medici conſentiant. Quaſi verò ſtomachus formatus, nutritúſque in vtero non fuerit, priuſquàm chylum elaboraret? Quaſi ipſa chyli elaboratio non ſupponat ſtomachum elaborantem iam conſtitutum, ac elaborandi facultatem adeptum? Quaſi chylus ſit ſatis idoneus ſtomacho nutriendo; aut ſi ſit, reputari debeat non ſatis idoneus, vt cæteras parteis, ac ſimileis præſertim nutriat? Quaſi non poſſint igitur eadem ratione dici nutriri menynges cerebri ſubſtantiâ, teſtes ſemine, &, ſi placet, etiam cyſtis bile, veſica vrinâ, atque ita de cæteris? Quòd ſi requiras fortè quæ vena deſtinetur potiſſimùm ad nutritionem ſtomachi; conſtat experientiâ eam eſſe ex ſplenico ramo, tota ſtomachi regione diſperſam. Quo rursùs ex capite videri poteſt ſtomachus catenus ad famem ſuapte natura comparatus, quatenus nutritur, texitúrque ex eo ſanguine, qui ad lienem pergens habet iam aliquid acredinis, licet non tantam, quantam ipſi elaboratio in liene acquirit. Ad ſitim verò quod attinet; eadem quidem eius, quæ famis eſt, ſedes; ſed cauſſa eſt ipſa exarefactio ſtomachi, œſophagi, faucium, totiúſque oris; quatenus ſequuta inde corrugatio ſine aliqua reuulſione, preſſionéque partium, atque idcirco ſine quodam moleſtiæ ſenſu fieri non poteſt. Contingit autem exarefactio, tùm citra cibum ob calorem ab indicatis cauſſis ſubortum; tùm cum cibo, ob ſiccitatem, quæ in ipſo cibo eiuſmodi ſit, vt ſpongiæ inſtar humiditatem, quæ in ſtomacho eſt, exſugat; niſi ea fortè tanta ſit, veluti in iis, quos dictum eſt, nunquam, aut raro bibere, vt citra noxam ſtomachi vſurpari, ſufficeréque cibo debitè humectando poſſet.

Circa id autem, quod in Alimento potiſſimùm exigitur, ſciendum eſt, vt ex animali triplex ſubſtantia deperditur, ſolida, fluida, ſpirituoſa; ita debere eam reſarciri triplici quadam conſimili, quam alimentum complectatur. Debent ergo in alimento eſſe primùm ſolidæ partes, ſiue totum ſit ſolidum ſiue fluidum cùm ſit, commiſtas parteis ſolidas habeat, quæ à fluore ſecerni poſſint. Debent & fluidæ; ſiue totum fluidum ſit, ſiue cùm fuerit ſolidum, parteis contineat fluidas, quæ poſſint ex ipſo educi. Debent denique ſpirituoſæ, ſiue totum penè ſpirituoſum ſit, ſiue aliquid ſpiritus craſſas inter parteis cohibitum teneat. Oportet verò ſolidas parteis eiuſmodi eſſe, quæ cum ſolidis corporis partibus proportionem habeant, & alimento exſoluto, inque chylum verſo, facilè cum ipſo poſſint fluere; alioquin enim fæces fiunt; ipſæque non modù ex ſolido cibo, ſed ex fluido etiam, cuiuſmodi eſt vinum. De fluidis paulò ſecùs iudicandum. Nam quæ ſunt propriè alimentitiæ, nihil aliud ſunt ferè, quàm via quædam ad ſolidas; & quæ non ſunt alimentitiæ, excernuntur quidem, ſed peractâ tamen functione neceſſaria, vt exſolutione, tranſvectionéve ſolidarum. Ex quo fit, vt non modò pinguis ſuccus, qualis continetur in granis, neceſſarius ſit ad reparandum ſanguinem, verùm etiam aqua illi macerando, chylôque, atque ſanguini conuehendo idonea, priuſquàm in lotium, ſudorémve excernatur. Spirituoſæ demùm, quia cohibitæ intra fluidas alimentitias cunnehuntur, ideò indigent ſolùm quadam ipſarum incalefactione, vt liberari valeant, excurreréque per ipſum corpus. Heinc proinde fit, vt quod maximè ex alimento exigitur, ſit liquor quidam non purè aqueus; ſed talis, qui ſolidas parteis; ſpiritúſque contineat; ſitque adeò pinguis, & non viſcidus quidem, verùm inflammabilis tamen; qualis eſt, qui ſolet vulgò ſpiritus, ſeu aqua vitæ appellari. Nempè talis quædam ſubſtantia, quòd ſpirituoſa maximè ſit, ſupplere omnium maximè poteſt, quod maximè deperditur. ſpiritus nempe, quibus exhauſtis neceſſe eſt animal mori; cùm ſit aliunde & fluida, & continens quidpiam ſolidiorum partium ſpiritus irretientium, poſſitque adeò quadamtenus cæterarum partium reſarcire iacturam. Indicio porrò maximo eſt, quòd res vnaquæque tantò ſit magis alimentitia, quantò ex ea elicere maiorem huiuſmodi aquæ, ſiue ſpiritus aquam licet; indéque ſit, cur omnia grana, cur mel, cur vinum maximè nutriant. Et quamobrem aliunde putas generoſum vinum reficit tantopere vireis; niſi quia abundat iſto ſpiritu, qui per omnia membra ſtatim diditur? Quamquam eſt aliunde aliquid in ipſo maligni, vt ab eo propterea cauendum meritò videatur, ſicut dicendum alibi eſt.? Cur putas mel in ſtomacho, velut in lebete difflatur tantopere, niſi ob copiam ſpiritus, quem viuidior ſubſtantia cohibet, quique donec diducitur ebullitionis ſpeciem creat? Quorſum grana omnia egere maceratione, coctionéque, niſi quia cùm plurimùm contineant huiuſcemodi ſpiritus, compactiſſima tamen ſunt, & exſolui priùs aliquatenus debent, ne labo-

rem ſtomacho nimium in iis exſoluendis faceſſant (ſed non aſſueto videlicet, cuiuſmodi humanus vt plurimùm eſt; nam eſt alioquin ſtomachus auium ipſis exſoluendis vt à natura comparatus, ita penitùs aſſuefactus) & plus aliunde ingeritur, quàm vt digeri exſolutum poſſit?

Dicendum heic aliquid foret de varietate alimentorum, quibus animalia nutriuntur; verùm res manifeſta eſt, cùm & conſtet non poſſe eadem idonea eſſe omnibus, propter varietatem temperamentorum, ex qua eſt, vt quæ his gratiſſima ſunt, illis nauſeam pariant, neque ab ipſis attingantur; & perſpicuum ſit eſſe vnicuique animali ſuam voluptatem, cùm alimentum aſſumit congruum, ac dici proinde geminatum poſſit in ipſis ruminantibus, vel ex relatu hominum quorumdam ruminantium, cuiuſmodi duos Aquapendentius memorat, fidem facienteis ruminationem actionem eſſe inuoluntariam, creareque ex ea voluptatem neceſſitate quadam naturæ. Attingenda itaque potiùs ſpecialis difficultas eſt de alimento hominis; qui cùm videatur fuiſſe factus, comparatúſque à natura, vt terræ donis, hoc eſt, herbis, fructibúſque veſceretur, ad cædeis tamen animalium, carniſque vſum deflexerit. Naturæ certè inſtitutum agnoſcere non obſcurè licet vel ex ipſa ſola conformatione dentium, quos ad comedendum cóceſſit. Siquidem cùm inter terreſtreis, greſſileiſque animanteis conſtituerit nos; non taleis nobis tribuit denteis, qualeis iis, quæ ex ſuâ natura veſci debuerunt carnibus, vt ſunt Leones, Lupi, & aliæ, ideò vocatæ carniuoræ; ſed qualeis iis, quæ veſci herbis, variiſque fructuum generibus, vt ſunt equi, oues, & aliæ, quæ non carniuoræ habentur. Cur verò putemus attributos prioribus fuiſſe denteis anteriores turbinatos, longos, à ſe inuicem diſſitos, ſibi mutuò non occurrenteis; niſi vt, quia Carnes tenaciores ſunt, propter membrauas, tendines, variáque genera fibrarnm, ceu glutino quodam cohærentium, infigere ipſos profundè in illas debuerunt, vt eas vi facta diſcerperent, diſtraherent, auellerentque? Cur ex oppoſito poſterioribus latos, breueis, cohærenteis, occurrenteis; niſi quia herbæ, fructúſque fragiliores ſunt, & leuiore quadam, paullóque latiore apertione, preſſionéque cedunt in fruſta? Et, vide, vt ſi vices commutes, hoc eſt, denteis illorum iſtis, iſtorum illis tribuas, tunc priores poſſint ſolùm premere, non item reuellere carneis; poſteriores verò poſſint quidem quaſi foſſulas excauare in fructibus, non item ſcindere, & abducere fruſta. Quod idem proportione qnadam obſeruare in auibus licet, ex quibus quæ carniuoræ ſunt, roſtro ſunt non modò acuto, ſed ſuperiore etiam parte prolixiore, atque adunco, vt non modò ipſum in carnem infigere, ſed abſtrahere quoque ex ea fruſta valeant; quod ſanè non poſſent, ſi rectum, turbinatúmve, vt aliæ, haberent; quemadmodum neque aliæ colligere, neque excutere grana poſſent, ſi vt carniuoræ aduncum, prolixúmque alterâ parte obtinerent.

Cùm tales ergo homini dentes conceſſi à natura ſint, quales ſunt conceſſi non carniuoris, ſed aliis, quæ donis terræ ſimplicibus veſcuntur: Quidni agnoſcamus eo fine conceſſos, vt abſtineamus à carnibus, vtamur verò aliis rebus? Poteſt autem res confirmari ex eo, quod videmus omneis pueros præferre perdicibus poma, eſſéque vniuersè amantiſſimos non carnium, ſed fructuum; nempè quia natura in illis eſt adhuc quodammodo pura, inalterata que, & qualis eſt, ſeſe explicat, quoúſque vſus carnis diuturnus ipſam immutatâ temperie deprauauerit. Quodammodo, inquam; nam ſi puer foret & formatus ex ſemine, & nutritus lacte parentum, qui ipſi abſtinuiſſent à carnibus; aut ſi ſaltem dimiſſo lacte paſtus carnibus, iuſculiſque carneis, non eſſet, ferretur haud-dubiè in fructus impenſiùs. Poteſt item tùm ex eo, quòd cùm nobis arma, ſeu inſtrumenta naturalia dilacerandis, diſſecandiſque carnibus non ſuppeterent, excogitare, vſurpareque artificialia oportuerit, cultros ſcilicet, quibus animantes carnibus alioquin veſcentes non egent: tùm ex eo, quòd cùm carneis crudas auerſemur, oportuerit variè illas coquere, vt ſuauiores efficerentur; quem apparatum quæ animantes carne veſcuntur, non requirunt. Videlicet illis natura & de inſtrumentis ad diſcerpendum, & de ſuauitate ad guſtandum prouidit; cùm profectò reſpectu noſtri nouerca dici non valeat, quæ nobis perinde, ac animantibus cæteris & inſtrumenta dedit idonea, & ſuauitatem quandam miram fructibus, aliiſque edulibus rebus, ipſas maturando attribuit. Poteſt rursùs Tùm ex eo, quòd non ſacræ modò hiſtoriæ teſtantur primos homines & viuere iuſſos, & vixiſſe non carnibus, ſed fructibus; & carnium vſum non-niſi longo pòſt tempore, ac ob duritiem, vt dicitur, cordis fuiſſe toleratum; ſed apud Prophanos quoque percrebuit in aurea primorum hominum ætate non alios fuiſſe vſui cibos, quàm à Tellure ſponte enatos: Tùm ex eo, quòd non modò viri ſancti, qui ſe in ſolitudines religionis ergò receperunt, abſtinuerúntque à carnibus; verùm etiam Philoſophi, qui virtutis moralis gratiâ eandem ſunt amplexi abſtinentiam, vitam & diuturnam, & ſanam duxerunt. Poteſt inſuper tùm ex eo, quòd non eſt herbarum, fructuúmque vſus ita ſtomacho onerosus, vt caro: ſiquidem cibus leuior eſt; cùm caro animalium ex parte ipſorum pinguiore facta, compactáque, difficiliùs longè exſolui, ac diſtribui per parteis noſtri corporis poſſit. Neque enim quod carnem fieri ex carne vulgò dicitur, id fit carnem carni, vt gypſum gypſo agglutinando: Tùm ex eo, quod

timendum

timendum non eſt, ne non ſatis virium ex his cibis elici poſſit; cùm & taurorum robur, & ceruorum pernicitas, & dotes aliorum animalium ſimiles, ex alio victu non deducantur. Poteſt demùm tùm ex eo, quòd obiici non debet, experiri nos varia ex iuſculis carnium commoda; cùm, vt incommoda reticeam, ea ſupponant factum eiuſcemodi ex continuo vſu partium corporis habitum; vt mirum non ſit, ſi aliquando ab aſſuetis, vt dicitur, non paſſio, ſed adiumentum fiat; tùm ex eo, quòd non eſt opponendum inuentos eſſe Braſilianos, Hurones, alioſque feros homines carnibus veſcenteis; quaſi illi naturam ducem inſequuti eſſe videantur; cùm ex hoc capite natura tam in illis potuerit, quàm in cæteris deprauari, ac tantò magis, quantò minùs humanitatis retinuerunt, vtpotè, qui non carniuori ſimpliciter, ſed etiam Anthropophagi ſpecialiter euaſerint. Verum hac de re aliàs plura.

Videamus nunc paucis, quibus ductibus fiat alimenti traductio, ſeu dum fœtus in vtero, ſeu dum extra vterum eſt; quandò difficultas de vtroque eſt ſtatu. Et quia Nutritio in priore ſtatu attinet non modò ad Viuiparorum Embryonem, ſed ad Ouiparorum etiam Pullum; quatenus Ouum, in quo formatur, eſt ipſi inſtar vteri; idcirco dicamus priùs de Embryone, & reſpiciendo quidem præcipuè ad Embryonem hominis, tùm quia Authores ferè de eo loquuntur, tùm quia res in brutis perſimilis eſt. Itaque de Embryone, ſeu fœtu humano tres commemorantur Philoſophorum antiquorum ſententiæ. Vna eſt Alcmæonis, qui apud Plutarchum toto corpore ali fœtum cenſuit, quòd ſpongiæ in modum exſugat, quæ nutriendo idonea ſunt. (5.Plac. 16.) An verò putauit id fieri ob humorem amnio membrana contentum, intra quem natare fœtus obſeruatur? Verùm iſte humor eſt merè ſeroſus, non alimentitius; & aliunde in quadrupedibus ruminantibus non in amnium effunditur, ſed allantoide continetur? An ob maternum ſanguinem, qui cum eo nato profunditur? at is affluit ex vtero auulſis ab eo vaſis vmbilicalibus, in quæ exonerabatur. Altera Epicuri, & Democriti, exiſtimantium apud eundem Plutarchum τὸ ἔμβρυον ἐν τῇ μήτρᾳ διὰ τοῦ στόματος τρέφεσθαι, εἶν γὰρ ἐν τῇ μήτρᾳ θηλάς τινας, καὶ στόματα, δι' ὧν τρέφον), ὅθεν εὐθέως γεννηθὲν ἐπὶ τὸν μαστὸν φέρε). *Fœtum in vtero ore nutriri; Eſſe enim in vtero papillas quaſdam, & oſcula, quibus nutriatur; vnde & ore ad mammam fertur, ſtatim atque editus eſt.* Videri autem poteſt opinio placuiſſe quoque Hippocrati; cùm hæc nimirum verba legantur in libro, quem de principiis inſcribunt: *Puellus, dum in vtero eſt, labra comprimens ſugit alimentum ex vtero matris, trahitque ſpiritum ad cor.* Et ſtatim: *Si verò quis roget, vnde innoteſcat puerum trahere, ſugereque in vtero; hoc reſpondere ipſi licet, Exſiſtit ſtercus in inteſtinis, quod ſtatim à partu ſeu hominibus, ſeu pecoribus per ventrem ſecedit. Non eſſet verò in puero ſtercus, niſi in vtero ſugeret.* Pergit, (quæ fuit etiam Democriti, & Epicuri ratio) *Neque vt primum natus eſt, ſugere mammam doctus eſſet, niſi ſuxiſſet in vtero.* Verùm hanc ſententiam impugnat Ariſtoteles duplici ratione; vnâ quòd illud neſcio quid carneum, σαρκῶδές τι (quod illi dicere ſunt viſi papillas, & oſcula) nuſquam obſeruetur. (2. Gen. an. 8.) Tametſi illi viſi ſunt intelligere Cotyledonas, non modò qualeis ipſe agnoſcit in minutulis ſolùm quibuſdam, ac in ruminantibus animalibus (carunculas ſcilicet quaſdam globulorum ſpecie finibus vaſorum vmbilicalium, & ad cauitatem vteri appenſas) ſed capita etiam vaſorum vteri aperta, ſanguinemque ſubminiſtrantia, quæ obſeruantur in omnibus: Alterâ, quòd inter fœtum, vterumque interſunt membranæ, humoreſque in ipſis contenti; vt proinde fœtus non videatur poſſe vteri papillas ore ſugere. Et certè, cùm ratio poſterior, adiuncto potiſſimum ſitu, quo Embryo ob artus in truncum inflexos, preſſoſque, os habet inter ipſa genua, neque proinde id admouere vteri parietibus poteſt, ac exſiſtente aliunde adeò manifeſta alimenti deductione per ipſa vaſa vmbilicalia, improbabilem hanc ſententiam faciat; nihil eſt, quod videri poſſit eam quadamtenus ſuſtentare, præter ſtercus illud, ſeu excrementum Meconium dictum, quod in inteſtinis repertum, non appareat vndenam eò ſecerni potuerit, niſi exitu facto è ventriculo, atque adeò alimento per os intromiſſo. Nam alioquin illud de peritia ſugendi mammam ſtatim ab ortu, prouidentia naturæ eſt, qua fœtus vti reſpirare, ſic alimentum attrahere ex indigentia propria docetur. Enimverò cum ſtomachus naſcentis fœtus deprehendatur pituitæ multum continere, vtpote quæ corpore toto per inſenſibileis ductus pernio in eam ſolam capacitatem confluere, ac recipi valeat; Quid-ni exinde ſenſim diffluere in inteſtina aliquid poſſit, quod miſtum cum humore craſſo, melancholicóque ex ipſo liene, veniſque mezenterij inſtillato, trans-ſudatóve, concoqui poſſit, aggeri, addenſarique in illud ſtercus, ac in ipſis, colo, rectôque inteſtinis conſiſtere, ſphinctere præſertim arctè cohibente.

Tertia eſt proindè ſententia communis, quam Ariſtoteles prædicat non ſemel, connutriri fœtum per vmbilicum. (9 Hiſt. 3. 2 Gen. an. 7.) Eandem amplexi ſunt Stoïci, vt à Plutarcho recitatur. (Loc. cit.) Eandem Medici vulgò omnes. Et de Galeno quidem non eſt dubium; id enim abundè inculcat, quoties de Vmbilico agit. (De vt. diſſ. vle. de fœ. For. 4. de ſem.) De Hippocrate maior difficultas, ob locum iam commemoratum; ſed ſeu librum admittas ſpurium, vt agnoſcitur ab aliquibus; ſeu dicas fuiſſe præcocem, ac mutatam fuiſſe poſtmodum ſententiam, ipſe quoque haud dubiè huius exſtitit opinionis. (8 & 9 5. vſ. pa. 4.) Innuiſſe certè eam videtur, quando dicit, *Vmbilicum eſſe*

Lib. de Alim. *antiquius per abdomen alimentum.* Et rursùs: *In medio membranæ exſtare vmbilicum, per quem* Lib. de nat. pu. *fœtus ſpiritum, & incrementum accipiat.* Itemque, *Per vmbilicum ingreſſum eſſe in puerum, aliaſque parteis non apertis donec fœtus exitum tentet.* Ex quo obiter deſumptum videtur, Lib. de ocl. par. quod apud Plutarchum adnotârunt Stoici, obſtetrices ſtatim à partu præligare vmbilicum, oſque aperire infanti, vt de alio cogitet cibo: Vtcumque ſit, deductio illa duarum venarum, duarúmque arteriarum vmbilicalium à caua vſque vteri parte per quaſdam velut radiculas exſugentium, colligentiúmque ſanguinem maternum per adaperta extremarum venarum, arteriarúmque oſcula influentem, ad inſertionem vſque in medium Embryonis abdomen, ſeu vocatum vmbilicum, dubitare prorsùs non ſinit, quin alimentum nutriens, viuificánſque heinc corriuetur; Ac tantò magis, quantò illæ venæ in vnam, vmbilico traiecto, coëuntes tendunt in cauam iecoris partem, & ſanguinem effundunt partim in portam, partim in cauam venas: Arteriæ verò, eodem ſuperato, tendunt diuiſim in duos ramos deſcendentis aortæ arteriæ, inque eos effundunt, quem ſpirituoſum deuehunt ſanguinem; vt ſanguis deinceps per venas, pérque arterias ſic conuehatur, diſtribuatúrque in totum corpus, vt fieri mos eſt à natiuitate, poſtquàm cibus ore aſſumptus fuit in chylum verſus, & in ſanguinem commutatus.

Confirmatur autem tùm quia Menſes non alia ratione ſiſtuntur prægnantibus, quàm quia ſanguis aliàs fluxurus, finem ſuum conſequitur, hoc eſt, fœtum nutrit, cui nutriendo eſt deſtinatus: Tùm quia lac non aliam ob cauſſam creari incipit in mammis, ex quo vſque fœtus incipit moueri intra vterum, quàm quia ſanguis in ipſas confluit ſeu compulſus ex venis epigaſtricis in mammarias dictas, quibuſcum, per anaſtomoſeis manifeſtè communicant; ſeu ex hypogaſtricis ſpermaticiſque vteri peculiaribus in thoracicas, intercedente cauæ trunco, & axillari ramo, è quo deriuantur. Tùm quia Mulieres, quæ editos fœtus non nutriunt, poſt multos labores, experiuntur lac è mammis regreſſum, iiſdemque viis in vterum rediens, deiici per vterum; ſcilicet tanquam alimentum ex ſua natura fœtui deſtinatum. Cæterùm quod eſt adnotatum ſanguinem delatum per venas vmbilicaleis effundi non in ſubſtantiam iecoris, ſed in portam, & cauam venas; deductum verò per arterias effundi non in cordis ventriculos, ſed in arteriæ aortæ ramos; id facere apertum videtur. Neque iecur in Embryone communi vllo munere fungi in ſanguine elaborando; neque item Cor in apparando ſpirituoſo ſanguine: ſed ram haſce duas, quàm cæteras parteis ſibi ipſis nutriendis, augendis, perficiendis ſpeciatim vacare; ac iecur eſſe, & cor Matris, quæ vtrumque ſanguinem elaborent, inque totum corpus Embryonis quaſi in ſui partem, per venas, arteriáſque tranſmittant. Sic ſolus eſt Matris Pulmo, qui reſpirat, confértque creandis in corde ſpiritibus vitalibus, qui tam in corpus reliquum Matris, quàm in ipſum corpus Embryonis ferantur; ipſe verò Embryonis pulmo, ſui nutritioni dumtaxat incumbit, hauſto nutritio ſanguine, non ex ventriculo dextro cordis, ſed ex ipſa vena caua in arterioſam venam immediatè per coniuncta oſcula, communéve foramen; & vitali ſpiritu hauſto non ex vtrovis ventriculo, ſed ex aorta arteria per ſurculum intercedentem, inque eandem venam arterioſam apertum, vt ſuperius attigimus; & confirmari poſſe videtur ex ipſa carne pulmonis rubea; quaſi ſcilicet nulla diſflatione, commiſtionéque aëris ruborem ſangnineum intra vterum alterante. Sic nullus quoque eſt motus cordis, arteriarúmque Embrionis proprius; ſed communis tantum arteriarum Matris, qui ipſis imprimitur; Vt neceſſe proinde videatur ſi Mater forſan febri laboret, Embryonem quoque laborare; ac non poſſe Embryonem ſuperviuere, ſi mater ſemel exſpirarit. Nam & licet quidam narrentur Matribus mortuis, exſectiſque, educti fuiſſe incolumes, vt Scipio, & Manlius memorati ſuperiùs; imò Gorgias Epirota, Matre non modò mortua, ſed etiam in funus elata, prodiiſſe viuus perhibeatur; ac ideò nequicquam lex necis eum damnet, qui non extracto priùs fœtu grauidam ſepelierit, quòd ſpem animantis peremiſſe videatur; Reſponſio tamen ex Galeno patet; cum caſus adeò rarus ſit, contingere poſſe, vt aut motus arteriarum fœtus perſeueret aliquantiſper extincto motu in corde Matris (cùm & viſæ ſint victimæ exempto corde ambulare, & res ſit cuique in canibus obſeruatu facillima) aut vt mulier non modò habeatur, ſed efferatur etiam quaſi mortua, quæ nihilominùs adhuc viua ſit: vti non rarò euenit in hyſterico ſtrangulatu. 1 Plut.

Vt poſteriùs autem dicamus de Pullo, de cuius intra ouum nutritione ratio non-nihil diuerſa eſt; ac vt reſpiciamus præſertim ad ouum Gallinæ, quòd eius formatio, nutritio, accretio, excluſio ſit vt familiarior, ſic obſeruabilior, quódque eadem intelligi in cæteris proportione poſſit. Præmittendum eſt ouum continere non tantùm ſemen, ex quo prima pulli fiant ſtamina; ſed alimentum quoque, quod ſit quaſi menſtruum, illi nutriendo, donec formatur, perficitúrque, neceſſarium. Et de formatione quidem, nutritionéque, & perfectione oui intra Gallinæ vterum, nihil eſt repetendum; ſed ſupponendum ſolùm eſt, cùm illius partes ſint, exteriùs cortex, interiùs albumen duplici membrana circumdatum, vnâ tenuiore, alterâ craſſiore, & propiore cortici, ac intra albumen vitellus ſua membrana

membrana circumueſtitus ; ac duæ præterea appellatæ *χάλαζαι*, ſiue *Grandines* (ob maiorem quandam pelluciditatem, ſoliditatémque) altera triplo ferè maior, & tribus quaſi cum nodulis, quâ parte vitellus obtuſiorem oui partem reſpicit, altera minor quâ acutiorem ; & vtraque in ipſis vitelli, albuminiſque confiniis, quorum etiam membranas ſui productione connectunt. Ac licet ex his omnibus nihil videatur conformari, nutriri, vel augeſcere, in ipſo ouorum quaſi racemo, qui eſt propè Gallinæ ſeptum (vnde & credi ſolet vitellum à pediculo auulſum delabi nudum cum ſua membrana in vterum alium, ſeu capacitatem, quæ eſt proximè podicem, ac ibi ſeſe reuoluendo acquirere chalazas, albumen, membranas, & teſtam) veriſimile tamen eſt tenue quoddam eſſe iſtorum omnium principiũ in ipſo vitello, priuſquàm dilabatur; neque cùm dilabitur, auulſionem fieri à pediculo : ſed ipſum pediculum, qui dilatatus circumdat ponè vitelli dimidium (vt ſolet in glande pediculus cum calyce) attenuari, produci, ac hærere ſemper ponè ipſi ouo, communicaréque ſemper alimentum, quod reliquis illis partibus adaugendis, perficiendiſque ſufficiat, neque auelli, ac retrahi, extabeſceréque, niſi quando ouum quaſi maturum foras prodit. Huius ſanè rei argumentum deduci poteſt ex eo, quod eſt ab Ariſto- 3. Gen. an. 2. tele obſeruatum. Si auis madefacta, aut inalgens, ouum non omnino perfectum eiecerit, cerni ouum adhuc cruentum, habenſque adnexam quaſi vmbilicalem appendiculam ad acutam partem, quam ille ſtatuit oui principium. Nempè hæc appendicula nihil eſſe aliud videtur, quàm portio pediculi cum immaturo ouo abrupta ; conſideraréque par eſt, acutam partem poſteriùs exire ; nullum ad eam ſpatiolum vacuum reperiri ſub cortice, vt ad obtuſam oppoſitam ; eſſe corticem eâ parte duriorem, &c. quæ ſanè ex affuſo per pediculum alimento commodam habere explicationem poſſunt. Vt taceam, quàm aliunde ſit incredibile vitellum ipſa ſui intra illam capacitatem circumuolutione circum induere chalazas, albumen, membranas, & teſtam ; parteis ſcilicet adeò inter ſe formâ, cohæſione, ſubſtantiâ diuerſas.

Iam de nutritione pulli intra ouum. Cùm duæ intra ouum contineantur partes præcipuæ, vitellus putà, & albumen ; Opinio antiqua, & communis fuit generari pullum ex vitello, & nutriri albumine, quod ideò di- In lex. xerunt ὄρνιθος γάλα, *Auis lac*, nimirùm Suidas ex Menandro ſcribit vitellum νεοττὸν dictum, quòd putârit pullum ex ea parte naſci ; & Ariſtoteles addens eam fuiſſe hominum, hoc eſt, receptam vulgò ſententiam, dicit ſpeciatim ab Alcmæone Albumen appellatum Lib. Deipnoſ. Lac ; quod idem quoque Athenæus de Ana- Lib. de na. pu. xagora teſtatur. Ne memorem Hippocratem in eadem fuiſſe ſententia, adderéque materiam ſimul, & alimentum pulli contineri in ouo, quòd excluſionis tempore, nihil penè vtriuſuis humoris intra teſtam ſuperſit. Oppoſitum autem ſenſerunt tùm Ariſtoteles, 6. Hiſt. 13. & 3. gen. an. 1. Lib. 10. Cap. 53. tùm alij plerique, ac nominatim Plinius, corporari ſcilicet pullum ex albo liquore, nutriri verò luteo ; eo argumento, quòd albumen gelu humeſcens, calore ſolideſcat, qualis diſpoſitio ad membra conformanda exigitur ; vitellus autem gelu ſolideſcens, calore humeſcat, qualis diſpoſitio ad nutriendum idonea eſt. Notandum porrò, cùm vulgò auditur, Chalazam, ac præſertim maiorem, quæ verſus partem obtuſam eſt, pulli germen appellitari ; videri id non abs re fieri, quòd, abnuente licet Ariſtotele, videatur ex ea pul- 3. Gen. an. 2. lus generari, & tam albumen, quàm vitellus in alimentum cedere, vel eo argumento, quòd ex quo pullus eſt conformatus, apparéntque etiam & alæ, & pedes, nihil ampliùs Chalazæ ſit ; & multum tamen adhuc ſit tam albuminis, quàm vitelli, quod vtrumque pergat deinceps ſimul, ſenſimque abſumi. Placuit proinde hæc opinio Aquapendentio, poteſtque ex eo confirmari, quod eſt ab Ari- De form. oui. & pu. part. 2. cap. 2. ſtotele etiam obſeruatum, produci ex pullo non modò in luteum, ſed etiam in albumen, & membranas ipſius vſque, venas vmbilicaleis duas, per ſubnatam ſimul ſecundinam ; formatas vtique ad attrahendum alimentum ex vtroque humore. Quippe cùm neuter ſanguis ſit, qui inſtar menſtrui viuiparorum alere ſimul poſſit parteis tam ſpermaticas quàm ſanguineas ; idcircò prouiſum videtur, vt alimentum ſuppetat ex albumine quidem ad priores, ex luteo verò ad poſteriores. Niſi fortè dicere præſtat, alteram venarum iſtarum eſſe reipsâ venam deferentem putà ſanguinem nutritium, ſeu quod ſit ipſi analogum ; alteram eſſe quaſi arteriam, tanquam deferentem ſanguinem vitalem, ſeu quod ex eius natura ſit, quidpiámve aliud ſimile. Ne- Parte 1. cap. 1. & part. 2. cap. 2. que obſtat, quòd chalazæ reperiantur etiam in ouis ſubuentaneis, & ſterilibus ; cùm eæ eſſe poſſint, aut continere ſemen dumtaxat fœmineum, quod ſterile ſit, niſi portiunculâ maſculei quaſi per flatum fœcundetur. Non quòd veriſimile ſit, quod ille ait, aſſeruari etiam toto anno ſemen galli in veſicula propè podicem, vt dum vitellus illeic chalazas cum albumine, aliiſque partibus induit, chalazæ fœcundentur, ſed quòd probabilius ſit ſemen galli penetrare præ vehementia emiſſionis, attractioniſque in ſuperiorem ventriculum, ibique fœcundare quicquid ſimul emiſſum ſeminis fœminei in ouorum racemum, deinceps diſcernitur, & conformatur. Obſtare potiùs videretur, quòd cùm duæ ſint chalazæ, ſimplex tamen pullus formetur. Sed poteſt nempè minor illa præ debilitate inutilis fieri ad generationem ; cùm aliunde ſaltem ligaminis præ ſe vtilitatem ferat. Neſcióque an non, cùm interdum pullus gemi-

nus, & cohærens prodit, id fiat non tam ob vitellum geminum (quod memoratum ſuperiùs eſt, & probabilius certè videtur) quàm ob geminam chalazam, æquè magnam, atque valentem.

Vtcumque ſit, nutritur pullus duplici illâ venâ in vnum truncum coaleſcente, inſertâque ad vmbilicum; ex quo iam ſub diem incubitus tertium obſeruari poteſt quaſi minimus quidam pulex; & ſub quartum, quintúmve diſcerni cum capite, & carina corporis, quibuſdámque veluti crurum, alarúmque initiis, quæ ſeſe in dies deinceps magis, magiſque explicent: quovſque ſub diem vigeſimum primum, elaboratione perfectâ, & alimento intus deficiente, pullus quæſiturus externum, mouetur, Gallináque hunc potiùs motum ſentiens, quàm, quod poſt Ariſtotelem Plinius ait, pippitum exaudiens, parat exitum, teſtam contundendo. [a Hiſt. 3. Lib. 10. cap. 53.] Quod autem innui rationem nutriendi eſſe in pullo non-nihil diuerſam à nutritione Embryonis intra vterum, id eò ſolùm ſpectat, vt intelligamus non communicare quidem tunc actu, ſenſimque gallinam, quæ peperit ouum, ſuum ſanguinem per vmbilicaleis illas ſeu venas, ſeu arterias; ſed communicare tamen, ſeu potiùs communicaſſe poteſtate, vt loquuntur, quatenus cum ſemine ad formandum membra deſtinato, concluſit ſimul alteratam ſanguinis ſui ſubſtantiam, quæ ſe abſente, aut etiam mortuâ, poſſet perinde per vaſa illa vmbilicalia attrahi, ac ſanguis attrahitur in Embryonem viuiparorum. Hinc eſt, cur vt in vtero, ſic in ouo intelligamus, vim membrorum architectricem eſſe in ipſo ſemine, quatenus debitè fouetur, & vt calor vteri, partiúmve illum ambientium eſt ſolùm principium externum ſemen excitans, atque fouens; ſic intelligamus ſufficere poſſe calorem externum, nempè aut gallinæ, aut eius defectu Ignis, Solis, fimi, alteriúſve rei, qui pari ratione ſemen, quod in ouo, excitet, ac foueat. Quin-etiam, vt in Vtero, Cor, & arteriæ ipſius Embryonis pulſu materno agitantur, intelligi licet in ouo corculum, & arterias pulli, eodem agitari pulſu, quo agitabantur arteriæ maternæ, cùm ouum formatum ex ipſius ſubſtantia fuit; ſiquidem pulſifica vis in portione oui arterioſa conſopita ſolùm deinceps permanſit, ac ſola externi caloris excitatione indiguit, vt ſe exſereret, motionéve propriâ ſeſe explicaret. Abſurdum dictu videri id poſſit; verùm exemplo eſſe poteſt cor anguillæ, cyprini, aliorúmque piſcium quod è viuis exemptum aliquamdiù pulſat; & cùm pulſare iam deſinit, vbi calore manus fouetur, vegetatur denuò, ac iterùm pulſat. Ne quid de hirundinibus dicam, quibus intra glaciem rigeſcentibus, feriantur ſanè arteriæ quovſque per teporem vernum laxatæ ad officium redeant.

Verùm, age de Nutritione, quæ peragitur extra vterum, ac proportione extra ouum, eam attingamus difficultatem, quæ eſt de traiectione chyli in ſtomacho elaborati in iecur, cor, aliáſve parteis. Nam primùm quidem Plato, vt videtur ignoraſſe anatomē, cùm demitti potum in ventrem per arteriam aſperam cenſuit; ſic etiam videtur, dum exiſtimauit eſculenta, potulentáque poſt exſolutionem in minima, protrudi vi ignis ex ventre ipſo, tanquam ex fonte, in venas, tanquam in canaleis, ſicque diſtribui per totum corpus. [In Tim.] Ariſtoteles verò opinatus eſt, ingeſto alimento in loca ipſi excipiendo idonea, εἰς τοὺς δεκτικοὺς τόπους (cuiuſmodi ſunt ventriculus, & inteſtina, ſed iſta præcipuè) fieri ex ipſis exhalationem, ſeu euaporationem in venas, quibus declarat alicubi intelligendas venas meſenterij; mutari autem intra ipſas in ſanguinem, moxque adire ipſum principium, videlicet cor, idque tam per magnam venam (ſeu cauam) quàm per aortam (ſcilicet arteriam) in quas tendere mezeraicas dicit. [De ſo. & vi. 3.] [4. Part. 4.] Quemadmodum verò velle debeat ſanguinem in corde elaborari, ſeu perfici, ac deinde ex eo vt principio, per eaſdem cauam, & aortam deriuari in totum corpus, ex ſuperiùs dictis intelligitur. Deinde, cùm cæteri velint ſic transferri chylum in iecur, vt ex eo deinceps effectus iam ſanguis diſtribuatur per venas; Eſſe nouimus, qui exiſtimârint (ac noſter Hobbæus imprimis) donec alimentum concoquitur in ſtomacho, partem illius ſubtiliorem, vtiliorémque euaporari, & contiguum ſtomacho iecur quaſi ſpongiam quandam, ipſam ſugere, & intra ſe coaceruatam in humorem condenſare, inque ſanguinem vertere. Sunt & qui velint hanc ſuctionem interuentu pancreatis fieri, cuius eſt glanduloſa, ſpongioſáve ſubſtantia; cùm & non deſint, qui contendant puriorem illam chyli portionem ſpecie non vaporis, ſed humoris tranſire in iecur per proprias ipſius ventriculi venas. Enimverò celebris eſt aliorum ſententia, qui ſtatuunt chylum ſic delabi ex ſtomacho in inteſtina, vt ambientis ipſa Meſaraï, ſeu Meſenterij venæ portionem illius tenuiorem ſugant, ſeu proliciant, & in truncum venæ portæ coëuntes in iecur transfundant. Nempè ea de cauſſa hæ venæ dictæ ſunt Galeno manus hepatis; & tùm comparatæ cum baiulis frumentum in horreum publicum comportantibus; tùm habitæ quaſi radices, alimentum è terra ſugentes, conuehentéſque in truncum. [3. Loc. aff. 3. 4. vſ. pa. 2. 4. vſ. pa. 10.] *Vias* porrò dixit, non *venas* Balbus Stoïcus apud Ciceronem, cùm *Ex inteſtinis*, inquit, *& aluo ſecretus à reliquo cibo ſuccus is, quo alimur, permanat ad iecur per quaſdam à medio inteſtino, vſque ad portas iecoris (ſic enim appellant) ductas & directas vias, quæ pertinent ad iecur, eique adhærent.* [2. De na. Deor.] Prætereo quod ſubiicit ſtatim: *Ab eo cibo cùm eſt ſecreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua ſe in ſanguinem*

Digitized by Google

nem vertunt, ad eaſdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius via pertinent, per quas lapſus cibus in hoc ipſo loco, in eam venam, qua caua appellatur, confundstur, pérque eam ad cor, confectus iam, coactúſque perlabitur; à corde autem in totum corpus diſtribuitur per venas admodum multas in omneis parteis corporis pertinenteis. Quo loco vtcumque confundi videantur pars iecoris caua, è qua vena porta; & gibba, è qua vena caua; itemque venarum diſtributio ex corde, & ex iecore; nihilominus ſtatim pòſt affertur ſaltem diſtinctio inter venas, & arterias; cùm ſermone de Reſpiratione inſtituro: *Nam qua ſpiritu*, inquit, *in pulmones anima ducitur, ea caleſcit primùm ab ipſo ſpiritu; deindè agitatione pulmonum, ex eáque pars redditur reſpiranda, pars concipitur cordis parte quâdam, quam ventriculum cordis appellant; cui ſimilis alter adiunctus eſt, in quem ſanguis à iecore per venam illam cauam influit. Eóque modo ex his partibus ſanguis per venas in omne corpus diffunditur, & ſpiritus per arterias. Vtraque autem crebra multaque toto corpore intextæ vim quandam incredibilem artificioſi operis, diuinique teſtantur.* Et ſic ille quidem peregregiè.

Iam cùm diſtinctio inter Venas Meſenterij ſtatuenda ſit; Produnt ſe imprimis rubeſcentes illæ, quæ in truncum venæ portæ maxima parte colliguntur, quaſque plurimi, imò ferè omnes ſolas hactenus agnouerunt; tametſi de modo, ſeu ratione chyli per eas traducendi non conſenſerint. Aliqui enim exiſtimarunt ipſas nihil aliud, quàm chylum deferre, ſed habere tamen intereà vim tingendi chylum, ſeu præparandi illum ad adipiſcendum perfectiorem formam ſanguinis intra ipſum iecur, cuius ſit præcipua vis *αἱματοποιητικὴ, ſanguificatrix*. Aliqui putarunt ſic chylum deferre in iecur, vt referrent tamen ex iecore ſanguinem; ſed nonnulli quidem alternis heinc chylum, heinc ſanguinem ferri; nonnulli autem ſimul, temporéve eodem voluerunt. Aliqui demum agnoſcentes non poſſe Meſenterium, ac inteſtina, niſi per has venas nutriri; & non capientes tamen poſſe per eaſdem ſanguinem, chylúmque vltrò citróque conuehi, eiuſmodi venas ita diſtinxerunt, vt quaſdam conuehendo chylo, quaſdam ſanguini dicatas autumauerint. Fuere verò alij, qui præter iſtas aut ſuſpicati fuerint, aut agno-
Lib. de nat. Ho. in cō. 4. Vſ. pa. 19. uerint etiam, eſſe alias. In ipſis autem Hippocrates fuit, vel O, ſeruatore Galeno. Fuiſſe quoque videntur illi, qui vt idem Galenus ait, admirabantur dici à quibuſdam, per quas venas ferretur chylus, per eaſdem deinceps ſanguinem referri. Quo loco videtur innuere
Cap. 5. Galenus fuiſſe ſe ex iis, qui hanc de ſe admirationem crearent. Niſi quòd non videtur improbaſſe opinionem Herophili, duo diſtinguentis genera venarum; alterum tendentium ad iecoris portas, ſeu quà vena porta in iecur inſeritur; alterum aliarum nutriendis inteſtinis propriarum, neque ad iecur traiicientium, ſed conſiſtentium in glandulis, quarum præcipua eſt ipſum Pancreas. An addam verò fuiſſe quoque in illis Eraſiſtratum, 7 Anatom. vit.
quatenus apud eundem Galenum obſeruauit Et lib.
in hædis recens lactatis vaſa quædam, quæ an. ſang.
tamen non venas, ſed arterias dixit, ipſaſque cont.
plenas non ſanguinis, ſed aëris primùm, ac Io art. c. 5.
deinde lactis? Denique præcipuus in iſtis habendus eſt Gaſpar Aſellius, Anatomicus Ticinenſis, qui nuper occaſione facta ex viui exſecti canis meſenterio, comprobauit in variis animalium generibus, vt in canibus, felibus, agnis, vaccis, porcis, equis, dari præter venas illas rubeſcenteis alias, quas lacteas indigitauit, ob liquorem lacteum, candidúmve in ipſis contentum; eaſque numeroſiſſimas toto meſenterio reſperſas, ſed ad inteſtina gracilia præſertim (cùm nonnullæ etiam attineant & ad craſſa, & ad duodenum) ſed viuo tamen animali dumtaxat obſeruabileis; quòd ſimul cum eo concidente & obliterentur, & cum adipe confundantur; ac animali prætereà paſto, eâque intercapedine, vt chyli diſtributio aut fieri iam occœperit, aut abſoluta nondum fuerit; quòd neque illico à paſtu, neque poſt factam digeſtionem, detegi vllæ valeant, quaſi quæ nullo turgeant liquore. Ex quo factum ſanè videtur argumentum planiſſimum de exſucto, traiectóque per haſce venas alimento ex inteſtinis in ipſum iecur.

Nobis quid pridem viſum fuiſſet, cùm non pigeat exponere; diſplicuerat primùm, quicquid opinionum fuit commemoratum; ac impugnaramus præſertim traiectionem illam ſiue alternantem, ſiue ſimultaneam, per rubeas Meſenterij venas, quas nutriendis ſolùm ipſi Meſenterio, inteſtiniſque deſtinatas à natura arbitrabamur; tanquam venâ portâ non aliò dicatâ quàm diſtribuendo ſanguini in omnia interanea, quæ non perinde commodè haurire poterant ex caua. Nihil verò neceſſe eſt argumenta commemorare, quæ expreſſa fuere in diſſertatione cum Præclaro Merindolo medico noſtrate, & Aquenſi Profeſſore donec viueret inſtituta; quæque eiuſcemodi ſunt, vt facilè cuique occurrant in mentem. Placuerat deinde quem Porum vulgò appellant Cholidochum, leui immutatione Chylodochum dicere; ſcilicet quaſi deſtinatum non tam egerendæ ex iecore choleræ, ſeu flauæ bili in dodecadactylon inteſtinum, quàm ingerendo chylo ex hoc inteſtino in iecur. Primùm enim hæc videbatur via compendioſiſſima, & pro inſtituto naturæ, quæ per ambages, quales eſſent venarum meſeraicarum non ſoleret incedere, quoties commodè recto ductu poſſet. Quippe hic Porus, ſiue meatus tendit viâ rectâ, breuique ex inteſtino ad ipſum iecur; ac immeritò proinde videtur Lib. 6.
Laurentius exagitare Fallopium, qui id aſ- anat.
ſeruerit; qu. 10.

ſeruerit ; cùm ipſi & pluries, & in variis animalium generibus deprehenderimus, præter meatum, quem vnicum agnouit Laurentius ex veſicula ſellea hinc ad inteſtinum, hinc ad iecur ductum, dari alium veluti truncum, qui rectà, ſeorſimque à veſicula, ex inteſtino in iecur pergat ; ac illum Laurentij, & communem, eſſe ſolùm quaſi ſubductam propaginem, quæ citra veſiculam incipiat ab iſto, vltrà in eundem deſinat. Deinde, cùm chylus impurior, craſſiórque ipſo ſanguine foret, videlicet purgatus ſolùm recrementis fæcalibus, ſanguine aliis repurgato ; videbatur ipſi deberi canalis, qui niſi par eſſet amplitudine venæ cauæ trunco, vtpotè tanquam non deſtinatus continendo diù alimento, ſed tranſmittendo ſolummodò ; eſſet tamen capacitatis non prorsùs inſenſibilis, qualem eſſe oporteret venarum mezeraicarum, & in ipſo præſertim per corpus inteſtinorum traiectu ; at talis omnino, quæ craſſum humorem deueheret, neque facilè obſtrui poſſet. Suadebat verò ex abundanti, forma inſertionis huius meatus in ipſum iecur. Siquidem non vnico ductu in eius ſubſtantiam ſeſe inſerit, ſed finditur in varios ramos, vti & quivis ramus in ramulos propaginéſque varias ; planúmque adeò fit attendenti, diſtribui per ipſum aliquid vtile in iecur ; eo modo, quo diſtribuitur per venas, & arterias perinde in ramos, ramuloſque diuiſas ; non verò ipſum deſtinari ſolum egeſtioni excrementitiæ, qualis nulla fit collectione ex ramis in truncum, ſed emiſſione per canalem ſimplicem, vt dum fæcale recrementum emittitur ex ſtomacho per inteſtina, & vrina ex vena caua per emulgentem, ex rene per vreterem, ex veſica per vrinarium ductum. Quod enim fuligines egerantur ex bronchiis pulmonis per arteriam aſperam ; id fit propter alternationem, cui fieri poſſe ſimilem, in hoc negotio dicetur mox.

Ad hæc, cùm miſtus fæcibus chylus deberet exſugi ; videbatur orificium huiuſce meatus ad hoc comparatiſſimum. Videlicet comperiebatur tumeſcere intra capacitatem inteſtini, neque eſſe nudi foraminis inſtar, ſed labio circum ita carnoſo, vt efficeretur, quaſi ſpongioſum operculum, & qualis eſt penè mammalis papilla, partem inteſtini occupans non paruam, vtpotè prægrandis non modò in boue, adultóve homine, ſed etiam in catello, Embryonéve humano inſignis. Vnde & argumentabar, delabente chyli maſſa ex ſtomacho per inteſtinum proximè ſubiectum, adeſſe ſtatim hanc papillam, ipsâque difflatâ in inteſtini capacitatem, relinqui ſolùm inoccupatam quandam veluti lunulam, per quam adactâ maſsâ, quicquid liquoris tranſmitteretur, poſſet exſugi, ſecerníque à craſſiore parte deorsùm pergente. Nam quod ibi dicunt membranulas eſſe, quaſi valuulas, quæ bilis effluxum faciant liberum, refluxum verò impediant, ex quo videatur chyli influxus ex inteſtino impediendus ; deprehendes profectò nihil eſſe, quod obſtet, neque quod ſpecilli traiectioni quemadmodum in corde ; partibúſque aliis vbi ſunt valuulæ, reſiſtat. Quinetiam licet quemadmodum vreter in veſicam, ſic iſte meatus in inteſtinum aliquanto ductu inter ipſius tunicas, & deorſum fiat, ac videri proinde poſſit effluxui ſoli inſeruire ; poteſt id tamen contingere, vt chylus patientiùs, puriúſque ſugatur, neque ſe, non ſatis diſcretus, veluti ingurgitet, vt fieri poſſet, ſi oſtium aut rectà apertum, aut etiam ſursùm conuerſum foret. Cæterùm enim, non quemadmodum vreteris inſertio illo modo fit, quòd ipſa veſicæ membrana in orificium preſſa obſtet vrinæ refluxui ; ita inſertio huius meatus in inteſtinum fit, quòd preſſa interior inteſtini membrana influxui ex parte inteſtini obſtet. Siquidem ad partem veſicæ interiorem illa compreſſio talis eſt, vt ne veſtigium quidem vreteris inſerti pateat, fruſtráque ſpecillo eius orificium tentando quæratur ; in duodeno autem meatus inſertio non continet modò ſeſe liberam ; ſed & orificio ſic patet, conſpicuúſque eſt, vt etiam, quemadmodum dixi, papillæ inſtar intumeſcat. Interim, nihil tale videbatur mihi de mezeraicis venis dici poſſe, quæ inſenſilibus minores, tanto exſuctui impares forent ; ac tametſi concederentur in caua inteſtinorum deſinere, præterlabentem tamen chylum ſuis quaſi hirundinum oſcillis non attingerent, ob cruſtam illam, ſeu mucorem, quo intrinſecùs oblinuntur ; & ad ſummum exſugerent humorem chyli ſuperficialem, non verò illum, qui intimam intra maſſam conueheretur.

Prætereà, cùm quidam non longè à paſtu ſuffocatus exſecandus foret, obtinuiſſémque, vt maturè ad has partes incideretur, deprehenderam eſſe adhuc intra ipſum ventriculum partem ciborum ſuperſtitem, ſpeciatimque grumulos caſei, & capitatæ braſſicæ fruſtula non ſatis commanſa. Et cùm exſoluta, liquefactáque portio aut iam exceſſiſſet, aut adhuc excederet (ſcilicet chylo non exſpectante, donec totius elaboratio peracta in ſtomacho ſit, ſed diffluente ſenſim, prout cibi ſunt, qui expeditiùs in chylum ſoluantur) adnotâram eſſe reliquias eiuſdem liquoris, ſeu chyli colore ſubluteo, ſeu flauedinis liueſcentis, non in ipſo modò duodeno, ſed in iſto quoque meatu, eiuſque ramis, ramuliſque, quibus in iecur inſeritur. Quare & mihi videbatur facta ocularis traiectionis chyli per hunc meatum teſtificatio ; & quòd eiuſmodi flauedo eſſe videretur à bile commiſta, cogitabam, cùm vulgò bilis humor calidus haberetur, poſſe eam haberi quaſi quoddam vehiculum, tùm transferendæ reliquæ laudabili chyli ſubſtantiæ, tùm dilatando meatui, adiuuandæque eius actioni. Fauebat verò id quod iam innui, Nempè vt aſpera arteria non inſeruit mudo inducendo in pectus craſ-

ſo

Digitized by Google

ſo aëri, ſed etiam relictâ in ipſo puriore illius portione ad vitalem ſpiritum elaborandum neceſſariâ, educendæ parti eius impuriori cum variis fuliginibus; ſic iſtum meatum inſeruire poſſe, non immittendæ modò craſſæ chyli ſubſtantiæ in ipſum iecur, ſed etiam relicta in eo laudabili eius portione, remittendæ bili tanquam purgamento, réque inutili, poſt officium peractum.

Inſuper non ea videbatur huius meatus conſtitutio, vt credi poſſet deſtinatus ad officium ipſi vulgò attributum; ſcilicet vt bilis per ipſum detruſa ſit naturalis clyſteris vice, dum punctione ſuâ, ceu ſtimulo quodam inteſtina ad egerendum ſegniora proritat; ac vrget. Quippè deſtinatus ad hoc muneris, conſtituendus fuerat infra gracilia inteſtina, vt excrementa abigeret ſolùm, non item poſſet rursùs commiſceri chylo, & à venis mezeraicis iteratò exſugi. Accedebat, tùm quòd inteſtina, & ſpeciali prædita motu hoc acumine non egerent; & compungi à bile, propter memoratam quaſi incruſtationem non poſſent; & compuncta ſiſterent potiùs, nimirùm propter conſtrictionem, quàm promouerent periſtalticum motum; tùm quòd bilioſus humor ſui ſeu caliditate, ſeu qualitate aliâ, videretur potiùs eſſe comparatus ad adſtringendam, quàm ad laxandam aluum; ex quo fit, vt qui homines habentur vulgò cholerici, aduſtiores, & ad ſeceſſum difficiliores vulgò cenſeantur. Accedebat rursùs, tùm quòd humori tam pauco, ſtillatimque fluenti non videbatur fuiſſe canalis, quantum iſte eſt amplus, fabricandus; tùm quòd non tam ipſe, pergens nempè rectâ, videbatur fuiſſe bili excipiendæ, & in inteſtinum traiiciendæ deſtinatus, quàm obliquus ille ex eo deriuatus, tendénſque ex parte iecoris in cyſtidem, ſeu veſiculam felleam; & porrò ex veſicula in eundem, verſus inteſtinum. Nimirùm hæc veſicula eo ſe habere videbatur modo, quo & veſica vrinaria; cùm & prior illa deriuati canalis portio ſeſe habere inſtar emulgentis, aut vreteris videretur; & poſterior inſtar meatus, quo emittitur lotium. Poſtremò videbatur poſſe eorum, quæ apparent, affectuum ratio reddi non inconcinna. Exempli enim gratiâ contingere poteſt Ictericus morbus non modò ex refluxu bilis ex veſicula in iecur; ſed etiam & ex intemperie iecoris ipſius non valentis illam ex chylo illato, ſanguinéque excernere, inque veſiculam, porròque in inteſtinum immittere; & ex canalis emulgentis veſicæque item ipſius aut intemperie, aut obſtructione, qualis fit interdum à lapidibus, generiſve ſui calculis, quaeis creatos nouimus in veſicula & nobilis fœminæ, & viri illuſtris. Sic qui bilem continuò vomunt, & πικρόχολοι ἄνω Græcis appellantur, ij eſſe poſſunt, quibus ob prauam conformationem aperitur porus, non ad inteſtinum, ſed ad ipſum ventriculum, in quem proinde neceſſe ſit effundi ex cyſtide bilem. Qui autem bilioſa excrementa perpetuò deiiciunt, & dicuntur Græcis πικρόχολοι κάτω, ij eſſe poſſunt, non quibus porus infrà duodenum, ſeu ad ieiunum aperitur; neque enim ſeciùs res contingeret, facta nimirùm ſemper deorſum, ſiue ad duodenum, ſiue ad ieiunum bilis effuſione; ſed quibus ſpongioſa papilla non exſugat chylum cum toto, ſeu maximâ parte bilioſi humoris; verùm ſinat effluere illum cum recrementis fæcalibus, quæ ipſo proinde tinguntur: atque ita de cæteris. Et hæc quidem ſunt aliáque id genus, ob quæ recedentes à communi ſententia, commenti fueramus chyli tranſitum per vocatum vulgò Cholidochum porum.

Deinceps autem pellectâ illâ obſeruatione Aſellij, viſa eſt primâ fronte illius opinio de traiecto ex inteſtinis chylo per venas lacteas veriſimilior, maximéque ob quædam tria, quæ recenſita ab eo ſunt. Vnum eſt illud de venis conſpicuis animali paſto, impaſto verò inconſpicuis; Alterum quòd ait augeri in iis venis copiam humoris lactei, ſi inteſtina, dum chylo adhuc tument, vtrimque ſimul, hoc eſt, ſursùm, deorſúmque compreſſeris. Tertium quòd deprehendit in iis valuulas, ſiue marſupiola, quæ, ne chylus remeet in inteſtina, ſic impediant, vt ne vllo quidem digitorum compreſſu propelli eò poſſit. Viſa, inquam, eſt hæc opinio primâ fronte veriſimilior (neque ipſam adhuc non commendatam habeo) ſed re tamen feriò ſpectatâ, hærere aquam viſum eſt, & quovſque res pleniùs conſtet, continendum eſſe aſſenſum. Vt breuiter enim perſtringam quid mihi in mentem venerit, quo anſa præbeatur ſagacioribus rem accuratiùs peruestigandi. Viſæ ſunt Imprimis huiuſmodi venæ cum liquore illo ſuo albo reputari poſſe nihil eſſe aliud, quàm materies adipis, quo meſenterium infercitur. Videlicet poteſt argumento eſſe, quod ille teſtatur, ſtatim ac animal exſpirat, haſce venas obliterari, ſicque ſuo cum ſucco euaneſcere, vt vix vllum ſui veſtigium relinquant. Quippè hoc adipis eſt proprium, vt vigente calore rareſcens, liqueſcens, ac fluens, excedente calore concreſcat, coaguletur, ſiſtatúrque. Quàm enim quæſo, aliam ob cauſſam hic fluor tam citò coagularetur, cùm præſertim neque chyloſus, qui in ſtomacho, aut inteſtinis; neque ſanguineus, qui in venis; neque lacteus, qui in mammis; neque vllus omnino alius ſit adeò ſubitaneæ coagulationi obnoxius. Res tamen heic eſt digna adnotatu: Cùm ex illa obſeruatione, ratiocinationéque Aſellij, deſperaretur lacteum hunc liquorem deprehendi vnquam in mezeraicis hominis, vt in cuius viui interanea reſpicere piaculum foret; contigiſſe tamen, vt, cùm diligentiâ, ſtudióque optimi Peireſkij damnatus quiſpiam ſuſpendio, & paſtus fuiſſet egregiè, priuſquàm de iudicio conſtaret (idque tribus circiter

Cap. 9.
Cap. 18.
Cap. 18.

citer horis antè ipſum ſuſpendium) & non longè ampliùs ſeſquihorio ab exſpiratione exſectus, compererimus adhuc venas in meſenterio albeſceuteis, & ex earum maiuſculis nouacula iucisis, cochleari collegerimus non parùm lactis, ſeu candidi illius liquoris effuſi.

Deinde color iſte lacteus, ſiue candidus, non eſt chyli proprius; vtcumque ea ſit vulgaris perſuaſio. Nam cùm in illo quoque ſuſpenſio incidi iuſſiſſemus ſtomachum, duodenum, ſuccedentiáque inteſtina, non alium in ipſis deprehendimus, quàm memoratum iam liquorem, hoc eſt, in flauo liueſcentem, nullo autem modo lacteſcentem ex albo. Et confirmari certè res poſſet, ex eo, quod deiectâ aluo excrementa colorem eduliorum ſeruent: verbi enim gratia, poſtquàm herbas, veluti ſpinachia, eſitauimus, prorsùm, planéque viridia ſunt; ex eôque licet intelligi non ſic immutari colores eduliorum in ſtomacho, vt niſi alba fuerint, lacteum ex ipſis colorem faciat, quantumcumque ipſos ita alteret, vt plerumque degenerare in ſubflauedinem quandam poſſint. Quamobrem qui liquor eſt in illis venis, cùm candidus admodum ſit, etiam quà inteſtina ambiunt, videtur eſſe non ex chylo, qui per inteſtinum labens exſugatur, aut in ipſomet exſuctu albefiat; verùm aliunde aduenire, aliundéque albeſcere. Præterea vis ipſa *γαλακτοποιητικὴ*, ſeu *lactis*, liquoriſve lacteſcentis *elaboratrix*, conceſſa eſt non ſtomacho, non inteſtinis, non ipſis venis, ſed glandulosæ ſolùm, lacteſque coloris ſubſtantiæ (eo proportione modo, quo *αἱματοποιητικὴ*, ſeu *ſanguificatrix* habetur propria hepatis, quod ipſum eſt rubei coloris) & cùm exemplo ſit ipſum lac genitum in mammis, quæ totæ glandulosæ ſunt; ſubeſt quamobrem putemus lac, lacteúmve liquorem, qui in iſtis venis, talem creari in glandibus per meſenterium ipſum reſperſis; maximè verò in Pancreate, quæ maxima omnium, ſingulariſſimáque eſt. Confirmariq; ex eo poteſt, quòd lac tertiæ coctionis opus habetur (vti & ſemen, & medula, & alia) adeò vt priuſquàm liquor lacteſcat, ſanguis eſſe debeat, qui poſt coctionem in glandulis candidus ex rubeo euadat. Ad hæc proinde, ſicut ſanguis in mammas ex venis, ſeu ex venis mammalibus, epigaſtriciſque, ſeu ex vocatis thoracicis iuxta ante-dicta ſic influit, vt intra ipſas verſus in lac, lactis deinde formâ per papillarum venulas, oſculáque fundátur, & prodeat; ita videtur omnino ſauguis influere præſertim in Pancreas, in quod ſpeciatim deſinunt creberrimæ venæ ex mezeraicis rubeis: & concoctus ibi, verſúſque in liquorem lacteum abire per venas vocatas iam lacteas, vtpotè quæ prodire omnes ex eodem Pancreate appareant. Poſtremò nempè hoc eſt habendum conſideratu digniſſimum, quòd venæ iſtæ lacteæ, cùm numeroſæ adeò ſint, in nullum tamen communem truncum, ſiue caudicem abeant, in quem probari poſſint coire, eo modo, quo venæ rubentes in venæ portæ truncum coëunt, vt collectum chylum conuehant in iecur. Siquidem pauculi dumtaxat obſeruantur ſurculi ex Pancreate in venam cauam, portámque ita deriuati, vt ipſis ad vſque hepar conſocientur; cùm innumeri tamen alij ſint, qui ex eodem Pancreate verſus cæteras parteis deriuantur; Neque dici poſſit inuehere iſtos in pancreas liquorem, qui in pauculos illos collectus fundatur in iecur; quandò & illi, iſtique aut tendunt in Pancreas aut ab eo oriuntur; & illorum capacitas nimis quàm exigua, ac penè etiam nulla reſpectu capacitatis iſtorum coniunctim acceptorum eſt; & qui liquor in illis eſt, nihilo candidior, aliáve ratione alterratior eſt; quàm qui in iſtis; & qua ratione illi, eadem iſti quoque aut ex eodem Pancreate oriuntur, aut in idem Pancreas contendunt.

Ex hiſce ergo fieri poteſt, quod initio dixi, vt videatur lactens is liquor nihil eſſe aliud, quàm ipſa materia adipis meſenterici, quatenus inter exſpirandum, aut etiam aliquantò pòſt, in adipoſam ſubſtantiam tranſit; ſicque non tam ſit chylus ex inteſtinis hauſtus, vt tranſmittatur in iecur, quàm deriuatus ex Pancreate, poſtquam fuit elaboratus ex ſanguine ſuccus, vt huiuſcemodi venarum frequentiſſimâ frequentiâ (maiore profectò longè, quàm rubearum) irrorentur tùm inteſtina, tùm mezeraicæ membranæ, ad reſarciendum quam iactutam à feruore excrementorum ex ſtomacho prodeuntium patiuntur. Nempè præferuida tùm ſunt, vt à concoctione recentia; & inteſtina ſunt graciliora, quàm vt diù durare ſine exarefactione poſſent, niſi ſubinde humectarentur; eo modo, quo vulgò ſolent aſſaturæ, ne torrefiant, humectari. Poſſunt profectò ob hanc cauſſam eſſe venæ crebriores in inteſtino ieiuno, quàm in Ileo, quòd excrementa illico à concoctione reiectanea excipiat; poſſunt ferè nullæ ad craſſa inteſtina eſſe, quòd & ſint denſiora, & multò circumveſtiantur adipe; poſſunt & paucæ ad duodenum, quòd ſit vt denſius, ſic eâdem penè contexturâ cum ſtomacho.

At, inquies, Quid-nam reſponderi ad illa tria capita poteſt? Fortè Ad Primum, haſce venas non-niſi paſto animali turgeſcere, quòd tùm chylo per cholidochum tranſucto in iecur, inteſtina à recrementis ſuperſtitibus feruentibúſque alterata ſollicitent venas, vt ſuccum affatim alliciant ex pancreate quò irrorentur, humectentúrque; & Pancreas hauriat interim ex venis rubeſcentibus ſanguinem, vnde ſufficere nouum ſuccum poſſit. Sic nempè ſolent res aridæ, excalefactæque trahere humorem, donec poteſt ſuppetere; & exſuctus tubulo liquor intra ipſum non deſinit, niſi aut non ſuppetat ampliùs, qua ex parte fuerit allectus, aut ex parte

alia

Digitized by Google

alia exſugendi cauſſa, vt in hocce negotio calor recrementorum, deficiat. Ad Secundum, non poſſe heinc inde inteſtina comprimi, quin venæ quoque comprimantur, ſicque ſuccus in earum parteis minùs preſſas influat, affluátque, vt taceam poſſe aliunde venas tantò ampliùs turgeſcere, quantò iuxta cauſſam mox dictam inteſtina & ex compreſſione, & ex incluſa feruidi recrementi copia magis alterantur. Et non videri certè has venas eam ob cauſſam turgeſcere, quòd chylus copioſior vi factâ per compreſſionem intrudatur, vel ex eo intelligitur, quòd tametſi concedantur oſcula protrahere etiam vltra incruſtationem, de qua eſt iam ſemel, iterúmque dictum, nihilominus intrudi nihil valeat, quatenus cùm oſcula hæc inſenſibilia ſint, ſolo exſuctu, non autem compulſu intromittere quidpiam poſſint. Quemadmodum licet vtcumque ex Æolipilis declarare, in quas ob oſculi anguſtiam (etſi ea poſſet late-patentia reſpectu illorum oſcillorum dici) nequicquam adnitaris aquam comprimendo adigere, quippè cùm non-niſi exſuctu vi calefactionis elicito poſſit induci. Ad Tertium, Quòd Valuulæ illæ impediant, ne compreſſis venis ſuccus propellatur verſus inteſtina, argumento eſſe ſuccum ſuâ naturâ verſus inteſtina ſenſim fluere, valuuláſque appoſitas eſſe quaſi retinacula, ne præcipitari eò poſſit, vt poſteà quoque in venæ cauæ valuulis declarabitur, quæ pari ratione non verſus extrema, artúſve, in quos ſanguis fluat, ſed verſus ipſum iecur, è quo fluit, eſſe apertæ poſſint. Vtcumque certè ſitæ ſint, quas ille ſupponit in rubeis mezeraicis ab aliquibus reperiri (licet neque ipſe, neque alij ſatis oculati eas repererint.) Et vtcumque iſtas, quæ in lacteis ſunt, oppoſito modo ſitas aſſerat; non poſſunt tamen non eſſe in iecur, potiuſquàm in inteſtina apertæ, alioquin enim compreſſis venis, oporteret ſuccum non in iecur, vt ille contendit, ſed in inteſtina propelli.

Atque hæc quidem breuiter ſunt, quæ in mentem ſic occurrerunt, vt, adiunctis incommodis, quæ circa mezeraicas rubeas inſinuata obiter ſunt, ſuaſerint aſſenſum eſſe continendum. An verò propterea opinio de poro cholidocho viſa eſt non eſſe prorsùs improbanda? Viſa profectò; niſi quod, cùm meminiſſem eſſe animalia, quæ cyſtide fellea carerent, ac exploraſſem, num deſtituta obliquo ductu cholidochi, recto quoque deſtituerentur; deprehendi ſaltem nonnulla, equoſque imprimis, vtroque deſtitui; quamquam & recentiores Anatomici ſunt (méque profectò oculatiores) qui non deſtitui profiteantur. Heinc ſcilicet promptum fuit exiſtimare, ſi traiectio chyli in equo, aliiſque conſimilibus, huiuſmodi ductu non fiat, neque fieri etiam in aliis; ac eſſe proinde iudicium aliquantiſper ſuſpendendum. At, quidnam ſaltem probabile ex cæteris illis opinionibus reputandum eſt? Nihil ſanè, vt videtur, magis, quàm tranſmiſſionem in iecur fieri quodam quaſi eius exſuctu, dum incaleſcens, rarefactáque contigua ſtomachi membrana præbet tranſitum euaporatæ ſenſim humidiori ſubſtantiæ, ac eâ ſecretâ, id quod eſt ſiccius, craſſiúſque reſiduum per inteſtina deuoluitur. Nempè fieri exinde poteſt, vt ſi ſola aſſumatur aqua, ea breui emittatur per ductum vrinarium, quòd ipſius incaleſcentis euaporatio, perfacilis ſit, poſſitque adeò perfacilè & exſugi ab hepate, & non multo, magnôque circuitu concedere in emulgenteis. Fieri etiam poteſt, vt quemadmodum benè affecto iecore laudabilis exſuctio fit, ita ex eius intemperie aut nimia fiat, aut nimis parca. Siquidem præ nimio calore, aut præ nimia fungoſitate, poteſt nimiùm exſugere, ſicque & cum puro impuri multùm attrahere, & recrementa æquo ſicciora, aridioráve relinquere; vnde & ægriùs per inteſtina dilabantur, ac deiiciantur. Præ calore autem nimis languido, aut præ compacta nimis, calloſáve (σκιῤῥώδης) ſubſtantia, non ſatis exſugere, ſicq; ἀτροφίαν, ſeu defectum nutritionis inducere, & recrementa æquo humidiora, fluentioráque relinquere; vnde & lubrica nimis per inteſtina ſint, & deiiciantur incontinentiùs. Sed hæc quidem de Nutritione.

EXCERPTVM POSTERIVS, de Pulſu, & Reſpiratione Animalium;

IN QVO INTER CÆTERA differitur, de ſanguinis circulatione.

SVccedunt Naturalibus, quas Facultates Vitaleis vocant. Eæ, cùm ex ſuperiùs dictis conſtitui ſoleant in Pectore; ex ipſis Cordis, Pulmoniſque (niſi potiùs Diaphragmatis) actionibus intelliguntur. Huiuſmodi verò actiones ſunt, Cordis quidem Pulſus, ſeu Pulſatio (ad quam ſequitur caloris creatio, ſpirituum generatio, viuificatio, &c.) Pulmonis autem Reſpiratio. Itaque nonnulla de Pulſu Reſpirationéque attingenda ſunt; Et quia eſt in cerebro motus, qui non alia ratione, quàm Pulſus, Reſpiratióque peragitur, neque eſt, cur non reuocari ad functiones vitaleis debeat; ideò eſt quoque vno verbo appendicis vice de ipſo dicendum. Eſt autem primò præcipuéque de ipſo cordis motu agendum, qui Græcis σφυγμός, Latinis *Pulſus* dicitur, quatenus principium, cauſſáque aliorum omnium motuum eſt; ipſiúſque interuentu calor gignitur, ac fouetur; & non modò opus nutritionis, de qua hactenus dictum eſt, ſed & omnis alia animalis peragitur functio. Vt

res autem declaretur præſertim in corde perfectorum, reſpirantiúmque Animalium, poſſitque proportione quadam intelligi in cæteris; reuocanda in mentem eſt humani cordis deſcriptio; maximéque cùm controuerſiæ, quæ de corde humano ſunt, non ſecus haberi de reliquis valeant. Illa ergo ſuppoſita Difficultas imprimis eſt circa ipſam vim Pulſificam cordis. Quippè cùm cauſſa Pulſus ſit duplex, generans nempè, & alterans, vt Galenus ſtatim diſtinguit; ipſa eſt generans, quæ controuerſiam facit. Nam de alterante quidem, quòd ea nihil ampliùs, quàm varietatem Pulſus inducat (ex quo ſunt illæ adeò multæ pulſus differentiæ à Galeno enumeratæ, longi, lati, profundi, celeris, mediocris, tardi, vndoſi, vermiculantis, formicantis, vibrati, conuulſiui, caprizantis, &c.) nemo non concedit cauſſam generalem eſſe intenſionem, & remiſſionem caloris natiui, ac ſoliti, quam inducit varietas complexionum, ætatum, paſſionum, morborum, motus, & quietis, ſomni, & vigiliæ, ſaturitatis, & famis, tempeſtatum, & conſimilium. At *de Generante*, inquit ille, *quænam ea ſit, non facile inuentu eſt. Vnus natiuum calorem, alius vigorem, alius temperamenti proprietatem; hic vniuerſam ſtructuram corporis, ille ſpirituum tantum. Eſt qui quædam horum, eſt qui omnia ſimul. Sunt & qui facultatem quandam corpoream induxerint; quæ peculiaribus inſtrumentis motus, qualia retulimus, vtatur, vel omnibus, vel pluribus, vel vno.* Pergit: *Hanc cauſſam, quæ pulſus moliatur, quæcumque ea ſit, licet nos eius eſſentia fugiat, facultatem dicimus, quod faciendi pulſus vim habeat* Neque plura ille de ipſa.

Apud recentiores res ferè eò vergit, vt cauſa Pulſus generans agnoſcatur duplex. Nempè aut calor inſitus, quatenus difflat ſanguinem appulſum in cor; quæ videtur fuiſſe ſententia Ariſtotelis, prima Galeno inſinuata; aut facultas ab hoc calore difflationéque conſequente diuerſa, petitáque ex ſubſtantia, textura, temperiéque ipſius cordis; qualem ferè reſpexiſſe cæterarum ſententiarum Authores videntur. Ac opinionem quidem
Lib. de ſpir. c.4. ſuam Ariſtoteles ita explicat, vt cenſere videatur Pnlſum κατὰ συμβεβηκὸς, *ex accidente* fieri; nempè quaſi calor, qui ab vſque initio in corde eſt, nihil ex ſe aliud, quàm calefaciat; & quia tamen contingit ab initio quoque humorem alimentitium influere in cor, ideò hic humor præ vehementia caloris *difflatus*,
Lib. de reſp. penult. ἐκπνευματούμενος, pulſum faciat. Rurſus autem poſtquam comparauit Pulſationem cordis cum motione illa, quam tumores cum dolore creant, ac cenſuit affectionem eſſe, qualis eſt *Humoris calore difflati*, πνευματουμένου ὑγροῦ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ, ſubiicit: *In ipſo autem corde tumefactio humoris ex alimento accedentis, tunicámque extimam cordis eleuantis, pulſum facit, idque inceſſanter, quandoquidem humor, è quo eſt natura ſanguinis, inceſſanter influit.* Conſtat verò Ariſtotelem dixiſſe humorem, ex quo eſſet ſanguinis natura, influere, quòd non exiſtimaret illum eſſe propriè ſanguinem, niſi poſt peractam in corde elaborationem; quod & conſequenter declarat, & ex ante dictis intelligitur; Cùm iam receptâ opinione de præelaborato ſanguine in iecore, ij, qui Ariſtotelem imitantur, dicant influere ſanguinem, in dextrum quidem ventriculum ex vena caua, in ſiniſtrum verò ex dextro, aut per ſeptum interiacens, aut per venæ arterioſæ, arteriæque venoſæ ductum; ac tùm rarefacto, ſeu difflato vi caloris ſanguine dilatari cor, ſeu Diaſtolen fieri; ſubindéque refrigeſcente comprimi cor, ſeu Syſtolen pati, propelleréque ſanguinem ex dextro quidem ventriculo in venam arterioſam, ex ſiniſtro autem in arteriam aortam.
Ex his ſunt Haruæus antè memoratus, non- Proœm. de mo. cor.
nullique ab ipſo ſtantes. Quippè contendunt cor, & arterias non excipere in ſe ſanguinem, quia inſtar follium aërem excipientium diſtendantur; ſed diſtendi, quia inſtar vtrium, ſaccorum, aut chirothecarum aëre diſtentarum ſanguinem excipiant. Adeò vt neque in corde neque in arteriis vlla ſit pulſifica vis; ſed ſit in corde calor dumtaxat, qui ne ipſe quidem pulſum faceret, ſed ſimpliciter calefaceret, niſi contingeret ſanguinem appelli. Verùm contendunt alij, non eſſe quidem vnquam cor, vllámve ipſius, (vt neque etiam alterius partis) vitalem actiunem ſine calore, ſed præter calorem tamen eſſe in corde Pulſificam vim ex ipſius conformatione ita dependentem, vt machinalis Automatis inſtar itus, reditúſque ſuos ſemper habeat; ſicque quia diſtenditur & contrahitur, ſanguinem excipiat, & emittat inſtar follis; non quia excipiat, emittátque, diſtendatur, contrahatúrque inſtar vtris.

Videtur porrò opinio hæc eſſe longè veriſimilior. Primùm, quia nimis incongruum videtur, actionem primariam, maximéque omnium animali neceſſariam elici velut ex accidenti, non ex intentiune naturæ primaria. Deinde quia ſtructura cordis, ac fibrarum potiſſimùm, & quæ in ſiniſtro ſinu maximè lacertulorum inſtar directæ à baſi in mucronem ſpectantur, arguunt ſatis cor factum eſſe, vt fiat attractio mucronis in baſin, & relaxatio ex baſi prorsùm; cùm ſi ſe haberet dumtaxat paſſiuè, ſatis fuiſſet vtris, capſulæve membranaceæ inſtar fieri, vt ex influxu, effluxúque diſtendi, collabíque poſſet. Prætereà, quia, cùm intra ouum conformatur pullus, & donec parenchymata oppleta adhuc ſanguine non ſunt, pullúſque nihil aliud eſt, quàm ſeminea quædam, atque albicans contextura, obſeruare licet pulſationem quandam, cordis putà, & arteriarum. Et nullus tamen ſanguis eſt, ex cuins influxu, effluxûque diſtentio, & compreſſio fiat. Ad-hæc, quia in promptu eſt obſeruare cor cyprini

viui

viui aperti exemptum, atque denudatum, ſicque nullo neque influente, neque effluente ſanguine, dilatari tamen, atque contrahi, pulſaréque in longum tempus. Quin etiam cùm fateatur Haruæus, ſi exemptum anguillæ cor in fruſta diſſecueris, fore vt videas parteis diuiſas ſeſe contrahere, laxaréque; nonne eſt neceſſe admitti in corde pulſificam vim, quæ ab influxu, effluxúque inde pendens ſit, atque idcircò cor non diſtendi, quoniam impleatur ſanguine, ſed impleri potiùs ſanguine, quoniam diſtendatur? Dixi interim cor, eiúſve motionem ſine calore nunquam fieri; tùm quia & initio eſt ſemineus calor, & procedente tempore is, qui excitatur ex motu; tùm quia, vt in automate requiritur aër, aquáve præterfluens, aut chorda tenſa, pondúſve, aut aliud, quod machinis mobilibus ſeriei motuum initium faciat; ita in corde requiritur calor, ſeu veluti igniculus, cuius agitata corpuſcula machinulis, quæ intra cor, motus initium, ac libertatem per laxata ſpatia efficiant. Mirabile profectò eſt, memorata illa piſcium corda, à pulſatione, quoúſque planè refriguerint, non ceſſare; imò & cùm refriguiſſe, & à pulſando deſiiſſe viſa fuerint, ſi calore aut digitorum, aut ſaliuæ, aut tepentis ſanguinis, aliôve foueantur, veluti reuiuiſcere, ac denuò aliquantiſper pulſare. Notandum verò, eſſe quidem calorem neceſſarium, vt motus cordis excitetur; at ipſummet motum eſſe neceſſarium vt calor deinceps & conſeruetur, & adaugeſcat; adeò vt poſſit conſequenter dici non tam calorem eſſe cordi cauſſam motus, ſaltem continuati, quàm motum caloris continuati cauſſam. Notandum rurſùs calorem illum, qui eſt in corde adeò intenſus, deberi non tam ſemineæ materiæ cordis, quàm partim ſanguineæ, ex qua ipſius parenchyma eſt, partim ſanguini, qui in ſinus influit; quatenus vterque ex materia pingui, exhalabili, inflammabili ita conſtat, vt pro motionis vehementia intendi, pro ſegnitie remitti poſſit.

Ad Arterias quod attinet, videtur earum motus pendere ab eadem vi pulſifica, quâ baſis cordis ex pulſatione, tumefactionéque verſus ipſam facta pulſat ſimul, tumefacîtque arterias retrò cohærenteis. Sic penè ſenſit Herophilus; & argumentum apud Ariſtotelem eſt, pulſare ſimul inter ſe omneis venas (hoc eſt, arterias) *διὰ τὸ ἠρτῆσθαι ἐκ τῆς καρδίας*, *quòd à corde dependeant*. Confirmari autem poteſt, tùm quòd Pulſus tenor, acceleratio, aut retardatio fiat in arteriis pro tenore, acceleratione, aut retardatione, quæ in corde eſt; tùm quòd diaſtole arteriarum fiat eodem tempore, quo diaſtole cordis, & ſyſtole ſimiliter, vti ex viuorum diſſectione conſtat; quicquid nonnulli cum Eraſiſtrato ſentiant, aſſerente ſpiritum eſſe, qui non ſimul, ſed alternatim cor, & arterias agitet, vt alicubi recitat Galenus. Confirmatur rurſùs, quòd arteriarum pulſus neque eſſe poſſit ab ingenita ipſis vi, vt pridem ſenſit Praxagoras; neque ab influente, diſtendentéque tanquam vtreis ſanguine, vt nuper Haruæus; confirmatur, inquam, vel ex illo experimento, quod Galenus recenſuit, & recentiorum quidam iterârunt; [Lib. qu. ſ. n. cont. in art.] videlicet ſectâ in longum viuentis arteriâ, immiſſôque congruo, ſeu capacitatem replente canaliculo, per quem fluere ſanguis poſſit; conſtat, donec arteria ſupra canaliculum ligata non fuerit, pulſare adhuc ipſam tam citrà, quàm vltra, quàm ſupra canaliculum; at circumligata cùm fuerit, pulſare eam quidem totâ illâ parte, quæ à corde eſt, vſque ad ligamen, non verò illam, quæ vlteriùs eſt; cùm tamen & arteria illeic maneat perinde integra, & ſanguis perinde in illam, vt in vtrem influat, (canaliculum ſcilicet præterfluens) & memoratu dignum ſit ipſam ſoluto vinculo iterùm perinde pulſare.

Difficultas deinde eſt circa Syſtolen, Diaſtolénque; quòd dubitari imprimis ſoleat, Syſtoléne, an Diaſtole ſit, quâ cor propriè agit, exprimítque ictum, quo pectus pulſatur. Tametſi autem ſit communis opinio, ac ipſius etiam Haruæi (vtcumque ipſam quaſi propriam, non quaſi vulgò receptam habeat) [Cap. 2.] tùm agere cor, & ferire pectus, cùm per Syſtolen in mucronem producitur; videtur tamen id facere, cùm per Diaſtolen mucro adducitur in baſin. Etenim tangenti viuorum exſectorum cor, ſentitur perſpicuè ictus fieri, dum cor in ſeipſum velut ſubingreditur, ſeſéque verſus baſin ſubducit; id quod experimur etiam manifeſtè, dum cor cyprini, lucij, anguillæ, ranæ, aut ſimile aliud ſummis digitis continemus; ſiquidem tùm ſentitur ictus, cum mucrone in baſin ſeſe recipiente, cor inflatur, ac tenditur. Et, certè, cùm figura, quam cor in ſyſtole habet, eadem ſit, quæ ipſi naturalis eſt, qualiſque in mortuo, immotóque apparet; par eſt impetum, atque ictum fieri, cùm ab ea figura diſceditur; vti & relaxationem, ſiue quietem, cùm ad illam reditur. Poteſtque res ex eo probari, quod iam diximus de rectitudine fibrarum ex baſi in mucronem tendentium; quippè cùm baſis, non verò mucro rationem immobilis habeat, conſtat actionem fibrarum fieri, non propulſione in mucronem, ſed attractione in ipſam baſin; adeò proinde, vt Galenus non abs re Herophilum redarguat exiſtimantem cordis [4. De cau. pul. c.] actionem conſiſtere in Syſtole, Diaſtolen verò eſſe ceſſationem, reditúmve cordis in propriam figuram. Sed ne hac in re nimis hæream, dubitari deinde ſolet, an, cùm ſanguis per Syſtolen, Diaſtolénve influat in cor, & per vtramvis effluat; per vtram fieri id contingat. Cùm non deſint porrò qui putent ingredi ſanguinem in cor, donec ſyſtole; egredi, donec diaſtole eſt; videtur res tamen difficilis captu; quòd per æquum ſit ſanguinem

ſubire in cor, donec dilatatur, capaciúſque ſit, exire donec coarctatur, euadítque anguſtius. Verùm quia res dici commodè nun poreſt, niſi ſimul explicetur quibus viis ſanguis proſiliat in cor, & ab eo exſiliat, quæ magni momenti controuerſia eſt, & quam hoc loco attingendam ſuperiùs inſinuauimus, ideò hac de re eſt ſimul dicendum.

Itaque, cùm ſit apud omneis recepta, conſtanſque opinio, ſanguinem effundi in dextrum ventriculum cordis ex vena caua, quà illi ad baſin cohæret, valuuliſque tribus initio hiantibus apetitur; ambigitur tamen quâ viâ ſanguis penetret in ſiniſtrum. Aliqui enim vt retulimus, putant ſanguinem, qui in illo eſt, aduenire ipſi non ex dextro ventriculo, verùm ex liene, in quo ſcilicet præparetur quicquid ſanguinis arterialis eſt, & abs quo per arterialeis ramos immittatur in truncum Aortæ, ac ſenſim in læuum ſinum inſtilletur, non cùm expulſio ab ipſo ſit, valuulæque apertæ ſunt; ſed cùm valuulæ concluduntur quidem, verùm non ita exquiſitè, quin aliquantiſper hient, & ſubingredi quidpiam poſſit, quod miſtum puriori parti aëris per venoſam arteriam ſimul ingredientis conflctur in vitalem ſpiritum, qui intra arterias ſubinde pellatur. Ita Medici quidam recentiores, vt Vlmus Pictauienſis, & Pariſanus Venetus, id, cætera inter, inuchentes incommodi, quòd ipſis Aortæ oſtiolis, quâ conformatione ſunt, eò deſtinatis, vt poſt exploſionem ſpirituoſi ſanguinis in arteriam concluſæ, obſtent, ne idipſum poſſit regredi; interim tamen ſeſe ſubducat, tranſeátque contentus arteriâ & ex liene aduenìens ſanguis per concluſa uſtiola; quaſi non faciliùs ſe ſubduceret, tranſiret, atque adeò regrederetur ſanguis alius ex corde in arteriam ingreſſus, ac ſimul concluſus, tanquam & ſubtilior, & concluſionis impatientior? Atque id quidem, quo tempore ingreſſus ſit ex venoſa arteria; cùm vel ipſa tamen valuularum vtrarúmque conformatio, & functio tam apertè monſtret ingreſſum per has, egreſſum per illas, alternis, & non ſimul fieri. Commemoratem hoc loco Fluddum, qui ne ex liene quidem, aut aliunde aduenire ſanguinem cenſuit; ſed voluit dumtaxat creari intra ipſum venrriculum ex addenſato ſpiritu æthereo, qui vnà cum aëre per inſpirationem inducatur in pectus, & ſecretus ab aëre inducatur in cor per venoſam arteriam. Verùm hac de re eſt vberiùs actum ſpeciali quodam opere aduerſus ipſum inſtituto; neque neceſſe admodum eſt quidquam inſeri in hunc locum. Alij ſanguinem deriuantes in ventriculum ſiniſtrum è dextro, cenſuêre ipſum penetrare per ſeptum intermedium; & tranſpiratione quidem inſenſibili ob compactam, neque vllo ductu permeabilem ſepti ſubſtantiam. Ita cum Galeno Medici penè omnes ad ſuperiorem vſque ætatem; cùm & plerique etiam-num idem tueantur, vti & poſſunt tantò facilius, quantò vt ſuprà innuimus, ductus ampli detecti ſunt, quibus permeare ſanguis poſſit; niſi quòd id ſemper ſupereſt incommodi, vt ſanguis tranſire depuratus non valeat, vtque videatur tantò potiùs ex ventriculo ſiniſtro permeare debere in dextrum, quàm ex dextro in ſiniſtrum, quantò eſt ſubtilior, impetûque promptior. Nam quòd alioquin ad ſiniſtrum pateat aorta arteria, patet etiam ad dextrum vena arterioſa, in quam ſanguis exeat, neque penetrare per ſeptum cogatur. Atque iſti proinde omnes exiſtimant arterioſam venam alij muneri deſtinatam non eſſe, quàm nutriendis pulmonibus educto ſanguine è ventriculo cordis dextro; neque venoſam arteriam alij, quàm inducendo aëri in ſiniſtrum ventriculum ad elaborationem ſpiritus vitalis, arterialíſve ſanguinis; niſi quod aliqui illam, aliqui iſtam, aliqui vtramque inſeruire prætereà volunt fuliginibus ex altero, aut vtrôque ſinu educendis.

Poſtremò verò Realdus Columbus clarus In Anat.
ſuperiore ſæculo Anatomicus, ex eo, quod deprehendit ſemper in venoſa arteria, vti & in ipſo ventriculo læuo, parem ſanguinem, ratiocinatus eſt debere ramulos extremos venæ arterioſæ, & arteriæ venoſæ habere oſcilla coniuncta, ſanguinémque ex illis in iſtos tranſire, ac proinde collectum in truncum eiuſdem arteriæ venoſæ influere in ſiniſtrum ventriculum. Eſt autem deinceps præ aliis hanc amplexus ſententiam memoratus Haruæus, adiiciendo ſanguinem inductum è vena caua in dextrum ventriculum ita euacuari in venam arterioſam, ex hac in venoſam arteriam, ex hac in læuum ventriculum, ex hoc in arteriam aortam, idque ſingulis pulſibus, vt extremis arteriis coniunctis per anaſtomoſeis cum extremis venis, tantundem ſanguinis compellatur, ex arteriis in venas, redeátque proinde ſuccedenter ſanguis in venam cauam, è qua rursùs influat in cor, ſicque deinceps iterùm per arterias in venas & porrò in cor, continenti circularione. Nobis, quicquid ſit de hucce circuitu, is eſſe videtur ſanguinis progreſſus, qui à Columbo deſcriptus eſt: niſi quòd venam arterioſam propterea connecti per anaſtomoſeis cum venoſa arteria veriſimile non apparet, & probabilius eſt ſanguinem per illam refundi in pulmonis ſubſtanriam, & per hanc ſubinde exſugi, vt infrà circa Reſpirationem attingendum vberiùs eſt. Res verò ſuadetur Tùm ob eam rationem ex Columbo inſinuatam de ſanguine ſemper in venoſa arteria contento; Tùm ob conformationem, vſumque & quatuor vaſorum, & valuularum appoſitarum, quæ alternis claudi, ac reſerari debeant; Tùm ob defectum alterius ventriculi in piſcibus, quaſi, cùm nihil ſit neceſſe neque ex corde in pulmonem, quo carent, neque ex pulmone in cor tranſire; nihil quoque opus fuerit vena arterioſa, venoſáve

arteria,

Digitized by Google

arteria, aut liquore per eas transfuſo; Tùm maximè ob vſum duarum, vt appellant, Auricularum, ſiue duorum potiùs quaſi cucullorum, qni conſtituti ad baſin cordis, apertíque alter in dextrum, alter in læuum ventriculum, non alio fine vulgò creduntur, quàm vt impetum ſuſtinentes irrnentis in ventriculos ſeu ſanguinis, ſeu aëris, ipſum excipiant, ac deinceps in ſubiectum ſinum refundant; cùm nobis tamen eorum vſus videatut præclarior, & appoſitus magis. Nam aliis quidem videtur ſanguis cum impetu quodam, affatímqne influere è vena caua in ventriculum dextrum, ex hoc in venam arterioſam, & porrò quovſque in aortam irruperit: vnde & requirere ſolent quî ſuppetere, aut quonam abire tanta ſanguinis copia poſſit; & niſi ad circulationem, ſaltem ad tranſpirationem, communicationémque inſenſibilem arteriarom, venarúmque inter ſe confugiunt. Nobis autem videtur ſanguis non profusè, ſed parca quadam diſpenſatione effluere ex vtroque ventriculo (ac tantò magis, ſi verum ſit non transferri ipſum illo pernici, de quo eſt dicendum, circuitu) & ad diſpenſationem hanc baſce auriculas mirè inſeruire. Nempè ſanguinis præparatio, quæ in corde fit, videtur non aliqua vna pulſatione ſic indigere, vt immiſſus ſanguis emitti ſtatim debeat; ſed indigere omnino pluribus, imò plurimis; neque enim alia ratione incaleſceret, attenuaretúrque, quantum intereſt. Adeò proinde, vt poſſit quidem ab initio vſque eſſe drachma, plúſve, aut minùs in vtroque ventriculo, verùm id variis, ac repetitis pulſationibus agitandum. Neque verò ideò eſt mirum non patere ipſi ſanguini concluſo quantus qnantus eſt exitum; quoniam & vena arterioſa, & aorta oppletæ ſunt, & quantum ſolùm ex ſanguine in eas infuſo conſumitur, tantum in ipſas ingredi, ſeu quaſi ſuppleri, ac ſuperaddi poteſt. Valuulæ quippè, quæ ad ipſas ſunt, non planè prorſúmque in expulſione aperiuntur; obſtat enim retrò copia ſanguinis, ſed hiant ſolùm leniter, vt quicquid illud puſillum eſt, qnod deeſt, reſarciri poſſit. Ex quo aliunde fit, vt cùm ampliùs influere non poſſit, quàm effluat; ideò ſit perpuſillum quoque, quod ex vena caua, aut ex venoſa arteria ſubingreditur; quoniam tametſi in inductione apertæ ſint vaſis vtrinſque valuulæ in ventriculum, non tamen planè, prorſúmque patent, ſed hiant quoqne leuiter ſolùm, impeditæ putà à ſanguinis copia, & intra ipſum quidem ventriculum intumeſcente. At, inquies; quonam igitur abit, dum per Syſtolen comprimuntut ventriculi, qui ſanguis ipſos occupat, donec per Diaſtolen amplientur? En iam Auricularum vſum, ac ſanguinis ſimul per Pectus progreſſum. Diximus ſuo loco tùm eſſe Auricularum Syſtolen, cum Diaſtole eſt ventriculorum; & Diaſtolen, cùm Syſtole. Itaqne dum fit Diaſtole, hoc eſt, cordis mucro verſus baſin pulſat, clauſa eſt imprimis vena arterioſa; adeò vt ſanguis exagitatus in dextro ventriculo egredi in illam non valeat, & interim tamen, quia per Syſtolen præcedentem egreſſum fuerat tantillulum, ideò apertâ tunc venâ cauâ tantumdem, & non ampliùs in factam capacitatem ingreditur, quoniam non fuit ampliùs ex ea euacuatum. Syſtole autem ſuccedente abigitur ſanguis è ventriculo; ac tùm qnantillumcúmque poteſt in arterioſam venam proſilit; reſiduum autem, quæ maior eſt portio, excipitur intra auriculam tunc ſua Diaſtole patentem, ibique ſeruatur, donec ſuccedente ventriculi Diaſtole ipſa auricula ſuâ Syſtole comprimatur refundátque ſanguinem in ventriculum; ac rursùm ad compenſationem portionis ingreſſæ in arterioſam venam, tantillum ſtillet ex vena caua. Interim porrò qui Sanguis per venam arterioſam pulmonem adit, tùm connutrit ipſum, tùm parte ſui tenuiore, & repurgatiore, perueniente putà ad extremas venulas, ſubit per oſcilla ipſum ſugentia in venoſam arteriam, confluítque in illios truncum. Tùm verò in Diaſtole ipſa ſiniſtri ventriculi, qui ſanguis in ipſo & purior, & calidior exagitatur, proruere non poteſt in aortam arteriam, qnoniam illa clauſa tunc eſt, & quia Syſtole tamen præcedente abierat in eam aliquid; ideò ad illud reſarciendum, tantumdém, & non amplius ſtillat; quia loci ampliùs factum non eſt, ex ipſa arteria venoſa. Tandem Syſtole conſequente ſanguis ventriculo contentus exſilire quidem ob compreſſionem cogitur; ſed cùm parùm id ſit, quod poteſt intra aortam excipi; ideirco adeſt auricula, quæ tunc aperta ob Diaſtolen ſui, reſiduum excipiat, ſeruétque, donec per conſeqnentem ventriculi Diaſtolen, ipſa, Syſtolen paſſa, ae ſe comprimens id refundat, ſimúlque rursùs ex venoſa arteria tantumdem accedat, quantum in aortam exceſſerit.

Atque id quidem videtur poſſe probabiliſſimè omninm dici: cùm illa alioquin Sanguinis Circulatio, vtcumque ſuis argumentis probabilis ſit; videatur adhuc nihilominùs inſigneis pati difficultates. Quippè nos quoque, ij quidem ſumus, qui in eam valdè propendeamns, vt fuimus ab initio vſqne, dum memorati Fluddi doctrinam expenderemus, conteſtati; verùm & ex eodem vſque tempore fuere argumenta, quæ nos ad aſſenſum continendum permouerint, quæque cùm indignanti cuipiam, quòd non incunctanter, paſſiſqne velis in eam iremns, regeſſerimus; liceat iam in hnnc inſerere locum. Itaque aduerſus illum quidem ita fuimus ratiocinati. Imprimis, ſi arteriæ monſtrari alicubi poſſent oſcnla iungere cum venis, haberi res poſſet non modò veriſimilis, ſed etiam penè dicam, confecta: At ipſemet Haruæus cogitur fateri,

Cap. 9 ne ſuſpicari quidem licere, vbi-nam fiat talis coniunctio. Et quomodò certè ea fieret, cùm venæ multæ deſtituantur arteriis comitantibus, quibuſcum in extremo coaleſcant; conſtétque ſpeciatim eam venam, quæ dicitur Azygos, quaſi *ſine pari*, ſic à dextra parte trunci venæ cauæ originem ducere, vt partim in membranas, muſculóſque intercoſtaleis diſtribuatur, partim inſeratur in emulgentem ſiniſtram; vt cò deferat, non verò reportet (& ex emulgente præſertim) nullâ adhibitâ arteriâ. Quæſo autem, vt nihil dicam de copioſo illo canali, qui ab occipiti antrorsùm, ſupernéque ſanguinem defert, nullâ arteriâ appoſitâ, quæ ipſum in cor referat; quæſo, inquam, ſanguis contentus in venis ſeminalibus, tenditne verſus venam cauam, vt influat in cor, & non potiùs eodem, quò is, qui in arteriis ſeminalibus continetur? Et, ſi tendendo per arterias oſculis coniunctis rediret per venas, quônam modo ſuppeteret ſemini creando emittendôque idonea materies? Quod idem quoque dici poteſt de arteriali ſanguine, qui defertur in cerebrum, & ſpiritibus animalibus elaborandis deſtinatur. Quid dicetur verò de eo, qui influit in mammas? An ſi is cò fertur per arterias, refertur per venas? Atqui non refertur, ſed verſum in lac emittitur foras. An potiùs per venas? At ſi venæ ferunt, non referunt ſanè. Quid rursùs dicetur ſpeciatim de venis Epigaſtricis, & mammalibus, quarum oſcula mutuò inter ſe & non cum arteriis iunguntur? Quid de Mezeraicis, quarum oſcula iuxta Haruæum, communémque ſententiam, inteſtinis admota ad ſugendum chylum admoueri ſimul non poſſunt arteriis; aut iis abruptis non poteſt ſanguis non proruere ex arteriis in inteſtina? Quo pariter modo prorumperet non ſine impetu, ſanguis arterioſus per mulierum menſeis, ſi non è venis effluxus fieret, ſed oſculis ruptis ex ipſis arteriis? Itemque hæmorrhoidalis, cuius proinde fluxui fruſtrà deſtinarentur venæ, atque ita de aliis oppidò quam-multis. Non eſt verò prætermittenda res notatu imprimis digna: ſcilicet illos attinens, quibus amputata, ſanatáque ſunt, aut crura, aut brachia. Siquidem manifeſtum eſt ora illa grandia venarum, atque arteriarum obturari quidem cicatrice, igne, medicaminéve obductâ; at non propterea iungi os venæ patens cum ore patente arteriæ, vt pleno hauſtu ſanguinem trahat, ſicque ſanguinem, quo turgeſcit non verſus cicatricem vehat, ſed affatim hauſtum illeinc reuehat. Vt taceam, ſi ſanguis per venam influeret, per arteriam efflueret, futurum, vt ipſo obtruncationis tempore dilaberetur quidem è vena, quod tantillum ſanguinis mox antè in eam influxiſſet; at non deinceps ampliùs ex ea, ſed ex arteria ſola ſcaturiret, ſecùs ac contingere conſtat.

Deinde videtur Natura ſatis oſtendiſſe & ex nutritione, viuificationéque Embryonis, & ex ipſa venarum, arteriarúmque conformatione ſe circuitione ſanguinis non vti. Nam quod attinet quidem ad Embryonem, ſi vmbilicales tam arteriæ, quàm venæ inſererentur ſolùm in venas, aut ſolùm in arterias, videri probabile poſſet circuitionem fieri. At cùm ſeorſim venæ in venas, arteriæ in arterias inſerantur; an-non videtur velle natura, vt qui ſanguis in venas influit, non niſi per venas; qui in arterias, non niſi per arterias excurrat? Eequid verò neceſſe fuerat influere in venam non modò cauam, ſed etiam portam, cùm iſta deinceps non tendat ad cor, ſed in inteſtina? Quid neceſſe aliunde influere immediatè in cauam, ſi ipſa impleri ex arteriis debuit? Quid ex oppoſito influere immediatè in aortam, duóſve inſigneis eius ramos, ſi & aorta, & eius rami impleri ex venis ſanguine per cor, pectúſve tranſmiſſo debuerunt? Et fac ſanguinem tranſmitti per pectus, deſcenderéque per aortam; quomodo igitur aſcendet infernè infuſus per vmbilicaleis arterias? fac iſtum aſcendere, quo ergo modo ille deſcendet? Obſtant hæc certè circulationi, quæ ſic fingi à quopiam poſſet, vt intelligeretur ſanguis arteriarum matris tranſire in vmbilicaleis arterias; ex his in arterias embryonis; ex his in venas eiuſdemmet; ex his in venas vmbilicaleis, ex his in venas matris, ac refuſas per cauam in matris cor, illiúſque arterias, circulationem iterare. Quamquam neſcio id-ne fortaſſis venire cuiquam in mentem poſſit; ac potiſſimùm, quia dicendum foret, non inſeruire venas vmbilicaleis ad deferendum ſanguinem ex corpore matris in ipſum, ſed ad referendum ſolum ex ipſo Embryone in corpus maternum; & collectum ex arteriis in venam cauam Embryonis non ingredi in eius pectus, ſecus ac Haruæus contendit; ſed ſubingredi in vmbilicalem venam, quà in ipſam patet illius inſertio. Dices fortaſſis, meatum illum, qui ex vena arterioſa in Aortam patet, donec fœtus in vtero eſt, indicio eſſe ſanguinem, qui ex vena caua in arterioſam per ouale foramen ſuperiùs memoratum influit, tranſire in ipſam Aortam. Attamen longè planius eſt, vt ſanguis arterialis, ſiue ſpirituoſus, tranſeat ex Aorta in arterioſam venam per canalem hninſmodi, vt vnà cum venali ex caua ingreſſo præſtetur ſimul nntritio, & viuificatio pulmoni, videlicet donec otiatur dexter cordis ventriculus; ex quo qni poſt natiuitatem prodit in venam arterioſam, ſatis eſſe elaboratus viuificando ſimul & nuttiendo pulmoni poteſt.

Ad contexturam quod attiner, ſi fururum erat, vt ſanguis circuitum peragerer, debuerunt ſanè arteriæ capaciores longè creari quàm venæ; tùm quia ſanguis in illis feruentior, ſpiritnoſior, dilatatior eſt; tùm qnia aliquid ſemper in itinere, ſiue exhalari, ſiue nutriendo parteis relinqui, ſiue aliâ ratione abſumi, de-

perdíſque

perdiq; neceſſe eſt? At quæſo, aorta in egreſſu à corde, capacior-ne eſt, quàm vena caua in acceſſu ad ipſum? Sunt-ne ampliores rami illius ramis iſtius diffuſi per corpus? An-non verò aliunde par fuit, vt textura vaſorum ex corde in cor vniuſmodi foret, aut decrementi ſaltem inſenſibilis, non autem eiuſmodi, vt dimidium ex duplici, dimidium ex vnica tunica conſtaret? Et prætereà, ſi ad propellendum per arterias ſanguinem neceſſaria pulſatio fuit; eſſe-ne minus neceſſaria ad propellendum per venas potuit; ac potiſſimùm ſanguine exſiſtente in ipſis iam frigidiore, craſſiore, copioſiore, ad motum ſegniore? Quid, quòd, cùm pulſatio arteriarum huiuſmodi ſit, vt propellat ſanguinem ex trunco in ramos, debuerant arteriæ incedere per corpus diſparatæ à venis, non verò ipſis coniugatæ, quoniam cùm venas pariter pulſent, obſtituræ erant omnino ſanguinis reditui ex ramis in truncum? Niſi verò ex hoc proinde non fit, vt arteriæ venis ideò copulatæ videantur, non ſanè vt ſanguinis in illis contenti fiat in iſtas tranſitus, circuitióque continua; ſed vt qui ſanguis intra venas refrigerari poſſet, ac torpeſcere, pulſatione excitetur, calorem tueatur, vehatur ex trunco in ramos, minimáque capillamenta; ac in omnium partium alimentum cedat? Niſi nunc

Cap. 15. fit rurſùs, vt Haruæo timendum, iuxta Ariſtotelem, ſit, ne ſanguis in extremas corporis parteis longè amandatus, defectu motus coaguletur, ac ne extremæ partes frigore concepto liueſcentes, recuperare calorem non valeant. Quin etiam ſi ſanguis perpetua circulatione agitur; non apparet, cur, aut patiatur extrema membra frigeſcere, intenſo ſemper cum calore appellens, ac præteriens; aut cur cicutam bibentibus debeant extrema ſenſim, ſenſimque, & quouſque frigus cor attigerit, obtorpeſcere; quod fuit in Socrate ſolemne, ſi ſanguis ſemper tam per extrema, quàm per ipſum cor prætercurrat; cæteráque huiuſmodi, quæ longè meliùs explicari citra circulationem poſſunt; quemadmodum intelligi vtcumque poteſt ex iis, quæ ſunt de veneno Plantarum dicta.

Res mira ad hæc videtur Haruæum deduxiſſe argumentum ex conformatione venarum; quatenùs quæ maiuſculæ in cruribus, bracchiiſque ſunt, valuulas intus, ſeu oſtiola habent, certis interuallis ſic diſpoſita, vt cùm ſint membranulæ quædam nidi hirundinis penè formâ cohærentes lateribus, apertæ ſint ſurſùm, ſeu in ipſam venarum originem, hoc eſt, verſus iecur, & nunc ſingulares reperiantur, nunc geminæ; antecedentes quidem prorsùm, & retrorsùm, ſequentes dextrorsùm, & ſiniſtrorsùm inſtar ramulorum ex caule verbenæ, plantæve ſimilis prodeuntium. Videlicet ille contendit valuulas appoſitas eſſe, vt cedentes ſanguini in iecur tranſeunti obſtent ſui dilatatione ne retrò abeat; quòd quæ præſertim geminæ ſunt reſpicientes ambæ in venæ capacitatem ſe ita contingant, ac oris extremis ſic cohærere aptæ ſint, vt ſi quid, inquit, è radice venarum in ramos, vel è maioribus in minores permearet, omninò impe-

diant. At verò quis non videat eſſe potiùs has valuulas, quaſi retinacula quædam conſtitutas, ne torrentis inſtar verſus extrema ſanguis proruat, venæque, vt pertenues ſunt, nimis dilatentur, aut etiam rumpantur; idque in magnis conatibus, quibus cernimus venas bracchiorum, & crurum intumeſcere, ac nodos velut quoſdam fieri, qui nihil aliud ſunt quàm ipſæ valuulæ diſtentiores factæ? Quod autem ille putat impediri hinc ſanguinem, ne vlteriùs permeet, hoc eſt, extrema verſus contendat, patet quàm parùm congruè; cùm illi oſtium, ſeu labiorum ſemicirculi, etiam ſe mutuò contingentes, quà gemini ſunt, ſic occludere totam venæ capacitatem nequeant, vt non relinquat adhuc ſatis interſtitij inoccupatum, quo fieri interfluxus poſſit. Neque mirum eſt, ſi immiſſum intra venam ſpecillum promoueri ſursùm, non deorsùm ſpectando valeat, quoniam ſpectando ſursùm, cedunt valuulæ; ſpectando deorsùm ſic labis occurrunt, vt ſiue in has, ſiue in illas, propter memoratam alternationem, ſtatim incurratur. Sanè verò, ſi valuulæ ita cohærerent, vt omninò impedirent, ne ſanguis transflueret, id non eueniret, quod ille contendit, vt dum venæ, & valuulæ bracchij intumeſcere obſeruantur, ob frictionem, & ligaturam, quæ ſectioni venæ præmittitur, permeare poſſet magna copia ſanguinis ex brachio extremo in ipſam ſectionem, ob plureis valuulas interceptas, ac tenſas.

Verùm, quia hæc eſt illi vna ex præcipuis rationibus; idcircò eſt paulò vberius noſcenda. Ea ex Chirurgorum praxi petitur, dum venam ſecturi ad educendum ſanguinem, circumligant bracchium citra locum ſectionis, verſus humerum, non autem vltrà, verſus manum. Videretur enim vlteriùs fieri debere ligatura, ſi ſanguis ex humero in manum confluerer, ſcilicet ad illum ſiſtendum, non autem citeriùs, quo caſu impediri confluxus poſſet. Cap. 11.

Concludit proinde debere accedere ſanguinem è manu verſus humerum, atque idcircò exſilire, quòd ligatura tranſitui obſtet; argumentóque eſſe, quòd ſi ligatura æquo ſtrictior fuerit, non poſſit ſanguis effluere; quia cùm mediocris eſt ligatura, ſola vena comprimitur, non verò ſubiecta arteria, per quam interiorem, firmiorémque exſiſtentem, ſanguis tendere ex corde vſque in manum poſſit, & ex manu per venas vſque ad ſectionem redire: in ſtrictiore autem comprimitur etiam arteria, ſicque non eſt mirum, ſi cùm in manum ſanguis non eat, redire ex manu non valeat. Enimverò obſeruandum eſt, ligaturam illam, quam Haruæus appellat ſtrictam, ſeu quâ ſanguinis miſſio impeditur, eam eſſe, non quæ arteriam ita comprimit, vt non ſit

adhuc libera ſatis (niſi fortaſſis talis ſit, ob quam pulſus ad manum ceſſet, quod niſi à tortore procurandum non ſit) ſed ſolùm quæ venam ſic ſtringit, vt prætermeare ſanguis non poſſit; quàm verò vocat mediocrem, eiuſmodi eſſe, vt mediocriter ſolùm venam premat, ſicque præterfluxui ſanguinis non obſtet. Heinc ſolet proinde citrà fieri, vt quâ parte debet ſectio fieri, vena fiat tenſior, & frictione ex altera parte facta compulſus ſanguis ad eam ſiſtatur, vnde & fiat vena tumentior, & tùm ſectio fiat ſecuriùs, tùm ſanguis proſilire non ſine impetu incipiat. Videlicet ſtatim ac illud, quod fuerat compulſum, vìque tenebatur, exſilit, effluit ſanguis guttatim ſolùm, brachiúmque adeò inficit; vnde & laxanda ligatura eſt, quò liberiùs affluens ſcaturire valeat, interdúmque etiam frictione adiutandus, ac promouendus, quovſque, dum ſiſtendus eſt, cubiti inflexione vena comprimitur, & appoſito quidem citrà. ſeu verſus humerum digito (quod nequicquam fieret, ſi à manu ſanguis afflueret) ſanguinis fluxus cohibetur. Profectò verò, ſi poſt factam ligaturam mediocrem ſanguis ex parte manus affluat, & ligamine impediatur, ne prorumpat in humerum, ac porrò verſus cor; fac manere brachium ligatum, nec ſecari venam per horæ quadrantem; quæſo, cùm neque cor, neque arteriæ otientur, & tranſmittant ſemper in manus venas ſanguinem, qui vrgente ſemper corde redire verſus cor per eaſdem arterias non poſſit; Quæſo, inquam, ecquid-nam fiat de toto illo ſanguine, cuius copia ex eo intelligitur, qui per horæ quadrantem fuiſſet effundendus? An-non vel venæ inter manum, & ligamen; vel arteriæ inter manum, & cor neceſſariò crepent; aut cor longè excedat, functionémque intermittat? Quod idem proportione dico, cùm accepta vna ex venis in auerſa manus parte eminentibus, iubent aliqui compelli frictione, preſſionéve ſanguinem verſus digitos, ac obſeruare quemadmodum ceſſante preſſione ſanguis refluat, ſeu in venæ partem euacuatam influat, & quaſi in decliue, ſolitámque viam procurrat. Nimirùm, ſi tunc non recurreret, ſed procurreret, quaſi ſublato obice continuum procurſum impediente, oporteret obice illo, hoc eſt, preſſione, perſeuerante per horæ quadrantem, ita affluere ſanguinem ex parte digitorum continenter impulſum, vt vena ad illam partem incredibiliter intumeſceret, omninóque creparet; cùm tamen ne minimum quidem aut fluxus indicium, aut tumefactiunis veſtigium appareat.

Verum hæc vt mittam adnotare præſtat factam ab ipſomet Haruæo eiuſmodi ſupputationem, quæ neſcio quo pacto illum non abſterruerit à circulationis commento. Cùm enim ſectâ venâ ſanguis ita effluit, vt penè totus, qui intra corpus, ſemi-horæ ſpatio fuerit exhauriendus, cogitari vult quantum intereà ſanguinis ſimul tranſeat per alias venas, quæ io eodem brachio, quæ in altero, quæ in vtroque crure, quæ in collo, quæ alibi ſunt; cogitari, inquam, vult, vt intelligamus tantundem eſſe ſanguinis, quod ſimul, ſeu tempore eodem tranſeat per cor; hauſtum nempè ex vena caua, & tranſmiſſum in arterias, ex quibus ſubeat, ac redeundo per ipſas venas tranſeat. Et ſequitur id quidem neceſſariò ex poſita circulatione (non verò, quod putant nonnulli ex eius Sectatoribus, qui contendunt non ampliùs, quàm vnam ſatis magnam guttam ſtillare in cordis ventriculum, & iuxta Ariſtotelem ita per Diaſtolen diſſlari, vt alia deinceps non ſtillet, quovſque præcedens per Syſtolen effluxerit) Sequitur id, inquam; ſed Haruæus, quæſo, cogitauit-ne quantus eſſe debeat huiuſmodi torrens? Maior profectò eſſe is debet, quàm vt vllo quatuor vaſorum, quæ ad cor ſunt ſita, excipi ſimul valeat; etiam maximo omnium, venâ cauâ. Scilicet eſt omnium ramorum venæ cauæ capacitas in vnum collecta longè maior capacitate ipſius trunci venæ cauæ; vt & craſſitudo ſimul ſumpta ramorum arboris, capacitate trunci arboris maior (ramos accipio collectim ſumptus in eadem à truneo diſtantia) Quippè cùm trunci munus ſit, non continere tantum ſubſtantiæ, quantum in ramis omnibus eſt, ſed viam communem, commodámque traiicienti in ramos ſubſtantiæ non vlterius effluxuræ, verùm conſtituræ, præbere. Et fac, non tantùm, non dimidium, ſed decimam partem tranſire per cor; nonne ea adhuc tanta foret, quæ ipſum prorſùs obrueret? Quid dicam verò de pernicitate, déque tenore non interrupto, quo ſanguis ex ſectione micat? An vtrumque ſatis conſtare cum Syſtole, & Diaſtole, ſeu motu, & quiete cordis alternante intelligi poteſt? An cum elaboratione intra ipſum cor perficienda?

Heic non vrgeo debere continenter tranſire per cor tantum ſanguinis, quantum per vtrumque ſimul venæ truncum, vtpote cum vterque repleatur ſanguine tranſmiſſo per ramos tempore eodem ſecabileis; Non item debere tantum, quantum ſimul effluit capite truncato, aut ſaltem dimidium, ſi contendatur ſanguinem tam poſſe refluere per venas, quàm profluere per arterias in vulnus. Inſto dumtaxat, tantum debere eſſe ſanguinis in arteriis, quantum in venis continetur; & vtcumque tantum contineri nón poſſit, quando & pauciores, & anguſtiores ſunt, vt ex iam obiectis intelligitur; debere eas ſaltem eſſe ſemper plenas, videlicet ad ſufficiendum quantum per venas effluere poteſt: Et rem ſe tamen habere ſecùs ipſa αὐτοψία probari; quatenus in ſuffocato animali venæ quidem ipſæ reperiuntur ſanguinis plenæ; cùm perexiguum tamen ſit, quod in arteriis continetur.

Digitized by Google

continetur. Atque id quidem non abs re; quandoquidem in animali viuo arteriæ non tam ſanguine, quàm ſpiritu, ſeu halitu, qui ex parua eius quantitate incaleſacta, exæſtuantéque (& penè dicam bulliente) creatur, opplentur; cùm ſubeunte per mortem frigore, æſtúque remiſſo, id tantum, quod fuit ſubſtantiæ ſanguinis, ſuperſit, ac viſibile efficiatur; An verò forſan Haruæo fauet, quod ex Galeno ipſe confirmat, ſi Animali viuo quævis vel minima arteria ſecta fuerit, vniuerſam ſanguinis maſſam, tam quæ in arteriis eſt, quàm quæ in venis exhauſtum iri? Nuſquam profectò: Non quòd putem cum Medicis, id fieri ob quandam veluti tranſpirationem, ſiue attractionem inſenſibilem ex venis in arterias; ſed quòd iuxta ea, quæ ſunt priùs dicta, adnotandum diſcrimen ſit inter integram, ſectámque arteriam. Nam tranſit quidem ſanguis ex caua per cor in arteriam; ſed donec arteria integra eſt, inſenſibiliter, quòd arteria ſit ſanguine arterioſo ita oppleta, vt vix quicquam valeat in ipſam intrudi: Poſtquàm verò ſecta, apertáque eſt, ſeu propè, ſeu procul in aliquo ramo, tùm quia ſanguini patet exitus, ideò quovis pulſu ſiniſter ventriculus effunditur in illam totus, replet úrque ſubinde (effundendus iterùm) ex venoſa arteria oſculis laxatis auidiùs ſorbente ſanguinem reſuſum à laxata quoque vena arterioſa, in quam proinde effundatur ventriculus dexter, replendus ſtatim ex vena caua. Simile eſt, ac dum ventus in apertam feneſtram reſlans fruſtrà nititur ſubire in cubiculum, quod, cætera probè concluſum, illo oppletum ſemel fuerit; cùm ſi deinceps aliquod oſtiolum aperueris, per quod iam ingreſſus poſſit egredi, nouus, nouúſque continenter & ſubintret, & egrediatur. Rem porrò ita ſe habere intelligi aliunde poteſt vel ex eo, quòd ſanguis ex facta ſectione effluens non continenter, ſed ſaltuatim exſiliat; nempè ad quamvis Syſtolen (vtcumque videatur plerumque ob præterfluxus morulam, pulſationiſque crebritatem per Diaſtolen effluere) planè vt ventus, qui flatibus, quaſi fluctibus repetitis appellit. Et vel hoc vnum certè videtur ipſum Haruæi argumentum planè, prorſumque inuertere; quoniam, ſi ſanguis ex arteria in venam ſectam influeret, tùm ex ipſa vena non vno tenore, vt ſanè facit, proſiliret; ſed ſaltuatim planè, cùm traiicere nec crebriùs, nec citiùs per venam, quàm per arteriam poſſet. Heinc interim patet, eur educta vna alteráve vncia arterioſi ſanguinis, plus afferat noxæ, quàm libra venoſi. Scilicet, quia venoſus ſtatim, & quantâ puritate eſt, aut etiam maiore poteſt reſarciri; at arterioſus longo tempore eget; arteriáque interim ob celerem ex ſectione factum transfluxum ſanguine repletur inelaborato, ſeu non ſpirituoſo; vnde & fiunt vitæ functiones laborioſæ, imbecillæque in longum tempus.

Cap. 9.

Eſt porrò prætereà Haruæo argumentum primarium Ex eo, quòd, cùm ad quemlibet pulſum certa copia ſanguinis tranſeat ex vena caua in cor, & ex corde influat in arterias, eiuſmodi copia ſit tanta, vt niſi ex arteriis rediret in venas, dimidij ſaltem horæ ſpatio venæ omnes exhauſtæ forent. Verùm ex dictis clarum iam eſt, ecquid ſit hac de re ſentiendum. Supponit ille vel ſeſqu'vnciam, vel duas, vel treis vncias ſanguinis contineri poſſe in ſiniſtro ventriculo, donec dilatatur; cùm ipſe in mortuo repererit duas. Et quia tamen creditu difficile eſt tantum tranſire in arteriam contractione qualibet, ſupponit tranſire ſaltem vnciæ partem vel quartam, vel quintam, vel ſextam, vel minimùm octauam, ſeu drachmam. Ac tùm, quia per ſemihoram pulſat cor pluſquàm millies, cùm pulſet in aliquibus etiam bis, ter, & quater millies, arguit horæ dimidio tranſire drachmas pluſquàm mille, hoc eſt ſaltem octo ſenûm-denûm vnciatum libras, quæ tanta copia ſanguinis non reperitur in corpore; cùm ipſe treis ſolùm repererit in corpore ouis. At quòd duas quidam ſanguinis vncias in ſiniſtro demortui ventriculo repererit, par eſt ipſum loqui de dilatato à ſe, & repleto ad explorandam capacitatem ſanguine; nam nobis quidem nulla tanta copia in apertione cordis reperta eſt vnquam, aut intelligendum eſt, langueſcente iam cordis pulſatione, & collabaſcentibus valuulis, allectum quidem ſanguinem fuiſſe in ſiniſtrum ventriculum; ſed neque in halitum verti, neque in arterias refundi potuiſſe; cùm exſiſtente alioquin pulſatione vegetâ, ſanguinis perparùm neceſſarium ſit ad compleudum ventriculum, eâ ratione, qua eſt de arteriis dictum. Quòd autem intra horæ dimidium, quadrantem, octantem, minorémve partem, neceſſe non ſit totum ſanguinem tranſire per cor, & per arterias, venáſque ad idem redire; vel ex eo intelligi poteſt, quòd, iuxta antè dicta de auricularum cordis vſu, non oporteat totum, aut inſignem partem eius ſanguinis, qui in ventriculis continetur, ad quamlibet cordis pulſationem aut in aortam arteriam, aut in venam arterioſam tranſmitti; ſed valeat, non, vt ille ait, minimùm tranſmitti pars vnciæ octaua, ſeu drachma; verùm non ampliùs, quàm pars octingenteſima, aut etiam milleſima drachmæ. Neque obſtat, quòd animali viuo preſsâ, aut ligatâ venâ infra adhæſionem ad cor, id quod ſupereſt inter venam, & cor breui euacuetur, cordiſque pulſatio langueſcat; preſsâ verò, aut ligatâ arteriâ ſupra emerſionem à corde, id, quod inter preſſionem, & cor eſt, ita turgeſcat, vt cor penè ſuffocet. Nam & Priore caſu ſanguis citò effluit, ob cauſſam iam expoſitam circa ſectionem arteriarum; aliquæ enim haud-dubiè in ipſa pectoris, abdominiſque apertione reſectæ ſunt; Et Poſteriore, qui ſpirituoſus ſanguis

ſanguis creatur in ſiniſtro ventriculo, cùm alius affluat interim, neque cor ceſſet exagitare, non poteſt ex eo proſilire.

Quæ res fortè, cur dixerim, ne octingenteſimam quidem, aut milleſimam drachmæ ſanguinis partem ſingulis pulſibus ire in arterias? Dixi; quia cùm mihi, aliiſque quibuſdam, quibus eſt pulſus mediocris, pulſationum interualla ſecundis horæ proximè reſpondeant, & dies componatur ex horæ ſecundis octogies ſexies millies, & quadringenties; ac pulſante toties arteriâ, influentéque in eam ſingulis pulſibus milleſima drachmæ ſanguinis parte, influere debeant intra vnum diem drachmæ octoginta ſex cum ſemiſſe, ſiue vnciæ decem, ſuprà drachmas ſex & ſemiſſem, neque ſit veriſimile influxum fieri vberiorem. Nempè, ſi homo ſuppoſitus continere intra venas quinque ſummùm ſanguinis libras, ac præ inedia interire, ſeu extabeſcere poſt diem ſeptimum, tranſire deberent per id tempus ex venis in arterias, libræ ſanguinis quatuor cum vnciis vndecim, ac ſemiſſe; adeò vt, licet ſupponantur eſſe venæ prorsùs exhauſtæ (quod tamen non contigerit) dici poſſent ſolùm vnciæ quatuor cum ſemiſſe conſumptæ eſſe in alimentum ab ipſis venis ſuppeditatum; ne aliquid commemorem de ſeroſa parte in lotium abeunte. Niſi quòd pulſante ſemper languidiùs corde, ſi ſupponamus pulſationum numerum ita ſenſim decreſcere, vt deſit denique ex iis, quæ eſſe deberent, vna ſexta circiter pars; tùm ſupererit vna libra ampliùs. Vtcumque ſit, videtur ſanguis non poſſe nutriendo conferre, niſi immoretur in ipſis venarum (imò, & ſi velis, arteriarum) inſenſilibus oſculis, vt partes nutriri eo poſſint; cùm ad hoc, vt ſanguis tranſmutari, aliámve formam inducre valeat, requiratur tempus, neque natura momento agat, operáve ſua perficiat. Quare & non debet prætérfluere ſanguis illo impetu, tantâve illâ rapiditate, quæ eſt ad deſcriptam circulationem neceſſaria; ac præſertim, cùm eâ ratione nulla eſſe oſcula poſſent, in parteis nutriendas aperta; ſed deberent omnino venæ ſic eſſe connexæ arteriis, vt ſi vaſa prorſus continentia forent. Nam & quòd aliunde tot vicibus illis repetere ſanguis cor debeat, vt in alimentum præparetur, & præparatione, ſeu diſpoſitione in itinere amiſſa, recuperare toties eam debeat; nihil eſt profectò, quod ſuadere valeat.

Vt taceam autem mulieribus per hyſtericam affectionem non pulſare arterias; cùm non debeat tamen in illis facultas altrix eſſe otioſa, ne prorsùs functionis vitalis, vitæque adeò expertes ſint. Vt item prætercam plantis conuenire alimenti diſtributionem, nutritionémque cum animalibus communem, neque ipſam tamen eum pari circulatione peragi, cæteráque ſimilia: Adnoto dumtaxat, ſi ſanguis illâ velocitate per arterias, venáſque ſuccedenter tranſeat, non fore, Cur ſanguis in venæ ſectione proſiliat primùm deterior, ac deinde laudatior; cùm ſuccedere vniuſmodi debeat: Cur in ophthalmia, angina, pleutitide, & ſimilibus, proſit venæ ſectio; cùm nihil minùs ſanguis in affectas parteis ſuccedenter erumpat: Cur reuellendis humoribus, prohibendis inflammationibus, ſedandis doloribus proſit tùm venæ ſectio, tùm cucurbitularum, & hirundinum applicatio; tùm veſiccatio, & frictio; cùm ſanguinis tantumdem, & perinde accurrat: Cur ex ſectis crurum venis varicum curatio ſperetur; cùm non ſanguis in iis conſiſtens, ſed præterfluens ſit effluxurus: Cur ſit adeò purus in arteriis ſanguis, vt in educto ex illis nihil humorum excrementitiorum, quale in educto è venis appareat, & in venis tamen adeò impurus ſit; cùm neque is ſit alius, quàm qui ex arteriis influat, & dici non poſſit vbi, quando, aut quomodo contrahat hanc impuritatem: Cur, cùm hic idem ſit adeò craſſus, fæculentúſque, repurgari tam citò poſſit: cùm neque fæces intra cor relinquat; neque fuligines per pulmonem expulſæ pars illarum milleſima ſint: Cur ad aliquam partem purulentus, non ex omnibus tamen venis purulentus educitur; cùm & talis tranſeat per cor, & profluens ex corde maſſa ſanguinis æquè diſtribuatur, propellatúrque in omneis arterias, & iuxta illum, etiam in venas; idque ſanè faciliùs quàm neſcio quibus ductibus in ipſam veſicam, quod ille obſeruatum à Laurentio commendat *In procem. c.16.*: Cur lues venerea, & alia, quæ ille commemorat, in quibuſdam partibus, potiùs quàm in aliis ſe exſerant, cùm cauſsâ priùs tranſmiſsâ per venas in cor, æquè ex corde in omneis parteis per arterias, ac venas redeat; paríque modo alia ſexcenta, quæ ab ipſis Medicis excogitari promptum eſt. Nobis ſat eſto hæc attigiſſe, vt oſtenderemus quid nos ad aſſenſum continendum induxerit, ex quo primùm nobilis illa de Circulatione ſanguinis opinio fuit ab Haruæo inuecta.

Conſequitur, vt pauca iam de RESPIRATIONE dicamus, cuius eſt tanta cum ipſa cordis pulſatione neceſſitudo, vt niſi illa ſit, nuſquam ſit, & pleriſque ad eandem cauſſam, ac originem referenda putetur. Cùm poſſet verò imprimis quæri, reſpiréntne omnia animalia, ſaltem ea, quibus cor conceſſum, veluti piſces non cetacei, quibus pulmo non competat; videtur res tamen priùs explicanda circa cætera animalia, quibus pulmone præditis id propriè competit, quod vulgò Reſpirationem appellamus. Itaque Reſpiratio, ἀναπνοὴ, in duas diſtinguitur parteis, videlicet *Inſpirationem*, εἰσπνοὴν, qua ſpiritus, ſeu aër in pectus ſuo motu dilatatum inducitur; & *Exſpirationem*, ἐκπνοὴν, qua idem ex eodem ſponte compreſſo abigitur; Neque enim videtur neceſſe Pectus à Pulmone ſic diſcernere, vt quatuor motus,

motus, ſeu quaſi partes Reſpirationis efficiantur, quemadmodum apud Plutarchum Herophilus effici cenſuit, docens Pulmonem primò excipere aërem externum, ſecundò ipſum per pectus dimittere; tertiò eundem denuò collectum ex pectore recipere; quartò eum dimittere foras. Cùm verò hac diſtinctione dimiſſa, retentóque illo motu duplici, manifeſtum ſit pectori ſuam Syſtolen, Diaſtolénque, ac ipſam non aliam, quàm pulmoni competere; ideò vt de corde, ſic de ipſo quoque ea poteſt excitari quæſtio, An dilatetur inſtar vtris, quando excipit aërem; an potius, quoniam dilatatur, aërem vt follis excipiat. Vt verbo autem dicam; Perſpicuum videtur, eſſe in pectore, vt in corde ingenitam vim dilatandi ſeſe; ac tùm, quia aër ambiens pectus abdoménque compellitur, neque (vt aliàs circa vacui fugam expoſitum eſt) alius ipſi locus, quàm qui intra pectus aperitur, patet; ideò dum pellit aërem, ori, naribúſque vicinum, ipſummet vicinum ſubire in pectus factámque in eo capacitatem ſic adimplere, vt tanta copia intromittatur, quanta extruſa à pectore, abdominéque repellitur. Et certè, ſi quæ cauſſa foret, quæ inſufflaret, compelleretque aërem in pectus, vt in vtre fit; aut ſaltem, ſi aër ſua ſponte ſubiret, ampliationémque faceret; tùm vtris modus, ſeu comparatio haberi probabilis poſſet; At neque eſt cauſſa aërem inſufflans, neque aër ſubit, dilatátve vltrò, vt fit manifeſtum in animali mortuo, cui nares, & os pateant; ac etiam in nobis, dum emiſſo ſpiritu, pectus compreſſum continemus: experimur videlicet, non aërem vrgere nos, vt ſibi locum intra pectus faciat; ſed pectus cohiberi vi, ac tùm, cùm lubet, relaxari, vt aërem in ſe admittat. Quamobrem eſt longè appoſitum magis, vt res ſe perinde, ac in folle habeat; ſiquidem diſcrimen ſolummodò eſt, quòd follis externâ, & pectus internâ, ſeu ingenitâ vi laxetur. (3 Fac. nat. 14.) Nam & quod Galenus recurrit ad qualitatis conuenientiam, vt ſcilicet pulmo trahat aërem, non conſequutione, qua impediatur vacuum, ſed familiaritate, eo modo, quo magnes ferrum pellicit, minùs veriſimile eſt; ac potiſſimum, cùm videamus aërem non minùs expelli, quàm attrahi, & Pulmo, vt dicetur mox, non videatur eſſe præcipua dilatationis pectoris cauſſa. De compreſſione, ſeu Syſtole nihil videtur eſſe addendum; quoniam cùm Diaſtole ſit actio, qua Pectoris partes in ſitum naturali ampliorem abeunt; Syſtole videtur nihil eſſe aliud, quàm prolapſio quædam, qua eædem partes ſponte repetunt naturalem ſitum, qualis deinceps reperitur in animali mortuo; & neque in pulmone modò, ſed etiam in diaphragmate, quod non depreſſum in inteſtina, ſed erectum fornicis inſtar verſus pulmonem conſpicitur.

Ex hiſce autem videtur Ariſtoteles id iure reprehendere, quod in Timæo legitur, (Lib. de Rep. c. 5.) Spiritum nempè ore efflatum expellere aërem circumfuſum corpori, & quòd is aër nihil vacuum reperiat, ſubire illum per raras carneis, vt concalefactus deinceps effletur, ſicque continuò inſpirationem atque exſpirationem fieri. Videlicet perſpicuum eſt, quo ore exſpirando emittitur aër, eodem inſpirando immitti; & debere inſpirationem vel ex eo præcedere, quòd animal exſpirando moriatur: Neque in re adeò manifeſta appoſitam eſſe comparationem carnis cum cucurbitula attrahente ſanguinem quàm Plato deſumpſit ex Timæo Locro; à quo etiam alia non magis appoſita proponitur cum ſuccino attrahente paleas, quam ſimilitudinem Aſclepiades quoque apud Plutarchum vſurpauit. (Loc. cit.) (Cap. 7.) Videtur verò Empedoclem quoque meritò reprehendere, dum quaſi Reſpiratio ſolis naribus, non etiam ore fieret (quod etiam ex Plutarcho licet intelligere) venas confinxit, non omnino, ſed ex parte ſolùm plenas ſanguine, poróſque habenteis non ſanguini, ſed aëri peruios; adeò vt à capite verſus pedes protenſæ ſint, & ſanguis ſurſum, deorſúmque reciprocando commeet, aërque idcirco deorſum tendentem conſequatur, vnde & efficiatur inſpiratio; à remeante verò ſurſùm abigatur, vnde & fiat exſpiratio: atque id quidem allato exemplo de puella, quæ clepſydra ludens, illam nunc deprimat in aquam ita vt aſcendente aqua aër exeat; nunc attollat, ita vt defluente aqua aër ſuccedat. Scilicet neque vllæ venæ huiuſcemodi obſeruantur, vtcumque aliquando ſanguis ex eo, qui per replicationem duræ meningis in cerebrum refundi ſolet, per nareis effluat: neque non conſtat aſperam arteriam meatum communem fieri, quo aër ſeu ore, ſeu naribus hauſtus trahitur in pectus, & ab eodem expellitur. Quod dico porrò vt in corde, ſic in pectore ſuam Diaſtolen, ac Syſtolen eſſe; non obſtat quin cor intra Pectus ſit, & tanquam contentum fiat particeps motionum ipſius, idque quaſi ex accidente. Cæterùm enim dilatationes, & contractiones cordis ſunt prorſus diſtinctæ à dilatationibus, & contractionibus pectoris; reſque eſt ex eo perſpicua, quòd non iiſdem periodis, temporibúſque terminentur, ac fiant. Et conſenſus quidem in eo vt plurimùm eſt, vt pulſu alterato alteretur etiam reſpiratio, veluti dum in inflammatione Diaphragmatis, cæterorúmve præcordiorum pulſus magnus, frequenſque eſt, reſpiratio parua, & denſa; aut in phrenitide pulſus frequens quidem, ſed paruus, reſpiratio rara, & magna; ſed cauſſa nimirùm eſt intelligenda ex communicatione cordis, partiúmque circumvicinarum, aut etiam cohæren-

tium, atque adeò ex iis, quæ dicenda deinceps ſunt.

Subinde autem, cùm Requiritur, Quænam ſit illa Pectoris Pars, cui potiſſimùm vis propoſita dilatandi ſeſe inſideat? Habet imprimis communis ſententia, ac penè dicam Cap. vi. communis ſenſus, Authorem Ariſtotelem, cùm eam partem eſſe Pulmonem declarat, ipſámque cum ſolle ita comparat, vt ipſius inſtar aërem attrahat, ac emittat: & dum id agit, atque idcirco attollitur, ac deprimitur, attollat ſimul, deprimátque partem pectoris, qua ambitur. Enimverò, cùm non ſit negandum inflari, diflaríque, & attolli, deprimíque Pulmonem, vt ſollem; ſupereſt tamen quæſtio, id-ne ingenita vi faciat, an verò vt manus extra follem eſt, quæ ipſum ad hoc comparatum diducendo, conducendóque, cauſſa ſit ingreſſus, egreſſúſque aëris, ſeu inflationis, ac deflationis; ita alia ſit in pectore extráque ipſum pulmonem pars, quæ dilatata, repreſſáque cauſſa ſit pulmoni (non repugnanti ſanè, ſed ad hoc facto, ſpontéque obſequenti) vt dilatetur, & comprimatur ipſe? Cæterùm videtur talem partem dari, eſſéque Diaphragma, ſeptúmve tranſverſum? Reſque poteſt probari primùm, quia perforato pectore, collabaſcit illico Pulmo, & Diaphragma nihilominus itque, reditque deorſum, ac ſursùm, attrahitque, & mouet ſimul cartilagines, extremáſve ſputiatum coſtarum, quibuſcum cohæret: fitque ex eo, vt aër attrahatur per vulnus in capacitatem pectoris; nihilque ſit mirum, attractam fuiſſe candelulam manu negligentiùs detentam, admotámque vulneri, vt pure educto intra pectus reſpiceretur, quod ſuperiùs retulimus. Deinde, quia quiſque videtur experiri in ſe motum illum, quo totum abdomen inſpirando attollitur, ac tempore eodem memoratæ coſtarum cartilagines deprimuntur; idque ex eo eſt, quod Diaphragma parte ſui media compellat deorſum ſtomachum atque inteſtina, & parte extrema cartilagines attrahat, ob mediæ tenſionem. Ac tametſi dicere poſſis motum iſtum Diaphragmati ideò competere, quòd pulmo inflatus ipſum deprimat, Diaphragma nihilominùs ea eſſe videtur ex ſe tenſione, & ſoliditate, Pulmo verò ea laxitate, ac teneritudine, vt longè congruum magis ſit, preſſionem illam inteſtinorum fieri vi propria Diaphragmatis; ac Pulmonem interim ſequi. Et, ne intra pectus detur vacuum, ſeu abdomine pulſus aër nullibi ſit, difflari ipſum aëre per os, & arteriam in bronchias attracto; quàm ipſummet ſponte ſua dilatari, excipiendóque aërem, tanta illa vi premere & Diaphragma, & interanea ſimul. Rursùs, quia videtur exinde dici quoque commodiùs cauſſa, cur ſtomacho pleno reſpiretur crebriùs, & remiſſius, ac ſimiliter quando aër denſu halitu incraſſatus eſt. Priore videlicet caſu non poteſt Diaphragma pro ingenita vi ſatis dilatari, atque ideò, vt breuior chorda, ipſam breuitatem crebritate compenſat; & Poſteriore, Pulmo admiſſo craſſo halitu, fuliginibúſque, ita occupatur, vt cùm exhalando non ſufficiat, diſtentúſque proinde maneat, idcirco Diaphragma redire in ſtatum ſuum non valeat, ac propterea itus, reditúſque vt crebriores, ſic minùs vehementeis habeat. Quamobrem autem dum quis exæſtuat, vt dum incedit præpropere, crebriùs ſimul, vehementiúſque reſpiret; cauſſa videtur, quia obſtructio, ſeu impedimentum Diaphragmati eſt, non à ſubſtantia quadam craſſiure, quæ inſuperabilis ſit; ſed ab halitu calido per motum excitato, non modò intra pectus, pulmonéſque, ſed etiam intra ſtomachum, cui cauſſa quoque ſitiendi eſt; vnde & inflatam vtrimque capacitatem poteſt quidem comprimere, ſed non ſine vi, ac difficultate; ac ipſummet quidem interim concalefactum, redditúmque tenſius, refrigeriíque idcirco ſibi, cæteriſque præcordiis attrahendi velut impatiens.

At, inquies, Ecquidnam dicetur de Volucribus, quæ cùm reſpirent, carent tamen Diaphragmate, aut membranæ ſaltem craſſitudine, & ſoliditate, ac tenſione, quâ vrgeri aut ſursùm Pulmo, aut deorsùm ſtomachus valeat? Videtur dici poſſe prouiſum aliâ ratione auibus, quàm hominibus, quadrupedibúſque. Cùm in iſtis enim non dilatetur pectus (ſaltem ſenſibiliter, niſi deorsùm ſolummodò, ex eo quòd coſtæ, ac veræ præſertim nominatæ, rigidæ ſint ſternôque cohæreant per cartilagines ita firmas, vt in pleriſque euadant oſſeæ; debuit auibus dilatari etiam magna ex parte in ambitum idque concipiendo aëri ampliori ad volatum neceſſario, quâ parte ſuſtinendum erat pondus corporis maximum: vnde & fuit Pulmo ipſis inditus fungoſior, ac dilatabilior. Quamobrem ſternum illis eſt factum non ex oſſe penè cartilagineo, carinatôque, cui coſtæ omnes illigentur (carent nimirùm ſpuriis) non cartilaginibus immobilibus; ſed appendiculis quibuſdam, quaſi coſtulis diarthroſi quadam flexilibus tam ad ſternum, quàm ad ipſas coſtas. Inde autem fit, vt cenſeri poſſit carinæ illi cartilagineæ, deſinentíque in muſculoſam ſubſtantiam, vis dilatatrix indita, vt veluti centro ad clauiculas facto, firmatôque appoſita, oſſiculi Lunulæ dicti, auiúmque proprij, admotione, verſus abdomen attollatur, ſiue à ſpina abducatur. Sic enim ſimul coſtulas fursùm, ſeu in caput deflexas velut erigit, vt dilatatis ſimul lateribus ipſum pectus circum amplietur. Profectò dici quidem poteſt muſculos eſſe intercoſtaleis,

Digitized by Google

ſtalcis, qui coſtas diducant, & pectus dilatent; verùm ſi ita fieret, coſtulæ magis inflecterentur, pectúſque adeò ipſum non amplificarent, ſed contraherent. Quamquam res eſt exploratione diligentiore inueſtiganda. Dices iterùm, An-non ſaltem in nobis Quadrupedibuſque muſculi nulli præter Diaphragma ad reſpirationem inſeruiunt. Reſpondeo ad Reſpirationem ſpontaneam, ſiue naturalem, & quæ nobis dormientibus, aut non aduertentibus fit; vnicum Diaphragma videri conferre, & muſculos omneis ſeu abdominis, ſeu alios nihil aliud, quàm obſequi illius motui. Ad Reſpirationem verò violentam, & non naturalem, ſeu quam pro arbitrio acceleramus, retardamus, inhibemus, intendimus, remittimus; quoniam organa voluntarij motus muſculi ſunt, idcircò facere tùm ipſum Diaphragma, quatenus ſpecies eſt muſculi, tùm muſculos alios, quatenus trahunt, diducunt, premunt, vrgentque parteis varias, quibus Diaphragma illigatum eſt, aut contiguum; adeò vt pro motu illorum cogatur. Ex iis autem ſunt, qui inſeruiunt, tùm ad Reſpirationem dictam Galeno vehementiorem, ſiue mediocriter violentam, vt muſculi intercoſtales, tam interiores ad contrahendum, quàm exteriores ad dilatandum, & ad coſtas præſertim ſpurias; tùm ad vehementiſſimam, ſeu ſummè violentam; cuiuſmodi ſunt, tùm pectorales, & ab humeris quidem, elauiculiſque dependentes, vt qui attollendo pectori inſeruiant; tùm abdominei, partim recti, antrorsùm nempè à pectore in os pubis, & ſecundùm lineam, quam albam vulgò vocitant, tenſi; partim obliqui inter rectos, pectus, & ilia deſcendentes, aſcendentéſque appellitati; vt qui ſimul agentes premant, inteſtináque ſic vrgeant, vt compreſſus ſtomachus Diaphragma compellat, contineátque furſùm. *Lib. de cau. reſp. & al.*

Circa Reſpirationis vſum, is ſanè quidem multiplex eſt. Inſeruit nimirùm ad edendum vocem, dum ſpiritus emittitur, & ad fauceis eliſus ſonum edit, qui ad aurem pertingat. Ad odorandum quoque dum in nareis halitus odorus cum aëre attrahitur; quo tempore poteſt etiam aliquid peruenire ad cerebrum tùm odoris, ipſi recreando; tùm aëris, ſpiritibus animalibus concreandis; ſic nempè vulgò exiſtimant. Ad egerendum item alui excrementa, fæces ſcilicet, ac vrinam, dum exſpiratio lentè diſpenſatur, abdoménque intereà comprimitur, inteſtináque, & veſica vrgentur. Rursùs ad tuſſiendum, exſcreandum, ſternutandum, emungendum; dum ſpiritus exigitur non ſine quodam impetu violento, atque repentino. Adhæc ad præſtandum vehementem conatum, dum aut inſpiratione parcè factâ, contentóque ſpiritu muſculi abdominis, aliique conſequenter tenduntur; ſicque pondera, réſve obſiſtentes tùm attrahuntur, tùm propelluntur; aut poſt vberem productámque inſpirationem, fit exſpiratio repentina, ac vehemens; ſicque intenſi muſculi pari impetu conniuntur, vt ictum impingant, & ſi quæ alia id genus ſunt. Verumtamen nullus eſt vſus Reſpirationis potior, quàm qui ad tuendam vitam, ipſique adeò cordi famulando exhibetur. Cùm ſint porrò variæ hac de re ſententiæ; apparet penè ex antedictis, quid ſimillimum vero ſit: vtcumque videantur vulgò Medici, Philoſophique aliò ſpectare.

Nam, imprimis quidem nihil magis vulgare, quàm inſeruire Reſpirationem ad refrigerandum Cor: Verùm, vt aër præcalidus incommodus eſt, ita & aër egelidus; & vt aër moderatè frigidus poteſt, vbi pectus exæſtuat; ita calidus, vbi congelaſcit, iuuare. Vbi autem cor calore genuino, ſolitóque fruitur, qui aër ipſi maximè congruit, is eſt non frigidus potiùs, quàm calidus, ſed temperatus. Et non videtur certè natura indidiſſe calorem cordi eo exceſſu, vt refrigeratione egeret, facilius enim longè erat ſine exceſſu indere; ſed prouidiſſe ſolùm, vt ſi aliquando contingeret ipſum excedere modum, cor refrigerari per reſpirationem poſſet: Quomodo quoque, ſi aliquando à tali modo deficeret, prouideri debuit, vt poſſet ſimiliter cor reſumere vireis, incaleſceretve per reſpirationem.

Deinde vulgare eſt quoque Reſpirationem ex oppoſito ad hoc inſeruire, vt calorem in corde contineter accendat; idcircò enim ab Ariſtotele, vt ſuperiùs retulimus, comparatur non ſemel cum folle, quòd vt follis ſuâ ventilatione ignem excitat, excitatúmve in fornace tuetur; ita pulmo ventilatione non abſimili ignem, calorémve in corde accendat, accenſúmve contineat. Verumtamen ad excitandum, tuendúmque in corde calorem conceſſus illi eſt proprius, expoſitus nempè pulſationis motus. Et certè, cùm aër ignem non accendat ſuâ qualitate, ſed vehementiâ motus, quo carbonis parteis ſubingreſſus, eas ſic diſcutit, aperítque, vt qui iam eſt accenſus ignis penetret intimiùs, & particulas quaſque pingueis, inflammabileiſque inuadat, ſimúlque accendat; oporteret tùm rythmo quodam aperiri cor vnà cum pulmone, vt poſſet in ipſum aër penetrare, quoties pulmone excipitur; cùm tamen ſecùs longè contingat; tùm ſanguinem in corde contentum eſſe ex natura carbonis, non verò humoris, qui vt conſtat in inſculis, refrigeratur potiùs inſufflatione, quàm incaleſcit. Accenditur itaque potiùs in corde calor propriâ motione; poteſtque vel illud eſſe argumento, quòd calor *Lib. de reſpir. c.7. & 11. & ſect. 34. Probl. 11.*

lor

lor ſebrilis accenditur non à pulmone vehementiùs, aut crebriùs ventilante cor, ſed à corde ipſo vehementiùs, crebriúſque commoto; vt proinde intelligamus calorem cordis ſolitum à ſulita eius motione, potiuſqoàm ab inſufflatione ſolita pulmonis creari. Licèt verò nihil videatur ſimilius eſſe folli, quàm Pulmo; cogita tamen, ſi Pulmo quidem ſollis vicem obtineat, debere ipſum cordi prodeſſe, non inſpirando, ſed exſpirando; neque enim ſullis eſt vſui ad ignem, donéc dilatatur, impletúrque aëre; verùm donec comprimitur, aërémque implentem expellit; at non poſſe ſanè exſpirando aliquid agere in cor; alioquin enim deberet cor in ore eſſe, aut extra os, vt excipere poſſet aërem compreſſo Pulmone efflatum.

Receptiſſima ad hæc eſt opinio, inſeruire Reſpirationem ad elaborandum ſpiritus vitaleis, ſpirituoſúmve ſanguinem in arterias tranſmittendum (nam ſententiam quidem Eraſiſtrati nihil aliud intra arterias præter aërem admittentis, meritò Galenus experientiâ fretus refutat) verùm, cùm ſpiritus vitalis ſit ex ſua natura halitus quidam pinguis, & inflammationis capax, non aliâ re ſanè egere videtur, quàm ſolâ incalefactione, rarefactionéque ſanguinis, vt progigni valeat; cùm aër alioquin neque pinguis, neque inflammabilis ſit, atque adeò nihil conferre ad ſpiritus naturam poſſit. Nam & quod videri neceſſarius poteſt, vt ſanguis rareſcat in halitum; conſtat talem rarefactionem non debere fieri interuentu aëris, qui ſi quidpiam capacitatis intra cor, arteriáſve occuparet, tantundem ipſi ſanguini ad rareſcendum obeſſet; ſed fieri potiùs ipſo motu, agitationéque tenuiſſimarum particularum, quæ excitantur ex ſanguine iuxta ea, quæ aliàs declarata ſunt; idque donec cor, & arteriæ ſui Diaſtole dilatantur. Hiſce adde, quod cùm velint ingredi aërem in ſiniſtrum ventriculum per venoſam arteriam; deberet igitur arteria patère, donec aër inſpiratur; at is non eſt rythmus, quod iam dictum eſt, vt pulmonis Diaſtole cum Diaſtole cordis conſentiat. Et cùm videatur tantum aëris exſpirari, quantum inſpiratur, dicique ad ſummum poſſit puriorem quandam aëris portionem retineri, aſſeruarique intra venoſam arteriam, vt quibus momentis ea pateſit, ſubingrediatur; Quî poterit dici ita aſſeruari, vt pars craſſior per compreſſionem pulmonis excedat, ipſa non excedat? Hæc ſanè eſſe cauſſa videtur, cur plerique ſentiant non ingredi in cor ſuâ ſubſtantiâ aërem, ſed qualitate ſolummodò; atque ideircò ſeu ad gignendum ipſum vitalem ſpiritum, ſeu ad temperandum calorem, ſuâ non ſubſtantiâ, ſed qualitate prodeſſe. Quomodo quoque ſi qui concedunt Aſclepiadi, inſeruire Reſpirationem ad generandum animam, inſeruire illum admittunt non commiſtione ſubſtantiæ, ſed aut ſui qualitate, aut actione ipsâ, ſine qua calor intra cor ſopitus maneret.

Lib. de vtil. reſp. cap. 2.

Poſtremò, vt verùm, ſic receptum eſt, inſeruire Reſpirationem, vt exſpectorentur fuligines, quibus alioquin ſuperſtitibus, cor illicò ſuffocaretur. Attamen cùm vulgò contendant educi fuligines ex vtroque ventriculo; & ex dextro quidem per arterioſam venam, aut quaſi miſtas cum ſanguine, qui ſit per pulmones traducendus, aut exſiſtenteis quaſi impuras reliquias illius, qui tranſcoletur per ſeptum; Ex ſiniſtro verò per arteriam venoſam, quaſi nimirum ſordeis quaſdam ab elaboratione ſpiritus reſiduas; Cùm id, inquam, velint, quæſo nihilominùs quî illæ educi ex ſiniſtro ventriculo poſſint, cùm per Syſtolen arteria venoſa ita concludatur, vt per ipſam nihil exeat? Nam quòd volunt quidem eſſe duas tantùm iſti arteriæ valuulas, vt hient aliquantulum, neque oſtium planè concludant, quò exitus pateat fuliginibus; conſtat cùm id oſtium pro natura loci eſſe ouali forma deberet, ſuffeciſſe illi duas valuulas, & mitratâ præſertim formâ, vt exquiſitè occluderetur. Et manifeſtum ſanè eſt, ſi hiet nonnihil præbendo exitui fuliginibus, nihil eſſe, quòd obſtet, quò minùs ipſe ſpiritus tanquam ſubtilior mobiliórque fuliginibus, per ipſum exiliat. Quo proinde loco adnotari poteſt, ſi veri quidem aliquid habeat opinio illa Democriti ab Ariſtotele recitata de Reſpirationis vſu, qui in eo ſit, vt impedimento animæ ſit, ne extrudatur; id eſſe non poſſe, quaſi periculum immineat, ne è ſiniſtro ventriculo, in quo præſertim ſit, exſiliat; ſed ne è dextro potiùs, quaſi cum fuliginibus quidpiam animæ, ſeu incboati ſpiritus vitalis vnà exhaletur. Videlicet calor halitus efflati corpuſcula ignea intermiſta arguit; qoamquam illa ſanè reparanda videntur, non tam per corpuſcula, quorum aër, vt ille ait, reſertiſſimus ſit, quæque inſpirando inducantur, vt ſint vice eorum, quæ exierint; quàm per corpuſcula, quæ ex ſanguine, atque adeò ex alimento ſuppeditentur.

Lib. de reſp. c 4.

Sed his dimiſſis, & vt dicatur quid nobis præſertim videatur eſſe probabile: Cùm debeant arteriæ vitalem, ſioe ſpirituoſum continere ſanguinem, debuit quidem cor ipſum præparare, elaboraréve ſuis in ſinibus. At, cùm cor potuerit imprimere illi ſuo motu calorem, ac etiam impulſum in ipſas arterias; non potuit nihilominus ſe ſolo repurgare illum humore ſeroſo; & phlegmatico, quem intra venas continet, & quo exui, vt ſpirituoſam naturam conſequatur, debet.

Itaque

Itaque videtur ad hoc muneris illi adiunctus eſſe Pulmo, vt ſit quaſi cribrum, colúmve, cuius ope facere huiuſce humoris excretionem poſſit. Suppono autem, vt rem notam, tria eſſe genera vaſorum per totam Pulmonis ſubſtantiam reſperſa, ſcilicet ramos, ramulóſque venæ arterioſæ, quæ vena solùm dicitur quoniam proximè venam cauam exoritur, cùm arteria reipsâ ſit, non ob texturam modò, ſed etiam ob pulſum ipſi eum aorta, cæteriſque arteriis parem. Itemque ramus, ramulóſque arteriæ venoſæ; quæ ſimili modo arteria non dicitur, niſi quia radicem habet proximè aortam arteriam, cùm reipsâ tamen ſit vena, tùm ob texturam, tùm quia non pulſat, & cauæ inſtar aliquid inſtillat in cor. Ac rursùs ramos, ramulóſque aſperæ arteriæ, quæ & aſpera dicitur ob annelloſam corrugationem, & arteria propter texturam, firmitudinémque, qua minimulos etiam ramulos tanquam tubulos rigidos, apertos, non collabaſcenteis tuetur. Profilit ergo Primùm ſanguis cum diſcuſſis quidem, ſed non diſcretis heterogeneis humoribus, è dextro ventriculo cordis, in venam arterioſam, pérque ipſius ramos, ramulóſque in pulmonis ſubſtantiam, quam & nutrit, quia ſanguis eſt; & viuificat etiam, quia ſupra venalis conditionem arterioſus eſt; ſpirituoſúſque ſaltem inchoatus. Deinde; quia vbicumque iſte ſanguis affluit, adſunt ramuli arteriæ venoſæ ad hoc comparati, vt oſcillis ſuis partem eius puriorem ſugant, idcirco id agunt, ſanguinémque ſuctum tranſmittunt in truncum, quaſi in promptuarium; è quo ad vnamquamque cordis Diaſtolen aliquid in læuum ventriculum ſtillet. Tertiò, quia per iſtum exſuctum ſecretio ſit ſanguinis puri; remanéntque particulæ iam antè diſcuſſæ humoris ſeroſi & phlegmatici, quaſi quædam ſæculæ, & vt vocant fuligines à ſingulis venularum oſculis veluti repulſæ; ideò adſunt ſimul ramuli aſperæ Arteriæ, ipſæ nempè bronchiolæ; quæ huiuſmodi fæculas excipiant. Poſtremò quia hæ fæculæ, ſeu fuligines depellendæ fuerunt; ne ibi conſiſtentes, & coaceruatæ tùm vlteriori ſecretioni obſiſterent (aut in humorem etiam denſarentor) tùm proinde & exſuctum arteriæ venoſæ, & exonerationem venæ arterioſæ impedirent, ideò ſuccorrit pulmonis motus. Is enim donec dilatatur, bronchiolæque omnes ab omni compreſſione ſunt liberæ, fit inſpirati aëris ad extremas vſque immiſſio; & dum poſteà comprimitur, bronchiolæque adeò vrgentur, tùm aër foras abigitur, tùm commiſtæ ipſi fuligines vnà excedunt.

Quod interim dico, arteriam venoſam ſugere oſcillis ſanguinem refuſum, non autem deriuare immediatè ex vena arterioſa, ramulis vtriuſque per anaſtomoſeis coniunctis, ideò eſt, quòd & texturâ diſſimili ſint, & ramuli arteriæ venoſæ non videantur paſſuri impulſum; quem ramuli venæ arterioſæ ipſis connexi imprimerent; & aliunde vtraque vaſa canales euaderent ita inter ſe continuati, vt neque poſſet Pulmo haurire vnde nutriretur, neque via pateret fuliginibus educendis, quatenus excerni non poſſent tranſpirando per vaſorum tunicas; & ea ratione ſanguis potius, tanquam ſubtilior exhalaretur. Quod dico verò periculum fore, ne fuligines intra bronchias diù hærentes, coaceruatæque in humorem vertantur, intelligo ſolùm ne nimiùm & non ſine quodam periculo ſuffocationis; Nam alioquin concretionem in humorem aliquam fieri, ac potiſſimum vbi ſanguis admodùm pituitoſus eſt, declarat is viſcidus humor; qui cùm aëre ſubingreſſo non exſoluatur, neque ipſi ſic commiſceatur, vt educi poſſit exſpiratione ſolitâ; neceſſe eſt tuſſiendo, & cum impetu, vique pulmoni ſacta excreetur. Quod ſit quoque, dum venulis ſugendi officio non ſatis fungentibus, reſudat ſanguis in bronchias, facítque pulmoni negotium; quamquam hac de re eſt aliàs dicendum.

Heic iam ſufficiat videri vſum Reſpirationis præcipuum in eo eſſe vt ſanguis ex dextro, ventriculo cordis in ſiniſtrum tranſiens deponat humores à ſpirituoſa ſubſtantia alienos: ſanguis, inquam, tranſiens, hoc eſt, dum verſatur intra pulmonis ſubſtantiam; nam ex quo ingreſſus in ſiniſtrum ventriculum eſt, nihil ex ipſo regeri neque in pulmonem, neque foras poteſt. Vnde & patet miniſtrare quidem pulmonem cordi tanquam follem, ſed nempè non tam inſpirando, quàm exſpirando, & quatenus quidem diſcuſſas in dextro ventriculo fuligines ſecernit, procúlque amandat; ſicque defæcatum facit ſanguinem, vt purus ſubeat in ſiniſtrum. Patet quoque aërem meritò haberi tanto ſalubriorem, quantò purior eſt, non ſanè quod aut nutriat, aut in vitalem ſpiritum tranſeat; ſed quòd hac ratione ſit aptior detergendis bronchiolis (fuligines putà, quas educat; induens) ac pleniorem ideò libertatem faciat traiectioni ſanguinis in ſpiritum vitalem vertendi, ſuâque in arterias tranſmiſſione & nutritionem; & functiones reliquas omneis promoturi; cùm craſſus ex oppoſito fæces in pectus inuehat, quæ inexſiſtenteis conſtipent, cúmque iis miſtæ incraſſeſcant, traiectionémque niſi ex toto, ſaltem ex parte impediant, & fortè etiam leui quadam ſui commiſtione inficiant. Patet etiam conſequenter quid ſentiendum ſit fieri, cùm calidus aër, qui in thermis, aut balneis, & in magnis loco anguſto, concluſôque concionibus interdum penè ſuffocar,

cat, animique deliquium parit, & aër aperta feneſtra, eductionéve extra oſtium ſuperueniens ſuffocationem impedit, aut deliquium ſoluit. Videlicet aër ſuccedens id præſtat, non quà frigidus, vt vulgò putatur, ſed quà purior eſt, & defæcatior illo, qui reſpirantem circumſtabat, qualiſque inſpiratus fuerat; poteſtque adeò ſenſim inducere, educereque fuligines, tùm retentas, tùm ſuperinductas: Quod idem etiam præſtari videmus, dum vino aut aquâ naribus appoſitâ is creatur vapor, ſeu ea ſpecies aëris, quæ ſit circumſtante, & inſpirata purior. Quod autem frigus aëris ex accidente ſit, nec per ſe id præſtet, argumento eſt non modò apertio feneſtræ, aut exitus ad meridianum, ac æſtiuum Solem, ſed maximè praxis, qua noſtrates vtuntur, dum vt deuitent ſuffocationem alioquin indubiam in cryptis vinariis, donec extritis recens vuis, muſtum in ipſis efferueſcit, ardenteis prunas inuehunt, quas non procul à facie contineant. Quippe prunarum calor ſua agitatione diſcutit circum ſe vaporem, quo cryptę oppletur (dummodò is adeò confertus non ſit, vt actioni ignis obſiſtens ipſum pariter ſuffocet) atque idcirco os, & nares, quæ proximè ſunt, aërem ducunt calidiorem quidem, ſed defæcatiorem tamen, quàm vt illo bronchiæ Pulmonis perinde obſtruantur.

Patet demùm Inſpirationem eatenus eſſe neceſſariam, quatenus ſine ipſa præuia eſſe expiratio non poteſt, ipſam verò Exſpirationem neceſſariam eſſe per ſe, & quaſi ex primaria intentione naturæ, quatenus niſi fuligines per ipſam expectorarentur, tùm præcluderetur via ſanguini ad ſiniſtrum ventriculum, in quo ſit veluti fons vitæ, occluſis putà oſculis, quibus ſugitur à venoſa arteria; tùm obſtrueretur exitus è dextro ventriculo cordis, in quo ſit eius præparatio; obſitis nempè obturatiſque venæ arterioſæ, quibus effunditur, oſculis; adeò proinde, vt & ſiniſter ventriculus inanis fieret, inaniterque colluctaretur, ac ſeſe ipſum conficeret; dexter verò, cùm nun haberet, vnde ſeſe exoneraret, & ſanguis tamen ex vena caua affluere non deſineret, initio quidem non tam pulſare, quàm palpitare pergeret, ſed fruſtrà tamen eluctatus ſanguine demùm oppleretur, hoc eſt, ſuffocaretur, & à motu prorsùs ceſſaret. Eſſe porrò inſpirationem ad exſpirandum neceſſariam clarius quidem eſt, quàm vt dici debeat; ſed interim tamen adnotandum eſt, ideò videri animalia reſpirando nata viuere non poſſe in ſpatio inani, ob defectum aëris, qui inſpiratus ſic exſpiretur, vt fuligines ſecum auehat. Quod idem proportione dici poteſt de quorumdam montium celſiſſimis iugis, in quibus animalia ſuffocari perhibent; niſi potiùs ſit aliqua maligna, & propria loci qualitas, quæ id præſtet. Scilicet reputandum eſt, eſſe aërem illeic tenuiorem, quàm vt inductus in bronchias, poſſit fuligines inducere, aut iis oneratus ipſas, vt ſarcinas æquo grauiores auehere, extráque pectus abducere. Ex eadem certè cauſſa videtur, quamobrem aër, qui aliunde eſt valentibus conducentior, quoniam ſit purus admodum, pulmonicis tamen non perinde conducat ac alius paulò craſſior; quia nimirum tenuior eſt, quàm vt inducere, abſportaréque fæculentiores fuligines valeat. At, inquies, Quare non ſuffocantur aquaticæ aues, ſiue Merguli, dum intra aquam tamdiù, abſqoe inſpiratione degunt? Reſpondeo cauſſam eſſe poſſe, quòd meatus arterioſus, ſeu qoi ab aorta in venam arterioſam eſt, & ab excluſione, aut natiuitate obturatur in cæteris, manet in iſtis adapertus, ſicque halitus penetrare ex aorta in pulmonem poteſt, qui aëris vicem aliquouſque ſupplens, fuligines aliquantum compellat in bronchias, obſtroctionémque oſculorum tam venæ arterioſæ, quàm arteriæ venoſæ in aliquod tempns impediat; quouſque nempè excernere, adigere, comprimere ipſas vlteriùs non valeat, auiſque adeò admoneatur, vt emergat, pulmonémque exoneret. Fortè cauſſa hæc eſſe poſſit, cur ſint aliqui homines qui ſubter aquas patientiùs degant; quando memorantur aliqui diſſecti, quibus ille meatus liber, non, vt cæteris vulgò, reſiccatus, obtratúſque fuerit. An verò eſt potiùs cauſſa repetenda ex fungoſitate Pulmonis; quaſi is poſſit continere magnam copiam aëris, ſitque in facultate auium, vt lentiſſimè illum diſpenſando, exſpirationem inſenſibilem, admodúmque diuturnam faciant? An hacce de cauſſa Quadrupedes ouiparæ infrequentiſſimè reſpirant, poſſúntque adeò totam hyemem abſque vlla ſenſibili reſpiratione perdurare? An ideò hirundines quoque totam intra gelu perſeuerare hyemem poſſunt; & motione præſertim cordis ita non modò infrequenti, ſed etiam leni reddita, vt toto illo tempore inductione nulla aëris ſit opns? Sed hæc erunt poſteà rursùs attingenda.

Hiſce ergo iam prætermiſſis, requiritur ecce, Piſceſne, & alia, quæ pulmone carent animalia, reſpirent, an non? Conſtat verò quid vno verbo videatur eſſe reſpondendum. Nam ſi ſermo quidem inſtituatur de propriè dicta reſpiratione, qualis ſcilicet per dilatationem, contractionémque diaphragmatis ac pulmonum adminiſtratur, conſtat dici non poſſe ipſis reſpirationem competere. At ſi ſermo ſit de reſpiratione vniuersè accepta, pro quavis attractione, emiſſionéque

emiſſionéque aëris, ſubſtantiæve alicuius halitnoſæ, ac tenuis; repugnare nihil videtur, quuminus poſſit aliqua compctere exiſtimari. Heinc diſcrimen inter Cetaceos, cæteroſque piſceis ſtatuitur, quòd Cetaccos reſpiratione propriè dicta vti, nemo ambigat, quatenus Diaphragma, pulmonéſque Lib. de reſpir. cap. 13. habent, & vt Ariſtoteles obſeruat, tùm dormiunt, ſtertúntque ore extra aquam elato; tùm retibus impliciti, diutiúſque ſub aqua detenti ſuffocantur; tùm prædam diutiùs per ima vada inſequuti, iaculi inſtar foràs exſiliunt. Verùm quòd ſpectat ad cæteros, non pauci ſunt qui ipſos etiam poſteriore modo reſpirare negent. Præcipuus Cap. 2. §. 4. haberi in ipſis Ariſtoteles poteſt, qui non modò Democritum, alioſque à quibus reſpiratio omnibus omninò animalibus attribuitur, inſectatur; ſed ſpeciatim quoque Anaxagoram, & Diogenem, quatenus cenſuerunt ſpeciatim reſpirare piſceis: Ille quidem, dum emittentes branchiis aquam, aërem, qui interim fuerit in ipſo ore genitus, trahunt; iſte verò, dum aquam branchiis emittentes ducunt interim aërem, qui fuerit in ipſamet aqua, priuſquàm foret in os aſſumpta, intermiſtus. At plures ſunt, qui hac in parte Ariſtotelem improbent, etiam qui ipſum aliunde ſolet in omnibus Lib 9. cap. 7. ferè imitari, Plinius: *Quoniam*, inquit, *pulmonum vice, aliis poſſunt alia ſpirabilia ineſſe viſcera, ita volente naturâ, ſicut & pro ſanguine multis alius humor.* Ac indigere certè piſceis quodam aëre, conuiocere propè videntur, quæ fuère ſuperiùs commemorata 4. De piſc. 9. ex Rondeletio experimenta. Nam cur incluſi piſciculi intra anguſti oris vas, quod aqua ſimul oppletum fuerit, viuere etiam in annum poſſunt, modò orificium reſeratum maneat; momento autem intereunt, ſi illud obturaueris; niſi quia manente orificio libero, quidpiam aëris ſeſe in ipſos inſinuat, occluſo verò minimè? Cur, ſi vas non fuerit penitùs oppletum, ludunt intra aquam piſciculi indiſcriminatim, donec os reſeratum eſt; & ſi occludatur, enatant certatim in ipſam aquæ ſuperficiem; niſi quia patente ore, aëris abundè ſubintrat, obducto parum ſupereſt, quod imminens aquæ eſſe vſui poſſit?

Cùm heinc verò conſtet penetrare aliquid aëris in aquam; conſtat quoque illud eſſe quidem craſſius, quàm vt per vitrum penetret, ac non eſſe parteis aëris craſſiores, aut collectas quaſdam ex aëre bullulas; verùm eſſe ſolùm tenuiſſimas quaſdam purioris ſubſtantiæ aëris particulas, qualeis etiam ſaltem penetrare poſſe ex pulmone in cor per arteriam venoſam volunt. Et certè vt aſcendunt continuò ex fundo maris præter aquam, & vſque in aërem varij halitus; congruum videtur, vt fiat quæpiam ex aëre reciprocatio, quò viciſſitudo in rebus, quam iam alibi attigimus, poſſit ſeruari. Quinetiam iſtud diffiteri ne Ariſtoteles quidem poteſt; cùm ex ante-dictis tam expreſsè do- 3. Gen. an. 11. ceat *Gigni & in terra, & in humore animalia, ac plantas; quoniam in terra inſit humor, in hu-* 3. Gen. an. 11. Lib de reſpir. 2. *more ſpiritus, in vniuerſo calor animalis; vt quodammodo omnia animæ plena ſint*; & alio loco fateatur, *Mare naturâ ſuâ calidum eſſe, & elementorum cæterorum particeps, ὑγρᾶ, τοῦ πνεύματος, καὶ γῆς, humoris, & ſpiritus* (ſeu aquæ, & aëris) *ac terra.* Quò magis eſt mirum, rideri ab eo Diogenem, ita ſententiam explicantem, *ὡς ὄντος ἐν τῷ ὕδατι ἀέρος, vt ſi aquæ aër ineſſet.* Vt nihil dicam de Anaxagora, qui cum in ore gigni cenſuit aërem, viſus eſt aliud nihil velle, quàm excerni intra os aërem in aqua contentum; & aquam quidem per branchias eiici, aërem verò à corde proximè admoto veluti exſugi. Quamquam dici fortaſſis poſſet, non attrahi modò aërem cum aqua commiſtum aut ore, aut etiam toto corpore, cùm perſpirabile totum ſit; ſed maximè etiam propriis naribus, quas tam iis ineſſe ad ſuperiorem maxillam, quàm auibus perſpicuum eſt. Neque obſtat, quod Ariſtoteles huiuſcemodi narium ductus non 4. Hiſt. 8. eſſe in cerebrum peruios, ſed cæcos eſſe, & aliquo-vſque progreſſos deflectere in branchias notet: Quippè idem dici de nobis conſimili ratione poteſt; cùm narium ductus videatur nobis cæcus, obſtructúſque verſus cerebrum; & alioquovſque progreſſus, in os, arteriámque deflecti. Sed nempe, vt nobis verſus cerebrum cribroſum eſt os, cuius foraminulis aër verſus cerebrum penetret; ſic ſeptum illod in piſcibus eſſe poteſt eiuſmodi, vt quamvis cribroſum periode non ſit, idoneis tamen ſit porulis ad illud, qualecumque aëris intra aquam eſt, tranſmittendum. Et ſanè vltra huiuſmodi ſeptum obſeruatur ductus, qui heinc inde coïens, & ſecundùm mediam cranij longitudinem procedens, pertingit ad cerebrum; cúmque eſſe fruſtrà non poſſit, oſtendit analugia ipſum tùm expurgando quadamtenus cerebro eſſe deſtinatum; tùm inſeruire inducendo aëri, aut ſaltem odori, cui neceſſarium aërem, halitúmve eſſe, vt vehiculum, manifeſtum eſt. Quo loco dignum eſt conſideratione, velle Ariſtotelem olfacere Ibid. piſceis, etiam ex longinquo, & ab aquæ fundo, vt infrà memorabitur; cùm interim exinde conſtet & penetrare aërem, halitúmve odorum in aquam, & piſcis illum olfaciendo attrahere, aut naribus, vt nobis videtur; aut ore, vt viſum antiquis; Nam quâ quidem parte Ariſtoteles voluerit, non facilè dicas.

Sed vt iſtius argumenta aduerſus antiquos videamus: *Cùm illi doceunt*, inquit, *in-*

ſpirare piſceis, cur de exſpiratione nihil dicant? Et vt dicturi ſint: nonne res impoſſibilis conſequetur, ſcilicet vt eiiciant ſimul aërem ex ore, & attrahant in os aërem, & aquam; cùm inducentes aërem in cor dum aqua ex ore per branchias depellitur, non poſſunt ipſum expellere foras, niſi dum aqua vnà cum aëre aſſumitur in ipſum os? Verùm illi potuerunt nihil, aut non repugnans quid dicere; ſiue quod arbitrati fuerint nihil eſſe opus exſpiratione, eiectionéve aëris, quaſi piſces aliud nihil trahant, quàm quod credi poſſit cum ſanguine in ſpiritum vitalem tranſire; ſiue quòd cenſere potuerint exſpirationem rariſſimè, ac fortè ſolùm tunc fieri, quando piſces per interualla in ſuperficiem aquæ proſiliunt; ſiue quod rutari ſe valuerint depulſione illa, quam fieri poſſe ex corde, eiúſve quaſi opereulo ſuperiùs inſinuauimus; non per os quidem patens, ſed per tubulum, quem ab illo operculo, ſeu quadam quaſi pulmonis ſpecie, obſeruauimus ad gingiuam vſque anteriorem maxillæ inferioris continuari. Cùm verò pulmone, tanquam folle careant, quo continere quampiam inſignem aëris quantitatem poſſint, non eſt quorsùm ille requirat: *Quare ſuffocatis intra aquam piſcibus nullæ ſurſum bullæ aſcendant, vti aſcendunt ſuffocatis teſtudine, rana, & aliis, quibus ſcilicet ineſt pulmo.* Et rectè quidem prætereà obſeruat: *Cùm piſces extra aquam veluti anhelant, ſiue inſpirare, & exſpirare videntur, os nempè, & branchias conducendo, diducendóque, non moueri tamen illis pectus, abdoménve, vt in nobis, ac ceteris.* At cùm arguit ipſos idcircò *non reſpirare aërem*, vtcumque id ſit verum de ea reſpiratione, quæ per Syſtolen, & Diaſtolen fit; ex motu nempè diaphragmatis, & pulmonis, quo deſtituuntur; non tamen de alia generali iam declarata: Quod autem tunc piſces os, & branchias moueant, inſtar animalium, quæ pulmone prædita ſunt; deſiderio faciunt non aëris, ſed aquæ; aër quippe nimis-quàm affluit, aqua verò deeſt, cuius tranſitu ex ore in branchias ſoliti fuerunt cor temperare, aërémque non affatim, ſed parciſſimè ducere. Vnde nec ſubeſſe videtur, quamobrem ille tanquam ſtultam Diogenis opinionem rideat, dum cenſuit piſceis in aëre ideo ſuffocari, quòd copioſiorem ſpiritum extra aquam trahant; ipſo ſiquidem, vt inſolito, læditur, & laborat cor. Nam quòd cætera quidem animalia vehementer aëris reſpiratione non ſuffocentur; cauſſa eſt, quia neque aër ſic immediatè attingit cor, neque non habet cedentem ſibi regionem, capacitatémque pectoris, & abdominis, quæ vt ipſum admittere, ſic eiicere vehementer poſſit.

Verùm, pergit ille, *Si aër intra aquam eſt, cur non ergo homo intra aquam reſpirat?* Scilicet homo reſpirare intra aquam minimè poteſt; tùm quia quicquid aëris penetrat in aquam nimis eſt exile, comparatum ad id, quod reſpirari ſolitum pro inſtituto naturæ eſt; tùm maximè quia aëris defectu introducitur aqua in pulmonem, neque expectorari poteſt; vnde & tam ipſum, quàm cor opprimit, ſuffocátque. Quo ſanè incommodo ſunt exempti piſces, quatenus branchias habent, ſecùs quàm homo, vt aquam ſeu cum cibo, ſeu aliâ occaſione ore inductam eiiciant; quemadmodum eiiciunt quoque Cetacei piſces per fiſtulam, quâ ſimiliter deſtituitur homo; adeò vt licet pulmonem habeant, in ipſum tamen non penetret aqua: *Poſtremò*, inquit, *oporteret inſecta quoque reſpirare.* Sed quid-ni ſuo modo reſpirent; cùm præſertim aquatilia in aëre, & aërea, terreſtriáve intra aquam ſuffocentur? Poteſt certè in illis eſſe pars pulmoni analoga, vt ipſe concedit analogam cordi, aut, quia obiicit ſcolopendram biſectam vtrâque parte viuere; cùm eſſe pulmoni quid analogum in vtraque parte non valeat; poteſt totum corpus ſic eſſe perſpirabile, ſeu, vt loquitur Hippocrates, ἐκπνοῦν, & εἰσπνοῦν, *comparatum ad admiſſionem, emiſſionémque ſpiritus*, vt toto corpore reſpirare cenſeantur. Quo ſanè modo nihil fortè vetet ipſas quoque plantas dici reſpirare; quatenus niſi permiſſa fuerit aëris libertas, intereunt; & vbi circumobſidentur, non tam ramis patulæ fiunt, quàm cacumine euehuntur, vt libero ſurſum aëre potiantur. Quòd ſi quædam plantæ ſic in aquis creſcant, vt ſupra illius ſuperficiem emergant nunquam (conſtat autem ad quantam vſque altitudinem aliquæ emergant) illæ ad alias comparatæ cenſeri poſſunt quaſi piſces comparati ad animalia, quæ pulmone aërem trahunt. Verùm poteſt hæc controuerſia eſſe tota de nomine.

Reſtat, vt quia cerebrum cietur motu, qui ipſe quoque duorum expoſitorum inſtar, Diaſtole, & Syſtole conſtat; paucula de iſto motu attingamus. Veteres videntur ipſum ignoraſſe; vix enim quicquam de eo occurrit, niſi
quòd Galenus adnotauit illum & eſſe conti- 6. vſ. part. 13.
nuum, & dilatatione, compreſſionéque con- De od.
ſtare; & attrahendo ad refrigerationem, nu- org. 4.
tritionémque ſpirituum ac ſuperfluorum ſimul expurgationem inſeruire. Recentiores autem obſeruârunt primò eſſe aliquem, tùm ex palpitatione, quæ in recens natis euadit adeò ſenſibilis, vt pars anterior cranij molliſſima adhuc vnà commoueatur; tùm ex elatione, ac depreſſione, quæ vulnerato capite, & effracto cranio ſeſe ſtatim prodit; Adeò vt nihil ſit proinde neceſſe afferre exemplum eius hominis nobis aliquando facti obuij, ex cuius oſſe zygomate detracta fuerat portio, vnguis humani magnitudine, & cui ad ipſam cicatricem cerebri appulſus, receſſúſque fiebat, tactui, viſuique manifeſtus. Obſeruarunt deinde hunc motum eſſe non ipſarum Meningum, vt opinati ſunt aliqui, ſed ipſiuſmet

cerebri

cerebri ſubſtantiæ, vtpote quæ etiam efferri, deprimíque deprehendatur, cùm non modò cranium effractum, ſed detracta etiam eſt portio tam craſſæ, quàm tenuis meningis. Obſeruarunt demùm eius celeritatem eſſe præterpropter qualis cordis, arteriarúmque; vnde & quidam pronunciarunt ipſum eſſe vnum, ac eundem; tametſi aut fallimur longè, aut quem in homine memorato attendiſſe meminimus, vt reſpiratione frequentior, ſic pulſu infrequentior fuit. Non eſſe hunc porrò motum voluntarium, ſed merè naturalem, ex homine eodem mihi conſtitit; neque enim poterat ipſum vlla ſuccuſſione accelerare, aut retardare; ac videtur ſolùm ſternutatiu, qua parte interdum voluntaria eſt, poſſe pro arbitriu facere illum intenſiorem.

Cùm eſſe autem quæſtio poſſit de vi motrice, & de vſu ipſius motus; videtur profectò vis cerebrum mouens eſſe ipſi ingenita, non verò pendere à corde, quaſi ab illo per arterias, vt illi putant, concitetur. Nam poſſunt quidem arteriolæ deſinentes in cerebrum pulſare in ipſo, quemadmodum pulſant in partibus cæteris; at non interim ipſum commouere, vt neque commouent parteis cæteras, ſpeciatimque lienem, tametſi in eum & inſignes, & numeroſæ inſerantur; iſque, vt mole minor, ſubſtantiâque ſolidior, ſic etiam ad motum ſubeundum videri comparatior poſſit. Repugnare certè videtur, medullaris illa & natura, & quantitas, maximéque ad arteriarum exilitatem comparata, ac eſt planè congruum, vt quemadmodum cordi ſua eſt ingenita vis, ſua diaphragmati (aut, ſi velis, pulmoni) ſic ſua ipſi cerebro ſit; vt quemadmodum triplex in corpore eſt Syſtoles, ac Diaſtoles genus, ita ſit triplex eius principium, & inſidens quidem ſuæ quodque parti, quæ motione afficitur.

Quod ad vſum ſpectat; videtur is quidem generatio eſſe animalium ſpirituum; at qua ratione, aut qua in parte, res profectò eſt admodùm obſcura. Quippe ſtatuit quidem communis opinio gigni ſpiritus in ventriculis, ac potiſſimùm ſuperioribus; quaſi nimirum ij dilatentur ipſa Diaſtole cerebri, & comprimantur Syſtole; ac vt in ſiniſtro ventriculo cordis creatur ſpiritus vitalis ex ſanguine hauſto è venis; & in arterias tranſmittitur; ita in illis finibus creari ſpiritum animalem ex vitali illo, qui continetur in arteriis choroidis plexus, cum portione aëris per nareis in cerebrum inſpirando inducti, & tranſmitti exinde in tertium, quartúmque ventriculos, ac porrò in neruos. At Primùm, vt taceam choroidem plexum videri tam ex venulis, quàm ex arteriolis contexi; Si debet in illis creari animalis ſpiritus, debet profectò ipſa actione cerebri, quæ eſt Diaſtole, vt pari ratione dictum eſt de corde: Nam per Syſtolen quidem, quemadmodum cor collabaſcit ſolum, redítve in ſtatum quietis, & qualem in animali mortuo deprehenditur obtinere; ita profectò in cerebro obſeruare in promptu eſt. Cùm autem Diaſtole tùm fiat, quando cerebrum appellit ad cranium, ac tùm dehiſcaut ventriculi, nulla fit ſanè actio in rem intra ventriculos contentam; quippe cùm parietes ipſorum ad ſe inuicem non accedant, quemadmodum in pulſu cordis mucro in baſin contenditur. Quod ſi tamen dicas ſpiritum vitalem, ſanguinem.ve in arteriolis, venuliſque contentum velut exprimi, attenuaríque in ſpiritum, dum latera ventriculorum per Syſtolen coëunt; deberet ergo ſpiritus Syſtole creatus per Diaſtolen abigi; at adeſſe potiùs per Diaſtolen debet, ne fiat capacitas vacua. Et, ſi dicas per ſequentem Syſtolen tùm veterem abigi; tùm nouum creari; Patet Syſtolen fore nullam; cùm ſi tantum creetur, quantum abigitur, neceſſe ſit manere ſpatium perinde ſemper dilatatum. Dici fortè poſſet tùm fieri ventriculorum Syſtolen; cùm Diaſtole eſt cerebri, & Diaſtolen, cùm Syſtole; vt ſi concipiamus cerebrum attolli per Diaſtolen in ſyncipiut ſolùm; hac enim ratione compreſſum ad latera comprimeret vnà ventriculos ipſos; ſed par difficultas. Nam, vt prætercam experientiam, qua obſeruatur cerebrum ſimul & ſurſum, & circum, ſiue ad latera pulſare; non poſſunt ipſi ventriculi, quæ eorum eſt forma, ad latera oppoſita comprimi, quin decuſſatim dilatentur. Deinde quis facile capiat gigni ſpiritum rem adeò ſubtilem, puram, mobilémque in ventriculis excrementitio humore plenis? Quippe non aliunde mucus aduenit, qui per nareis expurgatur, quàm ex illis ventriculis; vt neque ſaliua, quæ expuitur ore, quàm ex tertio, & quarto. Si forent certè ventriculi reſiccati, aut ſaltem illimes, ac puri, videri poſſet res aliquâ veriſimilitudine conſtare: at cum hacce humiditate, hiſce recrementis, atque ſordibus, non video quî poſſit in mentem induci. Neque regeras poſſe ſimul fieri & creationem ſpirituum & repurgationem excrementorum; ſiquidem non vt continenter pulſat cerebrum, continentérque ſpiritus creantur, ita continenter repurgatio, ſeu deiectio excrementorum è ventriculis fit; & nulla ratione apparet quî poſſit materia ſpirituum cum ipſis commiſta non coinquinari. Et, ſi dicas hęc excrementa non tam aduenire ex arteriis, aut ex materia ſpirituum, quàm ex ſubſtantia cerebri; Quid-ni ſuſpicemur hos ventriculos eſſe potius quædam receptacula excrementorum cerebri, quàm officinas ſpiritibus elaborandis deſtinatas?

Quamobrem verò elaborari in ipſa cerebri ſubſtantia animales ſpiritus nequeant; & quà præſertim talis ſubſtantia candida, & calloſa eſt; circúmque, & proximè ſinus? Affluit profectò vndequaque vitalis ſanguis, ſpiritúſque per diuaricatos arteriarum tam ceruicalium, quàm carotidum ramulos, ex quibus etiam illi ſunt, qui in choroidem plexum

contexuntur, vt ſub cerebri medium ſubminiſtrent, quod videbatur non facilè ſuppetere poſſe à circum-extremis. Tanta certè cerebri moles facta eſſe ſolùm ad ventriculorum dilatationem, compreſſionémque adminiſtrandam non videtur; ſed videtur omnino eſſe effecta huiuſcemodi, vt exceptos intra ſubſtantiam ſpiritus vitaleis noua ſpecie donet, ſeu mavis, perficiat. Quare & poteſt ad hoc munus tributus eſſe cerebro motus, de quo quæritur; cùm denſa alioquin, molliſque, & pinguis ſubſtantia inde debitè incaleſcat, fiátque perſpirabilis; & ipſa ſpirituum materies, diutina ſubagitatione, ac veluti contrectatione eiuſce ſubſtantiæ noua ratione temperetur, congruámque formam ſubeat. Quia Interim verò cerebri ſubſtantia non pauco eget alimento, ex quo ſunt reſidua excrementa varia; vtilis idem motus eſt, vt illis repurgari valeat, partim quidem, quà ſunt ſubtiliores aut euaporando per ſuturas cranij; pérque meatus aurium; aut concreſcendo etiam in aquam, ſtillandóque in lacrymas; partim quà craſſiora, atque viſcidiora, ſeſe recipiendo in ventriculos, qui deinceps per nareis, pérque palatum exonerentur. Quamquam res eſt adeò abſtruſa; & quod præſertim ad naturam, generationémque ſpiritum animalium attinet, vt hæc dubitando propoſuiſſe ſit ſatis.

APPENDIX ALTERA,

QVÆ EST

PHILOSOPHIÆ EPICVRI SYNTAGMA.

QVAM ſerò exigis, MI BARANCI, vt ad Te breuem Philoſophiæ Epicuri Syntaxin mittam, quæ iam abſolutis Animaduerſionibus, & mox abſoluendæ Appendici valeat ſubiungi. Nam, fateor quidem & hoc poſſe toti Operi deeſſe videri; & facile fore, vt Lectores ſelectum, ac non ſine quodam ordine digeſtum requirant, quod niſi reſperſum, variéque commiſtum tanta in congerie non eſt. Verùm tametſi id operoſum admodum eſſe non appareat, quòd nihil aliud, quàm excerpendum ex corpore ipſo Animaduerſionum videatur: nihilominùs quòd rem velis methodo ſimul quapiam diſcerni (alioquin enim fuiſſes, vt ais, me ſubleuaturus hocce onere) non video, quî valeat tam breui, ac ipſe putas, perfici, vt ſcilicet committi prælo ſtatim à confecta Appendice poſſit. Vtcumque tamen futurum ſit, admoueo ecce operi manum, quaterniones ſimul, ac conſcripti fuerint, ſigillatim ad te miſſurus, quò pereat minùs temporis, ac interim agnoſcas me conſilium tuum non improbare, ſed dolere, quòd non id priùs venerit aut tibi, aut mihi in mentem, vt res poſſet otio, ſtudióque quodam maiore elucubrari. Sed ea nimirùm poterit aliàs & congeri pleniùs, & diſtribui clariùs, ſi fors tulerit; interim ipſam exhibebo, quâ ſerie mihi iam occurrit, vtpote, quæ neque aliena ab Epicuri methodo ſit, neque tamen habeatur illi adeò ſcrupulosè illigata, vt non, ſicut ipſe Epicurus ordinem eundem in eadem re pertractanda non ſemper tenuit, & Lucretius quoque non illum abſque immutatione ſeruauit; vt non, inquam, vtar eâ libertate, quâ pleraque emoueam, tranſponam, & quà eſſe videbitur magis commodum, interiiciam. Inducam autem Epicurum vno tenore, ſuiſque verbis totâ ſerie philoſophantem; quatenus quidem ea verba exſtant apud Laërtium, M. Tullium, Senecam, & Authores alios; niſi quòd, vt res euadere poſſit aliquantò concinnior, adnitar meis ea colligare, quæ haberi alioquin poſſent, quaſi confuſa rudera, & ſcopæ quædam diſſolutæ. Attribuam verò ipſi Epicuro, ſi quid dictum à Metrodoro, Hermacho, Colote, aliôve quopiam ex illius Sectatoribus fuerit; quandò *Apud iſtos*, vt Seneca habet, *quicquid dicit Hermachus, quicquid Metrodorus, ad vnum refertur:* &, *Omnia, quæ quiſquam in illo contubernio loquutus eſt, vnius auſpiciis dicta ſunt.* Attribuam quin etiam ea, quæ videbuntur eſſe aliquando ſupplenda, decerpendáque ex Lucretio: quoniam & Lactantius (tametſi verbo ſanè illaudato) *Epicuri.* inquit, *ſunt omnia, quæ delirat Lucretius*; & Lucretius ipſe cùm opere toto id ſatis declarat, tùm his ſpeciatim verſibus:

——Inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

Et,

——Tuiſque ex inclute chartis
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Et,

Cuius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor.

Fiet quoque, vt interdum, vbi ſententia erit obſcurior, neque vſquam apud Authores ſatis diſertè explanata, ipſam meis verbis declarem, & quæ præſertim quidem ex ipſis Animaduerſionibus deducam; quamquam & rarum erit, vt faciam, & ad Epicuri mentem ſic accommodabo, vt nihil ipſi non congruum ſit. VNVM eſt, quod admoneam te, vt ſollicitè nempè caueas, ne non ad ea capita, quibus Epicurus quidpiam proferet Fidei ſacræ diſſentaneum, indicentur loca Animaduerſionum, in quibus, quæ ille in Fidem peccauit, refutata ſunt; ne quidquam mali abſque remedio præſentaneo excipi poſſit. Scilicet vt poſſit eius Philoſophia, quantum quidem ferunt relicta veſtigia, integrè cognoſci, nihil eſſe videtur ex ea reſcindendum, ſupprimendúmque; vt neque fieri moris eſt in Ariſtotele, aliiſque (ac in ipſo etiam Lucretio) quorum eduntur libri integri, & ne adiunctam quidem habent (vti habitura opella hæc eſt) errorum, qui aduerſus fidem in iis leguntur, repreſſionem. Quod ſupereſt, & bene vale, & amicos ſemper ſaluta. Ipſe, ne longum faciam, cedo Epicuro, vt loquatur, locum.

DE PHILOSOPHIA *Vniuerſè.*

PHILOSOPHIA, ſeu ſtudium Sapientiæ, eſt Rationis exercitatio, quâ meditando, colloquendóque vitam beatam parat, eâque fruitur. Nempè Philoſophia id ſpeciale habet, præ cæteris artibus, vt operis finem pro ſuo fine habeat, illúmve ſic ſpectet, vt ipſo fruatur.

Cùm beata autem vita conſiſtat in animi tranquillitate, & indolentia corporis; ſed in illa potiſſimùm (quatenus ſunt animi bona potiora bonis corporis, vti & mala ſunt deteriora malis) idcircò Philoſophia animi præſertim medicina eſt, prout ipſum reddit, ac tuetur ſanum; ſcilicet eius ſanitas ipſamet tranquillitas eſt.

Quare & heinc efficitur, vt neque debeat Iuuenis philoſophandi trahere moram; neque Senex vllatenùs philoſophando defatigari. Quippe ad habendum ſanam mentem nemo immaturus, aut victus eſt; & qui prætexit philoſophandi tempus aut nondum adeſſe, aut iam præteriiſſe; non ſecùs facit, ac is, qui dicit, bene, beatéque viuendi tempus aut nondum adeſſe, aut eſſe elapſum.

Philoſophandum itaque & iuueni & ſeni eſt: illi quidem, vt dum ſeneſcet, perſeueret bonis efflorefcere, ob perſeuerantem eorum, quæ decorè eatenus peregerit, gratiam; iſti verò, vt annis ſenex, animis tamen iuuenis ſit, quatenus erit à futuris, impeudentibúſque ſecurus.

Nempè Philoſophia eſt ſola, quæ ſui cultores ſidenteis, & ab omni vano timore facit liberos; ipſiſque adeò ſeruiendum eſt, vt contingat vera libertas.

Felices ij tamen, qui eo corporis, animique habitu ſunt, aut in ea gente naſcuntur, vt poſſint ſiue ex ſeipſis, ſiue impulſi ab aliis Philoſophiæ operam dare, & veritatem proſequi, cuius aſſequutione homo verè liber, ſeu ſapiens, ſibique imperioſus efficitur.

Siquidem, triplicis ſunt notæ, qui animum huc applicant. Sunt enim quidam, qui ad veritatem ſine vllius adiutorio exeant. Sunt, qui operâ alienâ indigeant; non iituri, ſi nemo præceſſerit, benè ſequuturi. Sunt, qui cogi ad rectum, compellique poſſint, quibus non duce tantùm opus eſt, ſed adiutore, & vt ita dicam, coactore.

Ac ſunt primi quidem maximè laudandi; verumtamen egregium quoque ſecundæ ſortis ingenium; ac ne genus quidem tertium faſtidiendum. Cùm certè ex ſecundo fuerit Metrodorus, ex tertio verò Hermachus; vt illi magis gratulor, ita iſtum magis ſuſpicio; quoniam quamvis ad eundem finem vterque peruenerit, tamen maior eſt laus idem effeciſſe in difficiliore materia.

Cùm nihil verò eſſe Philoſopho debeat ipsâ Veritate antiquius; ideò is ad ipſam rectâ tendet viâ, & nihil neque finget, neque ab aliis fictum admittet; quoniam nullum figmenti genus veri Profeſſoribus conuenit; ac ne probanda quidem videtur illa Socratis ironia perpetua, quâ effert in cælum laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros; ſe autem rerum omnium inſcium fingit, & rudem.

Quò minùs profectò oportuit confingi à Philoſopho illam fabulam de Ero Armenio. Cur enim, ſi rerum cæleſtium notionem, ſi habitum nos animorum docere voluit; non ſimplici, & abſoluta hoc inſinuatione curatum eſt; ſed quæſita perſona, caſúſque excogitata nouitas, & compoſita aduocati ſcena figmenti, ipſam quærendi veri ianuam mendacio polluerunt.

Hac ergo de cauſa vir ſapiens neque Poëtarum fabulas audiet, neque ipſe poëmata fabuloſa elucubrabit. Quin etiam Oratorum technas, fucoſque auerſabitur; ac vt nihil aliud ex Grammatica, quàm orationem congruam, ſic ex Rhetorica nihil aliud, quàm perſpicuam exigens, dictione vtetur ſimplici, atque familiari, &, ſiue ſcholam aperiat, ſiue libros ſcribat, ſiue rogatus ſcriptorum quid coram multitudine legat; cauebit, ne id panegyricè, atque hyperbolicè fiat.

Quandoquidem verò ex philoſophantibus quidam ſunt, qui circa veritatem nihil certi tradant, ſed de omnibus dubitent; quidam, qui omnia ſciri putent, ac indiſcriminatim affirment: videtur Sapiens, & qui germanè philoſophari inſtituit, ſic ſe habiturus, vt non aſſerat quidem omnia; ſed quæpiam tamen placita rata, & de quibus non ſit hærendum, defendat.

Nam quoties quidem aliqua ſunt, quæ poſſunt multis peragi modis, vti Eclipſes Siderum, vti eorumdem ortus, occaſus, Sublimiáque cætera; tunc vnum modum ita probare, vt improbentur cæteri, ridiculum profectò eſt: at quoties agitur de iis, quæ niſi vno modo eſſe non poſſunt, aut fieri, cuiuſmodi ſunt illa Effata, Ex nihilo nihil fit; Vniuerſum ex corpore, & inani conſtat; Principia rerum ſunt inſectilia; cæteráque huiuſmodi; tunc quoque per abſurdum eſt iis non firmiter adhærere.

Heinc fit, vt ſit Sapientis proprium, ſicut in illis multiplicem, ſic in iſtis modum vnicum tueri, ac non vacillare, neque à quæſita ſemel Sapientia diſcedere. Videlicet, ſecùs, ac illi, qui quaſi ex legis præſcripto agentes, non vt ipſæ res exigunt, de natura philoſophantur, ac ideò à recto tramite excedunt, & ad fabulas delabuntur: non aduertentes, vt ad vitam nihil conferat, aut placita propria iactare, aut inani gloriâ geſtire, ſed animo imperturbato eſſe.

Cæterùm cùm duæ præcipuè ſtatuantur Philoſophiæ

Philoſophiæ partes; vna Phyſica, quæ in Naturæ contemplatione ſita ſit; altera Ethica, quæ in dirigendis ad beatam vitam moribus verſetur: patet profectò, aut Ethicam vniuerſam eſſe Philoſophiam; aut Phyſicam quidem in partem venire; verùm quatenus ipſa quoque ad beatam vitam conducit.

Nam, ſi nihil quidem nos conturbarent, quæ ſuſpicamur, veremúrque à rebus illis Sublimibus, ac etiam à morte, quaſi aliquid pertineat ad nos. Si item ſatis caperemus, qui ſint cupiditatum fines, & quouſque dolor, qui eſt ex illis, ſedandus ſit; nihil Phyſiologia, hoc eſt, naturæ explicatione indigeremus.

Verùm, quia fieri non poteſt, vt tantum bonum, niſi perſpectâ rerum naturâ aſſequamur, ſed vt pueri in tenebris trepidant, ac nihil non metuunt, ita nos miſerè verſantes in ignorantiæ caligine, ea timeamus, quæ fabuloſa, ac magis metuenda non ſunt, quàm quæ pueri in tenebris pauitant, & futura fingunt; ideò eſt neceſſe, vt terrorem hunc, tenebraſque has animi, non ipſi ſanè radij Solis, ſed naturæ ſpecies, ac ratio; ſeu, quod idem eſt, Phyſiologia diſcutiat. Eſt ergo etiam Phyſica vt pars Philoſophiæ habenda.

Quam aliqui autem prætereà, quaſi tertiam partem, Dialecticam addunt; ea repudianda idcircò eſt, quòd, quatenus quidem vulgò traditur, nihil aliud, quàm ſpinas vellat, inanis loquacitas ſit, & cauillorum officina; imò & quòd ſit etiam ſuperflua, ob finem, quem præſtituunt; vt videlicet Phyſicorum ratiocinia percipere, & diiudicare poſſimus; quoniam nullâ aliâ ad hoc re eſt opus, quàm vt Phyſici & conſuetis, & perſpicuis rerum vocibus vtantur.

Quòd ſi quidpiam prætereà eſſe videtur vtile, id eſſe aliud nihil poteſt, quàm collectio Canonum, Regularúmve quarundam paucarum, quæ vt de ipſis vocabulis, ſic de Criteriis, quibus ſolemus res diiudicare, tradantur.

Quo pacto viæ operoſæ, prolixæque Dialecticæ, haberi hæc breuis Canonica poteſt; & aut reputari Philoſophiæ pars (tametſi minùs præcipua) aut haberi veluti quædam acceſſio facta Phyſicæ; quippe quaſi ad illam breuis introductio.

PARS PHILOSOPHIÆ I.

QVÆ EST

CANONICA, ſiue DE CRITERIIS.

Itaqve, vt inde exordiamur; cùm omnis, quæ in Philoſophia excitatur Quæſtio, aut de Re, aut de Voce ſit, & ad illius ſolutionem varij tradi Canones valeant; ideò pars

Philoſophiæ prima illos continens, vocari Canonica poteſt.

Quia verò de Voce non aliud quàm vſus, ſignificatióve eius quæritur; de ipſa Re verò eius veritas, quæ eſt quid abſtruſum, inueſtigatur; ideò complexuri Canonibus paucis, quæ ad vſum Vocum attinent, pluſculos prius afferemus de ipſa Veritate, eiúſve Criteriis; ſed vbi tamen pauca præfati de illa, ac de his fuerimus.

CAPVT PRIMVM.

De Veritate, illiuſque Criteriis.

Initio ergo Veritas intelligi poteſt, ac diſtingui duplex; vna Exſtantiæ, exſiſtentiæve; & Enunciationis, ſeu Iudicij alia.

Veritas Exſtantiæ ea eſt, quâ vnaquæque res in ipſa rerum natura exſtans, eſt id ipſum, quod eſt, nihil verò aliud: Vnde & nulla Falſitas huic Veritati opponitur (neque enim Orichalcum, v. c. falſum aurum eſt, ſed verum Orichalchum) nihilque adeò differt aliquidne exſtans, exſiſtenſve dicas, an verum.

Veritas autem Enunciationis, ſeu Iudicij nihil aliud eſt, quàm conformitas enunciationis ore factæ, aut iudicij mente peracti, cum ipſa enunciata, ſeu iudicata re.

Veritas verò iſta eſt, cui opponitur Falſitas; nam, vt Verum eſt, quod ita ſe habet, vt ſe habere dicitur; ſic Falſum, quod vt ſe habere dicitur, non ita ſe habet.

Obiter porrò circa id, quod Contingens futurum vocant, Veræ ſunt quidem quæ dicuntur ex contrariis diſiunctiones, ſeu complexiones mavis, quæ fiunt per diſiunctiuas particulas; veluti ſi dicatur, Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet; at quæ in his enunciantur (ſeu oppoſitorum membrorum) neutrum verum eſt; neque enim vlla eſt in natura neceſſitas, vt Hermachus cras viuat; neque iterùm, vt non viuat.

Ad hæc, quoniam res, cuius veritas quæritur, aut ad ſolam ſpeculationem, aut ad vitæ actionem ſpectat, & priore modo ſcientiæ Naturalis, poſteriore Moralis eſt; idcircò habendum Criterium, ſiue iudicandi inſtrumentum eſt, quo vtrôvis modo expendi, iudicari, cognoſci poſſit.

Cæterùm, quia res naturales, aut Senſu, aut Mente; & res morales, ipſo Affectu, appetitúve, percipiuntur; ideò ex parte iſtorum accipienda Criteria ſunt.

Et ex parte quidem Senſus, non poteſt aliud accipi, quàm ipſa eius functio, ſeu Senſio, quæ ipſa quoque Senſus nomine donatur.

Ex parte autem Mentis, quia præter functionem, quam habet, dum rem quaſi præſentem, & apparentem, ſenſus inſtar contuetur

(vnde & perceptio apparentiæ,ſeu eius, quòd res tam Menti, quàm Senſui eſſe apparet, Phantaſia vocatur) quia,inquam,præter hanc functionem, Mentis proprium eſt, vt ratiocinetur: ideò exigitur Prænotio, ſeu Notio quædam anticipata, ad quam reſpectando, quidpiam inferatur.

Ex parte denique Affectus, ſiue Appetitus, cuius proprium eſt proſequi, aut refugere aliquid; aliud accipi, quàm ipſa Affectio, ſeu Paſſio non poteſt; eaque aut alliciens, vtputà Voluptas; aut auertens, vt Moleſtia, ſeu dolor.

Itaque tria ſunt omninò Criteria, Senſus nimirùm, ſiue Senſio; Prænotio,ſeu Anticipatio; & Affectio, ſeu Paſſio; de quibus ſingulis proinde Canones aliquot ſunt tradendi.

CAPVT II.

Canones de Senſu Criteriorum primo.

AC vt primùm quidem de Canonibus; quæ ad Senſum ſpectant, dicamus; ij ſtatui poſſe videntur quatuor.

CANON I.

Senſus nunquam fallitur; ac proinde eſt omnis ſenſio, omniſque Phantaſia, ſeu apparentiæ perceptio vera.

ID verò probatur imprimis, quoniam omnis Senſus ratiocinationis eſt expers, recordationiſque prorſus incapax; quippe cùm neque à ſeipſo moueatur, neque motus ab alio, addere quidpiam detrahereve, ſiue enunciando copulare, aut disiungere, concludendóve inferre valeat; vt propterea poſſit quidpiam opinari, aut opinando falli. Scilicet Mens quidem id poteſt; at non ipſe Senſus, cuius proprium eſt id ſolùm, quod eſt præſens, quodque ipſum mouet, apprehendere, vt viſus obiectum colorem; non item verò diſcernere illud quidem eſſe, quod heic; aliud, quod illeic ſubiicitur. Vnde porrò apprehendentis, nihilque omnino pronuntiantis neque mendacium, neque falſitas eſt.

Deinde, quia nihil eſt, quod refellere, falſive arguere ipſos ſenſus poſſit. Neque enim ſenſus genere ſimilis ſimilem genere refellet, vt viſus dextri oculi viſum ſiniſtri, aut viſus Platonis viſum Socratis; idque propter æquipollentiam, ſeu quod par ratio vtriuſque ſit; neque enim lippus minùs videt id, quod videt, quàm Lynceus id videt, quod videt: Neque genere diſſimilis genere diſſimilem, vt viſus auditum, guſtatus olfactum: quoniam diuerſa obiecta habent, ferendóque iiſdem de rebus iudicio minimè inſeruiunt. Neque item vna ſenſio eiuſdem ſenſus aliam; quoniam nulla eſt, quâ non afficiamur, cuique, donec ipſâ afficimur, non adhæreamus, aſſentiamúrve; vt dum baculum nunc extra aquam rectum ſpectamus, nunc ex parte immerſum recuruum contuemur; neque enim, quantumvis nitamur; aut in priore ſtatu curuum, aut in poſteriore rectum videre fas eſt. Neque denique ratio, ſeu ratiocinatio; quoniam omnis ratiocinatio à præuiis pendet ſenſibus, oportétque ſenſus priùs eſſe, quàm ipſam rationem iis innixam, veros.

Confirmatur autem, quia Senſus eſt Criteriorum primum, ad quod prouocare quidem à cæteris licet; ipſum verò debet conſtare per ſe, ac manifeſtæ eſſe veritatis. Nam ſi falli quidem omnem ſenſum dixeris, deerit tibi Criterium, quo vel ipſum de aliquo ſenſu particulari diiudices, ac probes. Sin aliquem ſolummodò, perplexâ te diſputatione intricabis, dum requiretur, quis, quomodo, quando fallatur, aut non fallatur ſenſus, adeò vt cùm dirimi controuerſia non valeat, neceſſe ſit omne Criterium tibi excidat. Vnde & inferre licet, ſi vllum ſenſibus viſum falſum eſt, nihil percipi poſſe; ſeu (vt aliis verbis dicam) niſi omnes phantaſiæ, quæve rei perceptiones ſint veræ, actum eſſe de fide, conſtantia, atque iudicio veritatis. Nam qui phantaſiarum inducunt diſcrimen, probare hoc ipſum non poſſunt, eſſe videlicet ex iis alias quidem veras, alias autem falſas. Neque enim probabunt vllâ re apparente, quoniam quæſtio eſt de rebus apparentibus; neque vllâ immanifeſtâ, quoniam quod eſt immanifeſtum, per quidpiam apparens demonſtrandum eſt.

Confirmatur iterùm, quia ſublatâ ſenſuum certitudine, atque adeò germanâ rerum cognitione, & ſcientiâ, tollitur omnis & vitæ degendæ, & rerum gerendarum ratio. Nam vt in fabrica, ſi regula prima ſit praua, ſi norma fallax, ſi libella claudicans, fieri mendosè omnia, atque euadere obſtipa, abſonáque neceſſum eſt; ſic omnia in vita præpoſterè fiant, ac euadant perturbationis, confuſioniſque plena oportet, ſi quæ eſt habenda, quaſi prima regula, norma, ac libella in dignoſcendis bonis, ac malis, iiſque, quæ agenda ſunt, aut non agenda diſcernendis, praua, atque peruerſa ſit; hoc eſt, certitudine, quæ illius quaſi rectitudo eſt, careat. Ex quo proinde efficitur, vt licet ratio, exempli gratiâ, explicare cauſam non poſſit, cur ea, quæ iuxtim quadrata ſunt, rotunda procul appareant, præſtet nihilominùs balbutire, & mendosè dicere cauſam; quàm fidem primam labefactare, & fundamenta conuellere, quibus vitæ conſtantia, incolumitáſque ita nititur, vt niſi ſenſui credere auſis, non ſit, quo caueas, vt præcipitium, perniciémve aliam deuites.

Tertiò, quia veritas ſenſuum, vel ex eo patet, quòd, eorum functiones in ipſa rerũ natura exſtent,

exſtent, ſeu reipſâ veréque ſint; quippe videre nos, & audire, tam eſt aliquid, quod reuerâ eſt, quàm ipſum dolere; nihilque, vt mox dictum, diſcriminis eſt, ſeu quid exſtans dicas, ſeu verum.

Sanè, vt res paulò vberiùs dicatur; quemadmodum primæ paſſiones, voluptatis putà, & moleſtiæ, pendent ab aliquibus cauſis ipſas efficientibus, ac ob huiuſcemodi cauſas in ipſa rerum natura conſtant; Videlicet voluptas pendet à rebus iucundis, moleſtia verò à moleſtis: & neque contingit illud, quod efficiens eſt Voluptatis, non eſſe iucundum, neque quod moleſtiam exhibet, non eſſe moleſtum; ſed neceſſe eſt, quod voluptatem creat, iucundum; quod moleſtiam, moleſtum ſecundùm naturam ſit. Eadem ratione circa paſſiones phantaſiarum, quæ fiunt in nobis, quicquid cuiuſlibet illarum efficiens eſt, prorſus, omninóque eſt tale, vt ſit phantaſiæ efficiens; & tale cùm ſit, effici non poteſt, vt aliud euadat, quàm cuiuſmodi deprehenditur id, quod phantaſiæ eſt effectiuum. Idem porrò ſpeciatim eſt de ſingulis exiſtimandum: Quippe quod eſt viſibile, id non apparet modò viſibile, ſed tale etiam eſt, qualę & videtur; Et audibile non modò apparet audibile, ſed reuerâ quoque eſt tale, atque ita de cæteris. Quare omnes phantaſiæ veræ, & congruè quidem ad rationem fiunt.

Exinde autem patet, viſa quoque tam delirantium, quàm ſomniantium ea de cauſa vera cenſeri, quòd reuerâ ſint, ſeu reipſâ exſtent; ſiquidem facultatem mouent, cùm id quod non eſt, nullatenus moueat; adeò proinde vt in natura neceſſitas ſit, quâ ſpeciebus rerum, quæ in mente, aut imaginatione recipiuntur, tali modo motis, commiſtis, turbatis, non poſſint talia viſa non fieri; quicquid poſteà ſit de opinione, quâ res tales eſſe in ſe, quales apparent, iudicantur, & de qua dicendum iam eſt.

CANON II.

Opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadiecta, in quam veritas, aut falſitas cadit.

PRobatur id autem, quia, exempli gratiâ, dum Turris apparet oculo rotunda, ſenſus quidem verus eſt, quia reuerâ ſpecie rotunditatis afficitur, eáque ſpecies & talis eſt, & cauſam habet neceſſariam, propter quam in huiuſmodi diſtantia ſit talis. Non fallitur autem, quia talem eſſe turrim non pronuntiat, ſed paſſiuè ſolùm ſe habet, ſpeciem accipiens, ac referens dumtaxat, quid ſibi appareat. Verùm Opinio, ſeu mavis, Mens, cuius eſt opinari, ſeu iudicium ferre, quatenus addit, quaſi de ſuo, Turrim eſſe id, quod ſenſui apparet, ſeu eſſe turrim in ſe, & reuerâ rotundam; opinio, inquam, ipſa eſt, quæ vera eſſe, aut falſa poteſt.

Quocirca & inferre licet, omneis quidem phantaſias, ſeu ſenſiones, quibus res apparentes percipiuntur, veras eſſe; ſed opiniones quod attinet, admittere ipſas aliquod diſcrimen; quippe aliæ veræ, aliæ falſæ ſunt, quatenus ſunt noſtra iudicia phantaſiis ſuperaddita, & nos quædam rectè, quædam perperàm iudicamus; ob id ſcilicet, quòd phantaſiis addatur, imputetúrque aliquid, aut aliquid etiam ipſis detrahatur, ac vniuerſè Senſus, qui ratiocinij expers eſt, mendaciter inſimuletur.

Nonnullos autem decipit ea phantaſiarum, quæ ab eodem contingere ſenſibili, (vt adſpectabili, v.c.) exiſtimatur, diuerſitas, iuxta quam ſubiectum aut alterius coloris, aut alterius figuræ, aut alio quodam modo immutatum apparet. Reputant enim diſcrepantium, pugnantiúmque ſic phantaſiarum, aliam quidem eſſe oportere veram, aliam verò eſſe ex oppoſito falſam; quod ſtolidum profectò eſt, ac hominum, qui ipſam rerum naturam non conſiderant. Non enim totum ſolidum, ſeu tota ipſa corporis ſoliditas eſt, quæ videtur (vt verba faciamus de viſibilibus) ſed ipſius ſolidi color. Coloris verò aliud quidem eſt, quod in ipſo eſt ſolido, qualéque apparet in iis, quæ propè, aut mediocri ex interuallo conſpiciuntur; aliud, quod extra ſolidum (vtpote dimanans ab ipſo ſpecies, ſeu ſimulacrum) recipitúrque in locis ordine ſuccedentibus, qualeque apparet in iis, quæ ex interuallo prolixo ſpectantur. Hoc autem poſterius in ſpatio intermedio immutatum, propriámque aſſumens figuram, talem phantaſiam exhibet, quale ipſum reuerâ eſt.

Quo ergo modo neque vox, quæ in ære pulſato eſt, neque ea, quæ in ore eſt vociferantis, exauditur, ſed ea, quæ in ſenſum noſtrum incidit (nempe idem eſſe in duobus diſſitis ſubiectis non poteſt:) & quemadmodum nemo dicit eum falsò audire, qui ex internallo, ſeu diſtantia vocem exiguam percipit, quoniam cùm propiùs acceſſerit, eam percipit quaſi maiorem: Sic neque viſum dixerim falli, quòd eminùs turrim paruam videat, ac teretem, cominùs maiorem, & quadrangularem; ſed ipſum potiùs ſe verè habere, quoniam quando ipſi ſenſibilę paruum, ac huiuſmodi figuræ apparet, paruum ibi reuerâ eſt, ac huiuſcemodi figuræ, confractis nempè ſimulacrorum ipſo per aërem traiectu extremis, (ac adeò angulo minore in oculum ſubeuntibus) & rurſus quando magnum apparet, figuræque alterius, illeic rurſus & magnum eſt, & alio modo figuratum: videlicet idem vtrobique non eſt (vtputà heic iam integrioribus, & maiore angulo in oculum ſubeuntibus ſimulacrorum extremis.) Cæterùm enim illud iam peruerſæ opinionis eſt, exiſtimare id, quod propè, procùlque ſpectatum apparet, oculúmve afficit, idem eſſe.

Non eſt verò etiam, cur falli viſum dicant,

cùm videmus vmbram in Sole moueri, ſequi noſtra veſtigia, ac geſtus noſtros imitari. Siquidem aliud nihil eſt vmbra, quàm aër lumine priuatus; & quia procedentibus nobis, terra ſuccedenter nunc heic, nunc illeic priuatur Solis lumine, vti & quâ erat antè priuata, id ſuccedenter recuperat; fit quidem, vt vmbra videatur & locum mutare, & nos conſequi; at non ideò tamen oculi falluntur, quatenus illorum ſolummodo eſt, contueri lucem, contueri vmbram, quocumque tandem loco ſit; pronunciare autem eam lucem, vel vmbram, quæ heic eſt, eandem eſſe, aut aliam, quæ mox fuit illeic, hoc non illorum opus eſt, ſed mentis, ſiue animi, cuius munus eſt diſcernere, ac opinari; adeò proinde, vt quicquid heic falſitatis interuenit, id ſit opinioni, non ſenſui tribuendum.

Idem porrò etiam proportione dicendum eſt, ad ſexcenta alia, quæ obiici ſolent, euiuſmodi illa ſunt, de naui viſa immota, ac prætereunte littore; de Sideribus quieſcere viſis; de montibus diſſitis, & procul tamen viſis coniunctis; de circumcurſatione poſt gyrationem pueris apparente; de Sole proximè monteis viſo, cùm tanta ſpatia interiaceant; de tanto ſpatio ſub aqua viſo, quantum inde ad cælum eſt; de flumine, dum traiicitur, in caput ſuum relabi viſo; de porticu viſa abite in anguſtum; de Sole viſo ex vndis emergere, in vndas demergi; de remis inflexis, ſeu refractis viſis; de nocturnis Sideribus præter nubila properare viſis; de rebus ob diſtortam pupillam geminatis viſis; & quæ id genus alia ſunt.

CANON III.

Opinio illa vera eſt, cui vel ſuffragatur, vel non refragatur ſenſus euidentia.

Senſus euidentiam heic voco illam ſenſionis, phantaſiæve ſpeciem, cui, remotis omnibus ad iudicandum obſtaculis, vt diſtantia, vt motu, vt medio affecto, & quæ alia ſunt eiuſcemodi, contradici non poteſt. Vnde & quæſtione factâ, An res, qualis apparet, talis ſit, non eſt temerè pronunciandum, ſed obſeruandum illud eſt, quod dicere ſoleo Προσμενόμενον, *Exſpectabile*; quaſi ſcilicet expectandum ſit, quovſque modis omnibus, quibus fieri poteſt, res expenſa ſit, atque explorata.

Suffragatio autem à me dicitur comprehenſio per euidentiam facta, quod opinabile tale ſit, quale fuerimus priùs opinati. Veluti, Platone procul accedente, coniicio quidem, & opinor, quantum per interuallum licet, eſſe eum Platonem; at verò, cùm appropinquârit, & interuallum ſublatum eſt, tunc fit atteſtatio, quod Plato ſit, ſuffragatióque per ipſam rei euidentiam habetur.

Non-refragatio verò dicitur conſequutio rei inеuidentis, quam ſupponimus, & opinamur ad quidpiam apparens, ſiue euidens reſpicientes. Vti dum dico eſſe Inane, quod quidem eſt ineuidens, id per rem euidentem, vtputà per Motum ſuadetur. Quippe inani non exſiſtente, neque motus futurus eſt; cùm corpus mouendum loco deſtituatur, in quem ſe recipiat, quòd omnia plena, preſſáque ſint. Quò fit vt rei ineuidenti id, quod eſt apparens, ſeu euidens, non refragetur, videlicet motus cùm ſit.

Itaque Suffragatio, & Non-refragatio Criterium eſt, quo verum eſſe quidpiam probatur. Adhibendus autem eſt ad hunc Canonem

CANON IV.

Opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus euidentia.

Quo loco Refragatio eſt quidpiam oppoſitum Non-refragationi; ſiquidm rei euidentis vnà cum ineuidenti ſuppoſita, coëuerſio eſt. Quemadmodum, exempli gratiâ, dicunt aliqui non eſſe Inane; cum hoc autem ſuppoſito coëuerti debet, quod euidens eſt, motus nimirùm; quandoquidem, ſi Inane non ſit, neceſſe eſt motum quoque non eſſe, prout iam declaratum eſt.

Pari autem modo Non-ſuffragatio Suffragationi oppoſita eſt; videlicet Subuerſio eſt, quâ conſtat non eſſe opinabile, cuiuſmodi fuerat opinione conceptum. Vt, quopiam procul accedente, eum, pro interualli ratione Platonem eſſe coniicimus; ſublato autem interuallo, conſtat nobis per euidentiam, quòd Plato non ſit. Atque talis quidem eſt Non-ſuffragatio; nam opinioni præbabitæ res euidens non ſuffragatur. Itaque ſicut Suffragatio, & Non-refragatio Criterium eſt, quo aliquid verum probatur; ita Refragatio, & Non-ſuffragatio Criterium, quo quidpiam euincitur falſum; ipſáque interim Euidentia, baſis, ac fundamentum eſt, cui innititur omnis recta de vero, falſóque opinio.

Prætereo autem Euidentiam interdum vno ſenſu haberi, vt circa proprium ſenſibile; interdum etiam pluribus, vt cùm ſenſibile eſt commune, ſicut magnitudo, & figura; diſtantia, & ſitus; quies, & motus; aliáque id genus, quæ poſſunt viſu, tactûque percipi; ac niſi ſenſu vno, ſaltem alio manifeſta euadere; quo modo quoque interdum fit, vt propter varias qualitates aduocari poſſint ſenſus varij, vt quæ euidentia non habetur vno, obtineatur alio; veluti cùm viſu diſcerni non poteſt, panis-ne oblatus ſit verus, an fictus; aduocari poteſt guſtatus, quo vtrum ſit, fiat euidens.

Hoc verò inſinuo, vt admoneam, poſtquàm omnia ritè expenderimus, adhærendum eſſe iis rebus, quas coram poſitas habemus; ac vſi quidem ſenſibus, ſiue communibus circa ſenſibilia communia, ſiue propriis circa propria; quippè cùm ſtandum ſit vniuerſè

uerſè omni Euidentiæ, quæ in promptu eſt iuxta vnumquodque, ſed iſtud præſertim Criterium; ac omnino tenere iſtud, quaſi inconcuſſum principium oporteat; ne aut Criteria, quæ ſtabiliuntur per Euidentiam, euertantur; aut Error pari robore, quo Veritas conſtabilitus, omnia ſuſque, déque perturbet.

Nihil neceſſe eſt autem repetam, ſpeciatímve admoneam, quid ſit agendum circa allatum de turri procul terete, rotundâve viſâ exemplum: oportere enim ex deductis conſtat, priuſquàm aliquid pronuncietur, & exſpectare, & accedere cominùs, & explorare, addiſcereque, talis-ne turris cominùs, qualis & eminùs appareat.

Vnum generatim dumtaxat inculco; videlicet, niſi ſeruatâ, quo dictum eſt modo, veritate ſenſuum, id, quod eſt Opinabile, diſtinguas in id, quod Exſpectabile eſt, tempúſve (quaſi nondum debitè perſpectum) depoſcit, priuſquàm quale ſit pronuncietur, & in id, quod Præſens, poſitúmve coram, exploratúmque eſt; fore vt vanâ penitùs opinione teipſum conturbes. Sin autem id omne, quod heic appellatur Exſpectabile, cum opinabilia mente agitabuntur, firmiter habueris, vt tale, neque leuiter prætereris, quaſi conſtans, & admittendum id, quod, nullius Euidentiæ ſuffragium habens, falſum eſt; fore eo caſu, vt te geras pro eo, qui ab omni ambiguo cauet, attendíſque ſollicitè, quale omne iudicium ſit, quod de re opinabili aut rectè, aut perperàm fertur.

CAPVT II.

Canones de Prænotione, Anticipationéve Criteriorum altero.

VT iam de ipſa Prænotione, ſeu Anticipatione dicamus, videntur poſſe quoque de ipſa quatuor inſtitui Canones.

CANON I.

Omnis, quæ in mente eſt Anticipatio, ſeu Prænotio, dependet à ſenſibus; idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione.

INtelligo autem notionem, ſeu quaſi ideam, ac formam, quæ anticipata dicatur Prænotio, gigni in animo incurſione, ſeu mavis, incidentiâ, dum res directè, & per ſe incurrit, incidítve in ſenſum, veluti homo coràm ſpectatus. Proportione verò, dum notio, aut forma antè habita amplificatur, aut extenuatur, ſed partium tamen numero, ſitu, figurâque ſeruatis, cum congrua cuiuſque magnitudine, vt dum viſo iuſtæ magnitudinis homine deformamus animo ſpeciem, amplificando quidem Gigantis, extenuando verò Pygmæi. Similitudine, dum inſtar rei, quæ fuerit priùs ſenſu percepta, ſimilem aliam imaginamur; vt dum ciuitatem non viſam viſæ inſtar concipimus. Compoſitione denique, dum quas duarum, aut plurium rerum diſtinctas notiones habemus, in vnam quaſi compingimus, vt dum equi, & hominis notiones ita aduuamus, vt quæ Centauri ſit conſurgat; ſed nempe ratiocinio ad hoc non-nihil conferente.

CANON II.

Anticipatio eſt ipſa rei notio, & quaſi definitio, ſine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, imò & nominare non licet.

QVippe nomine Anticipationis, Prænotionísve, intelligo comprehenſionem animi, opinionémve quandam congruam, ſiue mavis intelligentiam menti defixam, exſiſtentémque quaſi memoriam, monumentúmve eius rei, quæ extrorsùm ſæpiùs apparuerit (quámve mens in ſe aliquo expolitorum modorum deformauerit) cuiuſmodi eſt v. c. idea, ſeu forma, atque ſpecies illa, ad quam reſpicientes, dicimus apud noſmetipſos, Tale quid eſt Homo. Quippe ſimul atque audimus pronuntiari hanc vocem, Homo, illicò hominis effigies intelligitur, iuxta deformatam in animo præuiis ſenſibus anticipationem.

Quamobrem, quæ res cuique voci primò, præcipuéque ſubiecta, animo apprehenditur, eſt quidpiam perſpicuum, atque euidens; neque enim, dum quid quærimus, aut de eo hæremus, quidpiámve opinamur, id faceremus, niſi illius Prænotionem iam haberemus. Veluti, quando quærimus, id, quod procul apparet, Equúſne, an Bos eſt? Quippe aliquando vidiſſe, anticipationéque nouiſſe Equi, & Bouis formam oportet. Sanè enim alioquin, ne nominaremus quidem aliquid, niſi priùs quandam illius effigiem Anticipatione notam teneremus.

Ex his autem fit, vt ſi requiratur, quid quæpiam res ſit; illam definiamus, ſiue deſcribamus, quatenus ſe habet, quam in animo habemus illius Anticipationem. Neque id modò, cùm quid, qualíſve res ſingularis ſit, rogamur, v. c. quid, aut qualis ſit Plato: ſed etiam, cùm quid, qualíſve ſit vniuerſalis, vt Homo, non iſte, aut ille, ſed generatim conſideratus. Nimirùm id fit, prout mens, viſis pluribus ſingularibus, variiſque diſcriminibus illorum quaſi ſepoſitis, Anticipationem eius, quod commune habent, effingit, ac in ſe defigit, quaſi vniuerſalem notionem, ad quam reſpiciendo, dicimus, Hominem, v. g. eſſe aliquid animatum, ac tali formâ præditum.

Digitized by Google

CANON III.

Eſt Anticipatio in omni Ratiocinatione principium; quaſi nempè id, ad quod attendentes inferimus vnum eſſe, idem, aut diuerſum; coniunctum, aut diſiunctum ab alio.

ETenim, dum quid ſiue enunciando, ſiue ratiocinando opinamur, id à quapiam re priùs euidente dependet; vtpote ad quam attendentes, cogitationémve noſtram referentes, inferimus id, de quo agitur, tale eſſe, aut non eſſe; hoc eſt, idem, aut aliud, cohærens, aut non cohærens cum illo: Sic enim, ſi probandum ſit, hoc, quod videmus, hominem eſſe; ad prænotionem de homine habitam ſic reſpicimus, vt nihil hærentes dicamus, Homo eſt quidpiam animatum, ac tali formâ prædirum; Hoc quod video & animatum, & tali formâ præditum eſt. Quare hoc, quod video, eſt homo; vel, Non eſt iſtud animatum, talîve formâ præditum; quare iſtud homo non eſt.

Non eſt verò neceſſe omnia exquiſitis, & cuiuſmodi à Dialecticis iactantur, confirmare rationibus, ſcrupuloſiſve ratiocinandi formis. Nam intereſt quidem inter argumentum, concluſionémque rationis, & inter mediocrem animaduerſionem, atque admonitionem: quòd alterâ occulta quædam, & quaſi inuoluta aperiantur, altera prompta, & aperta iudicentur. Verùm vbi Anticipationes quales oportet, exſtiterint, tùm citra vllum artificium, dialecticámque machinationem, & perſpicuè dignoſcitur, & ſponte naturæ infertur, quid ex iis vel ſequatur, vel non ſequatur; ſeu quid illis congruum, incongruúmve ſit; adeò proinde, vt nihil aliud quàm curandum ſit, vt claræ & diſtinctæ de rebus Anticipationes habeantur.

CANON IV.

Quod Ineuidens eſt, ex rei Euidentis anticipatione demonſtrari debet.

NEmpè hoc eſt, quod mox dicebam, debere perſpicuas, euidentéiſve eſſe Anticipationes rerum, ex quibus quidpiam inferimus, & de quibus opinando ſumptiones, ſeu propoſitiones quaſdam facimus, quæ ſint effata, ſiue principia, quibus demonſtrari illud, quod infertur, ſiue concluditur, cenſeatur. Eſt enim Demonſtratio, oratio, quæ per ſumptiones conceſſas colligendo, aperit non manifeſtam veritatem. Quo modo, vt dari Inane, quod immanifeſtum eſt, demonſtretur; ſuppoſitâ Inanis anticipatione, itémque anticipatione rei euidentis, cuiuſmodi eſt motus, ſumptiones iſtæ præmittuntur, Si motus eſt, inane eſt; Atqui motus eſt; túmque infertur. Ergo eſt & inane.

Hoc loco autem Motus accipitur quaſi Argumentum, ſeu Medium; aut, ſi mavis, Signum, quod propriè res eſſe ſenſibilis debeat. Senſus enim eſt, iuxta quem neceſſarium eſt facere vltimò ad id, quod occultum eſt, ratiocinando coniecturam. Tametſi tale Signum, ſeu Medium non ſemper neceſſariam cum eo, quod infertur, habet connexionem; ſed eſt interdum contingens ſolùm, ſeu probabile, & quod aliter ſe habere poſſit.

Huiuſmodi autem ſunt multa, ex quibus ratiocinamur de rebus præſertim ſublimibus, vtpote, quæ fieri non vno, verùm pluribus modis poſſint, vt iam antè inſinuatum eſt.

Poteſt quin-etiam huc ſpectare, quam dicere ἰσονομίαν, *Æquilibritatem*, *aquabilémve tributionem* ſoleo; iuxta quam infertur, poſito vno contrariorum in rerum natura, poni debere & alterum; vt cùm ita ratiocinor: Si mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem; &, Si quæ interimant, innumerabilia ſint, etiam ea, quæ conſeruent, infinita eſſe debere.

Quod ſupereſt, aduerſus illos, qui Demonſtrationem vllam dari negant, hoc vti ratiocinio licet. Aut intelligitis, quid ſit Demonſtratio, aut non intelligitis. Et ſi intelligitis quidem, habetiſque eius notionem; igitur Demonſtratio eſt. Si verò non intelligitis, quomodo id requiritis, quod ne animo quidem aſſequimini?

Cùm verò ipſi iidem ſint, qui fidem ſenſuum abrogent, ac nihil ſciri profiteantur; an non, cùm ſe quoque fateantur nihil ſcire, idipſum, an ſciri quidpiam poſſit, neſciunt? Non igitur aduerſus illos, quòd capite retrò inſiſtant veſtigia, eſſe videtur contendendum; ſed ſi dicant tamen, & ego concedam id ab illis ſciri, percontabor iure; cùm antè nihil verum in rebus ipſis viderint, vnde-nam quid rei ſit ſcire, quid viciſſim neſcire, ſciant?

CAPVT IV.

Canones de Affectione, Paſſionéve Criteriorum poſtremo.

DEnique & circa Affectionem, Paſſionémve, quam eſſe dixi Voluptatem, atque Moleſtiam, eſſe poſſunt Canones quatuor.

CANON I.

Ea Voluptas, quæ nullam habet annexam Moleſtiam, amplectenda eſt.

CANON II.

Ea Moleſtia, quæ nullam habet Voluptatem annexam, fugienda.

CANON

CANON III.

Ea Voluptas, quæ aut maiorem Voluptatem impedit, aut grauiorem, Moleſtiam parit, fugienda.

CANON IV.

Ea Moleſtia, quæ aut maiorem auertit Moleſtiam, aut vberiorem Voluptatem creat, amplectenda.

HÆc ediſſerenda in Ethicis fuſiùs. Interim autem totum hoc de Voluptate ſic præcipio, vt Voluptatem ipſam per ſe, quia Voluptas ſit, optandam, expetendámque putem; eadémque ratione Dolorem, ſeu Moleſtiam, ob idipſum quòd dolor ſit, ſemper eſſe fugiendum. Vnde & cenſeo eſſe Sapientem hac compenſatione vſurum, vt Voluptatem fugiat, ſi ea maiorem dolorem effectura ſit; & Dolorem ſuſcipiat, maiorem efficientem Voluptatem. Ipſe certè receſſurus à Voluptate ſum, Dolorem etiam appetiturus, ſi aut Voluptati imminebit Pœnitentia, aut Dolor minor pro grauiore ſumetur.

CAPVT V.

Canones circa vſum vocum.

NVnc, vt, quod poſteriore loco attingendum ſuſceperam, ſubiiciam pauca de Vocum vſu, & eo quidem maximè, qui in diſſerendo attenditur, videntur poſſe duo Canones circa illum ſufficere; alter pro illo, qui loquitur; alter pro illo, qui ipſum audit. Ij autem ſunto huiuſmodi.

CANON I.

Dum loqueris, delige voces communes, & perſpicuas; ne aut ignoretur, quid velis, aut interpretando tempus fruſtrà teras.

CANON II.

Dum audis, id enitere, vt vim ſubiectam vocibus teneas; ne te vel præ obſcuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.

SCilicet ante omnia res ſubiectas vocibus, ſeu quid voces ſignificent, tenere oportet, vt habeamus, quò reſpicientes, quæcumque ſiue opinamur, ſiue quærimus, ſiue ambigimus, diiudicare tutò poſſimus; ne ſi omnia nobis iniudicata prætereant, tùm illi, qui nobis demonſtrare aliquid volunt, in immenſum procedant; tùm nos nihil aliud, quàm verba, inaneſve voces habeamus. Neceſſe eſt enim reſpicere nos ad cuiuſque vocis notionem, ſignificationémve primariam, ac nulla ad eam rem percipiendam demonſtratione indigere; ſi habituri quidem ſumus, quò illud, de quo quæſtio, dubitatio, aut opinio eſt, referamus.

Exinde autem eſt, cur omnis in quærendo, quæ viâ quâdam, & ratione habetur oratio, præſcribere primùm debeat, vt quibuſdam formulis ea res agatur, vt inter quos diſſeritur, conueniat, quid ſit id, de quo diſſeritur. Adeò vt, ſi cui non conueniat, ſed lubeat magis canillari, ambiguóque ludere, diſſerendum cum eo non ſit, aut cogendus identidem ſit quid intelligat planum facere; nempè & ars eius hoc modo patefcet, & captiones eius ſeipſas diſſoluent; & non tam quempiam illaqueabit, quàm ſe ipſe Sophiſtam ridiculum prodet.

PARS PHILOSOPHIÆ II.

QVÆ EST

PHYSICA, ſiue DE NATVRA.

AGGREDI iam Phyſicam decet, quam & Phyſiologiam ſoleo dicere, quòd ſit ſermo quidam, & ratiocinatio circa rerum naturam, in qua contemplanda tota occupatur.

Dictum porrò iam antè eſt, eſſe eum nobis illius ſcopum, vt ex perſpectis rerum naturis, nihil in nobis perturbationis ſeu à rebus Sublimibus, ſeu à Morte, ſeu ab ignoratis Cupiditatum finibus, ſeu vndelibet ſuboriri poſſit. Cùm verò tam multa, ac tam varia ſint, quæ hæc contemplatio ambitu ſuo complectitur, eſſe perutile videtur, ſi quibus fortè implicitis profundiore aliquo ſtudio liberalium diſciplinarum, aut præ occupatione alia, non vacet omnia ſigillatim, exquiſitéque cognoſcere; ſaltem apparatum habere idoneum aliquod totius de natura ſcientiæ compendium, vt quandocumque animum ad argumenta rerum præcipua aduertere voluerint, poſſint ipſimet ſibi opem ferre, pro eo certè modulo, quo ipſam naturæ contemplationem attigerint.

Sanè verò iis etiam, qui in rerum omnium, de quibus tractat Phyſiologia, ſpeculatione ſunt pronectiores, perutile eſt compendioſâ quadam tractationis totius Ideâ ipſarum rerum per capita ſumma digeſtarum memoriam tueri; ſcilicet crebrò euenit, vt generali quadam rerum inſpectione indigeamus; diſquiſitione ſpeciali non item.

Quamobrem hæc via tenenda, ac deinceps id ſtudij in excolenda memoria adhibendum continuò eſt, vt & ipſa ad res attentio conſtans, facilíſque euadat, & ex rerum formis, ſeu notionibus generaliter comprehenſis animóque defixis, ac aliunde iuxta prima principia,

cipia, iuxtáque voces, quibus explicantur, expenſis, ſi quid fuerit ſpecialiter diſquirendum inueniri poſſit. Quippè vbi talis conſtantia, facilitáſque parata eſt, & animus eſt generali, eaque exquiſita informatione prædirus, efficitur, vt celeriter perſpicere, ſi quid libeat, liceat. Dico interim, etiam iuxta voces, quandoquidem fieri non poteſt, vt cohærens ſumma generalium capitum crebrò memoria repetatur, niſi quidvis ita contineat, vt vocibus paucis explicari poſſit; idque etiam vbi aliquid exploratum ſpeciatim fuerit.

Ex quo proinde efficitur, vt cùm iſthæc agendi ratio ſit maximè vtilis iis, qui ſunt Phyſiologiæ nati, deditíque, Author ſim illis eiuſmodi in Phyſiologia operæ (& maximè quidem, ſi genere vitæ tranquillo fruantur) vt ipſimet ſibi talem quampiam Epitomen, & quaſi per capita ſumma informationem conficiant. Sin ipſi non poſſint, aliunde ſaltem habeant, cuiuſmodi nos aliquoties, vt ſtudioſos adiutaremus, alacriter confecimus, ſperantes, ſi quæ ediſſeruimus, mente accuratè, quantum licet, teneantur, tametſi quis non excurrat ad omnia, quæ diſquiri poſſunt, argumenta ſpecialia, fore tamen, vt Phyſiologiæ copiam, præ reliquis hominibus incomparabilem conſequatur. Nam ex ſeipſo benè multa ex iis, quæ in Opere vniuerſaliore habentur, comprehendet; & illa quoque ipſa memoriæ committens, iuuabit ſe ipſe, & continuò proficiet.

Quippè hæc eiuſmodi ſunt, vt & qui non mediocriter particularia iam diſcuſſerunt, & qui ſe perfectè huiuſcemodi cogitationibus dediderunt, complureis de tota Natura diſſertationes inſtituere, ac perficere valeant. Et quicumque ex ipſis fuerint in his penitùs conſummati, illi tacitè ſecum cogitantes poſſint dicto citiùs, & tranquillè percurrere quicquid rerum eſt in Phyſiologia præcipuarum.

Sed ne in limine amplius hæream, cùm tam multa, vt dixi, ac tam varia ſint, quæ Phyſiologia continet, Operæ pretium videtur illa in Sectiones quaſdam præcipuas partiri, quas liceat deinceps ſigillatim proſequi, & quod ſpeciatim ad vnamquamque attinuerit, ad eam referre.

Videntur autem huiuſmodi Sectiones eſſe poſſe quatuor: Prima de Vniuerſo, ſeu Natura rerum, quæ nempè & hunc Mundum, & cætera omnia, quæ ſunt extra ipſum, complectitur. Secunda de Mundo, iſto putà, in quo nos ſumus, & ex quo capere coniecturam de aliis innumeris licet. Tertia de rebus Humilibus, hoc eſt, de humo, ſiue Terra, cui ipſi hæremus, déque rebus, quæ in ea ſunt. Quarta de rebus Sublimibus, ſeu quæ ſupra Terram, ſurſúmve ab ipſa viſuntur, ac fiunt.

SECTIO PRIMA.

De Vniuerſo, ſeu Natura rerum.

ITAQVE, vt à Tractatione de Vniuerſo exordiamur, conſtat ſanè id tale dici, quod vniuerſa contineat, hoc eſt, præter iſtum Mundum etiam alia; vnde Totum quoque, & Omne vocatur, cùm ipſi quoque & Summam rerum, & Naturam rerum dicere ſoleamus.

Videmur autem debere primùm generatim dicere ex quibus Vniuerſum conſtet; deinde ex quibus tam multa in Vniuerſo fiant; tùm à quibus fiant, poſteà quales fiant, denique tùm quomodo fiant, tùm quomodo etiam intereant.

CAPVT I.

Conſtare Vniuerſum ex Corpore, & Inani, ſeu Loco.

PRincipio ergo Vniuerſum ex Corpore, & Inani conſtat; neque enim tertia natura concipi mente prætereà poteſt.

Intelligitur autem Corpus ex congerie veluti quadam Magnitudinis, ſiue molis, itemque figuræ, reſiſtentiæ (ſeu ſoliditatis, ac impenetrabilitatis) & grauitatis; tale prætereà, vt ipſum ſolum tangi poſſit, & tangere.

Inane verò, ſeu Vacuum, quod opponitur corpori, ac ſolùm, ſeu propriè, & per ſe incorporeum eſt, ex horum negatione intelligitur, maximéque ex eo quòd naturæ intactilis ſit, expérſque omnis ſoliditatis, & nihil neque pati poſſit, neque agere; ſed motum dumtaxat quam-liberrimum tranſeuntibus per ſe corporibus præbere.

Scilicet hæc natura eſt, quæ deſtituta Corpore appellatur Inane; occupata à corpore, Locus; traiecta à corpore, Regio: ſpectata, vt diffuſa, Interuallum, ſeu Spatium.

Et quòd ſint quidem in Vniuerſo Corpora, atteſtatur ſenſus; ex quo aliunde ducere coniecturam neceſſum eſt, ad id, quod eſt immanifeſtum, vt ſuperiùs iam attigi. Certè non aliud ſunt hæc omnia, quæ adſpectamus, quæ tangimus, quæ verſamus, quæ ipſi ſumus, quàm corpora.

Eſſe verò etiam Inane, ex eo manifeſtum fit, quòd niſi in rerum natura eſſet, non haberent corpora neque vbi eſſent, neque quà motus ſuos obirent, cùm moueri ea quidem res euidens ſit.

Sanè, ſi plena forent omnia, & materia rerum veluti ſtipata; non poſſent non eſſe omnia immobilia; quia nec moueri quicquam poſſet, niſi omnia protruderet, neque locus porrò, in quem quicquam protruderetur, eſſet.

Digitized by Google

eſſet. Quod enim aliqui reſpondent poſſe, Piſceis ideò moueri, quòd relinquant locum poſt ſe, in quem pulſæ prorsùm, & cedentes locum vndæ recipiantur; non aduertunt primam, quæ prorsùm fit, impulſionem inchoari non poſſe; quia nondum locus vllus eſt, neque retrò, neque ad latus, in quem recipi aqua poſſit. Adeò proinde, vt ſit neceſſe intercipi rebus, ac fluidis præſertim, ſpatiola inania, in quæ pulſæ particulæ ita recipiantur, vt compreſſione facta locus fiat, verſus quem impellens corpus promoueatur, ac interim ponè locum deſerat, in quem compreſſum fluidum ſeſe explicet, ac veluti refluat.

Prætereo autem alia argumenta, vt quòd fulmen, aut vox per domorum ſepta penetrare non valeat; neque item ignis penetrare in ferrum, aurum, metalla cætera, in illis ſint ſpatiola inania intermiſta. Quòd rursùs, cùm ſit grauitas propria corporum, non poſſit ipſum rerum pondus maius, minuſve fieri, niſi prout minus, ampliuſve Inanis intermiſtum habent.

Cùm verò Inane incorporeum ſit, ita penetratur à corporibus ſiue inexſiſtentibus, ſiue prætervadentibus, vt inuariatum maneat, dimenſioneſque, quibus ipſis coæquetur, eaſdem tueatur. Vnde & aſſumpta Inanis recta, rècta quidem eſt; ſed non contorquetur nihilominus cum corpore, à quo occupatur; quoniam Inane neque ex toto, neque ex parte mobile eſt.

Quo fit, vt cùm notio ſit Loci capere locatum, coextendi ipſi, cum eo non moueri, neque ipſum deſerere, ne aut corpus moueatur, & non mutet locum, aut locum mutet, nec tamen moueatur; ideò ſoli Inani competat, vt Locus ſit: ſiue Loci naturam habeat; quandò ipſum ſolum & dimenſionibus ſuis incorporeis in longum, latum, ac profundum locato coëxtenditur, exquiſitéque ipſi adæquatur; & ita eſt immotum vt ſeu corpus accedat, ſeu abſcedat, ſeu hæreat, idem ac inuariatum conſtet.

Quod dixi porrò, non poſſe tertiam præterea naturam mente concipi, ideò eſt, quòd, ſeu concipi dicas comprehenſiuè (quo modo ea, quæ per ſe, directéque in notitiam cadunt, percipiuntur) ſeu comparatè ad ea, quæ comprehenſa fuerint (quo modo ea intelliguntur, quæ per proportionem ſolam innoteſcunt; vt circa Anticipationem dictum eſt) id quodcumque concipitur, aut aliquam molem, ſoliditatemque habeat, ſicque corpus ſit; aut omni prorsùs mole, ac ſoliditate careat, ſicque ſit Inane. Intellige hoc tamen, ſi modò concipiatur, vt quædam per ſe exiſtens, ſubſiſtens, cohærens natura; non vero quaſi quoddam illius Coniunctum, Euentumve, ſeu Accidens.

Nempe, cùm Coniunctum ſit Proprietas, qu[illegible]olli à re, cuius eſt, ſine eius pernicie non poteſt, vt Tactilitas à corpore, Intactilitas ab Inani; & concretiùs, Pondus à ſaxo, Calor ab igne, Liquor ab aqua, Euentum autem ſeu accidens, cuius aduentu, abituque natura manet incolumis, vt Libertas, & Seruitus, Paupertas, & Diuitiæ; Bellum, & Pax &c. idcircò hæc omnia, non tertiam quandam per ſe naturam, quæ nimiùm ſit à corporea, incorporeaque diuerſa, conſtituunt; ſed ſolummodo tanquam aliquid ad alterutram attinens, ſe habent.

Quod Epicurus hoc capite non aliam naturam incorpoream, quàm Inane admittens, peccauit; refutatur copioſè in Animaduerſionibus, tum circa Animam Rationalem Tom. I. *à Pag.* 290. *& circa Deum ter-Maximum*, Tom. II. *Pag.* 46.

CAPVT II.

Eſſe Vniuerſum infinitum, immobile, immutabile.

IAm Vniuerſum ex Inani, & corpore conſtans, Infinitum eſt. Id enim, quod finitùm eſt, extremum habet: Quod verò extremum habet, id ex alio quopiam cernitur, ſeu ex interuallo extrà aſſumpto cerni poteſt. At Vniuerſum ex alio quopiam extrinſecus non cernitur: quippe cùm nihil ſit interualli, ſeu ſpatij, quod intra ſeipſum non contineat, alioquin enim Vniuerſum, niſi vniuerſum ſpatium contineret, non foret: Quare neque habet extremum. Quod porrò non habet extremum, id neque finem habet: Quod verò finem non habet, id non finitum ſanè, ſed infinitum eſt.

Confirmatur autem, quia ſi extremum fingas, & ſupponas quempiam in eo conſtitui, qui valida vi telum extrorsùm vibret; aut telum procedet, aut non, ſed cogetur conſiſtere. Et ſi procedat quidem, eſt ergo extrà locus, quocirca & illeic non fuit extremum; ſin minus, ergo eſt aliquid exteriùs, quod motum exhibeat: ſicque illeic rursùs extremum non fuit.

Porrò iſthæc infinitudo vniuerſo competit & multitudine Corporum, & magnitudine Inanis; idque Infinitatibus ſeſe inuicem, alterniſque, ſeu ex ordine protendentibus. Nam ſi Inane quidem infinitum, & corpora finita forent, tum corpora, quæ in perpetuo ſunt motu (vt dicendum non multò pòſt) nuſquam conſiſterent, ſed per infinitum Inane diſperſa ferrentur; tanquam nihil habentia, à quo ſiſterentur, compeſcerenturque variis retuſionibus. Sin verò Inane finitum, corpora infinita forent; tum non pateret locus, in quo exſiſtere infinita corpora poſſent.

Hinc proinde ipſi Vniuerſo, infinitove ſpatio non ita attribuendum eſt Eſſe ſuprà, ac infrà, vt, ſi quidpiam eſſet in Vniuerſo ſupremum, quidpiam infimum; illud quidem, concipiendo ſpatium, quod eſt ſupra caput, non in infinitum protendi; hoc verò, cogitando illud, quod ſub pedibus; non in infinitum produci; perinde, ac ſi tam illud, quod ſuprà, quàm illud, quod infrà, ad aliquid

vnum , idemque determinaretur i vti ſit ad nos , aut ad medium huiuſce Mundi , alterâ partium eius extremarum cogitatâ ſupremâ , altera infimâ : In infinito ſcilicet ; quod æquè vt extremis , ita medio caret , mente aſſequi id non licet.

Quamobrem præſtabilius eſt , aſſumere vnam aliquam motionem , quæ ſursùm procedere in infinitum intelligatur ; & pari ratione aliam , quæ deorſum tametſi proinde illud mobile, quod à nobis , verſus loca vertici noſtro imminentia feruntur , millies occurrat ad eorum pedes, qui ſuprà ſint, quique id aduenire infernè opinentur (aliis ſcilicet cogitatis Mundis) aut quod à nobis verſus regionem pedibus ſubiectam ad verticem eorum , qui infrà , quique idcircò aduentare supernè credituri ſint : Nihilo enim minùs tota vtraque oppoſita motio intelligitur procedere in infinitum.

Hiſce eſt conſentaneum , vt Vniuerſum tale ſemper fuerit , quale & iam eſt ; & quale iam , tale ſemper futurum ſit. Quippe & nihil eſt , in quod , quaſi naturam Vniuerſi habere deſinat, mutetur ; & præter complectens omnia Vniuerſum , nihil eſt, quod in ipſum irrumpens ſit illi mutationis cauſa.

Iure ergo habetur Vniuerſum, vt immobile, prout extra illud nullus locus eſt,in quem emoueatur ; ſic & Immutabile , quatenus neque decrementum , neque incrementum accipit ; & ortu , interituque caret ; ac æternum proinde eſt , ſiue durationis principium finemque non habet.

Ac mouentur quidem , mutanturque intra ipſum multa , verùm , & qualeſcumque motus, mutationeſve accipiantur , nullius planè momenti ſunt , ſi ad ipſam Vniuerſi immenſitatem comparentur ; & non ideò totum ipſum Vniuerſum aut mouetur aliò , aut mutatur in aliud ; & non propterea non ſemper idem , quale ſemper fuerit , eſſe perſeuerat ; quoniam pares ſemper motiones , mutationeſque in eo fuerunt : adeò proinde , vt dicere liceat , Nihil in Vniuerſo nouum fieri , præter id , quod in temporis infinitate eſt iam factum.

Quod hoc loco de Vniuerſi infinitate dicitur , quaſi extra hunc Mundum aliud quidpiam ſit , ex eo refutatur , quod aduerſus Infinitos Mundos in Animaduerſionibus diſſeritur , Tom. I. *à Pag.* 127. *Quod verò de immutabilitate , ſeu æternitate eiuſdem , quaſi aliquid ſit tale præter Deum , ex eo , quod de Mundi exortu , illiuſque authore eſt dictum,* Tom. I. *à Pag.* 327. *& à Pag.* 368.

CAPVT III.

De Diuina in Vniuerſo Natura.

CÆterùm , prinſquàm dicatur de rebus , quæ in Vniuerſo generantur, & corrumpuntur, deque Principiis, ex quibus fiunt ; meritò præmittenda eſt, & quaſi habenda præter ordinem, quæ eſt de Natura Diuina tractatio, tum ob ſummam eius naturæ præſtantiam ; tum quòd tametſi ex genere corporeæ naturæ ſit , non tamen tam corpus, quàm quaſi corpus ſit; nihilque adeò commune habeat cum cæteris corporibus , hoc eſt , caducis , ſeu orientibus, atque intereuntibus rebus.

Cùm verò illud primùm requiri de Natura Diuina ſoleat,aliqua-ne in Vniuerſo ſit ? Videtur tamen res non debere prorſùs verti in controuerſiam ; quòd Deorum notionem in animis impreſſerit ipſa natura. Quæ eſt enim omninò gens,aut quodnam genus hominum,quod non habeat ſine doctrina anticipationem aliquam Deorum ?

Quamobrem, cùm non inſtituto aliquo, aut more , aut lege ſit opinio conſtituta , maneatque ad vnum omnium firma conſenſio ; intelligi neceſſe eſt, eſſe Deos ; quoniam inſitas eorum , vel potiùs innatas cognitiones habemus: De quo autem omnium natura conſentit , id verum eſſe neceſſe eſt.Eſſe igitur Deos confitendum eſt.

Ac videri quidem poſſunt homines,cùm cernerent cæli rationes, & varia annorum tempora verti, redireque certo ordine ; neque poſſent, quibus id cauſis efficeretur , cognoſcere; id ſibi perfugium habuiſſe, vt Diis omnia tribuerent,facerentque eorum nutu omnia flecti; ac ſimul in cœlo ipſos collocarent,quod reuolui in cælo Solem, Lunam,ac ſtellas conſpicerent: At quomodo iſta Diis attribuiſſent, niſi priùs eſſe Deos cognouiſſent ?

An ergo potiùs Deorum notitiam hauſerunt ex ſomniorum viſis ? Potuerunt certè magnis quibuſdam , & humanâ formâ incurrentibus per ſomnium Imaginibus, exiſtimare eſſe reuerâ aliquos huiuſmodi humanâ formâ præditos Deos. Potuerunt,inquam , dum non tam in ſomnis, quàm cùm inter vigilandum meminiſſent,apparuiſſe ſibi in ſomnis, præclaras illas Imagines , adeò grandeis, adeò tenueis, adeò cohærenteis,intelligere, nihil repugnare , imò oportere , vt exſtarent alicubi conſimiles ipſis naturæ, quæ & ſenſus,ſeu intelligentiæ capaces forent, propterea,quod membra mouere , voceſque mittere cernebant ; Et immortales eſſent propterea quòd illarum ſemper ſuppeditaretur facies, quòd forma maneret, quòd eâ granditate forent, vt non temerè vlla vi conuinci poſſe viderentur : Et beatæ præterea , quòd neque mortem metuerent, neque vllum ex iis, quæ efficerent , caperent laborem.

Potuère

Potuêre & ratiocinando, illâ *ἰσονομίᾳ*, ſeu *æquabili tributione*, vti, quâ, de Criteriis cùm ageremus, effici diximus, ſi mortalium tanta multitudo ſit, eſſe Immortalium non minorem; &, ſi quæ interimant innumerabilia ſint, etiam ea quæ conſeruent, infinita eſſe debere.

Vtcumqoe fuerit, illud certè ex anticipatione habemus, vt Deos beatos, & immortaleis putemus. Quæ enim oobis natura informatiunem Deorum ipſorum dedit, eadem ioſculpſit in meotibus, vt eos beatos, & æternos haberemus. Quod ſi ita eſt, verè expoſita eſt noſtra illa ſententia, Quod æternum beatumque ſit, id nec habere negotij quicquam, nec exhibere alteri. Itaque oeque gratiâ, neque irâ teocri; quòd quæ talia ſiot imbecilla ſint omnia.

Ac, ſi nihil quidem aliud quæreremus, quàm vt Deos piè coleremus, & vt ſuperſtitione libetaremur, ſatis eſſet dictum: Nam & præſtans Deorum natura hominum pietate coleretur, cùoi & æterna eſſet, & beatiſſima; habet enim veneratiooem iuſtam quicquid excellit; & metus omnis à vi, atque ira Deorùm pulſus eſſet; intelligitur enim à beata, immortalique natura, & iram, & gratiam ſegregari, quibus remotis, nullos, à ſuperis impendere metus: Sed ad haoc confirmandam opinionem, ioquirit animus & formam, & vitam, & actionem mentis, atque agitationem in Deo.

Ac de Forma quidem, partim natura oos admonet, partim ratiu docet. Nam à natura, habemus omoes omoium gentium, ſpeciem nullam aliam, niſi humanam Deorum. Quæ eoim alia ſorma occurrit vnquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed ne omnia reuocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipſa declarat. Nam, cùm præſtantiſſimam naturam, vel quia beata eſt, vel quia ſempiteroa, conueoire videatur eandem eſſe pulcerrimam; quæ compoſitio membrorum, quæ conformatio liocamentorum, quæ figura, quæ ſpecies humanâ poteſt eſſe pulcrior?

Quud ſi omnium animantium formam vincit hominum figura, Deus autem aoimans eſt; eâ figurâ profectò eſt, quæ pulcerrima ſit oiooium. Quoniamque Deos beatiſſimos eſſe conſtat; beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt; nec virtus ſioe ratiooe conſtare; nec ratio vſquàm ineſſe, oiſi in hominis figura: hominis eſſe ſpecie Deos confitendum eſt.

Ao verò, cùm Deos eſſe hominis, animantiſque ſpecie dico, tale ipſis propterea, quale vulgò eſt hominum, animantiumque corpus tribuo? Id ſanè abſit. Etenim, non eſt quidem Deus res, vt Plato voluit, merè incorporea, quooiam id quale eſſe poſſit iotelligi oun poteſt: Careat enim ſenſu oeceſſe eſt, careat prudentia, careat voluptate; quæ omnia voà cùm Deorum notione compreheodimus: at non ideo tameo craſſum corpus eſt, imò neque etiam quàm poteſt ſubtiliſſimum ex atomis coagmentari: ſed omoinò eſt corpus ſui generis, quod ſanè ooo ſenſu, ſed mente cernatur; nec ſoliditate quadam, oec ad numerùm; ſed imaginibus, ſimilitudine, & tranſitione perceptis, quódque comparatum ad ea, quæ vulgò occurrunt, appellanturque corpora, dici poſſit, eſſe non corpus, ſed quod iam dixi, Quaſi corpus, &, v. c. non ſanguinem, ſed Quaſi ſanguinem habere.

Obiter interim inſinuo, non eſſe qualecumque corpus coagmentatum ex atomis; quoniam ſempiternum alioquin non foret, & ex ipſo ortu cooſequeretur interitus, ex coocretione diſſipatio, ſicque ooo eſſet ſempiternum. Adeò proiode, vt quatoor quædam habenda æterna incorruptaque ſint; Nempe Vniuerſum, cui oullus locus, in quem dilabi valeat, ſubſit; Inane, quod nec tangi valeat, nec plagam vllam accipere; Materies rerum, quæ niſi imtoutata ſubſiſteret, ea quæ diſſoluuntur, io nihilum abirent; ac taodem Natura Diuina, quæ & inconcreta eſt, & ob tenuitatem attiogi, plagamque accipere non poteſt.

Quò fit, vt Phyſicorum quiſpiam maximo in errore verſetur, cùm eam dicit Deorum oaturam, quæ imagines fundat; mittatque ex ſe. Quippe hoc modo deripi ex illa aliquid ſic poſſet, vt admitteretur exſolubilis: Nonnulli verò perperam mentem ooſtram interpretentur, dum ex eo, quod plureis admittimus Mundos, ac dari proinde Intermundia, hoc eſt, ioterualla inter Mundos dicimus, aiunt Deos à nobis metu ruioarum collocari in Intermundiis. Siquidem, vt ipſum Inane, ſic Deorum natura loogè eſt tenuior, quàm vt aliquid metuat ruinarum à corporibus; à quibus ſi metueret, io nullo magis loco, quàm io Intermundiis, tum cùm futurum eſſet, vt Mundi diſſolueremtur, metuendum foret.

Ac deſignare quidem non licet, quibus in locis Dij degant; cùm oe noſter quidem hic Mundus digna illorum ſedes ſit: ſed dicere tameo vniuersè licèt, qualem Poëtæ Olympum deſcribunt, taleis eſſe, vbicumque ſiut, beatas Deorum, quietaſque ſedeis,

Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruinâ
Cana cadens violat, ſempérque innubilus æther
Integit, & largè diffuſo lumine ridet.

Heinc, cùm præterea requiritur, quænam vita Deorum ſit, quæque ab iis degatur ætas; reſpoodere licet, eam ſanè, quâ nihil beatius, nihil omoioo boois omnibus affluentius excogitari poſſit. Nihil enim agit Deus, nihil, nullis occupationibus eſt implicatus; oulla opera molitur, ſua ſapientia, & virtute gaudet; habet exploratum fore ſe ſemper cùm in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc Deum ritè beatum dixerimus; qui beatam vitam in animi ſecuritate, & in omnium vacatione munerum pooimus: non verò qualem alij deſcribunt, qui laborioſiſſimum inducentes, implicant ipſum operoſis, moleſtiſque negotiis.

Quod heic peccatur circa enunciatam Deorum multitudinem, in animaduerſionibus refutatur,

BBb 2 cùm

cùm de Vnitate Dei agitur, Tom. II. *à Pag.* 52. *Quod prætermiſſo perperam ex cæli rationibus argumento, illud per inſomnia figmentum ſubſtituitur; cùm de Dei exſiſtentia*, Tom II. *à Pag.* 40. *itemque alibi. Quod dicitur non eſſe Deum omninò expertem naturæ corporeæ; cùm de forma, quâ noſcitur Deus, vt iam dictum*, Tom. II. *à Pag.* 46. *Quod Deum nihil nec ſui, nec alieni curare; nec irâ, nec gratiâ teneri; nihil agere; non eſſe in Mundo, & ſimilia; cùm de Rectore Mundi*, Tom. I. *à Pag.* 376. *cùm de Anthore*, Tom. I. *à Pag.* 368. *cùm de partium vſu*, Tom. I. *à Pag.* 357. *cùm de prima ex ratis ſententiis*, Tom. II. *à Pag.* 271. *& alibi.*

CAPVT IV.

De Prima Materia, ſiue de Principiis concretarum in Vniuerſo rerum.

NVnc, vt ea, quæ ſuſcepimus heic ſubiicienda, reſumamus; Quia imprimis ſenſu manifeſtum eſt, in Rerum natura multa fieri, & multa quoqoc interire: ideò mente tenendum eſt, opos ad hoc eſſe materia, ex qua res gignantur, in quam reſoluantur. Nempe, ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil abit. Nam ſi aliquid ex nihilo fieret, poſſet quidlibet vndelibet naſci, tanquam ſeminibus non egens; &, ſi illud, quod interit, in nihilum occideret, perirent prorsùs omnia, tanquam non ſuperſtitibus iis, in qoæ diſſoluerentur.

Deinde, quia dum genitæ, factæve alicuius rei noſſe naturam affectamus, illud primùm requiritur, Sitne ea vnum quid, ſimplexque, an verò compoſitum ex aliquibus, quæ ipſa ſimplicia, prioráque ſint; conſtat nihil genitum, factúmve, vnum, ſimpléxque eſſe poſſe; quippe cùm parteis habeat, ex quibus coaluerit, & in quas rursùs diſſolui poſſit: quæque & priores proinde, ſimplicioreſque ſint; &, ſi ipſæ adhuc compoſitæ fuerint, conſtare cenſeantur ex iis, quæ ſint demum primæ, ſimpliciſſimæque.

Rursùs itaque notum eſt, corporum, alia eſſe Concretiones, ſeu mavis, concreta, compoſitáve corpora, alia ex quibus Concretiones, compoſitáve corpora fiunt. Hæc autem, ſi prima, ſimpliciáque ſint, prima rerum materia ſunt, dicunturque Principia, & à recentioribus etiam Elementa.

Huiuſmodi autem Principia, ſeu omnium prima, ſimplicia, incompoſita corpora (ſiue malis, corpuſcula) eſſe debent, & inſectilia, nulláve vi reſolubilia: & hac ratione immutabilia, ſiue in ſeipſis mutationis omnis expertia. Nimirùm, ſi futurum eſt, vt in Concretionum diſſolutionibus omnia in nihilum non intereant; ſed conſtat, perſeuerétque plena quædam, ſeu vacui expers, ſolidáque adeò natura; quippe, quæ talis cùm fuerit, non habeat quâ parte, aut quomodo fiſſuram admittat, ſicque diſſoluatur.

Quamobrem & neceſſe eſt, vt ea, quæ dicuntur Principia compoſitorum corporum, ſint naturæ vt plenæ, ſolidæ, immutabilis, ita omninò inſectilis; vnde & Atomos dicere ſolemus. Dicitur nempe Atomus nobis, non quod minima ſit, hoc eſt, quaſi punctum (magnitudinem enim habet) ſed quòd non poſſit diuidi, cùm ſit patiendi incapax, & inanis expers: adeò vt qui Atomum dicit, dicat id, quod & plagæ ſecurum eſt, & pati nihil poteſt; quodque inuiſibile quidem propter exiguitatem ſit; ſed indiuiſibile tamen, propter ſui ſoliditatem.

CAPVT V.

Dari in natura rerum Atomos, quæ ſint concretorum corporum principia.

CÆterùm dari Atomos allata ratio ſatis conuincit; quoniam cùm natura nihil ex nihilo faciat, redigatvc in nihilum, oportet quidpiam ſupereſſe in Concretionum diſſolutione, quod inexſolubile ſit. Sanè enim, ſi adhuc exſolubile, diuiſibiléve dicas, neceſſe erit, ſubdiuidendo, perueniatur tandem ad aliquid, quod ſit ſolidum, diuiſioniſque incapax; quippe cùm neque ipſa natura infinitè exſoluat, ſed in aliquo vltimo conſiſtat; neque dari vlla corporis in infinitum diuiſio poſſit.

In corpore certè finito non poſſunt partes infinitæ, neque magnitudinis, neque multitudinis accipi; neque adeò poteſt intelligi in ipſo peragi non modò illa in infinitum diuiſio; quæ in minus fit, ſeu quæ per parteis ſemper minores, ac eâdem quidem diuiſionis proportione ſemper ſeruatâ procedit; verùm illa quoque in infinitum progreſſio, quæ fit non per ſemper minores, ſed per æqualeis, ſeu aliquotas vocatas parteis procedendo. Siquidem, cùm partes, vt poſſint diuiſioni, progreſſionique in infinitum ſufficere, admitti infinitæ debeant; quomodo tandem eſſe infinitæ in finito corpore poſſunt?

Illi profectò, qui ſemel dixit, eſſe in quapiam re parteis numero infinitas, intelligere ampliùs, declararéque non licet, quâ ſit ratione finita ea, de quâ loqnitur, magnitudo; quoniam ſiue aliquantæ (æqualéſve inter ſe) ſiue inæquales (ſempérve minores) ſint partes, quæ reipsâ debent in ea reperiri, vt poſſit diuiſio, progreſſióve in illas infinitè fieri; manifeſtum eſt magnitudinem, cuius partes ſunt, quæque ex iis conſtat, & componitur, debere reipsâ eſſe infinitam.

Et cùm aliunde magnitudo finita manifeſtè habeat extremum, extremámve partem, captu, oſtenſúque facilem; niſi hæc quidem pars per ſe, & vt extrema ſpectari valeat; non licebit ſanè, tametſi eam ſubdiuidamus, intelligere vllam aliam, quæ extrema potiùs habenda ſit, cùm illa nimirùm diuidua pari ratione ſit futura. Quare & fiet, vt vlteriùs, conſequenterque

téрque verſus extremam in infinitum procedendo, peruenire nunquam, vel cogitando poſſit ad partem, quæ extrema ſit; neque adeò vnquam vt vel minimum ſpatium percurri progrediendo valeat.

Hiſce adde, quòd niſi ſupereſſent in exſolutionibus corpuſcula adeò ſolida, vt nullà vi exſolui poſſent, non poſſet ſatis capi diſcrimen, quod inter corpus, inanéque eſt, vtpote quod corporis, infinitè tenuando, nihil, quod denique reſiſteret, ſubeſſet. Quo pacto aliunde omnia imbecilla, ſeu mavis mollia efficerentur, neque omninò fieri dutum quicquam poſſet: quippe cùm ſoliditas ſola fundamentum ſit duritiei. Neque eſt, quòd idcircò hæreas, quaſi, cùm Atomi ſiant ſolidæ, fieri ex illis poſſe non videantur res molles. Siqnidem mulles poſſunt fieri ſolâ intermiſtione inanis, in quod partes preſſæ ſeſe recipiant, tactuique cedant.

Adde & tam multiplicem in natura conſtantiam, vt in prouehendis ſemper animalibus ad certas vſque virium, incrementi, ac vitæ metas, in imprimendis ſemper iiſdem ſingulorum generum diſcriminibus, & notis: quæ præſtitura ſanè non eſſet, niſi principiis vteretur certis, & conſtantibus; atque adeo diſſolutioni, mutationique non obnoxiis.

Quod ex nihilo nihil fieri, non modò naturaliter, ſed vt etiam diuinâ, potuit Epicurus intelligere, refutatum eſt Tom. I. *Pag. Animadu.* 91. & 372.

C A P V T VI.

De Atomorum proprietatibus, Magnitudinéque imprimis.

CVm omnes porrò Atomi videantur ob expoſitam ſoliditatem, vniuſmodi, eiuſdémve naturæ eſſe; habent tamen quædam Cooiuncta, ſiue proprietates, & qualitates quaſdam, quibus differre inter ſe poſſint. Huiuſmodi autem ſolummodò ſunt, Magnitudo, Figura, & Pondus; & ſi quæ prætereà cum ipſa figura cognationem habent neceſſariam, vti Aſperitas & Læuor. Nam color quidem, calor, frigus, & qualitates cæteræ non atomis congeneæ ſunt, ſed concretorum propriæ, ortæque ex ipſis Atomorum partim cooiunctis, partim euentis, de quibus poſteà dicendum eſt.

Attingo heic ſolùm, ſi Color, v. g. ipſis ineſſet Atomis, fore vt tam eſſet tranſmutabilis, quàm ipſæ; ſicque conſtantes ex Atomis res, quæ vno eſſent colore, non poſſent illum commutare, & apparere alio; ſecùs ac obſeruamus fieri. Mare etenim ſpumeſcendo albeſcit, coloris aliàs cærulei, qui profectò, ſi illi ineſſet propter cæruleas atomos, conuerti in album colorem non poſſet. Quod enim dicunt aliqui, fieri contraria ex contrariis, id adeò repugnat, vt candida potiùs de nullo, quàm de atro colore ſint exoritura. Meliùs cenſent qui rerum materiam vt varietatem ſubire colorum, qualitatúmque aliarum poſſit, debere eſſe earum expertem tuentur; eo modo, quo oleum deſtinatum odoribus eiuſmodi deligitur, quod ſit maximè inodorum.

Vt de ſingulis verò Atomorum proprietatibus quidpiam attingamus; dum illis attribuo imprimis Magnitudinem; non quantamlibet ſanè eam intelligo; neque enim Atomus vel maxima eſt tanta, quæ cadere in viſum poſſit; verùm, quæ licet ſit infra ſenſum, aliquantula tamen ſit (neque enim ſi Atomi puncta eſſent, careréntve omni magnitudine, poſſet ex ipſis vllum corpus magnitudinis cuiuſquam compingi) vnde & fit vt ſoleam dicere de Atomo quòd ſit paruum quid; videlicet, quaſi non omnem, ſed proceram ſolùm magnitudinem ab ea excludendo.

Neque verò obſtare debet, quòd Atomorum magnitudo non percipiatur ſenſibus: cùm fateamur neceſſe ſit, res, quæ viſum fugiant, innumeras eſſe. Licetne enim videre ventum, calorem, frigus, odorem, vocem, aut corpuſcula, quibus appellentibus hæc ſentiuntur? Licetne corpuſcula humoris, quibus veſtes in littore ſuſpenſæ vueſcunt, expanſæ ſereſcunt? Licetne ea, quæ deteruntur ex annulo diutiùs geſtato; ex vertente cardine; ex ſulcante vomere; ex lapide, quem gutta cauat, quem incedentium greſſus deminuit? Licetne ea, quibus planta aut animal increſcit pubeſcens, tabeſcit, ſeneſcens; aliáque id genus?

Non eſt interim reputandum eſſe Atomos omneis eiuſdem magnitudinis: Nam alias quidem in iis maiores, alias minores exſiſtere, rationi magis conſonum eſt; & hac re admiſsâ, plurium, quæ contingunt circa paſſiones animi, circáque ipſos ſenſus, reddi cauſa poteſt.

Poſſe autem etiam infra ſenſum, magnitudinum varietatem incomprehenſibilem dari, vel ex eo poteſt intelligi, quòd animalcula quædam ſint, quorum tertia pars, ſi diuiſa intelligantur, viſum fugiat; & nihilominùs ipſis compingendis neceſſaria ſit partium incomprehenſibilis multitudo. Quot enim, quæſo, exſtent oportet ad conficiendum inteſtinum; ad conformandum oculos; ad componendum artus; ad contexendum animam; ad conſtituendum parteis vniuersè omneis, ſine quibus intelligi animal, quod viuat, quod ſentiat, quod moueatur non poteſt?

An poſſit, quaſi rudi exemplo, varietas illa comprehendi ex ramentis illis puluereis, quæ Solares radij feneſtris traiecti demonſtrant? Cùm enim citra taleis radios, cæca omnia peræquè ſint, traiicientibus tamen radiis innumera corpuſculorum multitudo ita apparet, vt maiorum ſimul, minorumque diuerſitas maxima appareat. Ac non dico quidem, vt aliqui putant, huiuſmodi corpuſcula eſſe Atomos (quippe cùm in minimo eorum multæ conti-

neantur Atomorum myriades) vtor dumtaxat eorum ſimilitudine, vt cùm tota Atomorum quaſi natio viſui quantumlibet acuto imperuia, & quaſi cæca ſit, intelligamus illam radiis rationis ita illuſtrari, vt & Atomi mente peruideantur, & competere ipſis concipiamus magnitudinum varietatem.

Ex hoc autem fit, vt quemadmodum in magnitudine grandi, ac menſurabili, accipimus quidpiam, quod, vt ſit communis menſura, habeat rationem minimi, cuiuſmodi eſt pes, digitus aut granum: Et in magnitudine ſenſibili accipimus etiam aliquid, quod habeatur minimum ad ſenſum, vt animalculum dictum acari; ita in magnitudine intelligibili, qualis eſt atomi, accipere aliquid liceat, quod in illa habeatur quaſi minimum; qualis eſſe in atomo poteſt anguluſi apiculus.

Id tamen diſcriminis eſt inter minimum menſuræ, & minimum tam ſenſus, quàm mentis, quòd illud ſui repetitione intelligatur poſſe toti magnitudini coæquari; iſta verò intelliguntur ceu puncta quædam indiuidua, quæ aut termini ſint magnitudinum, aut quaſi quædam copulæ partibus ſic interiacentes; vt reſpectus quoſdam dumtaxat ad parteis heinc inde copulatas habeant, tametſi eiuſmodi ſint vt ab ipſis initium menſurationis fieri poſſit; quippe etiam in atomo dimenſiones quaſdam mente fieri nihil prohibet.

Quanquam cùm eſſe in atomo parteis dicimus, copulataſve intelligimus, non eſt res ita accipienda, quaſi illæ ſeiunctæ aliquando fuerint, & in vnionem poſteà coierint, ſed facimus, vt declaremus eſſe in atomo veram, & ex partibus conſtantem magnitudinem: tametſi aliunde id habeant à concretis rebus diſcrimen, quòd ipſæ earum partes poſſint deſignatione ſola, non item ſeparatione diſtingui; quippe cùm naturali, indiuiduo, perpetuôque nexu cohæreant.

CAPVT VII.

De Atomorum figura.

AD Figuram, quæ terminus magnitudinis eſt, quod ſpectat; neceſſe eſt imprimis eam eſſe in atomis multiplicem, ſiue atomos eſſe inter ſe diuerſimodè figuratas. Nimirùm id ex eo arguitur, quòd ex iis contexta naturalia omnia, homines, feræ, volucres, piſces, plantæ, &c. diuerſimodè figurentur; & non modò quidem ſpectatis ipſorum generibus, ſed ſingulis etiam eorumdem ſpeciebus, ſiue indiuiduis; neque enim duo vlla ſunt adeò ſimilia inter ſe, in quibus ſi attenderis, non diſcrimina aliqua, quibus inter ſe differant, agnoſcas.

Deinde, cùm ſint figurarum in atomis ſpecies numero incomprehenſibiles; ſunt enim rotundæ, ouatæ, lenticulares, planæ, gibbæ, oblongæ, turbinatæ, hamatæ, læues, aſperæ, hiſpidæ, tetrahedricæ, pentahedricæ, hexahedricæ, &c. tam regulares, quàm irregulares, abſque vlla determinatione intellectui poſſibili; non ſunt illæ tamen numero ſimpliciter infinitæ habendæ. Nam, non eſſent quidem rerum concretarum tot hæc, tantaque diſcrimina, ſi in atomis, ex quibus texuntur, eiuſmodi foret figurarum diuerſitas, quæ animo comprehendi poſſet; at non poſſunt tamen infinitæ ſimpliciter eſſe atomorum diuerſitates, niſi quis fortè in atomis concipiat magnitudinem, non quæ infra ſenſum conſiſtat, verùm quæ reipsâ infinita ſit. Siquidem in magnitudine, ſuperficiéve magnitudinis, quæ finita ſit, intelligi diuerſitates, quæ ſint infinitæ, non poſſunt.

Tertiò autem, tametſi ſpecies figurarum infinitæ non ſint; ſunt tamen in vnaquaque figuratione, figuræve ſpecie, atomi numero infinitæ ſimpliciter; hoc eſt, infinitæ ſunt orbiculares, infinitæ ouatæ, infinitæ pyramidales, &c. quoniam alioquin Vniuerſum multitudine atomorum infinitum minimè foret, vt declaratum iam antè eſt; niſi atomi quæ ſunt inter ſe figuratione ſimiles, numero infinitæ ſimpliciter forent.

Adnotatum verò, licet anguloſæ, hamatæque atomi ſint, non eſſe tamen cur quiſpiam illas deteri poſſe, aut frangi putet; quippe tam anguli, & hami, quàm media ipſa corpuſcula vniuſmodi naturæ ſunt, & pari vt ſoliditate, ſic neceſſitate tenentur; adeò vt nulla planè ſit vis, quæ ſtringere atomum, aut ſecundùm totam, aut ſecundùm parteis, etiam ad vſque apices, poſſit.

Dictum iam vbi fuerit reiecta Vniuerſi infinitudo, ſumpta vt ex Inanis magnitudine, ſic ex multitudine atomorum.

CAPVT VIII.

De Grauitate, ſeu Pondere, ac multiplici motu Atomorum.

DEnique ipſis Atomis Grauitatem, Pondúſve attribuo, quòd cùm in motu, conniſuve ad mouendum perpetuo ſint, neceſſe ſit ipſas moueri interno illo impetu, qui Grauitas dici, ſeu Pondus mereatur.

Diſtinguendus verò imprimis occurrit in ipſis Atomis motus duplex; vnus ipſinſmet grauitatis, ſiue ponderis, quo atomus nempe ſuopte nutu fertur: alius ex Ictu, ſeu reflexione, quo ſcilicet atomus vna in aliam impacta repercutitur. Et qui motus quidem Grauitatis, ſeu Ponderis eſt, primariò concipitur is, quo atomus ad lineam, ſiue ad perpendiculum fertur: tali motu videlicet mouentur omnia, quæ grauia ſunt. Verùm, quia ſi omnes Atomi ad lineam, deorſúmve, & quaſi è regione ferrentur, fieret, vt nunquam altera alteram poſſet attin

attingere; ea de cauſa neceſſe eſt declinare atomos perpaullùm, & quo nihil poſſit fieri minus; ita enim effici poterunt complexiones, & copulationes, & adhæſiones atomorum inter ſe; ex quo & effici poſſit Mundus, omneſque partes Mundi, quæque in eo ſint.

Cùm dico autem fore, vt alioquin Atomi ſe mutuò non attingerent, neque adeò coïrent, idcirco eſt, quòd nullum ſit in Vniuerſo, tanquam infinito exſiſtente, Medium, in quod tendant, vt coïre proinde poſſint; ſed concipi dumtaxat poſſit, iuxta ante-dicta, regio quædam ſurſum, ex qua, abſque vllo initio, Atomi omnes ſua grauitate, quaſi imbris guttæ, hoc eſt, motibus, quantum eſt ex ſe, parallelis adueniant; altera deorſum, in quam omnes abſque vllo termino iiſdemmet motibus ferantur.

Motus autem ex reflexione intelligi poteſt fieri, tam cùm Atomus magnis interuallis reſultat, quàm cùm ſpatiis breuibus pulſa, repulſave, quaſi concutitur, palpitatve. Ex quo etiam fit, vt dum contingit Atomos incurrere in complexionem, conuentumve plurium ſibi mutuò obſtantium, ſeſeve mutuò irretientium (quod maximè fit in concretionibus, vbi videntur quieſcere) tunc tamen adhuc ſint irrequietæ & quantum poſſunt, ac prout ſunt longiùs, propiuſve mutuò diſſitæ, agitationem, ſiue ſpeciem palpitationis obtineant, deflexæ nimirum, repreſſæve à cæteris, quæ talem complexum, cœtumve conſtituunt.

Cauſa verò huiuſce non modò longioris reſultantiæ, ſed preſſioris quoque agitationis, ſeu quaſi palpitationis inteſtinæ, & continuæ in ipſis concretionibus, eſt partim quidem natura Inanis, quod etiam intra corpora compactiſſima interceptum, Atomos ſingulas aut ex toto, aut ex parte à ſe mutuò dirimit, neque eas ſiſtendi, firmandique vim habet; partim verò ſoliditas ipſis Atomis competens, quæ ſcilicet præ colliſione, repercuſſioneque palpitationem efficit, quantum quidem ipſa complexio inſtaurati motum ex colliſione patitur.

Cùm Pondus verò, ſeu Grauitas ſit in Atomis quaſi ingenitus quidam vigor, ſiue energia, &, vt iam dixi, impetus, quo ſunt ad motum comparatæ; idcirco aſſumendum eſt moueri Atomos (& vtrovis quidem, hoc eſt, ſeu ponderis, ſeu reflexionis motu) continenter, ac per omne æuum. Scilicet principium, ex quo fieri iſta cœperint, nullum eſt; vtpote exſiſtentibus non atomis modò, ſed etiam Inani ad vtrumque motum inſeruiente, perpetuis.

Eſt autem etiam aſſumendum, atomorum motum, in quo nihil occurrit, quod retundendo ipſum deflectat, eius eſſe pernicitatis, vt quodlibet cogitabile ſpatium conficiat momento, hoc eſt, tempore inexcogitabiliter breui (videlicet debent etiam radiis Solis, qui purum per ſpatium non meant, mobilitate præcellere.) Dico autem, in quo nihil retundens occurrit; nam alioquin frequens retuſio ſpeciem tarditatis; immunitas à retuſione, ſpeciem celeritatis ſubit.

Neque verò propterea Atomus, quæ retuſiones patitur varias, ad hæc, illáque complura loca iis perueniт temporibus, quæ diſcernere mente liceat, quippe illa diſcernere in poteſtate mentis non eſt. Quin-etiam contingere poteſt, vt ſenſibili tempore accepto, eadem atomus, tametſi variis deflexa retuſionibus, ita feratur, vt vndecumque ex ſpatiorum immenſitate adueniat, non liceat nobis deſignate aliquem locum, ſeu terminum, quem non tempore illo ſuperârit. Quippe talis eſſe ea retuſio poteſt (hoc eſt tam parum frequens, parumque deflectens) vt ipſa quoque æmuletur quadamtenus celeritatem competentem motui, qui eſt retuſione immunis.

Aſſumendum poſtremò & hoc eſt, atomos eſſe æqui-veloceis, quandiù per Inane feruntur, neque quicquam eſt, quod earum impetum retundat. Neque enim graues velociùs ferentur, quàm leues reputatæ; cùm nihil vtrisvis, quod obſtet, occurrat: neque item paruæ, quàm magnæ; cùm ſit traiectio omnibus pro magnitudinis ratione æquè libera, donec nihil eſt, quod iis impingatur. Neque verò etiam celeritate differunt motiones, quæ aut ſurſùm, obliqueve propter colliſiones, aut deorſùm propter grauitatem ingenitam fiunt: Siquidem quandiù atomus neutram in partem cohibetur, tamdiù viam tenet, ac celeritate quidem cogitationi æquiparanda, quovſque aut extrinſecus pulſa, aut grauitate propria adacta, in refetientis impetum, reſiſtentiamve incurrat.

Quin-etiam, quod ad concretiones, compoſitave corpora ſpectat, cùm ſint atomi ſuapte natura æqui-veloces, non idcirco vna dicetur eſſe celerior alterâ; quaſi quæ atomi in concretionibus ſunt, & communi earum motu abripiuntur, ferantur aliquando in vnum locum ſenſibili quodam, ipſoque continuo, ſucceſſiuove tempore, vt dum talis motus eſt ſegnis; aliquando (ſiue in vnum, ſiue in plura, ac diuerſa loca) temporibus ferantur adeò breuibus, vt ſola ratione poſſint percipi; vt purà, dum motus rapidiſſimus eſt; Verùm dicendum ſolùm eſt, quomodocumque atomi ferantur cùm ipſis concretionibus, exagitari interim illas inteſtinis, creberrimis, ſiue potiùs innumeris, ſenſumque adeò fugientibus repercuſſionibus, donec ipſa motus corporis totius, in quo ſunt, continuitas, ſucceſſiove talis euadit, vt in ſenſum cadat.

Scilicet quod adopinamur de Motu Atomorum inconſpicuo, quaſi tempora ratione percepta poſſint illius continuitatem, ſucceſſionemve partium perniciſſimam aſſequi, nuſquam verum eſt; ſed id potiùs, quicquid mente contemplamur, dum in ipſam rei naturam attendimus, verum eſt habendum.

Dictum iam circa Vniuerſum, vbi æternitas Atomorum, Inaniſque reſecta ſit.

CAPVT

CAPVT IX.

Atomos, non item vulgaria Elementa, aut Homœomera, eſſe prima principia rerum.

HIſce circa Atomos præmiſſis diſſerendum iam videretur, quomodo ipſæ ſint Principia, Primæve rerum materies: ſed quia exſequi id non licet, quin ſimul de Generatione, & Corruptione diſſeratur; neque iſtud proſequi fas eſt, quin priùs de rerum Qualitatibus; & priùs adhuc de ipſis cauſis illas creantibus fuerit actum: ideò ſatis eſt hoc loco adnotare, Atomos ideò eſſe Principia, primamve rerum materiem, quòd ſint illud primum, ſimpliciſſimumque, ex quo contexuntur, quæ oriuntur omnia; illud vltimum, ac ſimpliciſſimum, in quod, quæ intereunt, omnia, reſoluuntur.

Primum autem, ac Vltimum dico: Nam præter alias moleis grandiores, ex quibus poteſt proximè magis, id, quod gignitur, coaleſcere; aut in quas reſolui, quod corrumpitur; ſunt moleculæ, ſiue mavis, concretiunculæ quædam perexiles, quæ factæ quibuſdam perfectioribus, indiſſolubilioribuſque coalitionibus, ſint quaſi rerum ſemina diù perdurantia: Adeò proinde, vt dicantur res etiam gigni ex ſeminibus, verumtamen non tanquam primis quòd ipſa ſint adhuc ex prioribus, putà ex Atomis: & dicantur pariter res diſſolui in hæc ſemina; at non tanquam in vltima; quoniam ipſa quoque exſolui vlteriùs in Atomos poſſint.

Addo autem quatuor vulgaria, quæ admittuntur Elementa, Ignem, Aërem, Aquam, Terram, dici quidem poſſe Principia, ſed non tamen prima: Materiam quoque, ſed non primam, quippe cùm Atomos priores, ex quibus & ipſa contexantur, habeant.

Et qui vnicum quidem Elementum pro principio ponunt, volunt ex ipſo, rarefactione, condenſationeque tria cætera fieri, & ex iis poſteà cætera: Sed, quo pacto, ſi vnum ſit, & niſi aliquid miſceatur, gigni aliquid poterit? Nam ex igne quidem v.c. rarefacto, condenſatoque, nihil aliud, quàm ignis languidior, validiorque creabitur.

Ac vt prætercam illos, qui id docent, Inane non admittere, ſine quo tamen neque rarefactio, neque condenſatio poteſt fieri, ij animaduertere non videntur, non poſſe dici ignem mutari exſtinctione in aliquid aliud; quoniam illud, quod ſimplex eſt, niſi in nihilum abeundo, mutari non poteſt; aut certè, ſi admittant aliquid commune manere; quod priùs Ignis, poſteà ſit aër, cùm illud quidem prima ſit, communiſque materies; primam ipſam materiem non eſſe ex ſe neque ignem, neque aërem, ſed ipſas potiùs Atomos, quæ certâ ratione conſtitutæ, Ignem; certâ, aërem conficere poſſint.

Qui autem plura, aut etiam omnia æquè primò admittunt, id incommodi prætereà patiuntur, quòd illa contraria ſtatuentes, aut ſe inuicem peremptura, aut nunquam coalitura inducant.

Ac fuit quidem Phyſicus, qui generari omnia cenſuerit ex corpuſculis quibuſdam tenuiſſimis, quæ & appellauit ὁμοιομερῆ, *Similaria*, ſeu quaſi *parteis ſimileis*, intellige genitis rebus; adeò vt illa, v.c. ex quibus res calidæ fiunt, calida ſint; ea ex quibus carneæ, carnea; ex quibus ſanguineæ, ſanguinea, atque ita de cæteris: Verùm, ſi principia eiuſdem naturæ cum ipſis rebus genitis ſint, poterunt ergo pari ratione, ac illæ, alterari, qualitateſve amittere; ſicque & mutari, &, quod naturæ ſimplicis ſint, in nihilum abire.

Vt taceam, ſi eſſe calida oportet, quò aliquid calidum fiat, quaſi niſi ex ſimilibus non gignantur ſimilia, debere ergo eſſe & ridentia, vt fieri ex ipſis ridens animal valeat; flentia, vt flens; aliáque id genus.

CAPVT X.

De Prima, & radicali Concretionum cauſa; hoc eſt, de Agente, ſiue Efficiente.

SEquitur iam de Cauſis dicamus; quandò ad aliquid faciendum neceſſaria eſt non modò Materia, ex qua, ſed etiam Cauſa, à qua fiat: Vnde & fit, vt dicere Cauſam, nihil ſit aliud, quàm dicere id, quod in rei productione Agens, ſiue Efficiens eſt.

Non eſt porrò eorum, quæ fiunt, alia cauſa prima, & radicalis requirenda, quàm ipſæ eædem atomi, quatenus ſunt eo prædite vigore, ob quem mouentur, aut in connisu ad mouendum continuo ſunt. Neque enim abſurdum eſt facere materiam actuoſam; abſurdum potiùs facere inertem; quoniam qui talem faciunt, & ex ipſa tamen fieri omnia volunt, dicere non poſſunt, vnde ea, quæ fiunt, ſuam efficiendi vim habeant, cùm habere aliunde, quàm ex ipſa materia non valeant.

Itaque, vt primæ moleculæ ex Atomis coalitæ habent in ſe energiam quandam, ſeu ſeſe mouendi, ac agendi vim, conſtantem nempe ex ſingularum atomorum vigoribus, ſed variè tamen modificatis, prout atomorum ſeſe inuicem irretientium aliæ huc, aliæ illuc feruntur: ita grandiores etiam moles contextæ ex minoribus, habent aliquam, eamque pro illarum varietate modificatam; ac vnumquodvis denique ex corporibus naturalibus ex ſuis conſtans molibus, moleculis, & atomis, ſpecialem habet energiam, ſeu ſeſe mouendi, ac agendi vim certa ratione modificatam. Ita ſcilicet motus, ſiuè actio à principiis vſque aſcendit, & exit.

Notandum

Notandum nihilominùs eſt, cùm Atomi omnes æque-velociter moueantur, intra ipſas tamen Concretiones, eas, quæ anguloſiores, hamatioreſque ſunt, intricari, ac præpediri, ſicque veluti inertiores, ſegnioreſque fieri, quàm læuigatiores,atque rotundiores: Quare & energiam, ſeu agendi vim, quæ eſt in concretis corporibus, ex iſtis potiſſimum eſſe. Et quia tales ſunt, ex quibus vt Ignis, atque anima, ita & generalius, qui appellantur Spiritus, conſtant: inde fit,vt quæ eſt præcipua in corporibus energia, ſit ex ipſis ſpiritibus, qui vt libertatem diſcurrendi, ſic dominium intra illa habent.

Cùm omnis verò effectio, aut actio, qua aliquid fit, aut ab interno ſit, aut ab extrinſeco principio; conſtat res quidem artificialeis,quarum materia iners eſt, & merè paſſiuè ſe habet, debere totam ſui effectionem ipſi effectori, agentive externo: at res naturaleis, tametſi mutuentur partem aliquam ſui, ſiue principium quoddam agendi ab authore extrinſeco; debere tamen ſui effectionem principiis intra ſe contentis, vt à quibus interiùs ſecundùm omneis ſui parteis digerantur, & conformentur.

Prætereo autem ipſam quoque Agentis externi actionem à propriis eſſe, interniſque principiis, quæ ipſam actionem eò ſemper vertant, atque dirigant, quò impetus plurium, aut validior tulerit. Quippe etiam in ipſis animalibus, vbi actio quæpiam voluntaria eſt, idcirco ipſa talis eſt, & illuc potiùs, quàm aliò fertur, quia & occurrit animo ſpecies illuc potiùs, quàm aliò vocans; & ipſe pro imperio, quo regit contentos in corpore ſpiritus, illos eò, non aliò ducit, & cum ipſis ea, quibus inſunt, membra.

Quod heic prima cauſa naturalis ſolùm, non & diuina agnoſcitur, intelligitur refutatum ex iis, quæ de Authore, & Rectore Mundi, Paginis, vt iam dictum fuit Tom.I. 368. & 376.*&c.*

CAPVT XI.

De Motu, qui idem cum Actione, Effectionéve eſt; ac de Fortuna, Fato, Fine, & Sympatheticis, Antipatheticiſque cauſis.

Nihil interim neceſſe eſt excuſem, quòd Cauſæ Actionem, ſiue effectionem cum Motu confundam; ſiquidem notum eſt vtramvi idem eſſe cum ipſo motu, ac addere ſolùm eam connotationem, quòd ad rem ſiue actam, ſiue effectam terminetur.

Motum autem, non alium ſanè, quàm qui ſit migratio de loco in locum, intelligo,quique plærumque dicitur & Latio, & Motus tranſitus, & Motus localis. Nempe his modis nominant ad diſcrimen illius Motus, quem & Mutationem,& Alterationem aliqui ſolent dicere; eum putà, quo res aliqua immutata manens ſecundùm internam naturam,murati, aut altera fieri ab iis creditur, ob alicuius qualitatis, vt caloris, aut frigoris acquiſitionem, vel amiſſionem.

Enimverò huiuſmodi ſiue Mutatio, ſiue Alteratio, non ſpecies eſt motus à motu locali, tranſitusve dicto diſtincta; Sed cùm motus localis, ſiue tranſitus ipſum genus ſit, hæc mutatio, ſeu alteratio aliud nihil eſt, quàm quædam eius ſpecies, ea videlicet, qua mobilia interuallis feruntur partim breuiſſimis, partim inconſpicuis. Siquidem, quod corpus concretum ſecundùm qualitatem mutatur, omnino mutatur locali, & tranſitiuo motu atomorum, corpuſculorumve qualitatem creantium;idque ſiue loco, ſituque in ipſo corpore tranſponantur, ſiue introrſum ſubeant, ſiue extrorſum migrent.

Exempli cauſâ, vt ex dulci fiat aliquid amarum, aut ex albo nigrum; oportet moleculas, ſeu corpuſcula, quæ ipſum conſtituunt tranſponi, & alium vice alterius, ordinem ſuſcipere: hoc autem non contigerit, niſi ipſæ moleculæ motione tranſitus moueantur. Et rurſus, vt ex duro fiat quid molle, & ex molli durum, oportet eas, ex quibus conſtat, particulas ſecundùm locum moueri: quippe illarum extenſione mollitur,& condenſatione dureſcit. Quo fit vt Motus mutationis aliud genere à tranſitus motu non ſit.

Sed vt ad Motum qui ſit Cauſæ, Efficientiſve proprius, redeam obſeruare licet quibuſcumque rebus nomen cauſæ tribuitur, idcirco tribui, quod exſerant motum. Nam Fortuna quidem, quæ aliquibus cauſa eſt, non alio modo admitti poteſt, quàm quia idem eſt cum per ſe mota,& agente cauſa, connotatque ſolum effectus connexi cum eo, qui ab ipſa intenditur, ignorationem. Aliàs profectò tantum abeſt,vt congruum ſit illam Deam facere, quod vulgus facit hominum (neque enim quicquam à Deo inordinatè peragitur) quin-etiam ne ſit quidem aliqua, etiam inſtabilis, reputanda cauſa.

Ipſum quoque Fatum eſſe aliud non poteſt ab ipſis mouentibus,& agentibus per ſe cauſis, quatenus nexæ inter ſe ſunt, & poſteriores à prioribus pendent. Quanquam hæc connexio, atque dependentia neceſſitatis eius non eſt, quam Phyſici quidam inducere ſolent. Quippe nulla eſt in natura huiuſmodi neceſſitas; cùm eam abrumpat motus ille declinationis atomorum,de quo paullò antè dictum eſt, quatenus nec tempore certo, nec regione loci certa intercurrit.

Finis quin-etiam dicitur cauſa; ſed videlicet, quia efficit quidpiam, & non efficit, niſi quia mouet. Mouet, inquam,miſſa in animam ſpecie, quæ trahat alliciatque, inuiſibilibus quidem, ſed phyſicis tamen quibuſdam quaſi hamulis, & catenulis, quibus plærumque cum animo pellicitur & ipſum corpus. Intelligitur certè nullam poſſe huiuſmodi attractionem

fieri, niſi per quaſdam reſilitiones, implexioneſque atomorum fiat.

Adeò proinde, vt etiam quæcumque dicuntur vel per ſympathiam, vel per antipathiam fieri, ea peragantur per phyſicas cauſas, hoc eſt, per quæpiam inuiſa quidem, ſed quæpiam tamen organula, quibus intercedentibus res aliquæ adinuicem tam attrahantur, aut repellantur, quàm attrahuntur, repelluntnrque illæ, quæ id ab organis grandibus, ſenſibilibuſque patiuntur.

Quippe, vt exemplo rem dicam, quî putemus fieri, vt Leo Galli conſpectum ferre non valeat, ſed illo viſo ſtatim aufugiat? Niſi quia ſunt in corpore Galli corpuſcula quædam, quæ cùm ſint ſpiculorum inſtar Leonis oculis immiſſa, ita eius pupillas interfodiunt, ita acrem dolorem præbent, vt contrà conſtare, ac durare, quantumlibet ferox, rapiduſque non poſſit. Nihil verò ſimile creant in oculis noſtris ea corpuſcula ob texturam diſſimilem, vt intelligetur ex iis, quæ ſunt de ſenſibus diſſerenda.

CAPVT XII.

De rerum Concretarum Qualitatibus generatim.

QVod iam ſpectat ad Qualitates, quibus res concretæ inſigniuntur, notum eſt comprehendi hocce nomine omnia tam Coniuncta, quàm euenta rerum; ſed coniuncta potiſſimùm, ſiue ea ſint propriè Coniuncta, hoc eſt, in corpore concreto, donec perſeuerat, conſtantia, & ab eo, niſi cum ipſius pernicie non ſeparabilia; ſiue impropriè, & laxius ſumpta, hoc eſt, quaſi media inter propriè dicta Coniuncta, & Euenta, quòd nempe inſint quidem vt illa, ſed horum tamen inſtar aduenniant, & abeant: adſint, & abſint corpori, citra illius corruptionem.

Solet autem ſtatim de ipſis requiri, iuxta id, quod antè inſinuatum eſt, Quî fiat, vt ſint in rebus Concretis, cùm non ſint tamen in atomis, ex quibus res Concretæ conſtant? Et quòd illæ quidem atomis non inſint, declaratum iam ea ratione eſt, quòd qualitas omnis inexſiſtens atomis, vt Magnitudo, Figura, ac Pondus, ſic ipſis naturalis ſit, vt non magis poſſit, quàm ipſa atomorum ſubſtantia mutari; idque, quia in ipſis Concretionum diſſolutionibus remanere neceſſe eſt quidpiam ſolidum, ac indiſſolutum, quod præſtet, vt omnes, quæ contingunt mutationes, neque in nihilum, neque ex nihilo fiant.

Itaque reſpondendum eſt, creari Qualitates in rebus concretis, tum ob factam tranſpoſitionem atomorum nunc paociorum, nunc plurium, quæ in vno ſitu qualitatem vnam, in alio aliam exhibeant; tum ob factam de nouo aliquarum acceſſionem, & præexſiſtentium aliquarum diſceſſionem; ex quo iterum qualitates varientur, ſeu aliæ, quàm prius appareant.

Etenim ſicut literæ variam ſui exhibent ſpeciem, non modò quæ variâ figurâ, ſiue formâ ſunt, vti A, & N; ſed etiam, quæ eadem, ſi in iis varietur aut Situs, aut Ordo; ſitus, vt in N, & Z; Ordo, vt in A N, & N A: Ita non modò atomi, quæ diuerſæ figuræ ſunt (adde & molis, atque motionis) ad afficiendum diuerſos ſenſus, exhibendumque in hoc colorem, in illo odorem, in alio ſaporem, in aliu aliud, ſunt comparatæ: ſed etiam, quæ eiuſdem ſunt, ſi inter ſe ſitum, ordinemve commutent, ita ſenſus afficiunt, vt quæ vnum colorem, v.c. nunc exhibebant, mox exhibeant alium; veluti iam innuimus circa aquam maris, quæ in ſtatu placido cærulea, in commoto alba apparet; reſque trita eſt de columbæ collo, quod prout ad lucem variè collocatur, inſignem colorum varietatem ſubit.

Et, ſicut non modò diuerſitas fit, dum literæ eædem, quæ vnam dictionem componunt, ita tranſponuntur, vt diuerſas formas exhibeant, ſed maximè etiam dum ipſis aut aliquæ adduntur, aut detrahuntur aliquæ: pari modo neceſſe eſt colores, odores, qualitates alias variari, dum non modò atomi eædem ſitum, ordinemque commutant, ſed etiam dum illis quædam accedunt, quædam decedunt, vt conſtare poteſt vel ex ipſa rerum mollefactione, induratione, crudifactione, maturatione, cæteriſque huiuſmodi.

Vt paucis dicam, quemadmodum magni circa literas, refert, cum quibus, & quali inter ſe ſitu, ac ordine ſint, quando tam exiguo literarum numero ſignificamus cœlum, terram, ſolem, mare, flumina, fruges, arbuſta, animanteis, cæteraque innumera; ſic permagni refert circa atomos cum quibus, & quo poſitu ſint; quibus interuallis, & connexibus; quos inter ſe motus dent, ac accipiant; quippe cùm hoc modo omnium ſicut rerum, ita qualitatum, quæ in illis ſunt, exhibere varietatem valeant.

Verùm, vt res paullò ſpecialiùs dicatur, Videntur imprimis Qualitates quædam ſuboriri ex atomis, quatenus ſpectantur ſecundùm ſubſtantiam, ac ſunt in eo inter ſe ſitu, vt Inane ampliùs, parciuſve interceptum, excluſumve habeant; Quædam verò ex iiſdem creari, quatenus ſunt ſuis illis tribus proprietatibus præditæ; & nonnullæ quidem iuxta ſingulas, nonnullæ iuxta congeriem plurium.

CAPVT XIII.

Qualitates ex atomis, ſpectatis ſecundùm ſubſtantiam, ac Inanis interceptionem.

AC primo quidem modo oriuntur Raritas, & Denſitas. Scilicet manifeſtum eſt neque

neque quidpiam Denſum fieri poſſe Rarum, niſi quatenus eius atomi (partéſve ex quibus contexitur, contextæ ipſæ ex atomis) ita à ſe inuicem diſtrahuntur, vt in vaſtiorem locum diffuſæ, plura, amplioráque in ipſo inania ſpatiola intercipiant: Neque item quidpiam rarum fieri denſum, niſi quatenus eius atomi, partéſve ita coarctantur, vt in locum redactæ anguſtiorem, inania in ipſa ſpatiola pauciora, contractiorave comprehendant. Taceo verò eſſe quoque manifeſtum, pro ratione intercepti copioſioris, paucioriſve inanis, aërem, v. c. aut lumen rarum eſſe intelligi; ſaxum autem, ferrum, & alia horum de genere, eſſe denſa.

Oriri & cum iſtis videntur Perſpicuitas, & Opacitas. Siquidem vnaquæque res tantò, cæteris paribus, eſt magis perſpicua, quantò rarior eſt; tantò opacior, quantò denſior: quoniam rarior eſt radiis lucidis, viſibilibuſque patentior; denſior verò obſtantior. Dico tamen cæteris paribus; quoniam alioquin corpus denſius, quemadmodum vitrum, habere meatulos inaneis ita in directum poſitos poteſt, vt radij faciliùs per ipſum, quàm per corpus rarius, vt braſſicæ folium, cuius meatuli à corpuſculis variè permiſtis ſint interciſi, traiiciantur. Nempe ipſi quoque radij perſcinduntur, niſi recta foramina, cuiuſmodi vitri ſunt, tranent.

Rursùs oriuntur Fluiditas, Liquiditaſve, & Firmitas. Siquidem non alia de cauſa videtur corpus fluididum eſſe, quàm quia Atomi, particulæve ex quibus conſtat, & ſpatia inania intercepta habent, & diſſociatæ mutuò ſic ſunt, vt ſint emobiles inter ſe, ob ſpatiolorum non reſiſtentiam. Neque etiam videtur quid firmum alia eſſe de cauſa, quàm oppoſitâ; atomis nempe, ſeu partibus ita ſe preſsè tangentibus, mutuóque cohærentibus, vt pari ratione emoueri non valeant; cùm & tales haberi poſſint, ex quibus magis hamatis, & quaſi ramoſis, ipſum corpus arctè compactum teneatur. Vt ſpeciatim aqua, liquida cùm ſit, firmetur in glaciem, dicetur inferiùs.

Ad-hæc, & quæ ex iſtis dependent, Humiditas, & Siccitas. Humiditas nempe fluoris eſt ſpecies, hoc ſuperaddens ſolummodò, quòd humidi partes corpus aliquod contingentes, aut in ipſum penetrantes, adhæreſcere ipſi valeant, vnde & humectum, madidúmve reddant. Siccitas verò firmitatis eſt ſpecies, id ſolùm addens, quod ſiccum corpus humiditatis expers ſit.

Præterea, quæ cum his cohærent Mollities, & Durities, quæ aliunde etiam cum raritate, & denſitate congruunt, provt cæteris paribus vnumquodque corpus tantò mollius eſt, quantò rarius; tantò durius, quantò compactius; quod quidem iam antè inſinuatum eſt, cùm de ſoliditate atomorum. Cæteris, inquam, paribus; quoniam lutum molle, pumex durus eſt, ob cohæſionem maiorem partium cauitates intercipientium, reſiſtentiúmque tactui, neque valentium cedere in caua alioquin poſtica.

Sunt & quæ rursùs ex his dependeant, vt Flexilitas, Tractilitas, Ductilitas, aliæque ex mollitie; oppoſitæque ex duritie; ſed indicaſſe abundè eſt.

CAPVT XIV.

Qualitates ex Atomis, ſpectatis ſecundùm proprietates ſingulatim ſumptas.

SEcundo autem modo, & quatenus quidem Atomorum proprietates ſingulatim attenduntur; ipſa imprimis cuiuſque rei Magnitudo, Quantitas, Moles, non aliunde eſt, quàm ex coaceruata magnitudine earum atomorum, ex quibus contexitur. Conſtatque adeò Augmentationem, Deminutionémque corporum ideò fieri, quòd atomi quocumque aduenium, donec ipſas res augmine, vndecumque abeunt, imminuant.

Præterea autem, quatenus atomi maiores, aut minores ſunt, fieri poſſe quas dicimus Hebetudinem, & Subtilitatem; ac reddi cauſam exinde poſſe, cur ignis fulmineus penetrantior ſit, quàm noſter è tædis; quorsùm lumen pertranſeat cornu, à quo imber reſpuitur: & conſimilia plurima.

Ipſa aliunde Figura rerum, niſi à figura atomorum pendeat (cùm pendere tamen videatur in omnibus rebus, quæ eâdem figurâ conſtanter naſcuntur) at generatim ſaltem verum eſt, vnumquodque corpus ideò figurari, quia conſtat ex partibus terminatis, figuratiſque; figura enim terminus eſt.

Sic verò, tametſi ex Læuore, & Aſperitate, quas dixi figuræ atomorum eſſe cognatas, non ſequatur neceſſariò fieri, vt res læues ex læuibus, aſperæ ex aſperis ſint; vniuersè tamen nihil poteſt eſſe læue intelligi, niſi cuius partes ad minimas vſque læuigatæ ſint; aſperum, niſi cuius ſint aſperatæ.

Heic nota poſſe tam ex figura, quàm ex magnitudine cauſam reddi, cur vinum per colum perfluat facilè, oliuum autem tardum cunctetur. Nempe, quòd poſſit oleum conſtare non ex maioribus modò, ſed etiam ex magis hamatis, pérque plicatis inter ſe atomis.

Pondus denique, ſeu Motrix facultas, quæ vnicuique rei ineſt, non poteſt aliunde oriri, quàm à pondere, ſeu mobilitate atomorum. Cùm id verò dictum iam ſit, adnotandum heic ſolùm eſt, vt omnes atomi ſunt graues, nullæ leues, ita omne concretum corpus eſſe graue, nullum leue, ſiue quod non ſit ex ſe comparatum, vt deorsùm tendat.

Ac obiicitur quidem ſtatim Ignis; verùm, cùm is non deſinat habere propenſionem deorsùm; ideò tamen contendit ſursùm, quòd ab aëre ambiente eò compellatur: eo modo, quo videre licet, quanta vi tigna, trabeiſque, res

res alioqnin graueis, humor aquæ reſpuat, & quò metſimus magis altum, eò quaſi cupidiùs reuomat, ac temittat.

Ex quo fit proinde, vt ea, quæ leuia dicimus, non abſolutè lcuia ſint, quaſi ſponte contendant ſursùm; ſed comparatè ſolummodò, hoc eſt, quatenns minùs grauia ſunt, & à grauioribus, quæ præ ipſis ſe dcorsùm premunt, extruduntur. Adeò vt, cùm terra grauiſſima ſit, aqua grauis minùs, aër adhuc minùs, & ignis omnium minimè; Terra quidem ſursùm, & procul à medio pellat aquam, aqua aërem, aër ignem; at ſi ſubductam ſupponas tettam, aqua ad medium acceſſura ſit; ſi aquam, aër; ſi aërem, ignis.

C A P V T XV.

Qualitates ex Atomis, ſpectatis ſecundùm proprietates coniunctim acceptas.

AT verò acceptis coniunctim proprietatibus Atomorum, & commiſtis præſertim, variatiſque iis, de quibus dictum hactenus, raritate videlicet, denſitate, & cæteris, oriuntur rerum facnltates, quæ actiuæ, & motiuæ cum ſint, id à pondere, ſeu mobilitate atomorum habent; & cùm hæ hoc modo, illæ illo agant, id habeant oportet, tum à ſpeciali Atomorum magnitudine, & figurâ; tum à vario inter ipſas ordine, atque poſitu; tum à laxitate, compreſſione, connexione, ſeiunctione, &c.

Huiuſcemodi autem ſunt non modò in ipſis animalibus facultates ſenſuum, Viſns, Auditus, Olfactus, Guſtatus, Tactus, quibus ſcilicet poſſunt res ſenſibileis percipere; verùm in ipſis quoque rebus ipſæmet vocatæ qualitates ſenſibiles, eæ nimirùm ſunt in rebus facultates feriendi, & afficiendi certo modo ſenſus, ad hoc, vt ab iis percipiantur; vtputà Color, & lux viſum, Sonus auditum, Odor olfactum, Sapor guſtatum; Calor & Frigus præ cæteris, tactum. Quò fit, vt dicturi de illis poſteriùs, omittere heic iſtas non debeamus, de quibus egiſſe vt operæ-pretinm, ita compendium futurum ſit.

Atque vt à Colore exordiamur, agi ſanè de eo non poteſt, quin copulanda ipſi Lux ſit; quoniam ſine luce colores ſunt nulli, colorúmque adeò varietas ab ipſa nocte tollitur; vnde & apud inferos nigra eſſe omnia dicuntur. Cùm ſint verò in tenebris res omnes æquè excolores; ſunt nihilominùs in ipſis, ipſarúmve ſuperficiebus diſpoſitiones extremarum particularum variæ, ob quas lux affuſa ita variè modificetur, vt cùm hac modificatione reflexa in oculum, varios in illis colores exhibeat; vtputà album, ex. gr. cùm pupilla quoddam genns plagæ, ictúsve excipit in ſe; nigrum, cùm aliud, &c.

Nempe, cùm colores non ſint cohærentes corporibus, ſed iuxta quoſdam, reſpectu viſus, ordines, poſituſque gignantur; non gignuntur tamen, niſi ad ſuperficialem illorum diſpoſitionem accedat lux, tanquam complementum, ſeu pars coloris aliqua; neque ſeclusâ hac parte video, quî dicere liceat, corpora, quæ in tenebris inconſpicua ſunt, colorem habere.

Et ſaoè, cùm non modò ipſum columbæ collum, cauda pauonis, & ſimilia, colores varios pro vario ad lucem poſitu exhibeant, verùm etiam cæteræ res coloribus aliis, aliiſque appareant, provt in aliis, aliiſque ſtatuuntnr lucis gradibns; quidni liceat intelligi ipſam eſſe vniuersè lucem, cuius aduentu res induant, abitu amittant colores?

Lux interim ipſa, cùm nihil aliod ſit, qnàm ſubſtantialis quædam effluxio à lucido corpore, viſibilis per ſe non eſt, ſed in ipſo ſolùm colore, quatenus illius eſt pars; neque enim per purum, liquidúmque medium conſpicitur, neque cùm ſeu in lucido, ſeu in illuſtrato corpore conſpici putatur, vt quid diſtinctum conſpicitur ab ipſo, ſiue lucidi, ſiue illuſtrati colore. Neque denique ipſa Vmbra illius priuatio, alio modo eſt, quàm quia ſimul priuatio eſt coloris in re vmbrefacta, quæ eâ ſemper proportione colorem, quâ & ipſam lucem amittit. Quî fiat porrò quamobrem Vmbra, tametſi mera priuatio ſit, moueri tamen appareat, in Canonica dictum eſt.

Sonus nihil aliud eſt, quàm effluxio tenuiſſimorum corpuſculorum, ab vſque loquente, reſonante, aut quomodocumque ſtrepitum edente, emiſſa, ac idonea, quæ in aurem ſubiens, auditum afficiat.

Et quod ſit quidem corporea effluxio, ex eo probatur, quòd ſenſum moueat, & ipſum quidem aut demulcendo, aut aſperando: vtique ob corpuſculorum læuorem, aut aſperitatem; quòd & per aërem moueatur, & corporibus ſolidis impactus, reſiliat, vnde & Echo fit; vtique ob ipſam corpuſculorum ſoliditatem. Quòd & imminuatur, & confuſus euadat: vtique ob corpuſculorum diductionem in longo progreſſu, aut diuaricationem in tranſitu per ſeptum denſius; cæteráque huiuſmodi.

Quòd ſi requiras quamobrem Sonus eò, quò lux, ſpeciésve coloris non poteſt, pertingat, vt cùm loquimur clauſis foribus: Cauſa eſt, quia lux, coloriſve imago non-niſi in directum poteſt tendere; at Sonus poteſt etiam per ductus obliqnos ſeſe inſinuare. Scilicet quòd dum excitatur, proſiliat in molecnlas, quæ ſnrsùm, deorsùm, prorsùm, retrorsùm, dextrorsùm, læuorsùm, & quolibet versùm flectantur; eo modo, quo ignis ſcintilla diſſultat interdum in ſcintillulas, quæ quoquoverſùm dirigantur.

De Odore idem dicendum; Effluxio enim quoque eſt, quæ ab odora re excedens & quoquoversùm diffunditur, & adiectus ad nareis, ipſum olfactus ſenſum mouet; atque ipſum quidem aut deliniendo, aut compungendo.

Digitized by Google

gendo. Eſt proinde & ipſe corporeus, & magis etiam, quàm ipſe ſonns: quippe cùm & ſegniùs per ſpatium incedat, & non tam procùl perueniat, & non per ea ſepta penetret, per quæ ipſe Sonus.

Circa Saporem, id diſcriminis eſt, qnod licet conſiſtat in corpuſculis re, quæ dicitur ſapida, contentis, ea tamen in diſſitam linguam, palatúmque non exeant, ſed tum ſolùm, cùm res ſapida linguæ admouetur, in illam ſic ſubeant, vt texturæ ipſius applicentur, aut leniter, ſicqne ſenſum ſuauem faciant; aut aſperiter, ſicque inſuauem creent.

Ad Calorem, & Frigus quod ſpectat, is quidem ſenſus, quem exprimunt, ad Tactum referendus eſt; ſed eùm ad tactum propriè pertineant ex ennmeratis qnalitatibus plures, veluti durities, mollities, humiditas, ſiccitas, aliæ, quæ rei tactilis ad manum, partémve aliam corporis, applicationem exigunt; hæ tamen duæ ſentiri poſſunt, non modò, eùm calida, frigidáve res manui, alterive parti applicatur; verùm etiam, eùm diſſita, & in ea quidem diſtantia eſt, vt in ipſam tranſmittere corpuſcula ex ſe quædam poſſit.

Nempe ipſe quidem potiſſimùm Calor effluxio eſt corpuſculorum, ſeu atomorum mavis, quæ ſint mole exiles, figurâ rotundæ, motu celeres. Etenim, quà exiles ſunt, nullum eſt corpus adeò compactum, vt non inueniant porulos, per quos in illud ſubingrediantnr: quà orbiculares, tum facilè mouentur, tum ſe quoquoverſum inſinuant; quà celeres, rum rapidè impinguntur, & in corpus ſubeunt, tum aliis, aliiſqne ſuccedentibus ſic vrgentur, vt per totum penetrent, &, ſi pergant agere parteis illius ſecernant, extnrbent, ac totnm denique diſſolnant. Tales qnippe ſnnt effectus caloris, & igneſcentis potiſſimùm (neque enim ignis aliud eſt, quàm calor intenſus) erga vniuerſa corpora; ac in animali ſolùm additur ipſe doloris ſenſus, qui ex diuulſione, ſolutionéve continni eſt.

Frigus autem, eſt qnidem etiam effluxio; verùm atomorum, quarum ſit moles grandior, figura anguloſior, motus ſegnior. Scilicet, eùm ſint contrarij effectus, debent principia eſſe contraria; ac einſmodi qoidem, vt cùm calor diſgreget, atqne diſſipet, frigus compellat, conſtipetque; ac in animali qnidem enm ſpeciali ſenſu id faciat, quatenus ſubiens in cutis poros, tum faciebns corpuſculorum caloris corpuſcula reprimit, introrſúmque abigit; tum angululis vellicat, diſcerpitque, quà præteruadit.

CAPVT XVI.

De iis Qualitatibus, quæ habentur rerum Euenta; ac præſertim de Tempore.

SVpereſt pauca attingamns de illis Qualitatibus, quæ non tam Coniuncta, quàm Euenta accidentiáve ſunt; ac idcirco rem non internè afficiunt, ſed externè ſolùm, ac intercedente quodam reſpectu taleis faciunt. Non quòd intra res quoque ipſas Euenta aliqua non ſint, cuiuſmodi ſunt poſitus, ordines, interualla partium, particularumve, & ſimilia: ſed qnod talia cùm ſint, Euenta ſint ipſarum partium, non conſtantis ex iis totius.

Sunt verò Enenta huiuſmodi illa vniuersè omnia, ex quibus conſurgit aliqua Relatio, propter quam vnaquæque res dicitur eſſe ad aliquid; vt ſimilis, diſſimilis; maior, minor, multa, pauca; ſuperior, inferior, dextra, ſiniſtra; cauſa, effectus; dans, accipiens, & quæ id genus innumera ſunt.

Norum eſt autem Relationem eſſe opus mentis, ſiue opinionis vnum referentis, comparantiſque ad aliud; adeò proindo, vt ſecluſa opinione, vnaquæque res ſit illud ſolùm, quod eſt in ſe, non verò quòd reſpectu alterins. Quo pacto ad Euenta retulimus quoque ſuperiùs Libertatem, & Sanitatem, Diuitias, & Paupertatem, &c. qnoniam ſecluſa opinione, homo nihil aliud eſt, quàm homo, non verò liber, aut ſeruus, diues, vel pauper, &c.

Porrò ex omnibus Euentis, vnum eſt, quod Euentum Euentorum, ſiue Accidens Accidentium licet dicere, Tempus nimirum, à quo res omnes ant præteritæ, aut præſentes, aut futuræ denominantur, itemque aut diuturnæ, aut parum durantes, aut momentaneæ; interdumque etiam veloces, aut tardæ.

Nam imprimis quidem Euentum eſſe Tempus, ex eo conſtat, quòd non ſit aliquid per ſe, ſed cogitatione dumtaxat, ſeu mente attribntum rebns, provt concipiuntur in eo, qno ſunt ſtatn perſeuerare, aot deſinere, & longiorem, aut breuiorem exſtantiam tueri; ac ipſam habere, habuiſſe, ant habituræ eſſe. Ex quo fit, vt Tempus non eo modo ſit diſquirendum, quo diſquirimus cætera, quæ in ſubiecto aliquo, cogitatione ſecluſa, inſunt. Neqne proinde, vt quid ſit, percipiatur, referendum hoc ſit ad anticipationes rerum nobis ob oculos verſantium; ſed ſit de ipſo ratiocinandum iuxta euidentiam, qua familiari ſermone vtentes, neqne nos ambagibus intricantes, longum, aut breue dicimus Tempus.

Deinde verò eſſe Enentum Euentorum, ſiue Accidens Accidentium dicimus, quia cùm rerum aliæ per ſe cohæreant; vt corpus, vt item Inane, ſeu ſpatium: aliæ antem cohærentibus eueniant, ſiue accidant, vt dies, noctes, horæ; vt irem Paſſiones, & vacuitates ab ipſis; vt motus, qnies, &c. Tempus iſta omnia Euenta, ſeu accidentia conſequitur, ipſiſque, mente interueniente, quaſi ſuperuenit, ſuperaccid itque.

Siquidem & dies, & nox accidentia ſunt aëris ambientis (& dies quidem accidit ex illuminatione Solis, Nox verò ex priuatione ſolaris illuminationis: hora antem, cùm ſeu diei, ſen noctis pars ſit, aëris rurſùs accidens eſt,

perinde ac dies, & nox) at Tempus coëxtenditur omni & diei, & nocti, & horæ: hancque ob cauſam aliqua & dies, & nox longa, vel breuis dicitur, dum ferimur cogitatione ad ſuperuenientes ea ratione tempus.

Pari ratione, Paſſiones quoque, & Indolentiæ, ſeu dolores, & voluptates nobis contingunt, ac ideo non ſubſtantiæ quæpiam, ſed eorum, qui iis afficiuntur (nimirùm cum delectationis, aut moleſtiæ ſenſu) accidentia ſunt. Porrò & iſta accidentia ſine tempore non eueniunt.

Prætereà verò & Motus, & Quies, vt iam declarauimus, corporum accidentia ſunt; neque illa ſine tempore. Quocirca motus celeritatem, tarditatemque tempore metimur; itemque quietem multam, aut exiguam. Et quia Tempus nemo per ſe, ſemotumve à rerum motu, quieteque percipit; ideò percipiendo res geſtas, vt bellum Troianum, & alia, quæ cum motu fiunt, & partim hominum gerentium, partim locorum, in quibus geruntur, accidentia ſunt, percipitur vnà ipſum earum Tempus, prout comparantur ad noſtram, & rerum inter ipſas, ac nos interceptarum exſiſtentiam.

CAPVT XVII.

De Ortu, & Interitu; ſeu Generatione, & Corruptione rerum Concretarum.

SVpereſt hiſce ſubiiciamus quomodo oriantur, & intereant res; ſeu quæ ſit illarum Generatio, atque Corruptio. Itaque eſt quidem tam illa, quàm hæc quæpiam Mutationis, ſiue Alterationis ſpecies; at cùm per alias mutationes non nouum corpus fiat, ac exſtet, ſed id dumtaxat, quod iam eſt, nouam qualitatem, nouamque ex ipſa denominationem acquirat; Generatio mutatio eſt, qua vnumquodque corpus primò producitur, eſſeve in rerum natura, ac denominari tale incipit: Corruptio verò eſt mutatio, qua vltimum diſſoluitur, ac eſſe in rerum natura, & denominari tale deſinit. Sic enim Ignis, Planta, Animal, & quicquid in certo corporum genere eſt, cùm in lucem primùm oritur, & denominari tale incipit, generari dicitur; cùm e luce abit, neque ampliùs tale denominari poteſt, corrumpi.

Cùm dico autem Corpus primò produci, ſiue eſſe incipere, non contendo ſanè non præfuiſſe quicquid ſubſtantiæ, ſeu corporis, corporeumve in ipſo eſt: Siquidem præfuere omnes atomi, & moleculæ, ſiue ſemina, ex quibus contexitur; vt cùm domus dicitur fieri, intelliguntur lapides, ligna, & alia, ex quibus conſtruitur, præexſtitiſſe, ſed contendo ſolùm eius atomos, ſeminaque ſic commiſceri, eáque ratione adunari, vt nouo ſint modo, ſiue nouâ formâ, qua nullatenus antè fuerant: ac idcirco corpus exinde reſultans ſit tunc primùm eiuſmodi, ac tale incipiat denominari.

Hinc, quia non tam noua ſubſtantia, quàm in ſubſtantia coadunata Qualitas noua oritur, efficitur, vt Generatio ſpecies aliqua mutationis, ſiue alterationis ſit; & Corruptio ſimiliter, ſed oppoſito ſeſe habens modo. Quamobrem & fit, vt Generatio, & Corruptio ſola principiorum concretione, & ſecretione fiat; non item verò tranſmutatione, quòd atomi ſint, vt iam dictum eſt, omnis mutationis, ac ideò tranſmutationis incapaces.

Et certè, cùm omnis Mutatio, ſicut iam diximus, & repetetur etiam mox, aut tranſpoſitione, aut adiectione, aut detractione partium fiat: conſequitur, vt atomi cùm ita compactæ, ſolidæque ſint, vt nullæ earum particulæ tranſponi, addi, detrahi poſſent, immutabiles ſint, atque incorruptæ; ac tales ſint etiam earum proprietates, cuiuſmodi ſunt quantillæcumque illæ magnitudines, & figurulæ propriæ. Nempe iſta quoque remanere cum atomorum ſubſtantia in ipſis concretorum diſſolutionibus eſt neceſſe. Quid-ni? cùm etiam in rebus, quæ apud nos ex arbitrio transformantur, vt cùm homo ex ſtante, aut recto fit ſedens contractuſve membris (adde &, ſi velis, denigratur, aut calefit) intelligatur ſemper inexſiſtens ipſis eadem magnitudo, eademque figura, ſiue ordo partium inter ipſas competere; qualitates verò non inexſiſtentes nec propriæ, veluti ſtatio, rectitudo, albor, frigus, &c. non perinde, ac illæ ſuperſtites maneant in ſubiecto, quod tranſmutatur, ſed ex ipſo corpore toto, aut ex parte, cui inerant, pereant.

Cùm principia ergo intranſmutabilia ſint, & in Generatione nihil aliud, quàm miſceantur, concernanturque; ſequitur, vt Miſtio fieri nulla poſſit, quæ ſit perfecta quædam per coalitionem confuſio, ſed quæ ſit ſolummodò quædam per appoſitionem cõpoſitio: atque ea quidem, ſeu moleculæ ex atomis conflatæ dumtaxat miſceantur, ſeu moleculis etiam reſolutis in atomos miſceantur ipſæ atomi; idque proinde, non ſine molecularum, corporumque ex iis conſtantium, vt vini, aquæ, mellis, ſimiliumque interitu; & corporis miſti, molecularumque ipſius exortu. Videlicet, non quaſi aqua, & vinum, v. g. ſed quaſi aquificæ, vt ſic loquar, & vinificæ atomi miſceantur.

Et ad Generationem quidem, quæ in Inani infinito fit, concipiendum eſt atomos ab inuicem ſeiunctas, & figurâ, magnitudine, poſitione, ac ordine differenteis inter ſe, ferri per Inane; ac vbi concurrunt, mutuò comprehenſas, addenſari, & conditionem rei variam, quatenus contigerit, fieri: Coëunt ſcilicet iuxta proportionem magnitudinum, figurarum, poſitionum, ordinum, & hac ratione accidit, vt ipſa generatio compoſitorum perficiatur.

At vbi Generatio vnius ex corruptione alterius fit, contingere id ſolet iuxta triplicem, quem,

Digitized by Google

quem, circa Alterationem attigimus, modum, nempe aut ſola partium, atomorumve Tranſpoſitione, vt cùm rana ex limo, vermis ex caſeo gignitur: aut accedentium Additione, vt cùm ſemine accedente ad grandiorem maſſam, tanquam coagulo in lac, aut fermento in paſtam, gignitur Planta, vel Animal: quo modo quoque fit augmentatio, qua res genita adaugeſcit: aut Abiectione præexſiſtentium; vt cùm ex ſecretione aquoſarum, cinerearum, aliarumque partium, quæ erant in ligno, generatur ignis; ex ſecretione mellis, quod in fauo, cera, atque ita de cæteris.

Inſeruit porrò heic illa quoque literarum ſimilitudo, vt duo quæpiam intelligamus; Vnum, ſpecialeis Generationis, ac pari ratione oppoſitæ Corruptionis) modos, qui poſſunt ſub quolibet trium expoſitorum accipi, euadere; niſi infinitos, ſaltem innumerabileis, ineffabileis, incomprehenſibileiſque; quippe, cùm vel ex ſolis viginti quatuor, quæ in alphabeto ſunt literis, ea poſſit dictionum, quæ ſit propemodum incomprehenſibilis, multitudo creari.

Alterum, vt non ex omni literarum commiſtione, accommodatæ pronunciationi, lectionique dictiones fiunt; ita in naturalibus rebus non omnia ex omnibus fieri, ſeu atomos omneis non eſſe idoneas, vt ad quamlibet rerum concretarum conſtituendam ſpeciem coaleſcant. Scilicet vnaquæque res eam exigit diſpoſitionem, vt atomi ipſam conſtituentes, eas, quæ ſibi ſint congruæ, adſciſcant, ac velut conſocient; aliquas prætereant, ac veluti reſpuant: ex quo rursùm fit, vt cùm res diſſoluitur, congruæ quæque ſe mutuò trahant, & ab incongruis expediant. Quod ſanè & ex nutritione, quæ aggeneratio eſt, patefit; & vel ex eo conſtat, quòd vulgò alioquin gignerentur portenta, vt ſemiferæ ſpecies hominum, Chimeræ, & Plantanimalia.

Quod ſupereſt, ille profectò ne primis quidem, vt dicitur, labris guſtauit Phyſiologiam, qui quidquam, quod ortum ſit, putet æternum eſſe poſſe. Quæ eſt enim coagmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cuius principium aliquod ſit, nullum ſit extremum? Nempe, vt deſint cauſæ externæ, quæ compaginem deſtruant; non deeſt tamen inteſtina motio, indomituſque ille atomorum conniſus intra compactiſſima etiam, & durabiliſſima corpora, ob quem neceſſe denique ſit, conſequi eorum exſolutionem.

Quanquam non immediatè ſemper in atomos ipſas exſolutio fit, ſed plærumque in moleculas, particisve ex ipſis compoſitas, quæ ſint ſpecies, quædam concretorum corporum; vt cùm fit ligni partim in ignem, partim in fumum, partim in quempiam humorem aqueum, partim in cineres exſolutio. Quocumque autem modo fiat, tenendum eſt ſemper, vt in generatione nulla ſubſtantia de nouo fit, ſed præexiſtens concernitur; ita in corruptione nullam eſſe deſinere, ſed in ſuperſtitem ſecerni.

Effatum illud, Nihil quod ortum ſit, eſſe aeternum, quatenus quidem extendi poteſt ad Rationalem animam, refutatum habetur in Animaduerſionibus, Tom.I. *Pag.* 300.

CAPVT XVIII.

De iis, ob quæ genitum corpus in certo rerum genere eſt, & diſcernitur à cæteris rebus.

POrrò, cùm vnumquodque corpus gignatur ex ſola materiæ, ſiue principiorum materialium, ſubſtantialiumque certo ordine, poſituque coaleſcentium aggerie; ideò quod concretum, genitumve eſt, intelligitur nihil eſſe aliud, quàm ipſamet principia, quatenus certa hac ratione, ſiuepoſiturâ coalita ſunt, ac proinde certa hac forma, ſeu qualitate exhibentur.

Eſt verò hæc Forma ſiue Qualitas, qua res genita & ſtatuitur in certo rerum genere; vt metalli, aut lapidis, plantæ, aut animalis; & diſtinguitur ab omnibus aliis eius, in quo eſt, generis ſpeciebus, ſiue indiuiduis: Eſt inquam, hæc forma, non vna, & ſimplex, ſed potiùs quædam quaſi aggeries, & collectio plurium, quæ in nulla alia reperiri, quàm in ipſa valeat.

Quare & hoc loco adnotandum eſt, rerum figuras, colores, magnitudinem, grauitatem, & qualitates vniuersè alias, quæ enunciari ſolent de concreto corpore, tanquam ipſius accidentia, idque ſiue omnia viſu deprehendantur, ſiue aliis etiam percipiantur ſenſibus; illa ſic cogitanda eſſe, non quaſi ſint quædam per ſe exſiſtentes naturæ, ſeu ſubſtantiæ (id ſiquidem mente aſſequi non licet, neque rursùs, quaſi planè non exſiſtant, ſeu prorſus nonentia, merumque nihil ſint; neque iterùm, quaſi talia ſint, cuiuſmodi alia, quæ ipſi accidunt incorporea; neque denique, quaſi ſint quæpiam ipſius corporis partes: Verùm ita habenda eſſe, quaſi, cùm ſint varij modi ſeſe habendi corporis, ipſum totum corpus ex illorum aggregatione obtineat propriam peculiarémque, ſeu ſpeciei ſuæ naturam.

Non ſanè, quod corpus exinde tale quid euadat, qualis euadit moles maior contexta ex minoribus, illiſque aut primis, minimiſque, aut grandiuſculis, & vniuersè contextis ex aliis minutioribus; ſed ſolùm, quemadmodum dixi quòd ex iis omnibus coniunctis, habitiſque pro differentia, propriam ſibi, & ab omni alio diſtinctam naturam poſſideat.

Ac illa quidem omnia ſpecialibus notionibus, conceptibuſque comprehenduntur; ſed ita tamen, vt interim corpus, quod ex ipſis, quaſi totum quid reſultat, ac minimè eſt diuiſum in ſe, ſed vt vnum quid intelligitur, denominationem obtineat talis corporis, quod in certo rerum genere habeatur.

Et poteſt quidem intelligi penè idem fieri, ex Euentorum quorumdam congerie, quæ in nullo

nullo alio reperiantur eadem; hoc eſt, poteſt quidem res, quibus illa congruunt, ex ipſorum notionibus diſcerni, ac denominari; ſed tum tamen ſolùm, cùm ea ſingula aduenire deprehenduntur, vtpote cùm non ſint ex illo accidentium genere, quæ vt inexſiſtentia ſunt, ſic ſunt neceſſariò, ſemperque coniuncta, ac idcircò faciunt perpetuam denominationem.

Quæri heic poſſet, an, ſi factâ per mortem noſtri exſolutione, contingeret ipſo temporis progreſſu, vt caſu quodam eadem omnia ex quibus conſtamus principia, iteratò, ac eodem modo, quo iam ſunt, coaduuarentur, iidem, qui iam, exſiſteremus, ac denominari poſſemus? Reſpondendum verò, id quidem indubium; ſed ita tamen vt nihil ad nos, priùs aliquando fuiſſe, attineret; quoniam in ipſa exſolutione periiſſet omnis habitus, omniſque memoria eorum, qui fuiſſemus: ſicque proinde foret omnis repetentia, reminiſcentiaque noſtra interrupta, vt ne poſſet quidem, quod olim exſtitiſſemus in mentem venire. Atque hæc quidem de Vniuerſo.

SECTIO SECVNDA.

De Mundo.

SEQVITVR de Mundo dicamus, qui eſt ipſius Vniuerſi, ſeu infinitatis rerum quædam portio, ac deſcribi poteſt non incongruè, Cæli complexio, Sidera, Terramque, & quicquid eſt rerum conſpicabilium continens.

Cùm Cæli complexionem dico, innuo Cælum eſſe partem Mundi extimam, quæ & æther dici, & Regio ignis valeat, ob Sidera, quæ continet quæque ſunt totidem quaſi accenſi ignes.

Terram autem cùm memoro, partem Mundi imam, ſeu quaſi mediam intelligo; cui & ineſt Aqua, & incumbit Aër Ignis regioni proximus; & cùm varia ſint, quæ ex his, & in his creari videmus; idcirco illa nomine rerum conſpicabilium comprehenduntur.

Quoniam verò & poteſt, & ſolet requiri de Mundo, Quâ formâ interiùs, quâ figurâ exteriùs ſit? Æternus-ne ſit, an initium habuerit? Aliône Authore, quàm ipsâ Naturâ, Fortunâve indiguerit? Qualis exortus & totius, & Partium eius fuerit? Aliquo-ne egeat Rectore, an vices per ſe obeat? An, quomodo, quando ſit interiturus? Vnicuſne ſit, an ſint præter ipſum alii innumerabiles? ideò paucis eſt de ſingulis dicendum.

CAPVT I.

De Forma, & Figura Mundi.

ET circa Primum quidem caput; non eſt ſanè Mundus internâ ſuâ formâ, conſtitutionéve animatus, ac multò minùs Deus, vt aliqui exiſtimant: ſed cùm quicquid vnum formâ aliquâ ſeu conſtitutione cenſetur, tale ſit, vel quòd eius partes vno habitu contineantur, veluti Planta, aut Animal: vel quod compingantur quidem inter ſe, verùm abſque craſi aliarum in alias, quemadmodum domus, aut nauigium, vel quod diſſitæ quidem mutuò ſint, ſed quandam tamen relationem ad ſe inuicem habeant, vt exercitus, & Reſpublica; Mundus eſt ſolùm partim ſecundo, partim tertio modo reputandus vnus.

Et ſecundo quidem modo haberi vnus poteſt; quatenus inter Solem, Lunam, cæteraſque parteis Mundi ſolidiores compactioreſque intercipitur ſiue aër, ſiue æther diffuſilis, quo veluti cohæſio fiat. Poteſt verò etiam tertio; quatenus rurſus Sol, Luna, Terra, aliáque corpora compacta, ſic diſſita inter ſe ſunt, vt non ſine quodam tamen ordine ſuperiorum, inferiorum; antecedentium, conſequentium; illuſtrantium, illuſtratorum, regiones, ſedeiſque obtineant.

Dicere autem eſſe Mundum primo præterea modo vnum, quî intelligi valeat? cùm ſi res ita ſe haberet, ac Mundus, vt volunt, foret Animans, nihil exiſtimandum inanime foret, non lapis, non etiam cadauer, non demum quidvis aliud; ſcilicet vno habitu, qui anima eſſet, per omnia diffuſo.

Nec verò, qui eſſe Mundum animantem, ſapientemque aſſerunt, ſatis attendunt, intelliguntque, in quam cadere naturam id poſſit. Siquidem quemadmodum arbor non naſcitur in æthere, non piſcis in aruo, non ſanguis in ligno, non humor in pumice; ita non poteſt animus, animáve naſci, aut eſſe indiſcriminatim in quolibet corpore; ſed cùm certum ſit, ac diſpoſitum, vbi quidvis creſcat, & inſit; quærenda omnino eſt eius natura non longè à neruis, & ſanguine; ac proinde nullatenus in putribus terrarum glebis, in aqua, in Sole, in æthere, &c.

Quod autem aliqui contendunt, eſſe non modò animo, & ſenſibus præditum Mundum, verùm eſſe quoque rotundum, ardentem, volubilem Deum: hæc iam ſunt portenta, & miracula, non ſanè diſſerentium, ſed ſomniantium Philoſophorum. Ecquis enim poſſit intelligere, qualis ſit iſte volubilis, & rotundus Deus? Quæ verò illi tribuitur vita? Nempe, vt ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem poſſit: In qua non video vbinam mens conſtans, & vita beata poſſit inſiſtere.

Eſto verò Mundus Deus: vt Sol, Luna, ac cætera partes Dei ſunt; ſic ipſa quoque profectò Terra, quoniam pars Mundi eſt, pars eſt etiam Dei. Atqui Terræ maximas regiones inhabitabileis, atque incultas videmus, quòd pars earum appulſu Solis exarſerit, pars obriguerit niue, pruináque, longo Solis abſceſſu. Quæ, ſi Mundus eſt Deus, quoniam partes Mundi

Mundi ſunt, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda ſunt.

Ad externam formam, Figurámve quod ſpectat; certum imprimis eſſe videtur, eſſe quoddam Mundi extremum; quoniam Mundus eſt aliquod quaſi reſegmentum Vniverſi infiniti; at verò quale iſtud ſit, ecquis valeat coniicere, niſi illeinc aduenerit?

Nam, cùm illud quidem eſſe videatur cælum; nihil eſt rerum apparentium, quod repugnet, quò minùs ſit rarum; nihil quominùs denſum ſit. Rarum quòd poſſint ſidera, quæ in ipſo ſunt, mouerique apparent, motus ſuos per ipſum obire. Denſum, quòd poſſit ipſummet ſidera ſibi infixa ciere.

Rursùs, nihil proinde repugnat, quò minùs aut quieſcens ſit, ſidera quidem per ipſum moueantur; aut circumactum, ſi ſidera ab ipſo rapta circumducantur.

Ad hæc, nihil quoque repugnat, quò minùs rotundum, ouatum, aut lenticulare ſit; ac præſertim quidem, ſi ipſum moueatur; nihil rursùs, quò minùs ſit triangulare, pyramidaléve, quadratum, hexahedricúmve, aut figurâ aliâ facierum planarum; ac potiſſimùm, ſi immotum ſit.

Qui certè quibuſdam ducti argumentis, vnam quampiam determinatam figuram Mundo ſic aſſerunt, quaſi habere aliam non poſſit; eſt quorsùm miremur eorum tarditatem. Nam tuentur quidem plerique eſſe Mundum, vt immortalem ac beatum, ita & rotundom, quòd eâ formâ vllam eſſe neget pulcriorem Plato; at mihi quidem vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur eſſe (propter varietatem ſcilicet) formoſior.

CAPVT II.

De Nouitate Mundi.

QVod ad ſecundum attinet caput, non eſt ſanè æternus Mundus; ſed eſſe aliquando cœpit.

Nam primùm quidem, cùm eadem ſit natura totius, quæ partium; & obſeruemus parteis Mundi eſſe vt interitui, ita ortui obnoxias; idcireò oportet totum quoque Mundum eſſe interitui, ortuique obnoxium. Parteis porrò ipſius Mundi exoriri, ac interire; ſeu natiuas eſſe, ac mortaleis, tum ſenſu ipſo demonſtratur, tum inſeriùs quoque deducendum eſt.

Neque dicat quis mutationes, quæ in partibus Mundi fiunt, non præcipuarum eſſe partium, vt Solis, Lunæ, Terræ, aliarum; ſed minorum ſolummodò, quæ ſunt dumtaxat particulæ, ex quibus illæ præcipuæ conſtant. Quippe is coniicere debet, ſi præcipuæ partes ex partibus conſtant mutationi obnoxiis, eſſe & ipſas totas mutationi obnoxias; ac niſi crebrò occurrant cauſæ adeò validæ, vt illas immutent, nihil obſtare nihilominùs, quin tales aliquando occurrant; vti & inter ipſas minores quædam diù perſtant incolumes, quæ temporis tamen progreſſu mutationis cauſas inueniunt.

Deinde, cùm rerum hiſtoriæ omnium antiquiſſimæ, bello Thebano, Troianóque ſuperiores haudquaquam ſint; quorsùm id quæſo, niſi quia Mundus admodùm vetuſtus non eſt, tantùm abeſt, vt ſit æternus? Nam ſi æternus quidem, cur non Poëtæ quoque alij, alias, aliaſque res cecinerunt? Quónam tot virorum illuſtrium toties cecidêre tot geſta? cur nuſquam florent inſita æternæ famæ monumenta?

Pari ratione, cùm omneis arteis recens adinuentas habeamus, quando inuentores omnium non neſciuntur (nam & quod in dies multæ excolantur, incrementumque accipiant, nimiſquam manifeſtum eſt) quorſum id quoque, niſi quia Mundus non poteſt valdè pridem cœpiſſe? Neque enim potuiſſet Mundus tandiù carere artibus, quæ tantæ ad vitam ſunt vtilitatis.

Quòd ſi fortè credis paria monumenta, pareiſque arteis antehac fuiſſe, quæ magnis quibuſdam incendiis, diluuiis, terræ-motibus, vnà cum ipſis vrbibus, gentibuſque euerſis perierint: an-non fatearis neceſſe eſt, futurum quoque aliquando terrarum, cælique exitium; vti & contigiſſet (ſi illis caſibus grauior aliqua cauſa incubuiſſet? Quippe & nos ipſi non alia de cauſâ mortaleis reputamus nos, quàm quia deprehendimus nos iiſdem morbis ægreſcere, ac illos, quos vidimus mori.

Habuit ergo Mundus initium; neque, vt conſtare ex his poteſt, vetuſtatis eſt valde magnæ. Quandocumque autem cœperit, videtur omnino à Verna anni tempeſtate cœpiſſe. Nempe, cùm tunc omnia primùm germinarint, floruerint, fœtus conceperint; & ipſa Mundi nouitas temperiem caloris, frigoriſque exegerit (ſcilicet fouendis nouis fœtibus) priuſquàm deinceps in alterum extremorum deflecteretur.

CAPVT III.

De cauſa Mundi.

AD ſuccedens caput quod ſpectat, eximendum imprimis eſt à ſollicitudine, ac labore Mundi exſtruendi diuinum Numen: Neque enim eſſe poteſt à cauſâ beata ſimùl, ac immortali, quæ ipſum fabrefecerit.

Quibus-nam certè oculis intueri Plato potuit fabricam illam operis tanti; quâ conſtrui à Deo, atque ædificari Mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes, quæ machinæ? qui miniſtri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Vnde verò ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur, aptè cadentes ad animum efficiendum, pariendoſque ſenſus?

ſus? Longum eſt iterare omnia, quæ talia ſunt, vt optata magis, quàm inuenta videantur.

Sed & is, quem perhibet, Deus, aut non fuit priore illo æuo, quo corpora ſiue immota erant, ſiue nullo ordine ciebantur; aut tum dormiuit; vel vigilauit, neutrúmve iſtorum. Primum admitti non poteſt, ſiquidem Deus æternus eſt. Neque ſecundum: Quippe, ſi ab æterno dormiuit, mortuus ergo fuit; quoniam æternus ſomnus mors eſt. Sed ne capax quidem ſomni Deus eſt; magno enim interuallo diuiſa ſunt immortalitas Dei, & res vicina morti. Quòd ſi vigilauit; aut aliquid ipſi ad felicitatem defuit, aut perfectè beatus fuit. At priùs non fineret eum eſſe felicem; non eſt enim felix, cui aliquid ad felicitatem deeſt. Poſterius verò abſurdum eſt, quoniam cui nihil deeſt, inanis illi rerum molitio.

Quid ergo erat, vt hoc inculcem, quòd concupiſceret Deus Mundum ſignis, & luminibus, tanquam ædilis ornare? Si vt Deus meliùs habitaret; anteà videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio habitauerat? Poſt autem, varietaténe cum delectari putamus, quâ cælum, & terras exornatas videmus? Quæ iſta poteſt eſſe oblectatio Deo, quæ ſi eſſet, non eâ tandiù carere potuiſſet?

An dicet quis hominum causâ fuiſſe hæc à Deo conſtituta? Verumtamen Sapientúmne? Propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio? An ſtultorum? At primùm, cauſa non fuit, quòd de improbis bene mereretur. Deinde, quid eſt aſſequutus, cùm omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi, maximè quòd ſtulti ſunt? Miſerius enim ſtultitiâ quid poſſumus dicere? Deinde, quòd tam multa ſunt incommoda in vita, vt ea ſapientes commodorum compenſatione leniant, ſtulti nec vitare venientia poſſint, nec ferre præſentia.

An & Mundum fecit, & in Mundo homines, vt ab hominibus coleretur? At quid Deo cultus hominum conferi, beato, & nullâ re indigenti? Vel, ſi tantum honoris homini habuit, vt ipſius cauſa Mundum fabricaret, vt inſtrueret cum ſapientiâ, vt Dominom viuentium faceret, eúmque diligeret, tanquam filium; cur mortalem, fragilémque conſtituit? cur omnibus malis, quem diligebat, obiecit? Cùm oporteret & beatum eſſe hominem, tanquam coniunctum & proximum Deo; & perpetuum, ſicut eſt ipſe, ad quem colendum, & contemplandum figuratus eſt.

Hiſce ergo de cauſis dicendum eſt potiùs effectum eſſe Mundum Naturâ, ſeu mavis, ac vt aliquis Phyſicorum dixit, Fortunâ.

Naturâ, inquam, quatenus ea natura eſt Atomorum per illam Vniuerſi, ſeu naturæ rerum immenſitatem diſcurrentium, vt ſibi inuicem magnâ quadam copiâ occurentes, apprehendere ſe. irretiréque & implectere mutuò poſſint; ac ſeſe variè commiſcentes, primùm quoddam veluti Chaos, & in vorticis modum glomerari, ac deinde poſt multas conuolutiones, euolutiones, factiſque molitionibus, & quaſi tentamentis variis,) omnigenos videlicet motus, cœtúſque experiundo) in eam tandem formam coire, qualem Mundus hic exhibet.

Fortunâ verò, quòd Atomi non conſilio aliquo, ſed provt ſors obtigerit, concurrant, cohæreſcant, coaptentur; adeò vt fortuna proinde, quemadmodum dictum iam eſt, non ideò ſit cauſa per ſe aliqua, quæ atomos temperet, & ad talem effectum diſponat; ſed quòd atomi ſint ipſa Fortuna, quatenus nullâ præmeditatione ſibi inuicem occurrentes, ſeſe complectuntur, & tale concretum, provt obtingit, faciunt.

Error hic totus cùm locis aliis Animaduerſionum repreſſus habetur, tum ſpeciatim Diſſertatione, quæ de Authore Mundi eſt, Tom.I. *à Pag.* 364.

CAPVT IV.

De Exortu Mundi.

VErùm vt rem paullò ſpecialiùs deducam, & ad aliud caput interim accedam, videtur Mundus in hanc figuram circumtornatus, conformatúſque huiuſmodi quadam, ſine follibus, & incudibus, ratione prodiiſſe.

Imprimis, cùm atomi motu inconſulto, ac fortuito eſſent, & continuò ſimùl, celerriméque cierentur, vbi in hunc Immenſitatis locum, in quo iam eſt Mundus occœperunt concurrere, ſeſéque apprehendere, coaceruatæ ſimùl fuêre in vnam rudem, indigeſtámque molem, in qua magnæ paruis, rotundæ anguloſis, læues hamatis, aliæ aliis commiſtæ fuerint.

Deinde, in confuſo hoc cœtu, eæ, quæ maiores, grauiſſimæque omnium erant, cœpere ſenſim ſubſidere; & quæcumque fuerunt exiles, rotundæ, paruæ, lubricæ, illæ in ipſo earum concurſu, cœpere exprimi, & in ſublime ferri. Prorsùs vt in turbida aqua, donec quieſcit, inclareſcitque, partes terræ deorsùm ſubſidunt, aquæ ſursùm quaſi eliduntur. Poſtquàm verò impellens, elidénſque vis, quæ ſursùm agebat, elanguit, neque ictus ampliùs in altum euexit, ipſæque interim atomi eliſæ regredi deorsùm, prohibitæ ab aliis ſunt; tum agiliores ad oras vſque circùm extremas auolârunt, tum aliæ & ab ipſis reflexæ, & ab aliis ponè inſtantibus repreſſæ; facta eſt mutua quædam implexio, quæ Cælum generauerit.

Quæ Atomi autem & eiuſdem naturæ fuerunt (cùm, vt dictum eſt, variæ fuerint) & aceruatim, dum in ſublime compellerentur, circumuolutæ; eæ perfecerunt, Solis ac Lunæ, Aſtrorúmque aliorum naturam. Huiuſcemodi autem fuerunt potiſſimùm Ignificæ; nam quæ ab ipſis relictæ ſunt, neque tam altùm emergere potuerunt, illæ Aëris naturam creârunt.

Tandem ex iis, quæ ſubſederunt, ipſa Terra genita eſt. Et cùm multum adhuc in Terra

ſupereſſet

ſupereſſet materiæ, eâque verberibus ventorum, aurisque ex aſtris ſpirantibus condenſaretur; quæcumque eius figuratio ex particulis minutis conſtabat, expreſſa eſt, Humidámque genuit naturam. Iſthæc, cùm eſſet fluida, in caua, & ad excipiendum, continendúmque idonea loca defluxit; aut ipſa per ſe aqua conſiſtens, idonea loca excauauit. Præcipuæ ergo Mundi partes genitæ fuère in hunc modum.

De minùs præcipuis, ac veluti partium particulis vt quidpiam addam: Videntur in prima illa commiſtione effecta fuiſſe generabilium, corruptibiliúmque rerum varia ſemina, ex quibus res variæ & conformatæ tum fuerint, & deinceps magna ex parte propagari etiam potuerint.

Et Saxa quidem, ac Metalla, cæteráque Foſſilia, intra ipſummet terræ corpus, tum, cùm ipſa formata eſt, ideò concreari potuerunt, quòd maſſa foret heterogenea, ſeu ex atomis, ac ſeminibus diuerſæ naturæ conſtaret. Et quod ipſæ Saxorum moles ad vſque ſuperficiem diuerſimodè exturbetarent; ideò creati exinde Montes, vti & quæ Conualles, ac Planities non potuère ipſis non intercipi.

Subinde verè circum monteis, colleiſque, & in vallibus, ac per arua, herbæ, virgulta, arbores, eo proximè modo, quo circa volucrum, & quadrupedum corpora, ac membra, plumæ, pili, ſetæ naſcuntur.

Verùm ad ipſa quidem Animalia quod attinet, par eſt ipſam Terram bonum genitale ſemen retinentem, quoſdam ex ſe folliculos in quorumdam quaſi vterorum ſimilitudinem protuliſſe, eoſque, cum maturuiſſent, naturâ cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe: deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eóque alimento animanteis eſſe nutritas.

Nutritas inquam, eas animanteis, quæ ita fuerunt conformatæ, vt parteis omneis nutritioni, vſibuſque aliis neceſſarias habuerint. Nam, vt dum Nilus agros deſeruit, & terra cœpit ardore Solis exareſcere, cultores varia animalia verſis glebis inueniunt, partim inchoata, partim imperfecta, & trunca; ac ita quidem, vt in eodem altera pars viuat, altera rudis terra ſit: ſic par eſt inter prima illa Telluris quaſi tentamenta, præter animalia perfectè formata, enata fuiſſe aliqua, orba manuum, orba pedum, orba oris, orba aliarum partium, ſine quibus non licuit aut alimentum ſumere, aut diù ætatem producere, aut genus ſuum propagare.

Quod de aliis autem animalibus dico, idem & de Homine ipſo dictum volo intelligi. Videlicet folliculos, vteróſve aliquos radicibus terræ cohærenteis, & à Sole concalefactos primùm increuiſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem natura miniſtrante præbuiſſe; quos ita educatos, & adultos genus hominum propagaſſe.

Duo quædam addo: Vnum, haudquaquam eſſe probandum, quod aliqui aiunt fuiſſe tunc enatos, ac viguiſſe Centauros, Scyllas, Chimæras, aliáque monſtra ex diuerſis generum partibus conſtantia. Quâ enim ratione potuerunt in Centauro, exempli gratiâ, hominis, & equi membra cohærere; cùm tertio quidem ætatis anno, vix puero adhuc ablactato, equus iam floreat; & dum equus iam præ ſenio langueſcit, homo floreſcente iuuentute ſit?

Alterum, vt tellure noua, & ſeminibus pluribus, vegetioribuſque, plura, ac maiora, quàm nunc creata fuère animalia, & in ipſis homines quoque; adeò vt illud hominum genus fuerit in aruis durius, tanquam ex oſſibus, neruiſque & maioribus, & ſolidioribus compactum; ſic deſtitiſſe demùm Terram, tanquam ſeminibus exhauſtis, & quaſi mulierem ſpatio vetuſto defeſſam, talia animalia ſponte parere; & exinde fieri, vt iam nuſquam ſponte erumpant homines; ſed & ipſi, & perfectiora, maioráque alia animalia propagatione ſola oriantur.

Fabula hac tota, quî prodierit Mundus, refutata habetur in Animaduerſionibus cum ſpeciali Diſſertatione de Exortu Mundi, Tom.I. *à Pag.* 327. *tum præter memoratam de Mundi Authore, illa qua eſt de Vſu partium in Animalibus*, Tom.I. *à Pag.* 352.

CAPVT V.

De obeunte ſuas vices Mundo.

SEquitur quæſtio, an per ſe, an alicuius Numinis Prouidentiâ regatur Mundus.

Itaque exiſtimare imprimis non oportet aut motum cæli, aut æſtiuam, hybernamque Solis conuerſionem, aut Solis Lunæque defectum, aut ortum, occaſumve Aſtrorum, aut alia huiuſcemodi ideo fieri, quòd ſit Præfectus aliquis, qui ſic diſponat, diſpoſueritve, ac ſimul beatitudinem, immortalitatemque poſſideat. Non enim cum fœlicitate congruunt negotia, ſollicitudines, iræ, gratiæ; ſed hæc præ imbecillitate, metu, opiſque externæ indigentia contingunt.

Neque oportet rursùs, cùm id muneris & moleſtum ſit, & à felici ſtatu abhortens, exiſtimare eam naturam, quæ felicitatem eſt nacta, eiuſmodi eſſe, vt ſciens, ac volens haſce animi commotiones, ſiue perturbationes ſubeat; ſed tueri potiùs reſpectu illius venerationem omnimodam, ac orationis genere vti eas ſuggerente cogitationes, ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones naſcantur.

Quare opinandum eſt potiùs, tum cùm Mundus procreatus eſt, factos fuiſſe eos circumplexus circum volventium ſe atomotum, vt creatis exinde corporibus cæleſtibus, nata in ipſis fuerit hæc neceſſitas, qua tali modo mouerentur, & circuitus taleis obirent; ac pari modo cætera omnia vices ſuas agerent, pro cœpto ſemel rerum curſu.

Cur verò hoc potiùs non ſit opinandum? Nam ſiue Deus ipſe eſt Mundus, vt aliqui exiſtimant; quid poteſt eſſe minùs quietum, quàm nullo puncto temporis intermiſſo, verſari circum axem cæli admirabili celeritate? Niſi quietum, autem, nihil beatum eſt. Siue in ipſo Mundo Deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus Aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſeruet; qui omnibus in locis, omni tempore præſtò ſit, & quanta quanta ſingularum rerum varietas, ſeu innumerabilitas potiùs eſt, in totidem diſtrahatur curas; dando ſcilicet operam, vt hoc, non alio modo fiant; næ ille negotiis, vt antè obiiciebam, moleſtis, operoſiſque eſt implicatus.

Quid quòd, tametſi vel ſupponatur ſolum non curari à Deo res; contingere non ſecùs omnia, ac ſi nulla eſſet Prouidentia, deprehenditur: Quippe nonnulla quidem bene; verùm plæraque etiam malè, & ſecùs, quàm deberent, eueniunt. Nam, vt omittam cætera; nonne, ſi ipſe Iupiter fulminat, fulminave regit, deberet ſaltem parcere templis, ſaltem non facere occaſionem, qua dubitetur, annon id caſu, potiuſquàm diuino conſilio eueniat? Scilicet, quaſi omnibus rebus curſum tenere pergentibus, viceſque ſuas obeuntibus, provt fuerit ab initio cœptum.

Certè, hoc quoque maximè valet, quatenus ſpecialem hominum reſpectu aſſerunt Prouidentiam. Nam, vt prætercam, quod iam dixi non poſſe beatam, immortalemque naturam vllâ teneri irâ, aut gratiâ; fac hominum res à Deo non curari, quî ſe illæ ſecus habituræ ſunt? Par in illis, aut etiam maior, quàm in cæteris animalibus imbecillitas: paria incommoda; par malorum ſeges. Seruantur eorum aliqui, conceptis votis ex naufragiu; quam multi votis conceptis pereunt? Multi Liberos peccati obtinent: quam multi fruſtrà, vt obtineant, precantur?

Sed, ne longum faciam; cur ſi curæ Deo res humanæ ſunt, & bonis malè, & malis eſt bene? Mouet me ſanè, quod video bonis aduerſa ſemper contingere, paupertatem labores, exſilia, carorum amiſſiones: malos contrà beatos eſſe, augeri potentiâ, honore affici. Quòd innocentiam minùs tutam, ſcelera impunè committi, Quòd ſine delectu morum; ſine ordine, ac diſcrimine annorum ſæuire mortem; ſed alios ad ſenectutem peruenire, alios infanteis rapi, alios iam robuſtos interire; alios in primo adoleſcentiæ flore, immaturis funeribus exſtingui: in bellis potiùs meliores & vinci, & perire. Maximè autem commouet, homines imprimis religioſos grauioribus malis affici, iis autem, qui aut Deos omnino negligunt, aut non piè colunt, vel minora incommoda euenire, vel nulla.

Quin-etiam mihi videor non malè hac ratione argumentari. Aut Deus vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt, & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult, & poteſt. Si vult, & non poteſt, imbecillis eſt, ideóque non Deus. Si poteſt, & non vult, inuidus: quod æquè alienum à Deo. Si neque vult, neque poteſt; & inuidus, & imbecillis eſt, ideóque neque Deus. Si vult, & poteſt, quod ſolum Deo conuenit; vnde ergo mala? aut cur illa non tollit?

Impietas hac tota oppugnata in Animaduerſionibus eſt; & cùm aliàs quidem; tum illa ſpeciatim diſſertatione cui titulus eſt, Eſſe Deum Rectorem Mundi, Tom. I. *à Pag.* 374. *itemque alia, cui titulus, Gerere Deum Hominum curam*, Tom. I. *à Pag.* 381.

CAPVT VI.

Obiter de Geniis, ſeu Dæmonibus.

PErinde eſt porrò, ſeu Deus res curet ſeipſo, vt aliqui volunt; ſeu, vt contendunt alij, per Adminiſtros, quos Genios, ac Dæmonas paſſim appellant. Quippe & res non ſecus contingunt, ac ſi adminiſtri huiuſcemodi eſſe nulli ſupponerentur; & vt concedantur eſſe aliqui, non poſſunt ij ſanè, qualeis fingunt, eſſe; humanâ videlicet formâ, & voce, quæ ad nos pertingat. Vt taceam, cùm plærumque mali, & vitioſi eſſe dicantur, non poſſe eos proinde feliceis, longæuoſque eſſe; quòd prauitati comes adſit & cæcitas multa, & pronus ad ea, quæ interimunt, lapſus.

Quàm optandum foret, vt aliqui eſſent, qui noſtri curam gererent; vt quæ deſunt prudentiæ noſtræ, noſtriſque viribus, ſupplerent: Quàm ſpeciatim optandum iis, qui ſunt in bello ſanctiſſimorum, honeſtiſſimorumque facinorum duces; vt non ſolùm armis, equis, nauibus; ſed ipſorum quoque Deorum auxiliu poſſent fidere.

Ac nonnulli quidem interdum apparere quibuſdam dicuntur: Sed quid-ni ij, qui Genios ſibi apparere commemorant, aut mentiuntur, & fingunt; aut melancholici ſunt, taleſque, vt ærumnoſum corpus ipſis tum ſuſpendat, tum ad extraordinaria deflectat imaginationem? Notum eſt certè nihil eſſe imaginatione comparatius ad mouendum, transformandumque (tametſi in re nihil ſubſit) in omnem ſpeciem. Quippe, quòd facta menti impreſſio ſimilis ſit illi, quæ in cera fit, quódque humanæ menti habenti in ſe, quod fingit, & quod fingitur, ea inſit vis, vt ſumpta ex rebus viſis, auditiſve occaſione quapiam vel leuiſſima, ſpeciem ex ſeipſa facillimè variet, atque transfiguret: vt manifeſtum quidem faciunt, quæ per ſomnum fiunt, inſomniorum commutationes, tanquam ex quibus deprehendatur imaginatrix facultas varietatem omnigenam affectuum, viſorumque ſubire. Vt proinde mirum non ſit, ſi, vbi facultas eſt læſa, Dæmones, aut alia, de quibus quidpiam

quocum

quocumque modo præconceperint, videre videantur.

Solent inſuper argumento ad ſtabiliendum vt Prouidentiam, ita exſtantiam Dæmonum, obtendere Diuinationem: Sed piget humanæ imbecillitatis, quandò & ex ſomniis Diuinationem repetit; quaſi nempe Deus per grabatos incedens ſtertenteis admoneat viſis tortuoſis, quid ſit venturum: & ex omni portentorum, oſtentorumque genere; quaſi niſi Deum commiſceuerimus, non modo cum Sole, cum Luna, cum variis animalibus, ſed cum omni etiam ære, ac lapide, non habeamus ſatis idoneum euentuum huiuſmodi opificem, Fortunam, & Caſum?

Verùm, vt de ſolis Oraculis dicam; cùm poſſit tot modis conuinci eſſe illa meras vatum impoſturas; tum vel ex eo ſanè ſubodorari in promptu eſt, quòd verſibus vtantur malis, quique ſint plærumque principio trunci, medio elumbes, fine claudicantes: quod ſanè non contingeret, ſi funderentur diuinitùs; quandò à Deo nihil, niſi bene, decenterque fieri par eſt.

Et memini quidem, cùm Sami adoleſcerem, ſolitum iactari Oraculum illud, quo ferebant Polycratem inſulæ tyrannum Pythia, & Delia celebrantem, miſiſſe ſimul Delum, ſciſcitatum Apollinem, num, quæ ſpectarent ad ſacrificium, ad præfinitum tempus offerret: ac reſpondiſſe Pythium, Hæc tibi Pythia, & Delia ſunt: addentes inde ſignificatum, ea illi extrema futura: ſiquidem ipſum non multò poſt tolli è medio contigit: Verùm quî potuit reſponſo illo ſignificari ea ſacrificia fore extrema, potiùs, quàm media: niſi quòd vulgò auidi nimis auricularum homines ſunt?

Quid heic improbandum, quidque tolerandum deducitur fuſè in Animaduerſionibus, titulo de Diuinatione, Tom. II. *à Pag* 247.

CAPVT VII.

De Fine, ſeu Interitu Mundi.

IAm eſſe Mundum interiturum, finemque habiturum, ex eo dependet, quòd genitus ſit, exortumque habuerit. Siquidem neceſſe eſt omnia, vt concernuntur, ita diſcerni, inque ea diſſolui, ex quibus coaluerint: illa quidem id perpeſſa ab iſtiuſmodi, iſta ab illiuſmodi cauſis: ſed omnia alicunde, & aliquando tamen. Quò magis profectò mirari par eſt, eſſe aliquos, qui non modò natum introducentes Mundum, ſed etiam manu penè factum; edicant ipſum ſempiternum. Quæ eſſe enim poteſt, vt ſuprà arguebam, coagmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cuius principium aliquod ſit, nihil ſit extremum?

Videtur ſanè eſſe Mundus, Animalis, aut Plantæ inſtar quemadmodum genitus, ita corruptioni obnoxius: Tum quia non ſecus ac illa, ex atomis conſtat, quæ propter motum inteſtinum, quo indeſinenter cientur, moliri denique exſolutionem poſſunt; Tum quia; vt illis, ita & Mundo accidere poteſt extrinſecùs cauſa, quæ ipſi exitium afferat: maximéque cùm notum ſit, vnamquamque rem vnâ viâ natam, denaſci poſſe compluribus: Tum quia, vt in illis tres ætates ſunt, Adoleſcentia, Vigor, & Senium; ita Mundus primum quodammodo increuerit (quatenus etiam poſt genitale tempus acceſſere extrinſecùs ex Vniuerſo atomi, quæ per ipſa Mundi quaſi ſpiracula ſubierint, & ex quibus cælum, ſidera, aër, mare, terra, alia adaucta fuerint, congruis videlicet ad congrua ſeſe accommodantibus) deinde verò, quia creſcendi debuit aliquis eſſe finis; in perfecto quodam quaſi ſtatu conſtiterit: ac iam demùm occœperit ita quaſi fatiſcere, vt agnoſci omnino poſſit ad extremam vergere ætatem.

Confirmatur autem imprimis, ex eo quòd, vt videre licet temporis progreſſu turreis ruere, ſaxa putreſcere, delubra, & ſimulacra fatiſci, vnde & denique exſoluuntur: ita videamus Mundi parteis ſenſim deteri, ac deminui. Terræ pars multa abit in auras (ne aliquid dicam de maioribus illis concuſſionibus, quibus metus incutitur, ne quandò tota corruat, & ſubtracta pedibus, quaſi in barathrum feratur) Aqua partim quoque in auras halatur, partim per terras ſic diditur, vt non omnis ſit refluxura: Aër continuò immutatur, rebus quidem multis in ipſum excedentibus, ſed & multis quoque ex ipſo recreatis, Ignis demùm non modò noſter, ſed etiam ſidereus, vt qui eſt in Sole, ſenſim deperit, abiectu, & emiſſione lucis: Quocirca neque eſt cur rearis debere hæc Mundi corpora manere æterna.

Deinde ex eo, quòd videmus eſſe inter ipſa Mundi corpora continentem pugnam, ob quam interdum quidem incendia, interdum verò & diluuia, quaſi æquis viribus contingunt. At quemadmodum in Palæſtra, ita neceſſe eſt, vt in Mundo contrariorum alterum denique præualeat, omniáque peſſundet. Si quis autem quærat, vtrum duorum ratione veriſimili ſit præualiturum: Reſponderi poteſt illud eſſe Ignem, tanquam actuoſiorem, & à Sole præſertim, cælituſque ſuppeditatum: adeò vt ſuperantior euaſurus denique ſit, ac ſit Mundus proinde conflagratione periturus.

Poſtremò ex eo, quòd nihil indiſſolubile ſit, niſi quod ſit aut ſolidum, quemadmodum Atomus; aut intactile, vt Inane; aut nihil habens extrà, vnde aut diſſoluens cauſa adueniat, aut quò ipſum poſſit excedere, vt Vniuerſum; Mundus autem, neque ſolidum quid ſit, propter Inane intermiſtum; neque etiam intactile quid, propter naturam corpoream; neque denique nihil extra habens, ob ſui extremum; quò fit, vt & clades contingere extrinſecùs, à corporibus, nempe incurrentibus, & confringentibus valeat, & ſiue ea extrinſecùs,

ſiue intrinſecùs accidat, habeat, quò diſſolui, & effundi queat.

Quod addo quidem, quia poteſt Mundus non conflagratione dumtaxat, aut, ſi velis, etiam inundatione perire; ſed modis quoque pluribus, quos inter ille præcipuus eſt, vt quemadmodum Animal, quicum iam illum comparaui, ipſa animæ compagine ſolutâ, in varias parteis ſoluitur, quæ & ipſæ tandem planè exſoluantur; & vel diſſipentur, abeantque in auras, ac minutiſſimos pulueres; vel inſeruiant etiam ad procreandum alia animalia; ita ipſis Mundi quaſi mœnibus fatiſcentibus, dantibuſque ruinam, fruſta illius varia ſubinde ſoluantur, ac abeant tandem in atomos, quæ libertatem Inanis nactæ & coeffundantur, & repetant motus primigenios, & vel longum, diúque procurrant, vel breui aut in Mundos alios incidant, aut cum atomis aliis concurrentes in gignendos nouos Mundos coaleſcant.

Tametſi certè, vt animal poteſt ab animæ exceſſu aut ocyùs, aut tardiùs omnimodè exſolui, ita vtrumvis poſſit ipſi Mundo contingere; Attamen probabilius eſt, fore, vt puncto temporis nihil reliquiarum exſtet, præter atomos, ac ſpatium deſertum, quòd quacumque ex parte lethi quaſi ianua aperta priùs fuerit, illâc omnis materiæ turba ſeſe foras datura ſit.

Quod dixi autem vergere ad extremam ætatem Mundum, id vel ex eo fidem ducit, quòd effœta tellus, vt iam quoque attigeram, vix parua creet animalia, quæ edidit olim ingentia; quodque vix plurimo labore fruges, fructuſque ſuppeditet, quæ ſponte initio vbertim effudit. Vnde & frequentes ſunt querimoniæ laudantium ſæcula priora, accuſantium præſentia; cùm non videant hanc eſſe rerum ſortem, vt omnia paullatim tabeſcant, & ſpatio ætatis vetuſto defeſſa, veluti in ſcopulum tendant. Vtinam modò ratio potiùs, quàm res ipſa perſuadeat, fore vt paruo in tempore conquaſſari omnia cernamus.

Si quidpiam hoc loco improbandum interſeritur, id improbatum habes in Animaduerſionibus, cùm de Mundi interitu Tom.I. *à Pag.* 340.

CAPVT VIII.

De Infinitis Mundis.

PОrrò, quod demùm requiritur, ſint-ne præter hunc alij, & non modò plures, ſed etiam infiniti Mundi; videtur omnino dicendum dari numero infinitos. Quippe Atomi, cùm ſint infinitæ, vt demonſtratum iam antè eſt, per infinitatem ſpatiorum feruntur, ac alibi aliæ, proculque ab hoc variè inuicem concurrentes coaleſcere in fabrefactionem Mundorum infinitorum poſſunt. Atomi ſiquidem ad hoc comparatæ, vt ex ipſis Mundus conſtare, efficive valeat, abſumi non poſſunt, rùm ſint infinitæ, neque in vnum, neque in aliquot, qui definito numero ſint; & neque in quotcumque vniuſmodi, neque in quotcumque inter ſe diuerſos. Quare & nihil obſtat, quò minùs ſit talis Mundorum infinitudo.

Sanè verò tam eſt abſurdum in vniuerſo infinito vnum Mundum fieri, quàm in magno agro granis plurimis conſito vnam ſpicam naſci. Nempe, vt in agro cauſæ plurimæ, ipſa nimirùm ſemina ſimul cum locu in promptu ſunt; ſic in Vniuerſo, præter ipſum locum, non modò cauſæ plurimæ, verùm infinitæ etiam ſuppetunt; ipſæ ſcilicet atomi, perinde ac illæ, ex quibus hic Mundus coaluit, coëundi capaces.

Accedit, quòd nullam videamus rerum generabilium ita eſſe vnam, vt non eodem ſub genere multa conſimilia obtineat (ſic enim homines, ſic feræ, ſic volucres, ſic piſces ſingulatim ſub ſuis quibuſque generibus muluplicantur) Quare & cùm non modò Sol, Luna, Terra, Mare, & partes Mundi cæteræ fuerint genitæ, ſed ipſe etiam totus ex iis conſtans Mundus; fatendum eſt prorſus & illas, & hunc non ſingulareis eſſe, ſed plureis, & numero quidem, ob iam dictas cauſas, innumero, atque infinito.

Cùm nihil verò ſit, quod repugnet Mundos alios partim ſimileis, partim diſſimileis iſti noſtro eſſe: Nam & poſſunt eſſe æquales, poſſunt maiores, poſſunt minores; poſſunt, qui habeant eaſdem, eodemve ordine ſitas parteis; poſſunt, qui habeant alias, aliove ſitas ordine: poſſunt, qui ſint eadem præditi figura, poſſunt, qui præditi diuerſa (quippe non poſſunt quidem eſſe figurarum omnigenarum; vt dictum antè eſt, atomos, cùm definiti ſint ambitus, non poſſe infinitis modis figurari: ſed poſſunt tamen innumerarum; vt globoſæ, ouatæ, pyramidalis, &c.) cùm id inquam nihil repugnet, hæ tamen omnes diuerſitates ſunt dumtaxat quædam quaſi conditiones, quæ communem Mundi qualitatem, ac rationem varient.

Videtur autem quilibet aliorum Mundorum, veluti & iſte, & omnis alia concretio, quæ in immenſu Inani fit, & ſimile quidpiam cum iis, quæ paſſim obſeruamus, habet, per proprios quoſdam atomorum quaſi vortices, conuolutioneſve ſeorſim procreari; atque id quidem ſiue in Intermundio (ita vocamus, iuxta antedicta, interuallum inter duos aut plureis Mundos non multum diſſitos comprehenſum) ſiue in loco multi-vacuo (ſeu in quo verſantibus licet corporibus, corpuſculiſve, plurimùm tamen ſpatiorum vacuorum intercipitur) ſiue denique in magno, immiſtôque, & puro Inani; tametſi non, vt aliqui huiuſmodi Inane aſſumentes, deſcribunt.

Nimirùm, ſecùs ac fit ab illis, intelligendum eſt confluere, niſi ex infinito, at ſaltem ex vno, pluribusve ſiue Mundis, ſiue Intermundiis, idonea quædam ſemina, hoc eſt, congeriem quandam congruam atomorum, cor-

puſculorumve, quæ ſenſim heic illeic mutuò coaddantur, variéque formentur, & locum etiam variè, provt contigerit, commutent; ac inſuper extrinſecùs accrementa quædam quaſi irrigua accipiant, quouſque conſtans ex omnibus concrementis ſpecialibus moles perficiatur, ſtabilimentumque obtineat, quantum quidem ferre ipſius quaſi fundamenta ſubſtrata valuerint.

Alioquin certè quo in Inani generari Mundum contingit, non ſufficit aceruum fieri, conuoluique, & incrementum, quandiù in aliud incurrerit, accipere, eo modo, quo aceruus niuis, dum ſupra niuem voluitur, iuxta opinionem, quòd ſic fieri ex neceſſitate oporteat, vt Phyſicorum appellatorum ait aliquis: ſiquidem id pugnat cum iis, quæ apparent. Neque enim Aceruus, cuius intimus quaſi nucleus ſolidus ſit, & extima etiam quaſi cruſta ſolida, aut conuolui poteſt, aut incrementum accipere, ſi interſtitium nucleum inter cruſtamque interceptum ſit fluxum; quale in Mundo eſſe contingit.

Quod ſupereſt, eſſe alios quoque Mundos, quia geniti ſint, corruptioni obnoxios, manifeſtius eſt, quàm vt dici debeat. Nam & quòd alij ocyùs, alij ſegniùs, alij ab his, alij ab illis diſſolui cauſis valeant, res pertinet ad ſingularem vniuſcuiuſque diuerſitatem.

Perperam aſſeri ab Epicuro infinitos Mundos, oſtenſum habetur ſub hoc titulo in Animaduerſionibus, Tom. I. *à Pag.* 126.

SECTIO TERTIA.

De Rebus Humilibus, ſeu Terrenis.

VERÙM, vt miſſis cæteris, de hoc noſtro Mundo ſpecialiùs dicamus; age, cùm omnia, quæ in eo ſunt, aut Terræ ambitu contineantur, elatioráve Humo non ſint; aut ſint in ſublime, hoc eſt, ſupra humi, terræve ſuperficiem elata; ac ideò poſſint generatim in res humileis, terrenáſve; & ſublimeis, ſiue cæleſteis, atque aëreas diuidi: age, inquam, ſermonem primùm de prioribus inſtituamus, & ex eo quidem præſertim, quòd vt nobis propiora ſunt, magiſque familiaria, ita poſſint fieri quaſi argumenta, ex quibus coniicere de poſterioribus, quæ remotiora à nobis, minúſque perſpecta ſunt, liceat.

Videtur autem eſſe imprimis ipſum Terræ corpus generatim ſpectandum; ac ſubinde aqua pars maſſæ inſignis, terræque ipſi variè, partim ad ſuperficiem, partim etiam intùs commiſta; & poſteà quæ minora ſunt, ac paſſim tota maſſa viſuntur corpora, partim Inanima, vt ſunt mineralia, lapides, ac plantæ; partim animata, quæ & dici animalia, ſeu animanteis moris eſt.

CAPVT I.

De Terra in medio Mundi conſiſtente.

PRimùm itaque circa ipſam Terram, diximus iam antè quemadmodum fuerit cum reliquis Mundi partibus formata. Sanè verò nihil fuit neceſſe formari eam priùs extra Mundi ambitum, ac ita formatam recipi in Mundum; cùm ſatis fuerit comprehendi in mundana maſſa talia ſemina, ex quibus vnà cum reliquis Mundi partibus gigneretur: eo modo, quo nihil fuit neceſſe ipſa animalia exteriùs, ſeu ex ipſa rerum infinitate priùs ſecerni, ibique formari, vrt in hunc Mundum iam perfecta deducerentur, neque item è cælo, tanquam illeic priùs elaborari debuerint, delabi in terram; cùm oſtendere nemo valeat, cur comprehendi illeic potuerint eiuſcemodi ſemina, ex quibus animalia, plantæ, & quæ cætera videre licet, conſtituerentur; non potuerint verò comprehendi heic, ac pari modo ſuppetere vnde illa & gigni, & nutriri poſſent.

Diximus verò etiam Terram, cùm Cælum, aliáque ſublimia ſurſùm veluti auolarent, ſubſidiſſe in Mundi medium, ac ibi, vt in imo loco, remanſiſſe. Addendum iam, non quemadmodum ipſa media eſt mundi pars, in quam omnia pondera cadunt; ita dari in ipſa medium, ſeu, vt vocant, centrum, verſum quod omnia pondera dirigantur. Scilicet omnia pondera parallelis motibus cadunt, non in angulum verò connituntur; quòd ſit ſicut in Vniuerſo, ita & in Mundo regio vnica ſurſùm, è quà grauia omnia adueniant; vnica deorſùm, in quam eadem tendant.

Quò fit, vt probandi non ſint, qui dari Antipodas dicunt; homines nempe in auerſa Terræ regione ita ſitos, vt veſtigia nobis oppoſita vrgeant, eo modo, quo videre licet ſimulacra hominum, aliarúmve rerum inuerſa aut conſiſtere, aut procedere etiam ſubtus aquam. Quippe illi præter naturam, & conditionem rerum grauium, tueri conantur & homines, & alia corpora terrena illeic poſita, ſurſùm, ſeu verſùs Terram niti; & tam non poſſe è Terra in loca cæli inferiora recidere, quàm noſtra hæc non poſſunt in cælum ſponte auolare. Vtcumque aliunde cohærenter ſuæ ſuppoſitioni dicant, eſſe Antipodibus diem, cùm nobis eſt nox, & noctem cùm nobis eſt dies.

Itaque, Terra quidem in orbem, circulúmve eſt conformata; ſed tamen quaſi diſcus, aut tympanum; non verò quaſi ſphæra, aut globus. Nempe hæc eius facies, quam nos incolimus, quæque habitari ſola poteſt, lata eſt, ſeu plana, non verò globoſa; ac talis, in quam omnia pondera rectà, ſeu ad normam ferantur, quemadmodum dictum iam eſt.

At verò, cùm ſic res ſe habeat, difficultas tamen non exigua eſt, qui fieri poſſit, vt conſiſtat,

ſiſtat, neque deorſùm in quam regionem diximus lapſuros Antipodas, cadat. Verumtamen Terra non cadit, quoniam inſidet aëri, tanquam ipſi congenea, neque adeò ipſi oneri exiſtens, vt animalia inſident, tanquam congenea, ipſi Terræ.

Nimirùm facilè eſt captu eſſe in aëre ſubiecto hanc Terræ ſuſtentandæ vim; quod Terra, & Aër ab ipſa Mundi conformatione res congeneæ ſint, & cognatione quadam teuinctæ, tanquam eiuſdem totius partes oneri ſibi mutuò non ſint; ſed quaſi omni grauitate, compreſſionéque depoſita, mutuâ complexione teneantur; maximéque cùm poſſit Terra ad ſuperiorem hanc ſui partem magis compacta, grauiſque eſſe, & ſenſim inferiùs magis laxa, minúſque grauis fieri; quouſque tandem parte ſui infimâ ad aëris ſuppoſiti naturam proximè accedat.

Propterea autem dixi Terram non fuiſſe exteriùs formatam, extrinſecúſque illatam in Mundum; eo nempe caſu pondere ſuo aërem illum premeret, quemadmodum minimum pondus noſtris ſentitur corporibus, ſi extrinſecùs imponatur; cùm tamen nec caput, nec cætera membra ſibi mutuò ſint grauia, quòd congenea ſint, communique iure totius eiuſdem corporis vinciantur.

Ac, ne incredibile ſit, rem adeò tenuem, ac eſt aër, poſſe adeò craſſam molem ſuſtentare; cogita dumtaxat, quàm res ſit tenuis anima, animaliſve ſpiritus; & quàm tamen craſſam, quámque ponderoſam molem corporis ſuſtentet, ac regat; & vel eo quidem nomine ſolùm, quòd ipſi coniuncta, vniterque apta res ſit; quemadmodum eſt aër ipſi Terræ.

Non eſt verò propterea reputandum Terram eſſe animatam, ac multò minùs Deam quandam; id enim iam antè refutatum eſt. Et Terra quidem varias frequenter animanteis parturit, at non, quòd ipſa ſit animata, ſed quòd continens varias atomos, variáve rerum ſemina, multa modis multis efferat in lucem, vnde animata formentur. Non deſunt, qui aliunde Terram magnæ Deûm Matris, ac Berecynthiæ nomine colant. Verùm, quod Terra quidem donetur iis nominibus (ſi abuti quidem diuinis ad res naturaleis deſignandas liceat) poteſt res videri tolerabilis; at non ſanè, quòd Terræ quoque ineſſe Diuinitas credatur.

CAPVT II.

De Terræ-motu; ac obiter de Ætneo Incendio.

INterim autem mirum videtur, quî fiat, vt Terra interdum commoueatur, concutiatur, tremat: verùm hæc vna eſt earum rerum, quæ poſſunt omninò pluribus modis contingere; & ſupponendo quidem rem, de qua ambigendum non videtur, eſſe vbique Terram ſui ſimilem; ac ſubtus, perinde ac ſuprà, habere ſpeluncas, lacunas, fluminâque voluentia fluctus, ſaxa ſubmerſa, &c.

Nam poteſt Terram mouere aqua, ſi parteis aliquas eluit, & abraſit, quibus excauatis deſiit poſſe ſuſtineri, quod ferebatur integris; vel, ſi interiores lacunas, ſeu quaſdam paluſtreis, & iacenteis aquas, impellat flatus aliquis, & inde aut ictus Terram quatiat, aut agitatio ſpiritus ipſo motu creſcens, & ſe incitans, ab imo in ſummum perferatur. Scilicet, vt vas conſtare non poteſt, niſi quæ commota in ipſo eſt aqua iactari intùs deſierit.

Poteſt & parte aliqua ſubitò decidente Terra peruti, & inde motum capere: cùm & aliquæ eius partes quibuſdam veluti columnis, ac pilis ſuſtineri poſſint, quibus vitiatis, recedentibuſque, tremat onus impoſitum. Quippe, cùm videre etiam liceat totas ædeis, propter plauſtrorum, ferratorúmque curruum agitationem ſuccuſſione tremiſcere.

Poteſt quoque Terram mouere ipſe ſpiritus: nempe, ſi aut Terra, cùm in partibus ſui interioribus, inferioribúſque crebritate foraminum, rimarúmque ſit interſtincta, à ſpiritu variè diſperſo, & in cauernoſas eius canitates incidente, concutiatur, ac tremat; eo modo, quo membra frigore ſubeunte, tremere, ac moueri inuita coguntur: aut, ſi ſupernè ingrediente, compellentéque deorſùm ſpiritu, Terra ab aëre ſubiecto vt craſſiuſculo, & aquoſo (quippe ſuſtentante) ſurſùm repellatur, & quaſi ſubtercuſſa ſubſultet: Quod contingit quidem rebus omnibus, quæ non modò in aliquid durum ſeu firmum (aut ita intenſum, vt preſſum redeat) compelluntur: ſed etiam in aliquid fluxum, ſi ad repellendum comparatum ſit; vt cùm intra aquam deprimitur lignum.

Poteſt demùm vis ſpiritus, ſi concipiatur in ignem verſa, & fulmini ſimilis, cum magna ſtrage obſtantium ferri. Scilicet, vt ignis fulmineus intra nubem genitus tum ipſam perrumpit, tum aërem totum miro impetu concutit; ſic commouere, perrumperéque, & concutere Terram poteſt, qui poteſt intra eius cauernas ex ſpiritu coaceruato, exagitatóque generari ignis.

Cùm nulla porrò cauſa potior, quàm petita ex ſpiritu, & hoc quidem modo poſtremo, videatur: tum aut ex eius diſpertitione in crebra Terræ foramina Tremor dumtaxat gignitur; & (quaſi per laxiorem terram tranſpiratio ſit) non ſic terra perrumpitur, vt hiatus fiat, & vel ſubuerti aliquid, vel inclinari deprehendatur; aut ex illius aceruatione in cauernis maioribus, ea poteſt ſuccuſſio, impulſióque conſequi, vt Terram ſubuehat, diffindat, eoſque hiatus aperiat, quibus etiam integræ vrbes, quemadmodum variis in locis ſæpiùs contigit, abſorbeantur.

Quod dico intereà de vi ſpiritus, quæ in ignem verſa Terram perrumpat, concutiatque,

valere

valere eò poteſt, vt intelligamus ex eadem eſſe cauſa eructationes ignium, quæ fieri crebrò iiſdem in locis, vt ad Ætnæ crateras, ſolent.

Nam totius quidem huiuſmodi montis ſubcaua natura ſilicum cauernis ita ſuffulcitur, vt ſpiritus in iis concluſus percaleſcat, & quà hiatus ſupernè patent, accenſus erumpat, latera exedat, percoquatque; vnde & cum flamma, fumôque, fauillas, & pumices vomat.

Quòque magis facere id poſſit, adeſt mare ad radices montis, quod aquas aduoluens, reſorbénſque ad littus, quouſque ſpeluncæ montis protenduntur, aërem intrudat, propellatque, quo ceu follium flatu intendatur, foueatúrque incendium.

CAPVT III.

De Mari, Fluuiis, Fontibus, & de Inundatione Nili.

QVod ad aquas ſpectat, quæ in Terra ſunt (nam de illis quidem, quæ in ſublimi creantur, & ex ſublimi deciduot, erit poſteriùs dicendi locus) mira eſt imprimis illa earum congeries, quam Mare vocamus; quippe præter Mare Internum, quod oras noſtras alluit, eſt etiam Externum, ſeu Oceanus, qui vniuerſam Terram habitatam circumiens, ita creditur à pleriſque fornici cæli ſuppoſitus, vt Sol & alia ſidera ex ipſo oriantur, ac in ipſum occidant; vt occurret quoque dicendum inferiùs.

Et certè, cùm ſit vaſtitas ſeu quaſi immenſitas Maris tanta; poteſt hæc haberi non poſtrema cauſa, Quamobrem, ex tot fluminum i-greſſu non appareat augeſcere: nimirùm, omnia flumina ad tantam molem comparata vix guttæ inſtar ſunt. Adde quòd aliunde Sol, qui radiis ſuis veſteis madenteis tam citò exſiccat, tametſi ex vnoquoque loco non multum humoris delibet; non poteſt nihilominus non ex tanto ſpatio detrahere multum. Vt prætercam, quantum poſſint quoque venti, dum mare verrunt, abſumere, qui vna ſæpe nocte & vias reſiccant, & lutum incruſtant.

Quanquam præcipua videtur cauſa, quòd cùm ipſa Terra ſit raro, permeabilique corpore, & mari vndique alluatur; debeant aquæ, vt in Mare ex Terra prouolui, ita ex Mari in Terram ſubtermanare, vt iterum emergant, ac iterum fluant.

Neque verò debet facere negotium, quod aqua Maris ſalſa ſit, Aqua verò fontium, & fluminum dulcis; quoniam aqua ex mari terram peruadens, ſic percolatur, vt corpuſcula Salis exuat, illiſque deinceps denudata redeat. Videlicet, cùm Maris corpus ſit ex ſale, & aqua commiſtum, quia ſemina Salis hamatiora ſunt, aquæ verò læuigatiora; ideo iſta quidem prætérlabuntur facilè; illa autem non poſſunt non irretiti, ac paſſim relinqui.

Intereà patet exinde cauſa, quæ eſſe videtur præcipua perennitatis Fontium. Quippe poteſt quidem quà illi ſcaturiunt, eſſe quædam aquæ vis ingens collecta, quæ ad fluendum ſuppetat; ſed & ea videtur debere ex eo ſuffici, quòd aliunde quidpiam in ipſam continuò ſubterconfluat. Et quamvis ſubterfluentes illi quaſi riuuli conformari ex reſperſis variis per terram ſeminibus poſſint: debent tamen ſemina hæc ſuffici ex mari terras ſubingreſſo.

Adeò vt heinc fiat, quod iam dictum eſt; vt nimirùm in fluenta primùm minora abeuntes, dum per conualleis coënnteis defluunt, in magnos tandem alueos coëant, ereentque magna flumina quæ Mare immenſum aſſiduè renouent, integrentque.

Quoniam verò nullus eſt Fluuius, qui maiorem ſui admirationem pariat, quàm Nilus, quatenus quotannis per æſtatem exundat, Ægyptumque irriguam facit: ideò prætereundum non eſt, contingere id poſſe, quia reflantes verſus Ægyptum per id tempus Eteſiæ mare attollunt ad Nili oſtia, & arenas quoque ad illa prouoluunt; adeò vt non poſſit Nilus non reſiſtere, intumeſcereque, & elatior alueo in ſubiectam ipſi planitiem effuodi.

Fortè etiam contingit; vt flantes ab Aquilone Eteſiæ nubeis in meridiem vltra Ægyptum conuehant, quæ vbi ad præaltos conuenerint monteis, ibi contrudantur, exprimantque pluuiam, qua Nilus increſcat.

Quid, quòd contingere etiam poteſt, vt præcelſi Æthiopum montes iis onerentur niuibus, quæ tabificis Solis radiis in aquam liqueſcant, Nilique alueum compleant?

CAPVT IV.

De Aquarum quarundam proprietatibus, & de Glacie.

VT ſeligamus autem prætereà quaſdam aquarum proprietates viſas vulgò mirabileis, prætermitto illam iam dictis affinem, quòd cum aqua Sal tum facilè exſoluat, inque ſeipſam induat, quidam ſint tamen dulces fontes, qui è medio mari ſcaturiant. Scilicet perſpicuum videtur id fieri, quòd aqua infernè, ſeu ex fundo maris proſiliens, tantâ emergat vehementiâ, vt marinam aquam diſpellat, & neque ipſam, neque eius Sal commiſceri ſecum patiatur.

Fons ille Epiri admirandus, ſupra quem ſita ſtupa, tædaque igne protinùs concepto, flammeſcit. Sed nempe ex ſuppoſita terra tam multa caloris ſemina exſpirantur, vt licet aquam peruadentia calefacere eam non valeant; egreſſa nihilominùs in libertatem aëris, &

& incurrentia in ſtupas, tædasve, ſeminibus igneis, quibus ſcatent quoque res huiuſmodi, conſocientur, ipſaque explicent in flammam; eo modo, quo vbi lychno recens exſtincto flammulam admoues, accendi ipſum vides, priuſquam à flamma contingatur.

At,quid dicendum de illo Fonte,qui eſſe ad Ammonis fanum dicitur, frigido interdiù, & calido noctu? Nimirùm, quod terra, quæ, circa hunc fontem, laxior licet cæteris terris, frigore tamen nocturno compreſſa, veluti elidat, ſiue exprimat, tranſmittatque in aquam quæ continet multa ignis ſemina, vnde & aqua incaleſcat: calore verò diurno laxata, eadem ſemina veluti reſorbeat, vnde & aqua frigida remaneat.

Quin fieri etiam poteſt, vt quæ aqua ex eiſdem ſeminibus, propter aërem tempore nocturno frigidum repreſſis, efficitur calida, euadat deinceps frigida tempore diurno, radiis Solis ita aquam peruadentibus, vt liberum iis ſeminibus exitum in aërem faciant: Idque non ſecus, ac dum glacies iiſdem radiis penetrantibus, & rarefacientibus ſoluitur; quòd tametſi effectus oppoſiti ſint, ex eadem tamen cauſa eſſe poſſint, vt liquefactio ceræ,& induratio luti.

Eadem certè cauſa videtur proportione eſſe cum ea, ob quam aqua in Puteis calida per hyemem, frigida per æſtatem eſt. Id quippe contingit, quia terra æſtate calore rareſcit, & quæ continet ſemina caloris, exhalat; vnde & quæ in illa eſt abdita aqua frigidior fit: Hyeme autem, frigore comprimitur, condenſaturque; vnde & ſi quem continet calorem, exprimit in puteos.

Hæc interim me admonent, vt dicam de Glacie, ob quam aqua natiuæ ſuæ fluiditatis quaſi oblita, ſolideſcit, indureſcitque. Quo loco ſupponendum eſt, ſola corpora, quæ ex partibus, ſiue corpuſculis planarum ſuperficierum coadunantur, poſſe ſolida fieri, quòd ob Inanis excluſionem partes optimè inter ſe cohæreant; cùm ſi orbicularia aut orbicularibus adiungantur, aut planis intermiſceantur, intercipiatur circùm Inane, in quod ipſa euolui, & plana inclinari poſſint: vnde & mollities, & (niſi aliunde hami ſint, qui retineant) fluxibilitas conſequatur.

Itaque Glacies ipſa fit, aut dum explodun-tur ex aqua orbicularia, & caloris efficientia corpuſcula, coarctantur verò, quæ in eadem aqua reperiuntur plana, ipſaque partim obtuſorum, partim acutorum angulorum: aut dum ea corpuſcula adſciſcuntur extrinſecùs (& ferè quidem ex aëre, vbi ipſe ex illis refriguerit) quæ & preſſa, & extrudentia quotquot occurrunt orbicularia, firmitudinem in aquam inducant.

CAPVT V.

De Terrenis rebus Inanimis.

CVm iam dicendum ſit de rebus, quæ ex Terra, & Aqua gignuntur; notum eſt imprimis illa aut Animata, aut Inanima eſſe, Animata verò eſſe, quæ cum ſenſu ſunt, & vulgò Animalia, Animanteſque dicuntur; Inanima, quæ carent ſenſu; vnde & hoc nomine veniunt cætera, quæ neque animalia, neque animanteis dicere licet.

Huiuſcemodi autem ſunt, Primùm Succi quidam concreti, quemadmodum Sal, & quod Sulphur gigni,quod Bitumen tætro odore concreſcere in terra videmus.Continent hæc verò non modò caloris ſubterranei, Incendiorumque (quale Æteneum iam diximus) præcipuam cauſam; ſed graueis etiam halitus, qui in ſublime elati,Auerna creant,morboſque inducunt; vnde & erit hac de re, cùm de Sublimibus, agendum. De Succino, quo attrahuntur paleæ, attingendum erit quidpiam ſtatim pòſt.

Sunt deinde ipſa Metalla; quæ tum reperta primùm fuerunt, cùm ſyluæ ſeu fulmine accenſæ, ſeu igne aliunde excitato, inductove arſerunt; & facto radicitùs incendio cohærentia radicibus metalla fuere liquefacta, ac tùm ſui nitore perſtrinxere oculos, tum eâdem figurâ obſeruata fuêre, quâ ipſæ lacunæ, in quas fluentia fuerant excepta. Nempe coniecturam exinde duxerunt, poſſe eadem vi ignis liquefacta in figuram quamlibet etiam acutam, ac tenuem formari, & ob reſumptam ſoliditatem ad perforandum, ad cædendum,& ad alios vſus accommoda fieri.

Prætereo autem, vt non modò Plumbum; ſed etiam Aurum,& Argentum,quòd ad iſtos vſus inutiliora reperirentur, neglectiora iacuerint, ſolumque æs in pretio fuerit, ex quo tela, gladij, ſecures, vomeres, alia parabantur; donec repertum ferrum eſt, ex quo potius iſta ob duritiem maiorem confici cœperunt.

Sunt rursùs Saxa, Lapideſque, quorum multi quidem in dies gignuntur, aut è rupibus deripiuntur: Sed ipſa tamen Rupium, Saxorumque præcipua moles ab initio vſque fuit conformata; & cùm hæc cauſa, vt antè dictum, montibus anſam fecerit, & nunquam non videatur terra geſſiſſe in gremio, vt flumina, lacunas, ventos, ita & ſpeluncas,& rupeis, ſaxâque derupta.

Cùm ſoleant verò Lapides ipſa ſui duritie, ſoliditateque diſcerni, tum prima quaſi acie conſtant & Saxa Adamantina ſueta ictus contemnere (nempe incudibus ſic deprehenduntur, vt ferrum vtrimque diſſultet) & validi Silices, ex quibus ferri ictu ignis idcirco euolat, quod ſemina ignis abſtruſa in venis contineat;

neque

neque vis ferri frigida obſtet, quin ad eius ictum excitata concurrant.

Denique ſunt ex genere Inanimorum & ipſæ plantæ, hoc eſt Herbæ, & Arbores. Quippe anima ſine ſenſu non eſt, ac videmus eorum, quæ animata ſunt, quæque idcirco animalia, animanteſque, vt dixi, vocantur, alia donata eſſe mouente, appetenteque anima, alia etiam ratiocinante; at verò plantæ nec ſenſu pollent, nec vtrauis anima præditæ ſunt, nec poſſunt proinde animalia dici.

Ac habent quidem commune quidpiam cum ipſis animalibus, putà nutritionem, accretionem, generationem; verùm iſta ſponte naturæ, non ductu animæ peragunt, ac proinde non-niſi imitatione quadam viuere, & mori, ſicut animalia, dicuntur. Vnde & quæ dici de iſtis poſſent, intelligenda à pari, & proportione quadam ſunt, ex iis, quæ ſunt de animalibus dicenda.

Adderem vt prima ſationis, inſitioniſque origo tum facta fuerit hominibus, cùm baccæ, glandeſque caducæ obſeruatæ fuerunt pullulaſcere, nouaſque, & ſimileis iis, ex quibus eſſent, Plantas creare; ſed rem inſinuaſſe eſt ſatis.

CAPVT VI.

De Magnete ſpecialiter.

HÆrendum potiùs non-nihil eſt circa rem inanimem quidem, ſed admirabiliſſimam tamen viſam. Lapidem intelligo Herculeum, quem & Magnetem dicimus, quòd in Magneſia fuerit primùm repertus. Is nempe admirationi habetur, ob ſingularem illam vim, qua ad ſe allicit, ac pertrahit ferrum.

Ad explicandum porrò hanc vim, tria aut quatuor quædam ſupponenda ſunt, quorum Vnum eſt, Effluere continuò corpuſcula quædam ex omnibus rebus; vt quæ ad colorem, & lucem ſpectant, ex coloratis, & lucidis; quæ ad calorem, & frigus ex calidis, & frigidis; quæ ad odorem ex odoris, atque ita de cæteris.

Alterum, nullum eſſe corpus adeò ſolidum, quod non inania ſpatiola intercepta contineat: id nempe declarant omnia corpora, per quæ humor manat, aut trans-ſudatio fit; per quæ præterit lux, aut ſonus; per quæ intimè penetrat aut calor, aut frigus.

Tertium, emiſſa corpuſcula non eſſe rebus omnibus eadem ratione congrua: Sol quippe emiſſis à ſe radiis lutum indurat, liquefacit niuem: ignis metallum ſoluit, corium contrahit: humor ferrum calefactum reddit durius, corium verò mollius: oleaſter homini amatiſſimus, capellæ guſtatum delectat: amaracinum hominis olfactum alliciens, fugat ſues, &c.

Quartum, Inania ſpatiola non eſſe in rebus omnibus vniuſmodi circumſcriptionis: quare neque eadem quibuſlibet corpuſculis accommodari. Nempe id ſenſuum texturæ monſtrant; propterea enim quæ corpuſcula iſta afficiunt, illa non mouent; aut quæ afficiunt iſta vno, afficiunt illa alio: Itemque texturæ cæterarum rerum, quæ eædem ſanè non ſunt permeabiles iiſdem rebus.

Iam ex his intelligitur, poſſe Herculeum lapidem attrahere ferrum (vti & Succinum paleas) ratione quadam duplici. Nam Primùm quidem concipere licet atomos effluenteis ex lapide ita congruere cum illis, quæ ex ferro effluunt, vt in amplexus facilè veniant. Quare & impactas vtrimque (nempe in ipſa tam lapidis, quàm ferri corpora concreta) ac reſilienteis deinde in medium, circumplicari inuicem, & ferrum ſimul pertrahi.

Quoniam autem videmus fieri, vt ferrum à Lapide attractum poſſit ipſum quoque aliud Ferrum attrahere: An dicemus effluentium ex Lapide particularum nonnullas quidem, vbi ferro occurſauerint, reſilire, & has ipſas eſſe, per quas ſuſpendi ferrum contingat; nonnullas verò illud ſubeunteis per inaneis meatulos tranſire quàm-ocyſſimè, & conſequenter impactas in ferrum aliud proximum (cùm illud ſubingredi omnes nequeant, tametſi prius penetrarint) heinc reſilienteis verſus prius, complexus alios prioribus conſimileis efficere: ſi quas autem adhuc penetrare contigerit, poſſe illas aliud adhuc ferrum pellicere, aliudque adhuc pari ratione?

Deinde, ſic rem concipere licet, vt effluant quidem tam ex Magnete, quàm ex ferro corpuſcula, ſed plura nihilominus, potentioraque ex Magnete; ex quo fiat, vt aër ſemper longè magis diſcutiatur circa Magnetem, quàm circa ferrum, atque idcirco plura circa ipſum, quàm circa ferrum inania ſpatiola creentur. Et quia cùm ferrum collocatur intra diſcuſſi aëris ſphæram, multum inanis inter ipſum & magnetem eſt interceptum; tunc euenit vt in eam partem corpuſcula ferri liberiùs proſiliant, ac verſus Magnetem proinde ferantur; non poſſint verò maiore quadam, inſolitáque copiâ eò contendere, quin pelliciant ſimul cohærentia, atque idcirco totam ferri maſſam, quæ ex cohærentibus conſtat.

Dici etiam poſſet motum ferri adiuuari ab aëre, ob continuam quandam ipſius motionem, agitationémque. Et [illegible]imùm quidem ab exteriore, qui cùm ſemper vrgeat & vrgeat vehementiùs, qua ex parte copioſior eſt, non poteſt non impellere ferrum in quam partem eſt parcior, ſeu inanior, vtpote verſus ipſum Magnetem: Ac deinde ab interiore, qui pari ratione cùm ſemper agitet, commoueat, compellat, non poſſit non indere motum in quam partem ſpatium factum eſt inanius. Sed de Magnete nimis.

Digitized by Google

CAPVT VII.

De Animalium generatione.

Dicamus iam de Animalibus, quæ tanta varietate ſunt (cùm alia gradiantur, alia etiam volent, alia natent, alia repant ; alia maiora, alia minora ; alia perfectiora, alia imperfectiora ; & nos ex illis etiam ſimus) quæque aliunde ſanè ſunt eiuſmodi, vt admiranda naturæ vis in ipſis præſertim eluceat.

Quippe, cùm ſupponendum ſit, fuiſſe naturam ab ipſis rebus, continuatave rerum ſerie veluti edoctam,& neceſſitate quadam,ſeu motuum concatenatione coactam ad hæc tam multa, tamque varia, quæ appellitamus opera naturæ, patranda tum ipſum accipiendum præſertim de ipſis animalibus eſt; quoniam in illis potiſſimùm ipſa motuum concatenatio, profecta licet ab aliqua rationis experte ſubſtantia, effecta eſt artificialis.

Videlicet,cùm Atomi præditæ ex ſe ratione non ſint, & ipſarum motus, quantum eſt ex ſe, abſque ductu rationis fiant ; natura tamen cuiuſque animalis talis initio Mundi coaluit, vt pro temperatione motuum, quos tunc ſubierunt atomi, alij, aliique ſint conſequuti,qui pari ratione eliciri, pareis ſemper produxerint ; atque ita qui initio caſuales fuerant, procedente tempore artificiales, hoc eſt, certa lege ſuccedentes euaſerint ; Naturáque proinde iis vtens, neceſſariâ quaſi doctrinâ imbuta ſenſim fuerit.

Verùm, vt res paullò vberiùs dicatur ; cùm Mundi initio varia animalium procreata fuiſſent genera,euenisse primùm videtur, vt ſumptis alimentis congruis, familiares atomi à iam inexſiſtentibus attraherentur, irretirenturque (excretis diſſentaneis) adeò vt ſpecialis cuiuſque natura (huiuſmodi nempe concretum ex huiuſmodi atomis) adoleſceret, ac roboraretur.

Deinde, vt ex atomorum motione perpetua, ac euolutione inteſtina aliquæ ſemper ſedibus ſuis emotæ,atque excurrentes in parteis genitaleis dictas vndequaque confluerent, factâque ſexuum diſtinctione, poſt appetitionem mutuam,complexumque initum,in vtero reciperentur.

Tum, vt atomi aut ex ipſis moleculæ ſemineæ, quæ ex ſingulis defluxiſſent partibus (ex quo debet proinde ſemen, quaſi aliquid incorporeum intelligi, non ſanè per ſe, quia huiuſmodi eſt ſolùm Inane, ſed ob familiariſſimum vocis vſum, quo incorporeum dicimus quicquid facilè per ſolidiſſima viſa corpora penetrat, ac ſubit) vt atomi, inquam,ſeu moleculæ, quæ ſic defluxiſſent, ideò motione perſcurrante ſeſe ex confuſione ſubducerent, &, cùm ſimiles traherentur, confluerentque ad ſimileis, ideò, quæ forent ex capite, in vnam regionem ſe reciperent ; quæ ex thorace in conſequentem, & quæ ex aliis partibus ſingulis in ſingulas ſuas ; ſicque animalculum tandem formaretur illi ſimile, ex quo ſemina deciſſent.

Inſuper, vt tale animalculum ſuctu ſimilium ſeu atomorum, ſeu molecularum in vterum concurrentium aleretur, & creſceret, quouſque vterus laſſatus, neque ampliùs nutriendo par, motionibus eius laxaret habenas, ſeu potiùs fores aperiret, exitumque permitteret.

Ad-hæc,vt iſtud animal ſimili ratione adultum, nec ceſſante corpuſculorum agitatione, conſequutioneque, ſimile aliud gigneret ; ipſumque aliud conſequenter.

Tandem, vt natura, paullatim aſſueta propagationem animalium generibus ſimilium ita procurare quaſi diſceret, vt ex motione,ac ſerie illa atomorum perpetua neceſſitatem contraxerit ita continuò operandi.

Atque hæc quidem quod attinet ad generationem animalium, quæ propagatione proueniunt ; nam quæ ſponte alioquin enaſci videmus, poſſunt ea iam non ſecùs gigni,ac fuêre initiò omnia genita ; ſeu remanſerint ab vſque initio conformata quæpiam eorum ſemina ; ſeu conformentur etiam in dies aut intra, aut extra ipſa animalia : &, ſi intra quidem, diſpergantur deinceps foras (vt in erucarum, muſcarúmque generibus) ac ſuperſint eorum, ſeu in terra, ſeu alibi, quædam quaſi reliquiæ, ex quibus alia generum eorundem animalia deinceps gignantur.

Quod porrò, inter cætera, de Seminis defluxu dixi, id non mari ſolùm, verùm fœminæ etiam tribuo ; quando ipſa quoque emittit, cùm adſtiteis, teſteisve habeat, poſitione obuerſa licet, ac propterea appetitione ad venereos vſus feratur.

Sanè & hoc videtur eſſe aſſumendum, vt reddi cauſa valeat, cur Mas, cur Fœmina formetur.Quippe nihil magis congruum dici poteſt, quàm quòd, cùm fœtus ex paterno, maternôque ſemine conſtet ; ſi paternum præualeat, mas ; ſi maternum, fœmina fiat.

Quin-etiam cauſa reddi hcinc poteſt eius Similitudinis,quæ eſt cum altero, aut vtroque parente. Nam, ſi fœmina quidem vi ſubitâ commulxit, corripuitque ſemen maſculeum, tum fœtus matri ſimilis ſit ; ſi mas fœmineum, ſimilis matri ; ſi ex æquo vterque, ſimilis vtrique, ſed mixtim.

Quòd ſi requiras, cur interdum naſcantur filij auorum, proauorúmque ſimiles : Id fieri ex eo videtur, quòd ſemen ex compluribus contexatur moleculis, quæ non ſemper exſolutæ omnes ad atomos vſque, proximæve ipſas, in generatione prima, proximâve aliqua ; ſeſe deinceps in aliqua ſuccedentium ſie explicent, vt quod potuiſſent in proxima, id præſtent ſolùm in remota.

At, vnde-nam Sterilitas ? Nempe ex eo, quòd

quòd ſemen ſit aut æquo tenuius, vt non poſſit locus adfigere adhæſum; aut craſſius, vt ægrè admiſceatur. Quippe inter maſculeum, fœmineúmque ſemina, harmonià quâdam opus eſt, exindéque fit, vt perſæpe, qui vir, muliérque inter ſe gignendi incapaces ſunt, gignere ſeorſim cum aliis poſſint. Prætereo autem cauſas aliunde petitas, vt ex alimento; cùm aliud eſſe conſtet, ex quo concreſcunt membris ſemina, aliud ex quo extenuantur, ac tabent.

Quod heic tribuitur potiùs caſui, naturalique neceſſitati, quàm inſtitutioni Authoris naturæ, id, cùm indicatis antè locis de Authore, & Rectore Mundi refutatum eſt; tum eo, quo præfertur inſequens titulus, Tom. I. *à Pag.* 352.

CAPVT VIII.

De vſu partium in Animalibus.

EX hiſce autem ſequitur, vt partes animalium non fuerint ab vſque initio, eo, quo ſunt, modo conformatæ propter fineis, vſuſve illos, quos habere deprebenduntur (ſiquidem nulla fuit cauſa, quæ hoc proſpiceret, cùm & nibil tale præceſſiſſet, ad quod illa attenderet, vt ex eo coniecturam capiens quidpiam ſimile deſtinaret) verùm quia contigit parteis eo, quo ſunt, modo fieri, aut exiſtere; ideò hoſce vſus potiuſquàm alios obtinuêre; & priùs natæ, fecêre poſteriùs vtilitatis ſuæ occaſionem, ac inſinuauêre, dederéque illius notitiam.

Heinc neque fuêre oculi ad videndum facti, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque manus ad operandum, neque pedes ad ambulandum; quoniam membra hæc priùs nata ſunt, quàm eſſet videre, audire, loqui, operari, ambulare; ſed ipſorum officia exſtitêre ex natis.

Nempe, quia intra ipſum corpus conformata eſt ſimul anima, eaque ſenſus capax; contigit ſimùl oculum eiuſcemodi fieri contexturæ, vt applicita illi anima, non potuerit ſenſum videndi non elicere; & aurem eiuſcemodi, vt illi adiuncta, non potuerit non exſerere auditionem. Et quia concreatus intra corpus fuit animalis ſpiritus, impetûs, & motionis capax; contigit ſimùl linguam eâ eſſe ratione contextam, vt ad eam appellens non potuerit eam non mouere, & exſpiratum ſimùl aërem in vocem non elidere; & manus quoque, ac pedes, & cætera parteis eâ ratione eſſe dearticulatas, vt in ipſas irruens non potuerit non iſtam, & illam indere motionem.

Certè, vt vel hoc de Tendonibus, quæ manifeſta organa ſunt, quibus partes cientur, attingam; perſpicuum videtur, non quia ij ſunt craſſi, actiones eſſe validas, nec quia tenues, imbecillas; ſed actiones quidem ex vſibus vitæ, vt tales ſint, vel tales, cogi; ipſam verò tendinum molem ſequi motionis quantitatem. Qui videlicet exercentur, bene ſe habent, & incraſſeſcunt, vt par eſt; qui verò otioſi ſunt, non nutriuntur, & extenuantur.

Quamobrem, non quia melius fuerit vehementiorum functionum tendines forteis, craſſoſque eſſe, aut imbecilliorum tenueis, debileiſque, ita conformati à natura ſunt (vtique enim Simiis quoque tales formantur digiti) verùm, vt dictum priùs eſt, craſſities neceſſariò exercitatos conſequitur, eò quòd præclatè nutriantur; pigreſcenteis gracilitas eò quòd nutriantur deteriùs.

Prætereo autem argumentum hiſce confirmandis poſſe ex eo deduci, quòd pleræque partes ad eos interdum vſus flectantur, ad quos nemo fuiſſe deſtinatas dicat; idque vbi illos demonſtrat aut neceſſitas, aut occaſio, aut ſumpta aliunde quæpiam coniectura. Quo pacto, ne ſomniaſſent quidem homines concertare armis, niſi manibus priùs depugnaſſent; neque clypeos obiicere, niſi priùs vitanda vulnera ſenſiſſent; neque apparare lectos molleis, niſi terræ priùs indormiiſſent; neque pocula conficere, niſi priùs manu haurire aquam ſciſſent; neque domos exſtruere, niſi antrorum vſus illis innotuiſſet; atque ita de cæteris.

Aduerſus hunc Errorem diſſeritur fusè in Animaduerſionibus, eodem titulo, à memorata Tom. I. *Pag.* 352.

CAPVT IX.

De Anima, quæ Animalium interna eſt forma, ſeu nota.

NVnc, vt de ipſamet Anima, à qua Animalia & ſunt, & dicuntur, agamus; Illa imprimis eſt babenda corporea; tenuiſſimum nempe aliquod, vtputà ex particulis tenuiſſimis contextum, corpus. Profectò enim, qui illam dicunt (etiam citra abuſum vocis) eſſe incorpoream, ineptiunt; quoniam ſi huiuſmodi foret, neque agere quidquam, neque pati poſſet; neque enim, vt ageret, poſſet quidpiam contingere, neque, vt pateretur, à quopiam contingi; ſed haberet ſe, vt merum Inane, quod, vt antè dixi, eiuſmodi eſt, vt neque agere, neque pati quid valeat, ſed motum dumtaxat quàm-liberrimum pertranſeuntibus corporibus præbeat.

Agere porrò, & pati quidpiam Animam, declarant perſpicuè ea, quæ circa ſenſus, affectuſque eius contingunt: motiones item, quibus membra impellit, totúmque animal intùs regit, verſat, ſomnio corripit. Vnio vniuersè, & conſenſio, quâ cum ipſo craſſo (quod ſolet ferè in hoc negotio Corporis nomine intelligi) conſpirat.

Interim verò non abs re dico eſſe eam corpus tenuiſſimum; tanquam contextum ex tenuiſſimis, ſubtiliſſimiſve corpuſculis; quæ

aliunde ſint maxima ex parte vt læuigatiſſima, ita & rotundiſſima: quippe alia ratione permeare non poſſet, cohæreréque intus cum corpore toto, omnibuſque eius partibus, vt venis, neruis, viſceribus, aliis; cùm & res manifeſta fiat vel ex eo, quòd vbi anima exceſſit à corpore, nihil delibatum ex toto, neque ad ſpeciem, neque ad pondus deprehenditur; ſimiléque eſt, vt dum ex vino ipſius flos, ſpirituſve euanuit, aut ex vnguento eſt odor efflatus: perinde enim moles vini, vnguentique ſe, ac ſi nihil ex ea deperierit, habet. Adeò proinde, vt punctum ſit propè, loculúſve exiliſſimus, in quem recipi poſſit anima, ſi totam fingas conglomerari.

Cæterùm, tametſi ea ſit texturæ adeò tenuis, non obſtat hoc tamen, quin miſta, & compoſita ſit ex quatuor quibuſdam naturis. Nempe ea concipienda eſt, quaſi quidpiam coalitum, temperatumque ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam flatuoſo, & ex quarto innominato, vnde ſentiendi vis illi inſit.

Ratio verò eſt, quia cùm moribundos tenuis quidam deſerat flatus: talis flatus ſit calori commiſtus, & calor ſecum aëra trahat, quòd nullus calor ſine aëre ſit. Habemus iam tria, ex quibus Anima contexatur; & quia nullum eſt horum trium, à quo eſſe motus ſenſiferi poſſint; ideò admitti debet quartum, tametſi expers nominis, cui ſentiendi vis attribuatur.

Confirmari autem res ex eo poteſt, quòd flatus quidam, ſeu quaſi aura atque ventus, ſit ipſi corpori cauſa motus, aër quietis, calidum illius caloris, qui in eodem cernitur; at eſſe prætereà quartum debeat, quòd ſit cauſa ipſius ſenſus.

Quin etiam, cùm neceſſitas iſtius quarti perſpicua ſit; Ira aliunde, qua cor feruiſcit, & micat ardor ex oculis, ineſſe calorem conuincit; Formido horrorem ciens in membris, auram frigidam, copioſamque prodit; & Tranquillus pectoris flatus, vultuſque ſerenus aërem demonſtrat.

Ex quo fit proinde, vt in quibus animalibus dominatur calor, ea ſint iracunda, vt Leones; in quibus aura frigida, ea ſint timida; vt Cerui: in quibus portio aërea, ea ſint magis placida, ac veluti media inter leones, ceruoſque, vt Boues. Quod idem quoque homines inter obſeruare diſcrimen licet.

Denique autem, vtcumque res miſta, compoſitáque Anima ſit; & quartum illud innominatum, ſeu ſentiendi vis principatum inter parteis teneat (nempe Animæ quaſi Anima eſt, quòd Anima ab ipſo habeat, vt Anima ſit, ipſaque animalia tanquam interna eorum forma, eſſentialiſque nota diſcernat à cæteris rebus) nihilominus huiuſmodi partes adeò perfectè temperantur, vt inde fiat vna quædam, eaque vt tenuiſſima, ita & cohærentiſſima ſubſtantia. Neque enim, donec Anima in corpore conſtat, ſecerni illa quatuor à ſe inuicem magis poſſunt, quàm à quolibet viſcere, aliave re, odor, calor, ſapor, qui inſint ab ipſa natura.

Cùm verò huiuſmodi ſubſtantia in ipſo corpore contineatur, & quaſi cum ipſo cohærens, ab eo veluti ſuſtentetur: tum ipſa & cauſa eſt illi omnium facultatum, paſſionum, ac motuum & viciſſim ipſum continet, ac regit; eſtque ipſi proinde ſalutis; & incolumitatis cauſa: neque enim magis ſecerni à corpore ſine illius diſſolutione poteſt; quàm è thure odor euelli, quin eius natura intereat.

Nihil eſt interim neceſſe admoneam, videri abs re quempiam Phyſicorum exiſtimare totidem eſſe parteis Animæ, quot ſunt corporis, quæ alternis mutuò applicentur: Quoniam, cùm Animæ ſubſtantia res ſit adeò tenuis, moles corporis adeò craſſa; debent ſanè illius principia eſſe tenuïora, ita & pauciora, quàm ipſius corporis; adeò vt non vtique ſingulæ ſingulis, ſed pluſculorum moleculis, ac veluti aggerulis dumtaxat ſingulæ cohæreant. Quò fit, vt interdum neque adhæſum puluerîs, greſſumve culicis ſupra corpus ſentiamus; neque item nebulam noctu, neque fila aranei obuia, neque incidenteis in nos plumas, pappos, id genus alia: vtque adeò ciendum ſit nobis corpuſcula animæ complura ipſis corporis partibus immiſta, priuſquàm quidquam ſentiſcere contingens, concurienſque poſſint.

Norandum eſt porrò eſſe aliquam internam in corpore partem eiuſmodi temperaturæ, vt quà Anima illi hæret, eximium quoddam complementum, quo perficiatur, accipiat. Huiuſcemodi verò complementum ipſe eſt Animus, Intellectus, Mens, ſeu quam vulgò Animæ partem Rationalem appellitamus: idque quòd, cùm cætera toto fuſa corpore Animæ pars, Irrationalis ſit; ipſa ſola ratiocinetur.

Cùm ſit verò Pars Irrationalis duplex, Senſus nempe, & Affectus, ſeu Appetitus, & medio quodam modo ſe Animus habeat, quoniam & Senſum habet præuium, vt de rebus iudicium ferat, & Appetitum conſequentem, vt ſuo iudicio illi præluceat: ideò cùm dicendum de ſingulis ſit; ab ipſo exordiendum eſt Senſu.

Quod heic de natura Animæ corporea habetur, quatenus etiam ad Rationalem ab Epicuro extenditur, refutatum habetur in Animaduerſionibus, cùm de Animorum Immortalitate, Tom. I. *à Pag.*290.

CAPVT X.

De Senſu, qui eſt Anima quaſi anima, vniuersè.

ITaque, vt de Senſu primùm vniuersè quidpiam dicamus, obſeruandum eſt Animam ſic eum obtinere, vt tam ad habendum, quàm ad vtendum, corpore indigeat; quippe à quo interim contineatur; & quicum operari valeat. Cùm verò corpus illi præſtet, vt ſentiendi cauſam

ſam poſſideat, ac vti illa valeat; efficitur quidem & ipſum huiuſce effectus ab ea pendentis particeps (ſentit ſcilicet) at non tamen omnium, quæ illius ſunt, vt renuitaris, & ſimilium.

Quò minùs ſanè mirum eſt, ſi diſcedente Anima corpus expers ſenſus remaneat: neque enim ipſum ex ſeipſo facultatem hanc poſſidebat; ſed apparabat ſolùm illam Animæ congeniræ ſibi, quæ per facultatem in ipſo collaboratam, actum ſentiendi pro ſpeciali ſua motione exſerens, tum ſibi ipſi, tum illi quoque ſenſum, ob viciniam, cohæſionemve mutuam, atque conſenſionem tribuebat.

Hcinc proinde fit, vt intelligamus, non Animam ſulam, aut corpus ſolùm per ſe ſentire, ſed vtrumque potiùs coniunctim. Quippe & quamvis ipſum ſentiendi principium ſit in Anima: ſi quis tamen renuit ipſum corpus vnà ſentire, & credit Animam toto permiſtam corpore poſſe per ſe hunc ſentiendi motum ſuſcipere; is rei nimiſquàm manifeſtæ repugnat.

Dicere profectò, quod aliqui faciunt, non oculos ipſos quidpiam cernere, ſed Animam ſolam per ipſos, vt per recluſas fores videre; non eſt aduertere, ſi oculi quidem pro foribus ſint, fore vt oculis exemptis, res debeant longè meliùs, tanquam foribus ſublatis, ſpectari.

Enimverò, cùm difficultas hoc loco præcipua videatur, Quî fiat, vt res ſenſilis, ſiue ſenſu capax gignatur ex principiis, quæ planè inſenſilia, ſiue ſenſus expertia ſint ideitco adnotandum eſt, deberi hoc certæ, ac ſpeciali eorum Principiorum magnitudini, figuræ motui, poſitioni, ordini, prorſùs, vt antè eſt declaratum, cum de Qualitatibus ageremus. Nempe facultas ſenſus vna eſt qualitatum, quæ, vt appareat, vbi non fuerit, fieri exigit adiectionem, detractionem, tranſpoſitionem, ac vno verbo, nouam texturam, quæ id, quod præcedens non potuerit, præſtare valeat.

Id certè imponere non debet, quòd lapides, ligna, glebæ, aliæ res commiſtæ non ſentiant; quippe, vt Qualitates aliæ, ita, & iſta non ex qualibet, aut quorumlibet miſtione creatur; ſed refert omnino, & quantula principia ſint, & quibus prædita figuris, motibus, ordinibus, cæteriſque adiunctis. Ex quo efficitur, vt glebæ etiam, & ligna, aliaque huiuſcemodi, vbi & imbribus putrefacta, & calore Solis tepefacta commutatos habuerint partium ſitus, ac ordines, in vermeis, aliaque ſenſilia vertantur. Poteſt res ſanè intelligi ex alimentis variis, quæ animalium corporibus applicita, variéque immutata, haud ſecus euadunt ex inſenſibilibus ſenſilia, ac ligna applicita igni ex non inflammatis flammantia redduntur.

Ac vt appareat, quàm abs re aliqui contendant principia, ex quibus eſt ſenſus, ac res ſenſilis, debere eſſe ſenſilia; ecce, ſi illa eiuſmodi ſint, erunt igitur ſanè mollia cùm nulla res dura, ſolidave ſit capax ſenſus. Quare &, vt ſuperiùs arguimus, erunt corruptibilia; quoniam niſi ſolida ſint, detrahi poſſunt, atque idcirco naturam ſuam amittere; cùm debeant tamen rerum principia, vt iam aliquoties inculcatum eſt, incorrupta perſeuerare.

Confirmatur autem, quia ſi principia eſſe admittantur incorrupta, haberi ſenſilia non valeant, neque vt partes, quia partes ſeparatæ non ſentiunt; neque vt tota, quia hoc modo eſſent quædam animalia, ac ideò mortalia, ſiue rurſùs corruptibilia; quod aduerſatur ſuppoſitioni. Quin-etiam licet admittantur & quaſi animalia, & immortalia ſimul; rum nullum animalium, qualia iam viſuntur, gigni poterit (quod nimirùm ſit ſui generis, coalitumve in vnam ſpeciem) ſed aceruus ſolummodò variorum animalculorum.

Hiſce adiice, quòd ſi res, ſenſiles cum ſint, gigni ex ſenſilibus debeant, hoc eſt, ſimiles ex ſimilibus, neceſſe ſit ergo, iuxta ante-dicta, hominem, v. g. conſtare ex principiis, quæ ipſa rideant, plorent, ratiocinentur; quæ de miſtura proinde rerum, deque ſeipſis diſſerant, requirentia ex quibus conſtent; quippe ipſa ſimilia facta rebus corruptibilibus, conſtare quoque ex aliis debent, quæ ipſa rurſùs ex aliis ſint, aliiſque in infinitum.

Quod ſupereſt, cùm notum ſit eſſe in corporibus animalium quinque diuerſa Senſoria, ſiue organa, quibus anima (ſeu quæ eſt in ea ſentiendi facultas) res ſibi obiectas, ſeu ſenſibileis, diuerſimodè, hoc eſt, videndo, audiendo, olfaciendo, guſtando, tangendo, apprehendit, ac ſentit, ideò nihil vetat quinque Senſus admittere, videlicet Viſum, Auditum, Olfactum, Guſtatum, & Tactum.

Vniuersè autem diuerſitas hæc ex eo oritur, quòd partim colorum, viſibiliúmve rerum ſpecies, itémque ſoni, odores, ſapores, & qualitates cæteræ rexantur ex corpuſculis, quæ ſint magnitudinibus, figuris, poſitionibus, ordinibus, motionibus ſpecialibus donata; partim ipſa Senſoria viſus, auditus, & aliorum ſenſuum contexturæ ſint intercipientes ea ſpatiola, ſeu eos porulos, meatulóſve, qui ſint quoque ipſi ſuarum magnitudinum, figurarum, poſitionum, ordinum, atque adeò, vt varia ſunt, ita varias concinnitates, proportiuneſque tueantur, quibus commenſurentur variis qualitarum corpuſculis, ſicque & iſti illa, & illi iſta admittere in ſeſe poſſint. Vnde & fiat, vt corpuſcula ſolùm, ex quibus ſpecies colorum conſtant, penetrare poſſint in ſenſorium viſus, ipſúmque adeò commouere, & afficere; non item verò corpuſcula; quæ ſola, ac ſolummodò ſubire poſſint, ac mouere, & afficere ſenſorium auditus; neque rurſùs alia, quæ ſola, ac ſolùm ſenſorium olfactus; atque ita de cæteris.

Exinde verò etiam fit, vt cùm obſeruemus non modò diuerſa inter ſe animalia, ſed homines etiam, non iiſdem ſenſibilibus rebus affici: intelligi liceat eſſe in ipſis non vniuſmodi contexturas; &, cùm in confuſis, ſimulque permiſtis corpuſculis omnibus comparatum ſit

à

Digitized by Google

à natura, vt alia aliis congruant; ideò neque eiuſdem qualitatis impreſſionem, apprehenſionémque, ſeu ſenſionem in omnibus fieri; neque ſubiectum ſenſibile afficere pari modo omneis quibuſlibet partibus, ſed ſingulos quoſque iis ſolis, ad quas prout incurrerint, concinnatum habuerint ſenſum.

Nihil heic ſubiiciendum eſt de communibus ſenſibilibus, eiuſmodi ſunt Magnitudo, Figura, Motus, alia, quæ pluribus ſenſibus poſſunt percipi; quòd ſufficere ea, quæ de ipſis in Canonica attigimus, poſſint.

CAPVT XI.

De Viſu, déque Simulacris in ipſum incurrentibus.

CVm deinceps pauca dicturi de Senſibus ſingulis ſimus, ita exordiendum à Viſu eſt, vt cùm illius organum eſſe Oculum manifeſtum ſit; reputare oporteat ideò externas rerum facies, formáſve à nobis videri, quòd aliquid extrinſecùs ex ipſis ad nos, ſeu in oculum allabatur. Verùm priuſquàm oſtendamus id eſſe longè probabilius, quàm quod ab aliis aſſumitur, declarandum eſt an, & quale ſit, quod ex rebus adueniens allabi in oculum cenſemus.

Dicimus itaque imprimis nihil repugnare quò minùs fiant è corporibus extimis effluxiones quædam auolantium continenter atomorum, in quibus idem poſitus, idémque ordo, qui fuerit in ſolidis, ſuperficiebúſve ipſorum ſeruetur; vt tales proinde effluxiones ſint quaſi formæ, ſiue effigies, & imagines corporum, à quibus dimanant, & delineatione iis conſimiles, ſuperent longè ſuâ tenuïtate quicquid eſt rerum conſpicabilium. Tales certè ſunt formæ, ſiue effigies, & imagines, quas nobis eſt moris, vt Idola, ſeu Simulacra appellitemus.

Et non repugnat quidem etiam formari in aëre medio, circumfuſóve ſpatio huiuſcemodi quaſdam contexturas; vti neque eſſe repugnat quaſdam in ipſis rebus, & maximè in atomis diſpoſitiones ad operandum eiuſmodi ſpectra, quæ ſint quaſi quædam meræ, inanéſque cauitates, & ſuperficiales, profunditatiſque incompletæ, tenuitates: Verùm nos hoc loco de iis loquimur, quæ quaſi membranulæ, pelléſve, aut exuuiæ quædam è corporibus deripiuntur.

Non repugnare porrò aliqua eiuſcemodi ſimulacra deripi, atque auolare ab extimis corporibus, ex eo inſinuatur, quòd cùm ſemper ab intimis corporibus aliquid effluat, odor, calor, frigus, &c. vt antè quoque attigimus; procliuius ſit longè effluere, deripíve ab extimis, quia cùm atomi tam illeic, quàm heic in perpetuo niſu ſeſe extricandi, & abeundi ſint, illeic tamen quaſi obductis, obſtet aliquid; heic verò, tanquam in prima fronte locatis, nihil ſit, quod obſtet. Vt prætereàm fieri quoque heinc poſſe, cur auolantes ex ſuperficie, eundem ordinem, ſitúmque inter ſe, quem in ipſamet ſuperficie obtinuerint, ſeruent: non ſeruent, quæ internè prodeunt, quòd non poſſint non variè, ob ductus varios conturbati.

Deripi autem, ac dari reipſâ Effluxiones huiuſmodi, probari ex eo quidem poſſet, quòd dum vela rubra, alteriuſve coloris, theatris intenta Solari luce perfunduntur, ea fiat ex ipſis dereptio, & emiſſio, quâ concluſa intùs omnia colorentur: verùm abundè eſt experientia ab ipſis ſumpta ſpeculis; quòd vel ipſa ſola demonſtrent emitti reuerâ, transferrique ſimulacra ab vſque corporibus, quatenus, ipſis præſentibus, appellunt in ſpecula; re quapiam interpoſitâ, à progreſſu in ſpecula arcentur; ac ſi moueantur corpora, mouentur & ipſa; ſi inuertantur, inuertuntur; ſi diſcedant, abeunt; ſi abſint, ſunt nulla.

Cùm nullum ſit verò punctum temporis, quo non in medium ſimulacra hæc prodeant; debet ſanè eorum procreatio temporis puncto fieri, eſſéque ad ipſam ſuperficiem iugi fluore indeſinens; proptereà enim diſcerni ſigillatim non poſſunt, quòd vno ſimulacro abeunte, aliud cohærenter ſuccedat, inque eius locum veluti ſuppleatur, ac ſeruet continuò eundem atomorum ordinem & poſitum, qui in ipſa ſolidi, ſiue corporis ſuperficie fuerit, idque in multum tempus, multámve diſtantiam (tametſi tandem confunduntur) ac fiat exinde, vt corpus ſemper iiſdem cum adiunctis, eadémque forma appareat.

Dico autem hoc loco Formam, quæ eſt ipſius corporis propria, ac eſſe intelligitur quaſi collectio partium certo ordine poſitarum; vel quaſi ſuperficies, quæ relinquitur ab auolante ſimulacro.

Mirum videri interim poteſt, quòd, quaſi nihil delibretur, corpus nihilo deminutum appareat. Sed facit nempe tenuitas, quam incomparabilem iam dixi, quæque intelligi niſi ex atomorum perſpecta tenuitate non poteſt. De hac porrò dictum ſuperiùs circa animalculum eius paruitatis, vt pars eius tertia ſi eſſe ſupponatur reſecta, inconſpicua ſit; & quod tamen, vt eas quas obit, animaleis functiones eliciat, contexi ex iis partibus, particuliſque debeat, ad quas conformandas vix innumeræ atomorum myriades ſufficiant.

Quare & heic prætereo illam coniecturam, quæ ex eo deſumi poſſet, quòd multæ odoræ ſint res, è quibus tametſi indeſinenter aliquid effluat, nihil in longum tempus neque ad ſpeciem, neque ad pondus deminutum appareat: idque, cùm factæ effluxiones longè ſint vt craſſiores, ita copioſiores ipſis ſimulacris, quæ ſimul cum ipſis excedentia, tantula pars tamen excedentium ſunt, vt nemo aſſequi, dicereque poſſit.

Mira quoque videri poteſt auolantium celeritas: ſed intelligi nempe illa debet ex decla-

rata

Digitized by Google

rata ſuperiùs celeritate atomorum. Quippe cùm ob eam tenuitatem, de qua dictum mox, ſimulacra nihil aliud ſint, quàm texturæ quædam atomorum ſimplicium, ea celeritas ipſis competit, quæ captum omnem fugiat, habentibus traiectionem omnem per circumfuſum, tranſparenſque ſpatium, conſimilem illi, quæ per ſpatia illa infinita eſt, quandoquidem non admodùm differt, ſeu nulla, ſeu pauca retundentia ſint, quæ ipſis per ſpatium circumſtans occurrant. Certè, cùm lux Solis, ſiderumque aliorum obſeruetur tanta cælitùs celeritate aduenire, debet non minor, niſi etiam maior, ſimulacrorum celeritas, propter atomos in fronte paratas, & ob nullam cauſam remorantem, eſſe.

CAPVT XII.

Peragi viſionem intercedentibus huiuſcemodi Simulacris.

Hiſce præmiſſis, cùm aliqui ſentiant res externas, ac diſſitas idcirco à nobis videri, quòd illæ nobis imprimant, quaſi ſigillatione quadam, ſui, colorisve, atque formæ ſpeciem, intercedente aëre, qui inter ipſas, & nos eſt, tanquam organo, quo ſigillatio peragatur: Alij autem id exiſtiment fieri interuenientibus radiis, aut effluxibus aliis quibuſcumque ex nobis oculisve noſtris ad ipſas permanantibus: Attamen longè eſt probabilius, peragi rem per ſimulacra cuiuſmodi deſcripta ſunt, quæ nempe aduenientia ex rebus, coloreve, & forma ipſarum incurrant in nos, & ſeruata congrua magnitudine, celeriterque admodum tranſlata, in oculum ſubeant, viſumque percellant.

Sanè illa quidem Sigillatio res & nimis-quàm operoſa, & inexplicabilis eſt; & ad Effluxionem ex oculis quod ſpectat, dici non poteſt, quid ſpecula, vt in ipſis quoque ſimulacra pingantur, emittant; neque quid id ſit, quod ex oculo in totum vſque cælum momento mittatur.

Vt præter eam, cùm in audiendo, odorando, guſtando, tangendo, nihil è nobis emittamus, ſed accipiamus extrinſecùs, quod ſenſum ſui moueat (quippe & ad aureis vox vltrò venit, & auræ in nareis influunt, & palato ingeritur, quod gignat ſaporem; & corpori noſtro applicantur tactu ſentienda) promptum eſt intelligi, non aliquid foràs noſtris ex oculis proficiſci, ſed aliquid ex ipſis rebus, earum putà imagines in oculos vltrò meare.

Non poteſt verò Anima, quatenus adeſt oculis, non videre, hoc eſt, non apprehendere colorem, formamque extimam eius rei, quæ ipſi obiicitur, quod propter ipſam organi terſam, perſpicuamque texturam, excipiat rei imaginem, & ab ipſa ſecundum omneis obiectas parteis percellatur.

Certè & cùm res pulcræ ſint, quæ viſum mulceant; ac fœdæ, quæ offendant, quî fieri id poſſe putemus, niſi quia venientes ex illis imagines ex iis conſtant corpuſculis, quæ læuore ſuo oculi texturæ accommodentur placidè; venientes ex his, illis conſtent, quæ ſqualore ſuo texturam diſcerpant?

Et cùm oculus ictero laborat, quî fieri poteſt, vt omnia conſpecta lurida appareant; niſi quia imagines in ipſo ſui in oculum appulſu tingantur; aut tingantur etiam extra oculum, dum lutoris corpuſculis ſimulacrisve, quæ ex oculis pari ratione prodeunt, incurrunt?

At, quorſum non modò corporis colorem, formamque videmus, ſed videmus etiam, internoſcimuſve illius diſtantiam? Nempe hoc pendet ex aëre, quem imago ante ſe protrudit. Quippe licet celerrimè, imperceptoque tempore appellat, oculumque pertergeat, antequàm imago adueniat; appellit nihilominus, pertergitque ex ordine; & quantò id facit longiùs, tantò res apparet diſtare remotiùs; quantò breuius tantò propinquiùs.

Valet verò hoc etiam, vt cauſa dicatur, cur Imago videatur vltra ſpeculum: Quoniam, vt cernenti è loco intra ædificium rem, quæ foris ſit, appellit aër tum exteriùs ad vſque limen, tum interiùs ab vſque limine procuſus: ita in ſpeculum inſpicienti appellit tum is, qui à ſpeculo in oculum eſt; tum is, qui à re vſque ad ſpeculum ſuccedenter.

Quin valet etiam, vt dicatur, cur ex tenebris ea videantur, quæ in luce ſunt, non item ea, quæ ſunt in tenebris, ex luce. Quippe lucido aëre poſt tenebroſum ſuccedente, poteſt oculus illo informatus, videre, non poteſt verò tenebroſo ſuccedente poſt lucidum.

Quorſum nam verò ſimulacra inter ſpeculum incedere nobiſcum videntur? Nempe ob variatas parteis ſpeculi, ex quibus aliis, ac aliis neceſſarium eſt reflexionem in oculum fieri, ac proinde imaginem progredi nobiſcum videri.

Quòd ſi requiras, cur quæ à nobis appellit ſpeculo imago, non poſticam partem, ſed anticam; ac ita quidem, vt dextram læuorſum, & læuam dextrorſum exhibeat? Obſeruandum eſt idem illi proportione contingere, vt ſi eretea, fictilisve perſona non indurata, ſed mollis adhuc, ad globum, columnamve allidatur.

Notum eſt interim, ſi imago ex ſpeculo in ſpeculum, & porrò in oculum reflectatur, partium ſitum ita reſtitui, vt dextra dextrorſum læua læuorſum appareat (imò & poſſe hac ratione fieri, & multiplicatis præſertim ſpeculis, vt quæ ſunt retrò abdita in proſpectum quaſi educantur) Quod etiam contingere poteſt, vel ex vno ſpeculo, ſi latuſcula habeat, quorum vnum imaginem ex alio acceptam reflectat.

Verùm iſta quidem de viſu; cùm & huc faciant aliqua, quæ attigimus cùm & de Criteriis, & de Qualitatibus agetemus.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De Auditu.

Circa Auditum, id repetendum, quod ſuprà quoque attigimus; cùm autem eſſe organum illius in confeſſo ſit; quemadmodum viſio ſit ex quapiam re adueniente in oculum: ſic Auditionem peragi in aure, affluxu aliquo translato ex eo vſque, quod loquitur, aut reſonat; aut ſtrepitum edit; aut quomodocumque ad ſenſum auditus excitandum eſt comparatum. Huiuſmodi autem Effluxus, quatenus eo ſenſus afficitur, appellatur Sonus.

Porrò & hic effluxus aut in ore loquentis, aut vniuersè in re pulſata, ſtrepitumque edente, in fruſtula innumera ſimilis figuræ comminuitur (dico autem ſimilis figuræ, orbicularia orbicularibus, & quæ ſunt laterum inæqualium, ac triangularium iis, quæ, eiuſdem ſunt generis) id videlicet inſtar guttularum, quas fieri in effuſione vtrium, & in exſufflatione fullonum in veſteis, obſeruare licet.

Scilicet iſthæc fruſtula, ſeu moleculæ mavis, ita deinceps diſperguntur, vt & ſeruent inter ſe mutuam aliquam conuenienriam (ac varios proinde auditus pari ratione feriant, fiatque adeò vt videantur ſonum audire numero eundem, tametſi non ſit pluſquam ſimilis) & maneant in ſe vnaquæque ſpeciali cohærentiâ, qua efficiatur, vt agnoſcantur ad illud ſpectare, à quo ſiut emiſſæ; & talem ſenſionem vt plurimùm creent, qualis ab illo, quod ſonum emiſit, apparata eſt (vt dum ſonus propè, liberóque ſpatio incurrit in aurem) ſin minùs (vt præ interualli magnitudine, aut interſepto aliquo) confuſè ſolùm aliquid exteriùs ſonare inſinnet. Quippe abſque tranſlata quadam, & à ſonante vſque re ſeruatâ conuenientia, cohærentiaque, non fieret vnquam eiuſmodi, quæ eſſet diſtincta auditio.

Neque verò eſt, cur exiſtimemus, cùm ſemel vox, exempli causâ, emiſſa in aërem eſt, ipſum deinceps aërem aut ab ea, aut ab aliis ex ea creatis configurari, conformarive in ſimileis, quæ, vt aliquis ait, perinde vnà auolent, vt iuxta prouerbium, Graculus cum graculo volat (quippe nimio foret molimine opus, ſi aër quidem ad tale quid ſubeundum deſtinatus foret) ſed ſimul, ac in nobis fit ictus, quando vocem emittimus, ipſam talem ex certis quibuſdam ſpiritualis, ſubtiliſſimive effluxus fruſtulis, ſeu moleculis ad hoc idoneis articulari, & appulſu ad aureis facto, auditionem in nobis creare.

Quòd tales porrò moleculæ in aurem ſubeuntes figuratæ ſint, vel ex eo poteſt argumentum duci, quòd ſonus non poſſit auditum iucundè, moleſtéve afficere, niſi quia eſt aut eo læuore præditus, qui organi texturæ ſit accommodatus; aut ea ſcabritie, quæ organum dilaceret. Res profectò videtur poſſe haud malè intelligi, ſi quis horrorem ſerræ ſtridentis conferat cum dulcore chelyos, vel raucum corui bombum, cum ſuaui cantu cycni moribundi.

Vt non repetam autem ea, quæ facere huc viſa, dicta antè iam ſunt; difficultatem ſolùm attingo, Vnde fiat, vt noctu voces magis ſonoræ ſint, & ſimul cum magnitudine claritatem purè conſeruent? Ad hoc autem id aſſumendum, quod conſtat ex ſuperiùs dictis; motum ſcilicet fieri per inane; & multum inane interſperſum eſſe corpuſculis, ſeu moleculis aëris, quæ ſunt ex atomis contextæ; Addendumque, dum interdiù eſt calor, & moleculæ hæ rareſcunt, diffunduntur que atomi, intercepta illa inania ſpatiola anguſtiora neceſſariò fieri, dum verò noctu viget frigus & moleculæ comprimuntur, conſtipanturque atomi, fieri patentiora. Res ſcilicet conſtat in omnibus rebus, quæ dum intra vaſa efferueſcunt, emolleſcunt, liqueſcunt, ampliorem locum occupant, quàm dum refrigeſcunt, in ſeſe redeunt, & contrahuntur.

Exinde ergo efficitur, vt progreſſa interdiù vox per dilatatum aërem, & incurrens in multa, creberrimaque corpuſcula, aut obtundatur penitus, aut diſcerpatur, & multum, variéque elidatur deteratúrque; at noctu progreſſa per liberum à corpuſculis interuallum, plenoque, expedito, & inoffenſo curſu ad auditum perueniat, & vnà cùm celeritate, claritatem quoque, & diſtinctionem ferat.

Ex eodem certè capite eſt, cur pulſata vaſa vacua reſonent, plena muta ſint; quodque corporum ſolidiora, vt aurum, ſonum exilem, & obſcurum edant; laxiora, vt æs, inſignem, & clarum.

CAPVT XIV.

De Olfactu.

Ad Olfactum, quod attinet, exiſtimandum eſt Odorem, vt proportione circa Auditum, de voce, aut ſono declaratum eſt, non facturum vllam ſui impreſſionem, niſi ab odora re vſque deferrentur moleculæ, ſeu corpuſcula quædam ea ratione commenſurata ipſi olfactus ſenſorio (quod ipſas eſſe nareis conſtat) vt moueant, & afficiant ipſum.

Effluere certè, recederéque à rebus odores vel id vnum arguit, quòd omnia habita odora, oleant magis fracta, contrita, igne exſoluta; quàm integra; Nempe, quia ſeges corpuſculorum idoneorum, quæ olfactum moueant, quaſi intra corpus odorum ſtipata, reuinctaque tenentur; & corpore fracto, contrito, cremato, halitùs, ſiue fumi inſtar profilit, ac effunditur, & olfactum afficere, ſi in eum inciderit, poteſt.

Afficere porrò ipſum ſolet, aut perturbatè, ac diſcrepanter; ex quo odores ingrati ſunt; aut placidè,

placidè , & accommodatè , ex quo ſunt odores iucundi. Nimirùm intelligi oportet, quia nonnullæ moleculæ ſiue corpuſcula odoris æquabili ſunt , & accommodata ſuperficie ; nonnullæ æquo pluribus , maioribuſve angulis , heinc fieri vt alij odores organum , quaſi demulcendo , voluptate afficiant ; alij , quaſi dilacerando , dolore quodam exacerbent.

Alio certè modo ſe habeant oportet , quæ odoris corpuſcula penetrant in nareis , cùm torrentur cadauera , & cùm ſcena eſt Cilici croco recens perfuſa ; reſque ea ratione poteſt concipi , vt quemadmodum manus , dum admotâ lanugine, ipſam premit ; admotâ vrticâ , ab ea reſilit ; nempe illeic lænor, heic aſperitas (ſeges putà illa aculeorum) oppoſitis afficiunt modis, ita oporteat corpuſcula , quæ ex croco prodeunt eſſe læuia ; quæ ex cadauere, aculeata ; vt illa deliniant, alliciantque nareis ; hæc compungant , & rettò pellant.

Quin-etiam,cùm ſint inter ſe tam varia animalium temperamenta(imo & hominum quoque inter ſe) ac aliis adeò alia ſit organi olfactus textura ; mirum videri haudquaquam debet, ſi alii odores aliis placeant, ob figuras diſſimileis corpuſculorum , ex quibus conſtant ; atque idcirco, ſi apes delectentur floribus , vultures cadaueribus ; itemque , ſi canes percipiant quà feræ tranſierint , quod ipſi non percipimus ; quaſi quod illæ in tranſcurſu exhalatum reliquerint , non perinde noſtrum percellat olfactum.

CAPVT XV.

De Guſtatu.

DE Guſtatu idem dicendum : ſcilicet , cùm conſtet eios organum eſſe Linguam , atque Palatum ; ac nos tum guſtare, ſentireve in ote ſaporem , cùm cibum mandantes, ita ſuccum exprimimus , vt dum ſpongiam aquâ combibitâ comprimimus manu ; ſuccuſque expreſſus interim per poros , ſeu plexa foramina linguæ , pèrque palatum diditur : tum aſſeri generatim poſſe , eſſe illum ſaporem dulcem , cuius corpuſcula illi leniter, placidéque accommodantur ; illum amarum, ſalſum, acrem, acidum, acerbum, auſterum,&c. quæ aſperiter , atque diſcrepanter. Neque enim poſſunt mel , aut lac , iucundo linguæ ſenſu tractari ingrato abſinthium , aut centaurion ; niſi quia illa conſtant ex corpuſculis magis læuibus , ac rotundis ; iſta ex aſperis , & hamatis magis ; vt illa proinde ſuauiter attingant , iſta compungant , & lacerent.

Quò fit, vt is rem non incongruè definiat, qui rotundas eſſe , congruáque mole atomos, quæ Dulcem faciunt ſaporem dicit : magnâ figurâ , quæ Acerbum ; multangulâ , minimèque orbiculari , quæ Aſperum : acutâ, conicâ, incuruâ , non tenui non rotundâ , quæ Acutum : orbiculatâ , tenui angulatâ , incuruâ, quæ Acrem : angulatâ , diſtortâ , crurumque æqualium , quæ Salſum , rotundâ , leni , diſtortâ , paruâ , quæ Amarum : tenui , rotundâ, paruâ , quæ Pinguem.

At ſpeciatim , cùm ſint tam varia , vt animalium , ſic hominum temperamenta inter ſe; & cùm , vt differunt inter ſe extremis lineamentis corporum , non poſſint non ſimiliter differre internis texturis : ideò dici poteſt Sapores , qui grati ſunt iſtis ſeu animalibus, ſeu hominibus , eſſe ingratos illis , quòd corpuſcula , ex quibus ſunt , texturæ organi illorum congrua , & accommoda ſint ; incongrua, & incommoda , texturæ organi iſtorum. Videlicet quatenus poſſunt qui in iſto organo ſunt meatuli rotundi , atomos rotundas leniter excipere , triquetras diſcrepanter : qui in illo ſunt triquetri , leniter triquetras , diſcrepanter rotundas.

Intelligitur quin-etiam ex his , Quî fiat , vt ea per febrim , quæ priùs placebant,diſpliceant, Nempe , quia textura conturbata eſt , & commutata proinde pororum figuratio , non poſſunt figuræ corpuſculorum ſubeuntium , quæ priùs congruebant , non eſſe incongruæ.

Pari etiam ratione , Quî fiat , vt cibus vni animali ſalutaris, alij acre venenum ſit ; veluti cicuta , aut veratrum , quod exitio eſt homini, & quo tamen capræ , coturniceſque pingueſcunt. Id videlicet euenit, propter texturas intimas , quæ diuerſæ inter ſe cùm ſint , poteſt, quod vni accommodum ſit , alteri incommodum eſſe.

CAPVT XVI.

De Tactu.

DEnique de Tactu , non illo profectò, qui communis eſt omnium corporum , quatenus contingere ſe ſuis ſuperficiebus inuicem dicuntur (ſecus ſcilicet , ac Inane , quod nec tangi poteſt , neque tangere) ſed de illo animalium proprio , qui non ſine animæ perceptione eſt , & non vnam corporis partem , ſed omneis pro organo habet : de huiuſmodi , inquam , Tactu ſubiicio dumtaxat , Illud , quod ab ipſo percipitur , percipi trifariam.

Nam imprimis quidem res tactu ſentitur, cùm applicatur exteriùs , ſeſeve exteriùs inſinuat. Applicatur, inquam , vt cùm manus ſentit lapidem ſibi applicitum ; humerus impoſitum onus. Inſinuatur , vt cùm re calida emittente calorem , aut frigida frigus , ſubeunt in poros corpuſcula , quæ pro eo ſtatu,quo fuerit corpus , ipſum recreent , aut offendant.

Deinde , cùm res , quæ interiùs eſt , egeritur foras ; ac fit interdum cum voluptate , maximéque cùm oneri eſt , & incommodat , vt dum ſemen excernitur ; interdum cum moleſtia , vt dum propter corpuſculorum angulos,

meatum excoriat; quemadmodum per ſtranguriam, vrinæve difficultatem.

Poſtremò, cùm res intra ipſum corpus eos motus ſubit, vt arietando, diducendo, diſtrahendo, conuellendo, compungendo, radendo, excoriando, inflando, tendendo, rumpendo, aliiſque modis innumeris conſtitutionem genuinam turbet, confundat, & concitet ſenſum. Quo modo omnes & capitis, & aliarum partium dolores internè creantur, animalque ſeipſum perinde afficit, vt ſi quis manu propria partem quamlibet ſui corporis feriat.

CAPVT XVII.

De Animo, ſeu Intellectu, Mente, Ratione, illiuſque Sede.

ET hactenus quidem de Senſu. Dicendum iam de Animo, qui & Intellectus, Mens, Ratio, & Rationalis, princepſque pars appellitari paſſim ſolet. Quin dicitur etiam plerumque Cogitatio, Imaginatio, Opinio, Conſilium; ac illius eſt proprium, feriante etiam ſenſu, cogitare, quidpiamve apprehendere, intelligere, verſare, meditari, diſcurrere, deliberare.

Par eſt verò Animi texturam conſtare ex corpuſculis omnium ſubtiliſſimis, læuigatiſſimis, rotundiſſimiſque. Scilicet, quòd eſſe nihil poſſit vt tenuius, ita mobilius: neque enim res vlla eſt, quæ ſe ocyùs percieat, celeriúſve quid faciat, quàm mens, quæ ſi quid proponat, inchoetque ipſa, momento exſequatur: vnde & in confeſſo ſit, nihil fieri ipsâ eius actione, ſeu cogitatione celeriùs.

Et ſanè, vt aqua eſt longè mobilior, fluctuantiórque, quàm mel, quòd ex corpuſculis magis læuibus, magis paruis, magis rotundis contexta ſit; congruum eſt nullam rem conſtare ex rotundioribus, minoribus, læuioribus, quàm mentem; quando res nulla eſſe mobilior, agitabilior, flexibilior poteſt.

Et in qua quidem corporis parte hæret Animus, ita cohæret animæ, eiuſve portioni eadem in parte coëxiſtenti, vt coniunctus ipſi indiuiduè ſit, vnamque naturam eum ipſa conficiat: verùm ſuam ſemper naturam ita tuetur, ac retinet, vt eius proprium ſit cogitare, Animæ verò affectus ſubire; vtcumque propter cohæſionem & cogitare Anima, & affici animus cenſeatur.

Nempe Animus quidem affectus, ſiue paſſionis expers eſt; at quia vt paſſiones à ſenſu pendentes excitantur in anima ad eas parteis, in quibus eſt ſenſus, ita eæ, quæ pendent à cogitatione, in ea excitantur, ad quam partem cogitatio eſt, & ad quam anima res vna cum ipſo animo cogitante eſt; efficitur, vt quaſi aggregatum, quod in illa eſt parte, ex animo, & anima, vnicus eſſet Animus, Animo quoque ipſi paſſiones tribuantur.

Heinc, ſeu diuiſim, ſeu coniunctim accipiatur Animus, id ſaltem habet proprium ſupra reliquam partem animæ, vt, ſicut dum caput, aut oculus dolet, non idcircò toto concruciamur corpore; ſic aliquando Animus dolore afficiatur, aut lætitia; cùm cætera pars animæ per corpus diffuſa tali affectu caret. Aliquando, inquam, quia fieri poteſt, vt Animus eâ percellatur metus vehementiâ, quâ reliqua anima vnà concutiatur, ac inde exeitetur ſudor, ereetur pallor, inſtingatur lingua, oculi caligent, aures ſonent, ſuccidant artus, homo denique concidat.

Quin-etiam, poteſt Animus cenſeri ad vitam dominantior, quàm anima, reliquáve animæ pars; quatenus Anima in membris ne minimùm quidem reſidere poteſt, ſine Animo: Animus autem cæſis circùm membris, circumciſáque adeò plurima parte animæ, ita ſupereſt, vt vitam tueatur; planè vt pupilla ad viſionem conſerentior eſt, quàm reliquus oculus; quatenus læſâ pupillâ, incolumibus licet aliis partibus, viſio perit: ſaluâ pupillâ, corruptis licet aliis partibus, viſio conſtat.

Videtur porrò Animi, Rationaliſve partis ſedes aſſignari alia non poſſe, quàm media regio Pectoris; atque idcircò, quàm præcordia, ſiue ipſum Cor, quod in media eſt pectoris regione. Quippe id manifeſtè produnt, quos in pectore perſentiſcimus, Metus, Lætitiæque affectus, & quoſcumque alios pendere à cogitatione, cogitantéve animo experimur.

Quod heic habetur de Animi, Rationaliſve Animæ compoſitione ex atomis, quaſi corporea natura ſit, refutatum exſtat in Animaduerſionibus cùm de Animorum immortalitate, ac præſertim ab indicata aliquoties, Tom. I. *à Pag.* 290.

CAPVT XVIII.

Non cogitare Animum, niſi per ſimulacra incurrentia.

DIfficultas eſt ſolùm, Quî fiat, vt excitari Animus ad cogitandum rem aliquam poſſit? Verùm, cùm manifeſtum ſit cogitari Animo res, eo modo, quo oculo videntur: conſtat debere vt viſionem, ita cogitationem fieri per ſimulacra incurrentia.

Scilicet præter ſimulacra, quæ incurrentia in oculum, & propter aliquantulùm maiorem craſſitudinem accommodata illius texturæ, ipſum ad viſionem eliciendam mouent; vagari oportet per aërem innumera alia longè tenuiora, eáque ſeu detepta è corporibus, ſeu in ipſo aëre formata, vt non multò antè dictum eſt, quæ per ipſum corpus penetrantia, & accommodata animi texturæ, vbi ad illum pertigerint, ipſum ad cogitandum moueant.

Quocirca & fit vt quemadmodum Leonem, v. c. videmus, quia illius imago allabitur

tur oculis; ita Leonem cogitemus, quia eius imago allabitur menti. Quod ſi cogitemus Centauros, Scyllas, ac eiuſmodi alia, quæ neque ſunt, neque vnquam fuerunt; contingere id poteſt, non tam ob formata ſponte ſimulacra, quàm ex eo, quòd, cùm v.c. hominis, & equi ſimulacra ſibi obuia fiunt, facilè, propter tenuitatem (& ſicut aranea, bracteáque auri) iunguntur, inque vnum exinde formantur, quale Centauro tribuitur.

Sciendum verò, dum aliquando in eadem ſine vigilando, ſiue dormiendo, cogitatione perſeueramus, id fieri, non quòd aliquâ vnâ eiuſdem rei imagine, ſed quòd pluribus continente fluxu ſuccedentibus vtamur; quæ, ſi eodem ſitu occurrant, cogitata res immota appareat; ſi variato, mota videatur: Vnde & fiat, cur in ſomnis præſertim, videantur nobis ſimulacra & moueri, & bracchia, cæteráque membra in numerum iactare.

At, Quî fieri poteſt, vt quod cuique libuerit, idipſum ſtatim Mens cogitet? Nempe, quia cùm præſtò vbique ſimulacra omnifaria ſint, maxima pars tamen incogitata præterit, ac ea ſolùm mentem mouent, ad quæ ipſa aduertetit, attenderéve voluerit, ſeu ad cogitandum ſeſe comparârit. Et, nonne videmus etiam oculos, cùm aliquid tenue cernere cœperint, contendere ſe, & ad id parare, ac donec quidpiam attentè cernunt, perinde eſſe cætera, ac ſi nuſquam forent; tametſi eorum quoque ſimulacra excipiat?

Cùm ſit porrò aliqua attentio Menti neceſſaria, vt res diſtinctè apprehendat, tum eſt adhuc magis, vt opinetur ſimpliciter, ſeu iudicium quodpiam de ipſis, affirmando, aut negando ferat; at verò eſt demùm maximè, vt de iiſdemmet ratiocinationem inſtituat; ac ſi curæ ipſi potiſſimùm ſit, ne hallucinetur.

Verùm & rem deduximus, de Criteriis cùm ageremus; & in gratiam ſpeculationis rerum naturalium adnotare heic ſufficit humanum ratiocinium ea, quæ natura in lucem effert, ſuſpicere primum, & poſterius diſquirere, ac adinuenire, cauſáſve ipſorum deprehendere: ſed in his citiùs, in illis tardiùs; & aliquando quidem per prolixiora, aliquando per breuiora tempora id enincere, ſeu ad cognitionem perfectam venire.

CAPVT XIX.

De Affectibus, ſeu Paſſionibus Animæ.

SVpereſt alia, præter Senſum, Irrationalis Animæ pars, quæ dici Affectuoſa poteſt, propter Affectus, Paſſionesve, quæ excitari in illa ſolent. Nominant etiam Appetitum, Cupiditatemve ab affectione quadam præcipua; cùm & ſint, qui Concupiſcentem, atque Iraſcentem diſtinguant.

Cùm dictum porrò iam antè fuerit, Affectus, qui ſenſum ſequuntur, in iis partibus, quæ ſentiunt, creari, illos verò qui opinionem, creari in ipſo pectore; idcircò, cùm aliunde ſint duo quidam affectus præcipui, Voluptas ſcilicet, ac Moleſtia, ſeu Dolor; & prior quidem familiaris, accommodatuſque animæ, poſterior alienus, naturæque incommodus; par eſt vtrumque excitari non modò in ipſo pectore (vbi ferè Voluptas venit nomine Gaudij, Lætitiæ, Exſultationis, Hilaritatis; & Dolor, Ægritudinis, Mœroris, Angoris, &c.) ſed in partibus etiam aliis; in quibus, dum à ſtatu naturali dimouentur, excitatur Dolor; cùm in eundem ſtatum reſtituuntur, Voluptas.

Ac ſi poſſent quidem Partes omnes in naturali ſtatu manere, tunc aut nulla eſſet affectio, aut, ſi eſſet aliqua, ea dicenda eſſet Voluptas, propter placidum, & tranquillum ſtatum: at quia, vel propter continuam principiorum motionem in animalis corpore, quædam abſcedunt, quædam accedunt, quædam diducuntur, quædam aceruantur, &c. vel propter motionem, quæ eſt in rebus circumſtantibus, quædam admouentur, quæ ſubeant, immutent, inuertant, ſecernant, &c. efficitur dolor (& ob priorem quidem cauſam, qualis v.c. ex fame, ſiti, morbo ſentitur; ob poſteriorem verò, qualis, ex vſtione, contuſione, contorſione; vulneratione) idcirco videtur primariò creari affectus Doloris; ac ſimul, quòd alienus ſit, Auerſationis, ſeu Fugæ illius, ac rei ipſam inducentis, cui idcirco Mali attribuitur nomen.

Subinde autem inſequitur Cupiditas exemptionis à Dolore, ſeu eius ſtatus, à quo ille abſit, atque adeò rei, à qua abigatur, quæque idcirco Boni nomen obtineat; ac tum, cùm dolor eximitur, & fit in meliorem, hoc eſt, in naturalem ſtatum reductio, ipſa excitatur, concomitaturque voluptas; adcò vt non eſſet futura Voluptas, niſi ſpecies quædam Doloris antecederet: vt obſeruatu facile eſt vel in ipſis, fame, ac ſiti, & Voluptate, quæ mandendo, bibendoque percipitur.

Siquidem Voluptas iſta non creatur, niſi quatenus, eùm actione interni caluris plurimæ partes diſſipentur, vnde ipſum corpus rareſcit, omnis natura ſubruitur, & ſtomachus præſertim vellicatur; aut glomerata aliunde caloris corpuſcula præbent ipſi incendium, vnde & dolor ſuboritur; quatenus, inquam aduenit cibus, qui defectum ſuppleat, artus ſuffulciat, patentem per membra, ac venas cupiditatem edendi obturet; aduenit & potus, qui ardorem reſtinguat, exareſactas parteis humectet, ipſáſque in ſtatum priorem reſtituat; ac aliunde vtrumque fit cum placido, grato, iucundóque naturæ ſenſu; quem tunc abeſſe manifeſtum eſt, cùm quis non eſuriens comedit, aut non ſitiens bibit.

Videntur ergo iſti eſſe quatuor generales Animæ Affectus, Dolor, & Voluptas, vt ex-

tremi; Fuga, & Cupiditas, vt interiecti. Generales, inquam, quoniam cæteri iſtorum ſunt ſpecies, ac opinione intercedente fiunt; & quæ poſſunt potiſſimum ad Cupiditatem, Fugamque referri.

Nam vt prætercam Cupiditatem ſpeciatim Voluntatem dici, cùm Mens illud, quod cogitat, ac bonum opinatur, vult; & Fugam dici Auerſionem, cùm id, quod cogitat, ac eſſe opinatur malum, auerſatur; ſubinde verò Amorem v. c. eſſe voluntatem, qua ad frueodum aliqua re ferimur; Odium auerſionem, qua à conſuetudine alicuius recedimus, videtur aliunde ira nihil eſſe aliud, quàm cupiditas, qua in vindictam efferimur; Metus nihil aliud, quàm fuga, qua ob malum futurum contrahimur, & in nos quaſi ſecedimus, atque ita de cæteris.

Cæterùm, quia Cupiditas (ac proportione etiam Fuga) partim ipſa ſponte naturæ, & ex indigentia quapiam excitatur, eamque explere neceſſe eſt, vt natura incolumis conſtet; partim creatur ex opinione, quæ interdum quidem ipſi naturæ iuſtituto conformis eſt, & ad illius indigentiam tollendam ſic tendit, vt tollenda tamen neceſſariò non ſit; interdum denique nihil ad naturam, neque ad aliquam illius indigentiam tollendam conducit; hcinc fit, vt ſint Cupiditatum aliæ quidem naturales, & neceſſariæ; aliæ naturales, ſed non neceſſariæ; aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed inanes.

Et Naturales quidem, ac Neceſſariæ illæ ſunt, quæ vt indigentiam, ſic dolorem ortum ex indigentia tollunt; cuiuſmodi eſt cibi, potus, indumenti quo arceatur frigus. Naturales verò, ſed Non neceſſariæ ſunt illæ, quæ nihil aliud, quàm voluptatem variant, non verò abſolutè dolori detrahendo neceſſariæ ſunt, vt quæ eduliorum ſunt delicatiorum; imò etiam, quæ venereorum, quibus natura præbet principium, & à quibus tamen puteſt quis non incommodè abſtinere. Denique neque Naturales, neque Neceſſariæ illæ ſunt, quæ ad nullum dolorem ex naturæ indigentia ſubortum, tollendum feruntur, ſed ex inani ſolùm opinione creantur; quales ſunt v. g. coronarum, ſtatuarum, cultus elegantis, pretioſæ veſtis, auri, argenti, eboris, & ſimilium.

Ad-hæc verò Notandum eſt cum Voluptas in boni fruitione ſit, Dolor in perpeſſione mali; ideò illam quidem, cum quadam animæ effuſione, ac elatione fieri; iſtum non ſine contractione, demiſſioneque eiuſdem eſſe: atque idcirco nihil eſſe mirum, ſi anima ſeſe, quantum poteſt, dilatet, vt bonum admittat in ſe; comprimat, ne admittat malum.

Fit porrò diffuſio, ſiue dilatatio; quia ſtatim, ac boni, ſeu rei gratæ ſpecies ſenſum perculit, aut animum quoque permouit, corpuſcula ex quibus conſtat, ita in ſenſorium, corve ipſum ſubeunt, vt texturæ tam animæ, quàm corporis accommodata, ipſam ſpeciatim animam demulceant, iucundè afficiant, & verſus rem ipſam, à qua ſunt emiſſa, quaſi catenulæ alliciant, ac trahant: adeò proinde, vt anima in rem conuerſa, intentaque, verſus ipſam, fruitionis ergò, quanto poteſt niſu veluti exſiliat.

Contractio verò, quia ſtatim ac mali, ſiue rei moleſtæ ſpecies ſenſum, animumve percelluit, corpuſcula, ex quibus conſtat, quaſi contuli, aut ſpiculula ipſam cum ſenſorio animam ita fodicant, vt texturam ipſius ſoluant; ipſaque illorum, quantum poteſt, deuitandorum gratiâ, ſeſe ipſam coarctet, & verſus ipſum ſui centrum, ſeu quaſi radicem, quà nempe eſt cor, animusve, refugiat.

Nihil porrò neceſſe eſt ex antedictis repetere, ex ipſa animæ textura pendere, cur animalium aliud ad Iram, aliud ad Metum procliuius ſit, aliud comparatius ad placidos motus; neque addere varietatem hanc reperiri quoque in hominibus, provt ex igneo, ex flatuoſo, ex aëreo principio participantiorem habent animam: Quippe cùm videre liceat homines etiam doctrinâ perpolitos non ita poſſe radicitùs ſemina iſta euellere, quin ille procliuius ad iram decurrat, iſte metu magis teneatur, alius ad clementiam æquo pronior ſit; cúmque aliunde varietas morum, quæ tanta obſeruatur vt in animalibus, ita in ipſis hominibus, manifeſtè ſatis deducatur ex varia horum ſeminum inter ſe miſtura.

CAPVT XX.

De Motu Voluntario, ac ſpeciatim de Loquutione, Nominúmque impoſitione.

IAm cùm Anima ſuapte natura mobilis ſit, ac ipſum corpus, cui inexſiſtit, eiuſque membra mouere valeat, Notum eſt, quoties corpus, aut membra hiſce aut illis motibus ciet, idcirco fieri, quia illorum ciendorum voluntatem habet; hanc voluntatem ab animo imaginante excitari; & imaginationem hanc fieri ob imaginem, ſiue ſimulacrum, quod ipſum percellat. Nempe nihil vnquam facere animus mensve aggreditur, quin illud prouiderit; neque prouidet, quin illius ſimulacrum, ſeu imago conſtet.

Itaque, cùm, exempli causâ, crura mouemus, incedimuſque, illud ideò fit, quia primò ſimulacra inceſſus animo accidentia, eum pulſant: inde inceſſus voluntas fit; tum autem cùm ſe animus ita commonet, vt ire, incedereque velit, ferit extemplò animam, qua parte ipſi iunctus tenetur: iſta verò animæ pars reliquam compulſat toto corpore diſſitam, & per crura, ac pedes ſpeciatim diffuſam: vnde & tota moles ſenſim protruditur, ac mouetur. Vt prætercam aërem quoque eatenus aliquid conferre, quatenus corpus totum rareſcit, aër

verò

verò in parteis ſubit: adeò vt corpus duplici de cauſa perinde moueatur, ac nauis, dum remis, ventiſque impellitur.

Quòd motus porrò initium ab ipſo vſque corde, in quo ineſt animus, ſit, vel ex eo intelligi poteſt, quòd videamus interdum v.c. equos patefactis repente ſtabulis, quaſi carceribus, prorumpere tam ſubitò, quàm mens ipſa auet, non poſſe. Id nempe, quia quaſi conquiri tota ſubſtantia animæ totos per artus diffuſa, debet, vt concita, mentis ipſius ſtudium conſequatur; atque ita procedit res primùm ex voluntate animi, & porrò exinde per corpus, & artus.

Ac videri quidem mirabile poteſt, quòd tantula corpuſcula ex quibus ſeu mens, ſeu anima conſtat, tantum onus, quanta eſt corporis maſſa, mouere, torquere, connertere valeant: Sed, quî id ſit mirum, cùm ventus, res adeò ſubtilis molimine tanto vim nauis ingentem contrudat; & manus vna, gubernaculum vnum, illam, qnantouis impetu euntem contorqueat, ac moderetur? Et nonne etiam ſunt machinæ, quæ per throeleas, & tympana, pondera magna commoueant, ſuſtollant, neque id magno niſu?

Cæterùm, cùm ex motibus, quibus parteis corporis pro voluntate, arbitrioque mouemus, is dignus præſertim conſideratione ſit, qui in lingua attenditur, & Loquutio vocatur; ideò videtur eſſe de illo ſpeciatim quidpiam attingendum.

Itaque, cùm lingua ita ſit in animalibus reſpirantibus comparata, vt aërem contensè exſpiratum, ſonumque idcirco creantem, variè infringere, ac veluti formare valeat; efficitur, vt quia allunde vnumquodque animal vim ſuam, qua quod poteſt, ſentit, eaque vtitur (propterea enim taurus cornu impetit, equus calce ferit, leo dentibus, vnguibuſque corripit, auis pennis fidit) efficitur, inquam, vt animalia, & homines præſertim, ſuæ linguæ vim ad exprimendum animi affectus (etiam dum aliquid externum ſignificare volunt) ſentientes, tum ſonum emittant, qui dicitur vox; tum illum interuentu linguæ, aliarumque partium eius variationi inſeruientium, variè inflectant.

Et de Animalibus quidem etiam loquor; quoniam videmus illa quoque varias voces emittere, quatenus lætantur, aut dolent; & quidpiam metuunt, aut proſequuntur. Etenim Canes, v.c. alium, aliumque ſonitum edunt, cùm rabie diſtricti minantur; cùm latrant, & omnia complent vocibus; cùm catulos blandè aur lambunt, aut morſu, pedibuſque iactant, & gannitu interim adulant; cùm baubantur in ædibus; cùm plorantes plagas ſummiſſo fugiunt corpore. Equi etiam hinnitus differt, cùm concuſſis artubus vulgò hinnit; cùm adhinnit equæ; cùm preſſus ab equite patulis fremit naribus. Volucres quoque alias, aliaſque & cùm de præda certant, & cùm tempeſtatum mutationes ſentiunt, & cùm nutantur, voces fundunt.

Cùm verò homo præ cæteris, & linguæ vim maximè ſentiat, & pluribus modis illam inflectere ſic poſſit, vt plureis voces dearticulet, quæ pluribus rebus ſignificandis accommodentur; exinde eſt ipſa Loquutio, ſeu Sermo, quo homines vulgò inter ſe loquuntur, dum & paſſiones animi, reſque alias ſignificant, & non ſecus, ac nutu, digitoque demonſtrant.

Quo loco, quia requiri ſolet, Qua ratione, ab initio Homines rebus ſignificandis Nomina impoſuerint; ideò ſciendum eſt, Nomina non fuiſſe ex mero hominum inſtituto, ſeu lege quadam impoſita; ſed ipſas hominum naturas, naturaleisve diſpoſitiones, quæ in gentibus fuere ſingulis, tum cùm res ipſis occurrerent, ſpecialibus animi motibus affectas, & propriis viſis, ſeu imaginibus compulſas, peculiari quadam ratione aërem ore emiſiſſe, ipſumque eliſiſſe, dearticulaſſeque, prout ſingulorum affectuum, viſorumque impetus tulit: & interdum quoque locorum varietas, ſeu varius cæli, ſolique genius in variis regionibus fuit; & quæ prolatæ voces ſic fuerunt, ac præſertim cum voluntate deſignandi aliis res, euasêre Nomina rerum.

Cùm vellent etiam aliqui aliis res extra illorum conſpectum conſtitutas proponere, ſonos aliquos, vocesve ediderunt; ac tum fuere coacti eaſdem voces idemtidem repetere; tum qui audiebant, ratiocinio quodam, coniecturâque rem aſſequentes, ex multa denique aſſuetudine illorum mentem intellexerunt.

Et quia tamen varij varias ad eamdem rem aliis ſignificandam, dedere voces, ac varia proinde fuere nomina; ideò deinceps nomina ſignificandis rebus propria apud vnamquamque nationem, & ſenſim, & quaſi communi conſenſu delecta, aſſignataque ita fuerunt, vt & ſignificatus fierent adinuicem minus ambigui, & res poſſent eloquio compendioſiore explicari.

Concludo proinde primos Homines impoſuiſſe Nomina rebus, non ex certa ſcientia, aut vnius cuiuſquam imperio, vel dictamine (vnde enim illi aut hæc ſcientia fuiſſet, aut poteſtas, quæ ad vtendum vocibus dictatis plureis cogeret?) ſed impoſuiſſe potiùs, naturali quodam impetu permotos, vt ſolent, qui tuſſiunt, ſternutant, mugiunt, latrant, ingemiſcunt: Atque idcirco dici poſſe eſſe Nomina non inſtituto, ſed naturâ, quatenus ſunt quidem effectus, ac veluti opera naturæ: Neque enim videre, & audire res (qui effectus quidam, operaque naturæ ſunt) alterius omnino conditionis ſunt, quàm res nominatæ.

CAPVT XXI.

De Somno, & Inſomniis.

SVpereſt pauca ſubiiciamus de Somno, ac Morte Animalium, duabus nempe rebus germanis,

germanis, cùm altera quidem feriatio, altera exſtinctio ſit ſenſus: & tritum valdè ſit, vt Mors eſſe æternus Somnus dicatur.

Creatur autem Somnus, cùm animæ partes per totam corporis concretionem diffuſæ aut cohibentur, aut diſtrahuntur; aut nonnulla etiam corpora ſiue ab aëre, ſiue à cibo in diſperſas incidunt, quæ partim ipſas à corpore abigant, partim intrò contrudant, ac turbent: tunc enim corpus, vt ſolito deſtitutum fulcimine, regimineque debile ſit, ac membra ſimul omnia langueſcunt; cadunt bracchia, & palpebræ, poplites procumbunt: denique non ampliùs eſt ſenſus.

Scilicet, cùm indubium ſit Senſum eſſe ab anima, reputandum omnino eſt, cùm ſopor ſenſum impedit, perturbatam eſſe animam, foraſque eiectam; non totam certè; nam alioquin non tam Somnus eſſet, quàm mors, ſed partem tamen; ac ita quidem, vt quæ eſt reſidua, ſit intus oppreſſa, ac veluti ignis obducto cinere, ſepulta; cùm vt ſi ignem commoueris, quaſi euigilat, & flamma conſurgit, veluti ab exſtincto; ſic reconflari ſenſus per membra, & quaſi ex mortuo ſuſcitari valeat.

Quod dico autem corpuſcula incidere ab aëre, quæ hanc exturbationem faciant, aërem intelligo partim externum, qui nunquam ceſſat corpus pulſare, ac tundere (inde enim fit, vt extima cuiuſque animalis pars ſolideſcat, ac induretur) partim internum, ſeu qui ore tum inducitur, tum reflatur. Nimirùm, cùm vtriuſque ictus per tenueis meatus ad prima principia peruenit, eorum poſituræ ita conturbantur, vt pars excedat, pars introrſum condatur, & quæ pars ſupereſt per membra, quòd ob vias variè interceptas coniuncta ſecum ipſa non ſit, ſolito munere fungi nequit.

Quòd à cibo etiam incidere dico, ideò facio, quòd dum cibus intus diditur, per venas, idem, quod aër, faciat; imò vt copioſiore, ſic maiore vi: Quò fit, vt ſopor, quem cibus creat, ob conturbationem maiorem, ſit ſolito grauior; vti & qui creatur ex nimia laſſitudine, propter diſtractionem maiorem.

Cæterùm, cùm poſſit res videri mira, Quî fieri valeat, vt per Somnum nobis contingant Inſomnia: idcirco adnotari debet, quod non multò antè dictum eſt, vagari vbique continuò innumerabilium rerum ſimulacra, quæ præ ſui ſubtilitate penetrare in corpus, & ferire; afficereque animum in pectore medio exſiſtentem ſic valeant, vt ille ad cogitandum res quarum ſunt ſimulacra, excitetur. Nimirùm, quia illa non minùs per ſomnum, quàm per vigiliam penetrant, ac animum feriunt, ſit vt res dormiendo non ſecus, ac vigilando, videre videamur.

Efficitur autem, vt ea, quæ apparent, idcirco pro veris habeamus, quòd conſopitis ſenſibus, nihil poſſit occurrere, quod nos erroris admoneat, ac veris rebus falſum conuincat: & iacente aliunde memoria, habeamus v.c. pro viuis illos, qui mortui pridem ſunt; quòd cùm præſentia illorum ſimulacra ſint, mortis illorum non recordemur.

Si requiras verò, Quî fiat, vt ea ſomniemus maximè, quorum præſertim ſtudio teneamur, aut quibus per vigiliam ſtudioſè incubuerimus (nam & Oratores perorant, & milites pugnant, & nautæ colluctantur ventis, & luſores ludos exercent, & cæteri cætera; ac neque id modò; quando aliorum quoque animalium equi ſudant, ſpirant, & quaſi de palma contendunt: canes venatici iactant crura, voces repentè mittunt, reducunt auras naribus crebras; atque ita de reliquis.) Dicendum eſt ideò id fieri, quòd ob factam recèns impreſſionem in animo, patentes viæ relictæ ſint, quibus eadem ſimulacra ſubeant, ac præ cæteris animam rurſùs moueant.

Certè ex hoc eſſe capite videtur, quòd ſitiens fontem ſomniet, ac bibat; micturiens matulam cogitet, ac mingat: Scilicet quòd motus interni vias quaſi aperiant, quibus ſubeuntia rerum affinium ſimulacra animum permoueant. Quo modo fit quoque, vt ſimulacris pluribus, affinibuſque coëuntibus, magni aliqui motus in animo fiant; ac tum ſomnians videatur ſibi magna ſapere, magna gerere, magna loqui; clamores etiam tollat, vt ſi à quopiam iugularetur, manderetúrve à leone, aut Panthera; exterreatur quoque, non ſecus, ac ſi ex alto monte ſe præcipitem daret; adeò vt etiam euigilatus vix ſui compos denique fiat.

CAPVT XXII.

De Morte.

AD Mortem verò quod attinet, ea nihil eſt aliud, quàm Priuatio ſenſus, propter exceſſum animæ. Senſum heic dico non tantùm actionem, cuius eſt etiam Somnus priuatio, ſed facultatem quoque ſentiendi, quæ ſimul cum anima perit, ac vnà etiam animus, adeò vt, anima excedente, excedere etiam animus, vt ipſe coniunctus cenſeatur.

Etenim, quandiù anima quidem exſiſtit in corpore, tametſi deficiat alia quæpiam pars, nullatenus tamen eſt priuatio ſenſus; at ſenſus cum ipſa vna deperit, ſimùl ac diſſolui id contingit, quo continetur, ſeu illud totum corpus ſit, ſeu pars aliqua, in qua ſedem habeat. Neque verò obſtat, quòd corpus ſiue totum, ſiue ex parte ad aliquod tempus indiſſolutum remaneat; nam ſenſu nihilominùs caret, vbi exceſſerit atomorum copia eiuſcemodi, quæ ad naturam animæ conſtituendam eſt neceſſaria.

Porrò & corpore exſoluto, anima ipſa diſſipatur, neque habet ampliùs eaſdem facultates, neque mouetur ampliùs, neque obtinet adeò ampliùs ſenſum. Non enim intelligi poteſt

teſt eandem rem etiamnum ſentire, quæ motibus iiſdem non vtitur ampliùs; cùm non ineſt ampliùs in eodem compoſito; ſiue dum ampliùs illa non ſunt, quibus fouebatur, continebatúrque, & in quibus exſiſtens obibat huiuſmodi motus; reſque ſe perinde in anima, ac in oculo habet, qui auulſus radicitus, ſeorſúmque ab ipſo, cui inhæſerat, corpore, videre nihil poteſt.

Cùm diſſipari autem dico animam, animum quoque intelligo, quando animus ipſi indiuiduè coniunctus eſt, neque, eâ pereunte, conſiſtere poteſt: Quò fit, vt hoc loco dicere animum, animámque perinde ſit; quòd par diſſipatio competat vtrique. Fit autem diſſipatio hæc, non profectò in nihilum, (vt fieri neceſſe eſt dicant, qui animam eſſe volunt Harmoniam, ſeu talem contemperationem, qualis ipſa eſt Sanitas) ſed in principia, corpuſculave, ex quibus eius textura eſt, idque non modò inſtar aquæ vaſe conquaſſato diffluentis, ſed etiam abeuntis in auras fumi, aut nebulæ; & tantò quidem faciliùs, quantò texturæ eſt tenuioris; cùm vel ipſis nebulæ, ac fumi ſimulacris valeat percelli.

Et certè animam diſſipari, interiréque vel ex eo conſtat, quòd concernatur, exoriatúrque. Ac ſunt quidem, qui æternam faciant; initium nempe ipſi negantes, vt auertant exitium, ac eſſe ante corpus, in quod extrinſecùs veniat, ſumentes, vt ſupereſſe à corpore, è quo ſoſpes exeat, tueantur: Verùm illud quidem prætereo, quod non videantur aduertere æternùm perdurans eſſe nihil poſſe, niſi tale ſit, aut præ ſui ſoliditate, vt atomus; aut quòd ſit plagæ expers, vt inane; aut quod careat loco, in quem excedat, vt Vniuerſum; neque item aduertere, quantæ poſſit verti dementiæ, putare res adeò diuerſas, ac ſunt immortale, & mortale, coniungi.

Prætereo id, inquam, ac requiro ſolùm, qui poſſit anima in corpus inſinuari extrinſecùs, ac permanare per eius parteis, & non diſpertiri tamen, exſoluique, quemadmodum cibus diditus per membra? Et nonne potiùs deberet in corpore, vt auis in cauea morari: non verò eo modo, vt cum corpore creſcere, ſimulque extendi intelligatur? Et quorſum ergo cum corpore peruenit ad ætatis florem? aut quid eſt, cur in ſenectute metuat, non gaudeat è corpore, tanquam è carcere exire, & ſerpentis inſtar mortale ſpolium relinquere? Et, ſi abſcedens à corpore, quaſdam ſui reliquias ſinit; nonne exſolubilis eſt? Si non ſinit; vndenam ergo in cadauere tot gignuntur vermes?

Nam dicere quidem totidem animas eò confluere extrinſecùs, & volitare quaſi vmbras, deligeréque propriam materiam, fabricari ſibi propria corpora, aliáque id genus, quàm abſurdum eſt? Vti & per-ridiculum eſt ad ipſos coïtus, partuſque animalium circumſtare quoddam quaſi animarum examen, & de inſinuatione in corpus inter ſe mutuò contendere?

Et, nonne, ſi animæ toties commutaſſent animalium corpora, deberent ſenſim immutatæ illorum eſſe indoles; ſicque iam leo eſſe non ferox, ceruus non timidus, vulpes non doloſa, fugiens ceruum canis, columbam accipiter? Cùm &, ſi quis dicat animas humanas immigrare ſolùm in humana corpora; dicere non poſſit, cur anima fiat è ſapiente ſtulta; cur nullus puer prudens ſit? cur nos, vt de ſe fabulati ſunt, qui primi iſta prodiderunt, anteactæ vitæ, rerúmque in ea geſtarum, nuſquam recordemur.

Exortum ergo anima habet, à quo vſque vt adoleſcit, vigeſcitque cum corpore; ſic tendat oportet ad interitum, cum eodem ſeneſcens, ac ſenſim deficiens.

Hoc verò de Mente etiam dico, quam perfici ſenſim, atque debilitari conſtat; cùm & aliunde non ſolùm compatiatur morbis, doloribuſque corporis; verùm laboret etiam propriis, & medicinam quoque iis curandis admittat; quod fieri profectò non poteſt, quin accedat, abſcedat, tranſponatur quidpiam in eius textura: nam & admonere, quid illi per ebrietatem, epilepſiam, delirium contingat, nihil neceſſe eſt.

Id dignum conſideratione, quod certæ parti corporis, non ſecùs ac auris, oculúſve affixa ſit; vt pari proinde ratione cum toto incipiat, atque deſinat; & vel ex eo quidem, quòd vnicuique rei, vt arbori, vt piſci, &c. certa, ac definita ſit regio, in qua, vt naſcatur, ſic degat, ac tandem eſſe ſic deſinat, vt conſiſtere extra ipſam non valeat.

Sed &, cùm homo membratim moriatur, ſenſimque exſpiret, quaſi anima partibili: quis experitur animum non è pectore medio euaneſcere, ſed per iugulum, & os incolumem exire? Nam quòd anima quidem ipſa quaſi cribrata, atque diuiſa per ipſum corpus exeat, arguitur vel ex eo putrore, qui in cadauere ex illius diſceſſu non aliunde eſt, quàm quòd ſingulæ eius partes ſitum commutârint, quem partes animæ ſingulæ continebant. Vt taceam, quòd anima aliunde, biſecto raptim, aut conciſo fruſtulatim corpore, non biſecari & ipſa, concidique fruſtulatim non poſſit.

Itaque ſicut Anima ante generationem non fuit, ita neque poſt mortem erit: atque vt nihil ægri anteacto tempore ſenſimus, ita nihil ſumus poſt-futuro ſenſuri: tum nempe, cùm non ampliùs erit aut tactus, aut planè vllus ſenſus, qui eſſe omninò aliquis non poteſt in ſeparata anima, cùm iam ſine organis ſit, in quibus ſolis reſident, & quibuſcum ſolis agere poſſunt, aut pati ſenſus.

Quò fit, vt reputare liceat vanos eſſe Inferorum metus; neque enim Ixionem rotâ volui; neque ſaxum Siſypho humero trudi in aduerſum; neque vllius viſcera & renaſci poſſe quotidie, & carpi. Scilicet fabulæ hæ ſunt; vti & quæ tradunt de Tantalo, de Cerbero, de Danaidibus, de Furiis, déque cæteris, quæ ſi

vſquam ſunt, in vita hæc ſunt propter hominum deprauatos mores.

Tota huius loci impietas repreſſa eſt, refutataque in Animaduerſionibus, diſſertatione prolixa, cui titulus eſt, Eſſe Animos hominum immortaleis, contra Epicurum; videlicet Tom.I. *à Pag.*286.

SECTIO QVARTA.

De Rebus Sublimibus, tam Cæleſtibus, quàm Aëreis.

HACTENVS fuêre res Humiles, ſequuntur Sublimes, ſiue in ſublimi, hoc eſt, in regione ſupra Terram fuſa elatæ, atque apparentes. Huiuſcemodi ſunt Sol, Luna, alia Sidera, & quæ in ipſis contingunt, vt Ortus, Occaſus, Conuerſiones, Eclipſes, & ſimilia; itémque Nubes, Pluuiæ, Venti, Fulgura, Tonitrua, Fulmina, cætera id genus. Scilicet, vtcumque aliqui ſecernant, & poſteriora hæc ſola μετέωρα, hoc eſt, Sublimia vocitent; congruum tamen eſt priora quoque illa & Meteora dicere, & vnâ Meteorologiâ, (hoc eſt, tractatione de Sublimibus) vtraque complecti.

Repetendum verò heic eſt, quod initio eſt inſinuatum, Non eſſe alium ſtatuendum finem cognitionis Rerum Sublimium ſiue coniunctim cum aliis, vt heic; ſiue ſeparatim, ac per ſe, vt aliàs facimus, tractentur, quàm Statum mentis imperturbatum ac perſuaſionem non vacillantem; veluti & in cæteris, de quibus ſolemus diſſerere rebus.

Non ſanè, quòd, cùm res Sublimes eiuſmodi ſint, vt multifariam aut obtineant, aut obtinere valeant & generationis cauſam, & eſſentiæ declarationem iis, quæ percipiuntur ſenſibus, conformem, vni alicui modo ſpeciali ſic hærendum ſit, vt circa propoſitiones de Moribus fit, aut circa illas Phyſicas, eiuſmodi eſſe diximus illas, Vniuerſum eſt corpus, & Inane: Rerum principia ſunt inſectilia, ac eiuſmodi cæteras, quæcumque vno tantùm modo cum rebus apparentibus congruunt: verùm, quòd ſit firma perſuaſione tenendum, eſſe reipsâ huiuſmodi res non vno, ſed pluribus modis explicabileis, neque adoriendum eſſe aliquid, quod vireis excedat humanas; definiendo nempe vnum certum modum, quo ſolo fieri res valeat.

Id, inquam, repetendum eſt, quòd Tum reputare oporteat Phyſiologici eſſe muneris, cauſas præcipuarum, quæ in natura ſunt, rerum, accuratè perueſtigare; & heinc profluxiſſe quicquid felicitatis eſt ſitum in cognitione rerum ſublimium, ac in eo potiſſimùm, quòd diſquiritur, cuiuſmodi ſint, quæ in hiſce Sublimibus viſuntur, & quæcumque ipſis cognata quodammodo ſunt: Tum tenenda omnino hæc Regula ſit, Eſſe in iſtis rebus id, quod dicitur, Pluribus modis fieri: &, Non vno modo neceſſariò contingere: &, Poſſe alio quoque modo ſe habere.

Quod quidem inculco, ne, ſi cùm vni modo adhæſerimus, is fortè diſpliceat, non ad naturalem alium recurramus, ſed potiùs ad diuinam cauſam; quia hoc iam foret agnoſcere multiplicem modum, vbi vnicus eſt. Scilicet diuinæ naturæ tribuerentur curæ, & negotia; cùm ſit tamen ſimpliciter, abſolutéque neceſſarium, vt in immortali, beatâque natura nihil eorum ſit, quæ diſſolutionem, aut perturbationem inducunt. Statim quippe mens apprehendit, fieri abſolutè non poſſe, vt ipſi tale quid competat, perſpectâ immortalitatis, ac beatitudinis conditione.

Et certè huiuſcemodi conſiderationis defectu, conſtat, inſpectiònem, obſeruationemque Occaſus, Ortus, Solſtitij, Eclipſeos, cæterorumque eiuſmodi nihilo facere per ſe feliciorem notitiam; ſed perinde (ac fortè etiam ampliùs) metuere illos, qui hæc perſpexerunt (neque tamen nôront quales ſint naturæ eorum corporum, qualeſque potiſſimæ cauſæ) ac ſi omnino non perſpexiſſent; quando admiratio, quæ ex harum rerum inſpectione oritur, reperire exitum circa diſpoſitionem, ac modum, quo res maximè peraguntur, non poteſt. Ex quo fit, vt nos adnitamur plureis inuenire, & dicere cauſas Solſtitiorum, occaſuum, ortuum, deliquiorum, aliorumque id genus; vti & in reliquis conſimilibus, quæ apud nos, ſeu in terris contingunt.

Niſi verò cenſendum non eſt diſquiſitionem harum rerum minimè nanciſci vſum congruum, quæ nobis ad tranquillitatem, felicitatemque acquirendam conducit? Par profectò eſt, tam circa Sublimia, quàm circa cætera alioquin obſcura requirere cauſas iuxta varios modos, quibus apud nos ſimilia contingunt: ac illos minimè morari qui neque vnum certum modum, quo res aliqua poſſit ſe habere, aut fieri, neque modum multiplicem, quo contingere quidpiam valeat, nôrunt; ſolam verò rerum ſpeciem, qualis nobis procul exhibetur, prætendunt, ac prætereà ignorant, quibus ex rebus eueniat, aut non eueniat, vt perturbemur. Si reputemus certè contingere, vt aliquid vno certo modo fiat, ac exinde non perturbemur; certè, inquam, ſcientes aliunde poſſe pluribus modis idem fieri, non imperturbati minùs erimus, quàm ſi certo modo fieri perſpectum haberemus.

Cæterùm omnia ſatis conſtanter explicata fient iuxta modum multifarium rebus apparentibus congruum, quando quis retinebit, ac tuebitur quicquid veriſimile eſt in ipſo. Neceſſe eſt autem coniecturas ad ea, quæ ſublimè creantur, ducere ex iis, quæ apud nos fiunt; ex iis, inquam, quæ obſeruantur, aut perinde ſe habent, ac ea, quæ ſublimè viſuntur: Siquidem talia fieri compluribus modis contingit. Quare & quod in vnoquoque Sublimium apparet,

Digitized by Google

apparet, attendendum eſt iuxta ea, quæ cum ipſo conſonant, quæque pluribus modis fieri rebus apud nos contingentibus non repugnat.

Sed hæreo heic nimis. Quare, vt rem aggrediar, tametſi tota Super-terrena regio ſoleat interdum Cælum dici; quippe vicinior quoque aër cælum interdum dicitur: Placet tamen nomine Cæli, vti & Ætheris, eam regionis partem intelligere, quæ & ſuperior eſt, & Sidera complectitur; nomine Aëris eam, quæ inferior, & in qua nubes, fulgetra, aliáque id genus viſuntur, ac fiunt. Atque id quidem, vt dicturi poſteriùs de Aëreis Sublimibus, à Cæleſtibus, quæ vt præfati ſumus, venire quoque nomine Sublimium debent, auſpicemur.

Quod hoc loco interſeritur Prouidentia non conſonum, indicatis ſæpiùs Animaduerſionum locis reſutatum eſt, & Diſſertatione præſertim, qua eſt Tom. I. *à Pag.* 374.

CAPVT I.

De Subſtantia, & varietate Siderum.

PRincipio verò id ſupponendum, quod ſuperiùs attigimus, nempe Solem, Lunam, cæteraque aſtra, non per ſe, ac ſeorſim fuiſſe genita, & poſteriùs à Mundo comprehenſa; ſed ſtatim, ſimulve cum ipſo conformationem, incrementumque, & magnitudinem ſuam accepiſſe (quemadmodum etiam & Terram, & Mare, & quæcumque Mundus aſſeruat) iuxta ſcilicet concrementa, conuolutioneſque interiùs factas tenuïorum quarundam, earumque ſeu ſpirituoſarum, ſeu ignearum, ſeu vtriuſque ſimul conditionis naturarum: Quippe iſta ſunt, quæ ſuggerit ſenſus.

Heinc verò videntur quidem Sidera ſubſtantiæ eſſe præſertim Igneæ; ac præ cæteris ipſe Sol, cuius calor ſenſu tam clarè probatur; at videntur quoque non tam puri Ignes, quàm commiſta quædam concrementa eſſe, quibus ſit alligatus ignis.

Etenim fieri non modò poteſt vt ſint quaſi quidam vitrei, politive diſci, qui lucida, ignificaque corpuſcula, ex ipſa regione æxtherea, per quam diſcurrunt, appellentia, & excipere, & reflectere, & qua proinde ſpecie apparent, exhiberi valeant: conſimilia enim fiunt apud nos: Itemque, vt ſint quaſi nubes perinde illuſtratæ, & quaſi accenſæ; cùm non ſecus Parhelij fiant.

Sed poteſt etiam fieri, vt ſint quaſi quædam ſcaphidia parte ſui caua continentia ignem; laternæ videlicet inſtar, aut catini prunas, metallumve fuſum, ignitumque continentis. Poteſt & vt ſint quaſi candentes laminæ, aut quaſi lapides, qui in fornace ardeſcunt: Quippe & nihil eſt horum, quod repugnet.

Quò magis poteſt fieri, vt Sol ſpeciatim nihil aliud ſit, quàm glebulentum quoddam ſpiſſamentum, quod pumicis, ſpongiæve inſtar, creberrimis poris, meatibuſque peruium, ſplendorem per ipſos, cùm videlicet ignem intus contineat, eiaculetur.

Vnum, quod fieri minimè poſſit, eſſe id videtur, quod aliqui dicunt, vt Sidera nempe animata ſint, ſiue totidem Animalia, ac inſuper totidem Dij. Quippe &, tametſi donemus eſſe vnumquodque quaſi quendam Mundum, ſeu potiùs quandam quaſi Terram, quæ proprium ſibi aërem, imò ætherem quoque habeat; nihilominùs vt noſtra hæc Terra, licet animalia producat, non ideò ipſa eſt animal; ita neque Sidera erunt; vtcumque procreari in ipſis animalia quædam poſſe concedatur.

Quanquam, vt iſtud vltrò admittam, quod prætereà tamen vlteriùs contendunt rotundos, & volubileis huiuſcemodi Deos dari, nihil aliud lubet, quàm repetere, quod iam ſuperiùs inſtitimus, portenta hæc eſſe, & miracula non ſanè diſſerentium, ſed ſomniantium Philoſophorum, videlicet cùm immortalia mortali ſermone notantes, ea proferant, quæ à Deorum felicitate tam aliena ſint, & præſtanti eorum natura ſic videri indigna poſſint.

Quod ſupereſt, fuere iampridem duo aliqua Siderum, Aſtrorumve genera diſtincta. Nam quædam quidem ſunt Inerrantia, quæ & ſitum ſemper inter ſe eundem obſeruant, & viam ſemper eandem ab ortu in occaſum tenent, neque illam vnquam commutant: Quædam verò Errantia, vnde & Planetæ, ſeu Errones dicuntur; quippe cùm neque inter ſe, neque cum aliis eundem ſitum ſeruent, & ſuos circuitus nunc magis ad boream, nunc magis ad auſtrum perficiant.

Si quæras autem vnde-nam hæc illis diuerſitas ſit, Dico fieri poſſe, vt Aſtra ea neceſſitate ab initio in orbem mota ſic fuerint, vt alia quidem vnâ, eademque conuerſione, ipsâque exſiſtente æquabili gyrationem acceperint: alia conuerſiones quibuſdam inæqualitatibus affecta ſubierint.

Fieri etiam poſſe, vt per quæ loca ſuos motus obeunt, alibi quidem æquabiles ſpatiorum diffuſiones ſint, quæ & eodem verſus, & ſubſequenter ipſa compellant, moueantque æquabiliter; alibi verò ea ratione inæquabiles, vt quas obſeruamus in ipſis motuum varietates exinde proueniant.

Huiuſcemodi porrò rerum vnam ſolam reddere cauſam, cùm ea, quæ apparent, eſſe poſſe multiplicem arguant, inſanum eſt, nec ritè conſultum ab iis, qui inanem depereunt Aſtrologiam, quique quarumdam rerum cauſas inaniter explicant, cùm & diuinam interim naturam (ad quam plærumque hæc referunt) ab exhibendis variis miniſteriis liberam non ſinant.

Eódem referenda poſtrema hæc verba, quò adnotatum eſt ad calcem capitis ſuperioris.

CAPVT II.

De Magnitudine, & Figura Siderum.

AD Magnitudinem verò Solis, Siderumque aliorum quod ſpectat, ea conſiderari poteſt vel ſecundum nos, vel ſecundum ſe. Et ſecundum nos quidem ea tanta eſt, quanta & apparet; Quippe ſenſus non fallitur, & quicquid oculus in ipſis conſpicit magnitudinis, ſic in ipſis eſt, vt neque habeant aliquid extra circumductum, qui conſpicitur, neque quicquid habent, intra eundem non habent.

At verò ſpectata Magnitudo ſecundùm ſe, ſeu rem ipſam quod attinet, poteſt ea eſſe aut paullò maior, aut paullò minor, aut præcisè quanta videtur. Iſta nimirùm varietate exhibentur ſenſibus ignes, qui apud nos ex interuallo interdiù, noctùque ſpectantur; ſiquidem aut tanti, quanti & ſunt, apparent, quemadmodum flamma lucernæ, ſi ſpectetur cominùs; aut minores, vt dum eadem flamma interdiu, eminuſque conſpicitur; aut maiores, quàm reuerà ſint, vt dum rursùs eadem flamma noctu, eminúſque ſpectatur.

Dico autem paullò aut maior, aut minor; ſiquidem iſthæc diuerſitas, vt verus nempe circumductus, vltra, aut citra illum, qui à nobis conſpicitur ſit, eſſe admodum magna non poteſt; idque deſumpto quoque aliunde ex noſtris ignibus argumento. Nam ex quantocumque interuallo alicuius ignis calorem ſentimus, ex eadem & ſpecies illius iuſta nobis apparet; vt proinde, cùm Solis calorem heinc, vnde à nobis videtur, ſentiamus, magnitudo illius iuſta eſſe euariata ſenſibiliter admodum non poſſit.

Confirmatur autem nihil ab interuallo, quod ſenſibile ſit, ex ipſis aſtris delibari, quia quæ remota, aëreque multo intercepto contuemur, circumſcriptione confuſa exhibentur: at verò & Sol iis, qui intueri illum ſuſtinent, circumſcriptione diſerta eſt; & ipſo Lunæ circumductu nihil videri diſtinctius poteſt. Et ſtellæ quidem ſcintillantes, tremuliſque radiis quaſi excurrentes apparent; ſed hoc ipſum aliunde arguit eſſe eâ illas propinquitate, vt diſertè conſpici valeant; quatenus quos apud nos igneis cominùs intuemur, pari ratione vndulantes, tremulique ſunt; quos eminùs verò, ij fixi, conſtanteſque apparent.

Confirmatur rursùs, quia ſi ſidera magnitudinem ſuam iuſtam ob interuallum amitterent, multò magis amitterent colorem; conſtat quippe res è longinquo priùs deſinere germano conſpici colore, quàm præ exilitate prorsùs conſpici; atqui licet nullum interuallum ſit ad hoc præſtandum accommodatius (neque enim prolixior longinquitas eſt) non idcircò nihilominùs ſidera amittunt germanum colorem.

Ac poſſunt quidem plurima aduerſus hunc locum vrgeri; at verò ea nullo ſoluentur negotio, ſi quis manifeſtis adhæſerit rebus; vt in libris quidem de Natura oſtendimus, vbi allatâ hac diſtinctione de magnitudine ſpectatæ & ſecundùm ſe, & ſecundum nos, declarauimus nihil feciſſe abſurdi & illum, qui dixit eſſe Solem pedis humani latitudine; & illum, qui eſſe multis vicibus maiorem, quàm Peloponneſum; & illum, qui eſſe ipſi Terræ æqualem, quoniam earum rerum, quæ ſecundùm ſe maiores, minoreſque ſunt, poteſt vna ſecundùm nos, quatenus viſæ eminùs, cominùſque fuerint, eſſe magnitudo.

De Figura hoc ſolùm dico, poſſe eam, cùm nobis orbicularis appareat, eſſe & globoſam, & laminæ inſtar planam; atque ideircò ſidera eſſe aut quaſi diſcos, aut quaſi cylindros, aut quaſi conos, ac turbines, aut quaſi clauos quoſdam infixos; Horum ſiquidem nihil eſt quod repugnet, quodque non habeat aliquam cum rebus apparentibus conſonantiam.

CAPVT III.

De Motu, & Anteuerſione, Conuerſioneque Siderum.

CVm dictum paullò ante ſit, eſſe Siderum alia Inerrantia, alia verò Errantia, & varietatem hanc ex eo peti, quod varios motus ſubeant; dicendum heic iam vniuersè eſt, poſſe vtrorumque motus fieri, aut toto cælo, cui vel vnum, vel plura inſint, circumducto, vtputà tanquam ſolido, ipſáque ſimul quaſi clauos ſibi infixos deuehente: aut cælo, tanquam vel fluido, vel peruio meatibus, ſtante; iis verò intra ipſum per ſe circumductis.

Quia verò ſeu Cæli, ſeu Siderum ſit motus, cœpiſſe is poteſt iuxta neceſſitatem, tum, cùm Mundus generaretur, factam, impreſſámque ex parte orientis; poteſt ſanè priore caſu (ſi toti nempe cælo inſit) vt cœpiſſe, ſic continuari, aëris cuiuſdam abreptu: Nam poteſt exteriùs eſſe duplex aër, vnus quidem, qui ſupernè premat, exlúmque in occaſum vrgeat; alter, qui infernè eòdem quaſi ſubteruehat; idque præter alium, qui heinc inde polos premat, contineatque: Poſteriore (ſi nempe motus ipſis inſit Sideribus) aut abreptu aëtis, aut ductu ipſiuſmet Ignis.

Videlicet potuit ab vſque initio corpuſculorum ſeſe exhalando diffundentium copia aërem perrumpere, ipſúmque elidere; ipſe verò venti motionem accipiens, aſtráque corripiens, illa circumducere, ac motum in orbem, qui etiam-num ſursùm in iis viſitur, continentem, creare. Potuit & Ignis cuiuſque Sideris proprius, aut conclusus, quæreníque viam, circumverſari vt cœpiſſe, ita etiamnum pergere; aut liberior, quocumque cibus quemque vocauit, ita ſerpſiſſe, vt deinceps quoque ob calorem,

Digitized by Google

calorem, auiditatémque adeò pabuli, procedere perrexerit in loca,conſequentia tanquam ad depaſtionem idonea.

Nempe nihil horum non eſt rebus apparentibus conſentaneum; cùm in promptu alioquin non ſit, quæ cauſa motum vrgeat Sideribus, determinare.

At, Quî fieri poteſt, vt Sidera quædam ſic anteuertant alia, vt iſta ab illis relicta ſpectare contingat? Nempe id contingere poteſt, Aut quia, cùm iſta eandem cum illis diurnam circuitionem obeant, ſegniùs feruntur; veluti Luna, quæ lentiùs, quàm reliqua verſus occaſum properans, ab ipſis relinqnitur quaſi à tergo verſus ortum. Aut quia abrepta motu diurno verſus occaſum, feruntur tamen intereà lentè motu contrario verſus ortum: quo pacto poteſt eadem Luna non tam verſus ortum à cæteris deſeri, quàm verſus occaſum ea deſere. Aut quia cùm ſola diurna reuolutione,æqualique motu ferantur omnia; quædam tamen prolixius,quædam breuius ſpatium conficiunt: ſicque Luna rurſus, ſi ſupra Inerrantia ſit; vt aliquibus viſum eſt, perficiet tardiùs circuitum, obſeruabiturque poſteriùs relinqui.

Pronunciare certè ſimpliciter velle in hiſce rebus aliquid, eos decet, qui magnificum, & portentoſum quidpiam coram multitudine oſtentare affectant.

Quî fieri rurſus poteſt, vt Sol, vt Luna, vt Stellæ errantes vbi ad Tropicos, locáve Solſtitialia peruenerint, curſum conuertant, ac regrediantur? Scilicet, contingere id poteſt, Aut quòd ab initio ea circumgyratio fuerit his impreſſa Sideribus, vt ſpirali motu heinc inde ad loca Solſtitialia limitato circumducerentur: Aut quòd imitentur obliquitatem cæli, quod progreſſu temporis eam ſitus deflexi neceſſitatem contraxerit; Aut quòd reprimantur propter aërem, qui ipſa heinc inde præ frigiditate, denſitate, qualitatéve aliâ repellat; Aut quòd ipſorum pabulum congruè, ſeu ſecundùm eam viam continenter diſpoſitum partim quidem ponè accendatur, partim prorſum aufugiat.

Siquidem hæc omnia, ipſiſque affinia nihil continent diſcrepans ab ipſa rerum euidentia: ſi quis modò in hiſce rebus poſſibilitati adhærens, reuocare vnamquamque ad id, quod eſt congruum apparentibus valeat; nihil veritus illiberalia Aſtrulogorum machinamenta; dum immenſam farraginem concentricorumorbium ſuper-exſtruere, interſtruerèque non ceſſant.

CAPVT IV.

De Ortu, & Occaſu Siderum; déque Dierum, & Noctium longitudine alternante.

AT verò Ortus, Occaſuſque & Solis, & Lunæ, & reliquorum Siderum, contingere trifariàm poſſunt.

Primùm ſcilicet, per Apparitionem ſuprà, & Occultationem infrà; quòd exſiſtentia Sidera ſemper lucida, inexſtinctáque perſeuerantia, ita Terræ ſurſum, deorſúmque circumferantur, vt nunc ſuprà emergant, ſiue exoriantur; nunc deprimantur infrà, ſiue occidant; ac Sol ſpeciatim deorſum conuerſus, tenebras nobis faciat, reuertens verò anticipet, & cælum ſuis radiis quaſi accendere per auroram tenter. Scilicet nihil eſt ex rebus apparentibus, quod repugnet.

Deinde per Accenſionem in regione Orientis, & per Exſtinctionem in regione Occidentis factam. Scilicet ob talem ad vtrumque locum diſpoſitionem medij, vt dum aſtra per illud tranſeunt, iſta, quæ dico eueniant; quandoquidem nihil eſt rerum apparentium, quod refragetur; cùm & fontes eſſe perhibeantur, qualem Epiroticum eſſe iam antè memorauimus, qui non modò exſtinguant, ſed etiam qui accendant faces; & Oceano circumeunte Terram, poſſit Sol ad ipſum, in regione Occidentis exſtinctus, redire per eundem, (ac tranſeundo quidem vltra boream) in regionem Orientis, exindéque emergere, & ſimùl accendi.

Tertiò per renouatam quotidie productionem, quatenus nihil repugnat, quò minùs diebus ſingulis noui, v. c. Soles exoriantur, confluentibus videlicet ad ortum variis ignibus,aut ſeminibus ignium,qui in orbem coëant, ſplendeantque, & imperium ſubeant, quo in occaſum pergant. Quippe & fama eſt obſeruari ex montibus Idæ ſic fieri; ac potiſſimùm ſub exortum Canis; & poſſe certis temporibus confluere igneis, intelligi ex eo poteſt, quod obſeruatur fieri certo tempore in omnibus rebus. Nempe ex ſeminum confluxu, & defluxu florent arbores certo tempore, certo tempore defloreſcunt; certo erumpunt dentes, certo decidunt; atque ita de cæteris, quæ recenſere foret prolixum.

Cùm porrò ipſa Solis ſupra terram mora ſit Dies, & abſentia Nox; Quî fieri poteſt, vt non ſemper dies diebus, noctes noctibus ſint æquales; ſed ſint dies quidem per æſtatem longiores, & noctes breuiores; per hyemem verò alternatim noctes longiores, dies breuiores? Nimirum iſtud quoque poteſt tribus modis contingere.

Vno, quòd circuitiones Solis ſupra, ac infra Terram nunc celeriùs, nunc tardiùs fiant, quatenus & ipſæ locorum, ſeu viarum, quibus Sol incedit, longitudines ſint alternæ. Atque id quidem ob poſituram orbis vocati Signiferi, quem obliquè percurrit Sol,& in duplici cuius Signo noctem diei exæquans, vbi exinde ad Aquilonem, vel Auſtrum deflectit, quantum itineris ad alteram partem aut ſupra, aut infra terram detrahit, tantumdem ad alteram reponit.

Altero, quòd certa per ætherem ſint loca, quæ propter craſſitudinem, factamque adeò

reſiſtentiam, tranſmeari ſegniùs, quàm alia valeant; ac talia eſſe, quæ ſub terris Solem hyeme hæſitare cogant, ſicque & noctes prolixiores, & dies breuiores, quàm per æſtatem faciant. Sanè & quæpiam huiuſmodi obſeruare apud nos licet, iuxta quæ conſentaneum ſit, ea quæ ſublimia ſunt, explicare.

Tertiò, quòd alternis anni partibus memorati ignes, ſemináve ignium ſic confluant, vt Solem ereent ciriùs, aut tardiùs; & Sol ex ea parte oriatur, vnde longiorem, aut breuiorem ſupra terram curſum conficiat.

Qui ſanè vnum quid ſingulare in hiſce rebus ſolùm accipiunt, tum apparentibus repugnant, tum ab eo, quod homini contemplari fas eſt, aberrant.

CAPVT V.

De Siderum Luce; & de Phaſibus, ac Maculis Lunæ.

CÆterùm, vt quidpiam de Luce tam Solis, quàm cæterorum Siderum, ac Lunæ præſertim ſobiiciam: Mirantur primùm homines, vnde habeat Sol, cùm tantulus ſit, vt tantum lucis ex ſe fundat, quantum ad cælum, terram, mare, quaſi irrigandum ſplendore, caloréque ſufficiat, neque propthereà exhauriatur. Sed nempe eſt Sol quaſi fons, in quem ſubterfluunt vndique riuuli perennes. Quippe ex vniuerſo Mundo ſemina caloris ita in Solem confluunt, vt ſubinde ex ipſo, quaſi ex vno capite & calor, & lux quoquoverſum redundet.

Quin-etiam poteſt Subſtantia Solis eiuſcemodi eſſe denſitatis, & quod ex eo lucis, caloriſque profluit, eiuſcemodi tenuitatis, vt quemadmodum paruus fons, riuulúsve ex fonte deductus prata, campoſque abſque illius diſpendio latè irrigat, ita abſque diſpendio ſenſibili Solis, illud ad vniuerſum Mundum quaſi irrigandum ſufficere valeat.

Poteſt verò & aër eſſe eius naturæ, vt luce non magnâ à Sole diffuſâ, quaſi accendatur: vt poſſunt ex vna ſcintilla totæ ſegetes accipere incendium.

Poteſt etiam Sol circum ſe habete inuiſum nobis pabulum, vnde, ſicut flamma lucernæ ex ſuppoſito oleo, iacturam reſarciat. Poteſt & res aliis contingere modis.

Ad cætera Aſtra quod ſpectat, & Lunam ipſam maximè, fieri poteſt, vt quam præferunt lucem à ſeipſis habeant; fieri etiam poteſt, vt à Sole mutuentur. Siquidem etiam apud nos plæraque cernuntur ex ſeipſis lucentia, plæraque ſplendorem ex aliis mutuantia; ac nihil eſt rerum ſublimè apparentium, quod opinioni vtriuis obſter.

Id videlicet, ſi quis modò multifarium modum menti defixum teneat, & conſentaneas ipſi ſuppoſitiones, cauſáſque ſimùl conſideret, ne ad ea attendens, quæ incohærentia ſunt, vanè intumeſcat, & nunc huc, nunc illuc in ſingularem modum prolabatur.

Verùm, quod ad Lunam quidem attinet, id mirabile cum primis habetur, quòd tot phaſeis, ſeu incrementa, ac decrementa lucis accipiat. Enimverò poteſt, globoſa cùm ſit, & ſplendorem à Sole habeat, ita ex ordine figurari (eo ſcilicet modo, quo aër oriruro Sole illuſtratur, aut occaſo obſcuratur ſuccedenter) vt à Sole abſcedens creſcere in dies appareat, quòd ampliùs, ampliuſque illuſtratæ faciei ad nos referat, quouſque plenam exhibeat; & deinceps ad Solem accedens, in dies decreſcere, quòd minùs, ac minùs oſtentet, quouſque ex ea nihil ad nos vertat, ac penitùs lateat.

Poteſt & Luna globoſa exſiſtens, alterâ ſui parte eſſe lucida, alterâ obſcura; & conuerſione ſui corporis nunc amplius, nunc minus ex vtraque alternatim exhibere.

Poteſt & lucida ex ſe, pati obductionem ſuccedenter factam corporis cuiuſpiam opaci, quod hemiſphæricum, excauatúmque & vnà cùm ea labens, ipſi continuò circumuoluatur.

Quid? quòd nihil quoque iuxta iam dicta refragatur, quò minùs poſſit alia, aliáque, & certæ quidem formæ, figuræque, creari, ac aboriri Luna in dies ſingulos; eo modo, quo veris æſtatis, autumni, hyemis tempeſtates, ac multa in ipſis, ſtatis vicibus aduenirunt, & abeunt; naſcuntur,& intereunt?

Nimirùm res dicenda eſt, quocumque denique modo illa, quæ apud nos apparent, iis, quæ ſunt eiuſcemodi, planam faciunt explicationem. Niſi fortè quis ſingularem modum perditè deperiens, alios inaniter reiiciat; neque valeat conſiderare, ecquidnam pernoſſe poſſibile ſit; atque ideircò, quæ nefas eſt homini, pernoſſe affectet.

Deinde & illud in Luna mirantur, quod Miraculosâ facie appareat. Sed videlicet poteſt ea facies apparere huiuſmodi, aut ex natura varia, diuerſiformique ipſarum Lunæ partium; Aut ex obductione corporis cuiuſpiam non perinde opaci, ſed vtcumque caliginoſi; non continuo circumuoluti, ſed perpetuò potiùs hærentis; ac non vbique ſolidi, ſed reticuli inſtar variè perforati.

Poteſt & alio quovis modo ex iis, qui conformitatem tueri cum rebus apparentibus obſeruantur. Hæc nempe eſt via, cui hærendum eſſe, quotieſcumque agitur de Sublimibus, præſtituendum eſt. Neque enim, ſi quiſpiam rebus apparentibus obluctetur, is poterit vnquam germanæ tranquillitatis particeps fieri

CAPVT

CAPVT VI.

De Siderum Eclipſibus, Periodiſque ipſarum ſtatis.

VErùm enimverò nihil eſt, quòd maiorem hominibus incutere ſtuporem ſoleat, quàm quòd interdum derepentè contingere Eclipſeis, defectuſve lucis in Sole, ac Luna obſeruant; Quanquam, quidni hoc quoque poſſit pluribus modis contingere?

Nam primùm quidem poteſt Sol eam ob cauſam deficere, quòd Luna interpoſita cæcum ſuum orbem, corpúſve opacum illi obiiciat, ac eius lumine terram ſecludens, creet in ipſa tenebras, quovſque ſubducta, lucis reſtitutionem faciat. Poteſt ob eam Luna, quòd Terra ipſi, Solique interpoſita, Solem, quaſi oppreſſum ſuptà teneat, illique eripiat; ac ipſam proinde, dum vmbræ conum perlabitur, obſcuret, quovſque elapſa ex eo, recuperet lucem.

Deinde, poteſt quoque Sol ex eo deficere, quòd quæpiam pars cæli, aliudve quodpiam opacum corpus, cuiuſmodi eſt terræ, vnà cum ipſo Sole labatur, & certis vicibus ipſum ſubeat, eiuſque lucem intercipiat. Et Luna conſimiliter, quod corpus aliud, opacum quoque, illam inter, & Solem labens, Solis radios ipſi interrumpat; aut vnà etiam cum ea labens, non modò eius phaſeis lentè peragat, ſed interdum quoque vmbram repentinam inducat. Ne memorem, ſi alterâ parte obſcura, alterâ lucida ſit, fieri quoque poſſe, vt interdum obſcuram faciem repentè conuertat.

Ad hæc poſſunt tam Sol, quàm Luna idcircò deficere, quod per loca igni infeſta, inimicaque tranſeant, exſtinctionémque lucis patiantur, quovſque, vbi illa prætererint, ipſam recreent, recuperéntque.

Hac ſanè ratione attendendi ſunt familiares modi inuicem collati, ac aliqui etiam complexè accepti; cùm fieri poſſibile ſit, vt plures ſimul cauſæ concurrant.

Ordo etiam Periodicus, quo Eclipſes certis temporibus accidunt, ita ſeruari intelligatur, quemadmodum & apud nos ſeruari in quibuſdam (vt in tempeſtatum viciſſitudine) contingit. Nullatenus verò Natura Diuina ad hæc patranda aduocetur; ſed omnis expers muneris, & cumulatiſſimè beata eſſe permittatur.

Niſi id fiat, tota de cauſis rerum ſublimium ratiocinatio irrita euadet; vt nonnullis iam accidit, qui modum amplexi impoſſibilem, in vanitatem exciderunt; quòd vnum nempe ſolum probarint, cæteros omneis, tametſi forent poſſibiles, expunxerint, & delati fuerint ad ſomniandum id, quod intellectus captum excedit; ac neque admittere apparentia, quæ par erat, ſigna, potuerint; neque noverint, quemadmodum aiunt, cum Deo lætari.

Quod hoc rursùs loco aduerſus Prouidentiam attingitur, ad indicatam ſapiuſculè refutationem eſt referendum; ad Pag. videlicet Animaduerſionum, Tom. I. *à Pag.* 374.

CAPVT VII.

De Præſignificationibus Siderum.

REſtant Præſignificationes tranſmutationum aëris attributarum Sideribus, cuiuſmodi ſunt pluuiæ, venti ſiccitates, æſtus & ſimilia, quæ pro tempore ortus, occaſuſve Siderum quorumdam, vt Canis, Orionis, Pleiadum, contingunt.

Poſſunt verò huiuſmodi Præſignificationes fieri, aut prout ipſæ tempeſtatum conditiones tulerint, eo modo, quo euenit in illis animalibus, quæ nunc apud nos, nunc apud alios commigrando viſa, tempeſtatum quidem indicia, ſed non tamen cauſæ ſunt; quippe etiam orientia, occidentiáque Sidera poſſunt iſtarum mutationum non cauſæ eſſe, ſed indicia: Aut prout non certò, ſed caſu contingit, quo tempore aſtra vel oriuntur, vel occidunt, cauſas quaſdam exſiſtere excitatæ cuiuſpiam in aëre mutationis.

Siquidem neutrum horum pugnat cum rebus apparentibus; & qualis præter hanc, aut illam, aliámve conformem apparentibus, cauſa ſit, peruidere haudquaquam licet.

Nequicquam porrò illud non eſt, quod obiter attigi de Præſignificationibus, quæ in aliquibus animalibus obſeruatæ, non-niſi pro conditione eius tempeſtatis, quæ tunc temporis interueniat, fiunt, adeò vt deprehenſi in animalibus motus tempeſtates ſolùm indicent, non itidem faciant: Videlicet, quæ per Autumnum, v. c. à nobis abeunt, neceſſitatem præ ſe ferunt nullam, quâ fieri tunc hyemem oporteat, neque Natura quæpiam Diuina aſſidet, diſceſſum obſeruans animalium, vt ſubinde ea, quæ ab ipſis fuerint indicata, perficiat.

Quippe ſtultitiæ genus hoc eſt, quod ne in animal quidem vllum, in quo vel mica fuerit ingenij, poſſit cadere; tantum abeſt, vt in eam naturam, quæ nacta eſt, ac poſſidet omnigenam felicitatem.

Quatenus heic quoque quidpiam ſimile ſuperiori attingitur; id rursùs eodem eſt referendum.

CAPVT VIII.

De Cometis, ſeu Stellis Crinitis; & de vocatis Cadentibus.

QVæ hactenus dicta de Sideribus ſunt, attinent ad Solem, & Lunam, ac Stellas, quæ ab vſque Mundi initio create, in cælo conſtantes

conſtanter hærent, ac apparent. Sunt verò præter has ſtellas aliæ, quæ interdum gignuntur, recenſve apparent, & poſt dies, menſeſve non multos aut intereunt, aut occultantur; & Cometæ, quaſi Comatæ, Crinitæve ſtellæ dicuntur, quòd appendicem lucidam, quaſi quandam comam, ſiue crineis gerant. Sunt & nonnullæ momentaneæ, quæ penè naſcendo euaneſcunt, & excurſu quodam viſæ cadere, Cadentes vulgò appellitantur.

Et quod attinet quidem ad Cometas, illi aut gigni poſſunt, quòd certis temporibus ignis in quibuſdam ex ſublimibus illis locis & ſuccendatur, & ſuccenſus pro copia, & diſpoſitione materiæ nutriatur, moueatúrque in aliquod tempus: aut ideò apparent, quòd per varias vices cælum motionem quandam propriam, quâ parte nobis imminet, ſubeat, adeò vt aſtra huiuſmodi manifeſtari compellantur; ſeu, mavis, ipſamet ob certam aliquibus temporibus diſpoſitionem, prodeant; & vbi inferiùs verſum nos venerint, manifeſta fiant.

Euenit autem, vt Cometæ euaneſcant ex oculis, ob cauſas hiſce oppoſitas. Videlicet, ſiue idonea materies ipſis conſequenter poſita non ſit, vti eſt in eo ipſo loco, in quo hætere deprehenduntur; vnde & ſenſim pabuli defectu veluti extabeſcant; ſiue quòd aliquid ipſorum motui obnitatur; idque contingat, non ſolùm quòd hæc Mundi pars, circa quam reliqua conuertitur, immota exſiſtat, vti aſſerunt aliqui; ſed etiam, quod eſſe in aëre poſſit quædam in orbem circumactio, quæ circumlationem illorum inhibeat, alioque deflectat; vti & aſtris cæteris, quæ dicuntur Errantia, accidere ad Tropicos poteſt.

Quin etiam aliis pluribus modis id effici poteſt, ſi modò quis id, quod eſt rebus apparentibus conſonum, expendere ratiocinando valeat.

Ad Cadenteis verò appellatas ſtellas quod ſpectat; eæ creari poſſunt, Aut ex ipſarummet verarum ſtellarum fragminibus detritu fractis, Aut ex prolapſu eius materiæ, cuius velut diſflatio ſit, vti & contingere in fulgurationibus poteſt; Aut ex coëunte ſerie ignificarum atomorum ad id præſtandum conſpirantium; ac motione factâ, provt vis coëundi ab initio exſtiterit; Aut ex ſpiritus intra nebuloſos quoſdam glomeres coactione, inflammationéque (ſcilicet dum conuoluitur) ac diſruptione ipſorummet cohibentium glomerum, motionéque in eam partem factâ, in quam impetus tulerit.

Enimverò alij quoque ſunt, quibus fieri id valeat, minimè fabulares modi. Verùm de Cæleſtibus quidem ſublimibus dicta hæc ſunto.

CAPVT IX.

De Nube.

Sequuntur Sublimia aërea, ſeu quæ propiùs nos in aëre fiunt. Ordiendum verò ab ipſa Nube, quâ ſublimè in aëre nihil gignitur, viſiturve frequentiùs.

Nubes itaque generari, & conſtare poteſt, imprimis quidem quapiam quaſi cumulatione aëris compellentibus ipſum ventis; adeò vt Nubes nihil aliud ſit, quàm aëris incraſſamentum. Deinde, implexione atomorum inuicem cohærentium, & ad concrementum huiuſcemodi conficiendum idonearum; idque dum primùm coëunt in paruas nubium moleculas, iſtæque deinceps in maiores moleis ita congregantur, vt in maximas denique euadant.

Ferè autem apparent ad montium cacumina conſurgere, quod primæ concretiunculæ ſint adeò tenues, vt viſum fugiant, ac vento interim transferantur; donec paullatim addenſatæ in ipſis montium verticibus, qui ideò fumare videantur, appareant.

Quòd ſi quis hæreat, vnde-nam tanta atomorum copia confluere ac ſuppetere in tantas nubium moleis poſſit; is cogitet, niſi aliunde, at ſaltem venire extrinſecùs poſſe ex Vniuerſi immenſitate, vbi infinita illarum eſt vis; idque, quòd ipſis principiis exitus, & introitus, vt anteà quoque dictum eſt, per mundi ſpiracula non negetur.

Præthereà verò gigni Nubes poteſt collectione effluxionum, exhalationúmve è terra, & aqua eductarum, ſurſúmque euectarum. Nam multa quidem corpuſcula è toto mari educi declarant veſtes, quæ in littore ſuſpenſæ humorem concipiunt; ſed & videmus paſſim ex fluuiis conſurgere nebulas, eámque halituum, fumorúmque copiam, quæ ſurſum elata ſuffundat cælum caligine, & nubeis paullatim conueniundo ſufficiat.

Quin multis etiam aliis modis coagmenta hæc fieri nihil vetat.

CAPVT X.

De Vento, ac Preſtere.

Qvòd Venti obiter memini, admonet poſſe Ventum gigni, Primò, dum atomi, corpuſculáve ex locis quibuſdam idoneis proſiliunt, ac per aërem tranſuolant, idque vehementiore effuſione facta ex quibuſdam congeſtibus, qui comparati ſint ad huiuſcemodi emiſſiones. Nempe, cùm in anguſto inani multa ſunt corpuſcola, ventus ſequitur; & contrà ſtatus aëris qoietus, placiduſque eſt, dum in multo inani corpuſcula ſunt pauca.

Nam quemadmodum in foro, aut vico, quandiù paucitas eſt, ſine tumultu ambulatur; vbi turba in anguſtum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit; ſic in hoc, quo circumdati ſumus, ſpatio, cùm exiguum locum multa corpora impleuerint, neceſſe eſt alia aliis incidant, & impellantur, ac repellantur, implicenturque, & comprimantur: Ex quibus naſcitur Ventus; cùm illa, quæ colluctabantur,

tur, incubuêre, & diù fluctuata, ac dubia, inclinauêre ſe: At vbi in magna laxitate corpora pauca verſantur, nec arietare poſſunt, nec impelli.

Deinde, poteſt Ventus gigni, dum aër, aut halitibus è terra, & aqua exſpiratis, aut Sole ſupernè incumbente impellitur, & agitatur; ſcilicet, quòd perſpicuum ſit, vbi aër agitando percitus eſt, creari Ventum: adeò vt Ventus nihil eſſe aliud videatur, quàm aëris fluctus; & intelligi inde poſſit habere Ventum aliquid ſimile cum aqua commota, & violentiores ventos ex grauiore cauſa commouente eſſe; eo modo, quo torrentes ſæuiunt, ac ſtragem propagant, cùm imbribus largis in monteis decidentibus, magnus fit aquarum decurſus.

Preſteres porrò ſunt gyri ventoſi (nam ignei quidem, amburenteſque, à quibus eſt nomen ſpecies quædam fulminis ſunt.) Gigni verò poſſunt, Aut ex ipſa nubis verſus loca inferiora diuerſiformi depreſſione, dum à copioſo vento, qui ſe inuoluerit, nubiſque latera corraſerit, defertur, & compellitur; ac ventus etiam ipſam proximè extrinſecus agit: Aut ex circumſtante in orbem vento, dum & aëre ſupernè incumbente, ſimulque compulſo & circumfuſo aëre ob denſitatem prohibente, ipſa copioſa ventorum vis non habet vnde, aut quà diffluat; ac tum ad latera, tum ſupernè repulſa, nubem neceſſariò deorsùm contrudit.

Et vbi quidem ipſe Preſter in terram vſque demittitur, Turbines vocati creantur; vbi verò in mare vſque appellati Vortices. Apparent autem Turbines rariùs, quòd montes illos conſpectui præripiant; Vortices autem crebriùs, ob patentem maris planitiem, in quam videre licet nubem columnæ ſpecie è cælo demitti, & quaſi vi bracchij, pugnóque detrudi, donec vi venti perrumpente, mare feruiſcat, ac diſcrimen nauibus vix eluctabile fiat.

CAPVT XI.

De Fulmine.

HAud abs re verò innui eſſe quoque Preſteres igneos, qui à Fulmine non differant. Quippe videntur fulmina fieri ex multiplici flatuum corpuſculis igneis turgentium, intra nubium moleis conglomeratione, eorumdémque euolutione, accenſionéque valida, & effractione nubis ab igne, qui in loca inferiora ita validè explodatur, vt prout ſe talis exploſio habuerit, nunc verſus montem quempiam præcelſum (quod genus locorum feriunt ſæpiùs fulmina) nunc verſus alia dirigatur.

Nam certè Fulminis naturam eſſe igneam, vel illud arguit, quòd petſæpè ædeis, in quas impingitur, accendat; quodque relinquat vſtionis notas ſulphutis fœtorem halanteis. Non gigni autem, niſi intra nubeis, ex eo manifeſtum eſt, quòd nunquam ſereno cælo fulminet, ſed nubes priùs ita concreſcant toto aëre, vt cælum eripiant, & tætra nimbotum quaſi nox cooriatur. Denique intra nubem contineri multa corpuſcula, ſeu, mavis, quaſi ſemina ignis, tum effectus arguit, tum ex eo intelligitur, quod inter corpuſcula nubis infernè emergentia, non aquea modò, ſed etiam ignea, & alia multa commiſceantur; cùm & ſit neceſſe, vt nubes non pauca ex ipſis Solis radiis concipiat.

Itaque, vbi flatus, ventúſve, qui nubeis coëgit, ſeſe cum ſeminibus ignis intra nubis ſinum, cauitatémque commiſcuit, vortex intus fit, qui rapidè verſatus, mobilitate incaleſcat; &, vel præ intenſione caloris, vel alterius ignis contagio (ſi alius fortè præaccenſus ſit) maturum quaſi fulmen erumpat, ac perſciſſa nube elidatur, foraſque fetatur. Perſcinditur autem, ac effringitur nubes, quòd loca vorticem circumſtantia denſiùs occupentur ab ipſis nubis partibus: neque ob earum compreſſionem pateat rimula, quâ donec difflatur, ſeſe inſinuare, ac ſenſim penetrando ſubducere poſſit: atque adeo neceſſe eſt, vt ignis denique creatus, ſui difflatione tum nubem potentiùs perrumpat, vnde & audirur Tonitru; tum foràs prodiens emicet, & Coruſca luce loca omnia compleat.

Poteſt verò etiam vis venti in nubem extrinſecùs incidere, quo iam tempore eſt fulmen maturum, & nube perſciſſa occaſionem facere igneo vortici, vt erumpat.

Poteſt & ipſe igneus vortex tametſi in ipſa ſui eruptione nondum accenſus, in ſui deinceps traiectu per aërem, igneſcere; eo modo quo etiam ſæpè plumbea glans per eundem traiecta & feruida fit, & concipit ignem. Poteſt quin-etiam ignis creari in ipſo ad rem, quam ferit, impactu; nempe excitatis vtrimque ſeminibus ignis; eo modò, quo ex ſilice ipſo chalybis attritu excitantur.

Sunt verò & alij plures quoque modi, quibus iſte ignis accendi, ac fulmen adeò creari poſſit: fabula modò heinc amandetur Amandabitur porrò, ſi quis in rebus inconſpicuis decenter deſumat ex eo, quod rebus apparentibus conſentaneum eſt, coniecturam.

Cauſa interim dicetur ex his, Quî fiat, vt vere, & autumno fulminet frequentiùs, quàm tempeſtatibus cæteris? Nempe hyeme deſunt ignis ſemina, æſtate flatus, ac ſtrues nubium, vere, & autumno congrua adſunt omnia.

Quî item, vt tanta mobilitas ſit, tamque validus ictus fulminis? Nempe id impetus eruptionis facit, & ſubtilitas, ob quam nihil per viam obſtat, & vis, quæ partim grauitate quaſi duplicatur, partim mobilitate increſcit.

Quî, vt penetret per ſæpta domorum? vt metalla momento ſoluat? vt vaſis integris vinum exhauriat? Nempe & id facit corpuſculorum ſubtilitas, ac mobilitas, impetuſque, quo poſſit momento ea diſcutere, & diſtrahere, quæ vulgaris ignis, aut Sol, niſi tempore prælongo non poſſit.

CAPVT XII.

De Fulgure, & Tonitru.

TAmetſi porrò obiter innui, quî Coruſcatio, ſiue Fulgur, quî item Tonitru gignatur; non obſtat hoc nihilominùs, quin & iſta fieri pluribus modis valeant.

Nam Fulgur quidem fieri poteſt, Aut affrictione, colliſionéque nubium, proſiliente vtpote eiuſcemodi configuratione, ſeu atomorum aggeſtarum diſpoſitione, conformatiónéque, quæ effectrix ignis ſit, & generet fulgur; eo ſcilicet modo, quo diximus fieri dum ferrum, & lapis mutuò colliduntur.

Aut excitatione per ventos è nubibus facta eorum corporum, corpuſculorumve, hoc eſt, atomorum, quæ ſplendorem hunc coruſcantem efficiant; nempe, quòd ventus ac potiſſimum, ſi plumbeæ glandis inſtar percaluerit, eadem excutiat corpuſcula, quæ mutuo attritu nubium excutiuntur.

Aut expreſſione; ſed facta nimirum vel ab ipſis inter ſe nubibus, vel à ventis ipſis compellentibus compreſſione, quæ citra impetum colliſionis fiat.

Aut interceptione lucis à Sideribus diffuſæ, quæ deinceps nubium, ventorúmque motu adigatur, ac è nubibus excidat.

Aut dilapſione è nubibus facta tenuiſſimi luminis, dum nubes interiùs ab igne coguntur; ac aliunde tonitrua ipſo illarum motu quaſi quidam bombus, creantur.

Aut accenſione ſpiritus, quæ tum motus contenſione, tum conuolutione, vt dixi vehemente fiat.

Aut fractione nubium per ventos, ac prolapſione atomorum, quæ effectrices ignis ſint, apparitioniſque fulguris ſint cauſæ.

Quin etiam poſſe pluribus modis generari fulgur facile erit perſpectu illi, qui & rebus apparentibus adhæſerit, & quod eſt ipſis conſentaneum, peruidere valuerit.

Sic verò etiam poteſt Tonitru creari. Aut ex ſpiritus intra nubium cauitates volutatione, quemadmodum in noſtris vaſis, intra quæ quidpiam circumroratur.

Aut creato bombo ex ipſa intra eaſdem nubeis ignis difflatione, & quaſi ebollitione.

Aut ex earumdem Nubium diffractionibus, diſtractionibuſque, vt cùm veſica intenta crepat, charta frangitur, carbaſus abrumpitur.

Aut ex affrictionibus, impactionibuſque earumdem, poſteaquàm adeptæ concretionem quandam quaſi glacialem fuerint; idque compellente eas vento; quemadmodum ramoſæ ſylux Cauro perflatæ fragorem edunt, fluctus infracti murmurant; ſuſpenſæ etiam veſtes, chartæ volantes ventorum vi, ac veluti verberibus verſatæ, plangunt.

Aut exſtinctione ignis fulminei ex vna nube erumpentis, & in aquoſam aliam incidentis, ac ideò perinde ſtridentis, vt cum ferrum candens à fornace eductum in lacunam conijcitur.

Aut concrematione nubis aridioris, quæ perinde concrepitet, ac ſi lauri ramus cremetur.

Vno verbo, hoc quoque membrum explicari poſſe modis pluribus, ea quæ apparent, perſuaſum faciunt; præſtantque ne id, quod ignari, ac ſuperſtitioſi perſuaſum habent, opinemur, Tonitrus ſonum ſignificare apparuiſſe Deum aliquem, quippe cùm non minùs alia corpora inter ſe colliſa, ſonum quoque edant, vt mola contruſa, aut comploſæ manus.

Ne quis porrò hæreat, quî fiat, vt Fulgur, eiusve adſpectus exauditionem tonitru anteuertat: Id contingere ſanè poteſt, Aut quod in certa quapiam diſpoſitione nubium, ſimul atque ſpiritus in ipſas inciderit, ea configuratio corpuſculorum proſiliat, quæ Coruſcationem edat; deinceps verò ſpiritus ipſe ſui euolutione hunc ſonum perficiat.

Aut quòd, cùm vtrumque ſimùl generetur, Coruſcatio pernicitate concitatiore ad nos feratur, Tonitru verò poſteriùs adueniat; vti fit in aliquibus, quæ ex interuallo cernuntur, & reſonanteis ictus impingunt; Priùs enim conſpici ictum, quàm audiri ſonum manifeſtum eſt.

CAPVT XIII.

De Pluuia, & Rore.

DIcendæ iam ſunt aqueæ concretiones, quæ partim manent fluidæ, partim frigoris impreſſione ſoliditatem quandam accipiunt, Et quæ fluidæ quidem manent, ſunt Pluuia, & Ros, ex quibus illa nubiloſo, hic ſereno cælo creatur.

Pluuia autem poteſt ex nubibus fieri; Aut dum rariores exſiſtentes, vrgente ſeu vento, ſeu in cubitu proprio comprimuntur, & in guttas coaleſcunt. Aut dum exſiſtentes denſiores, vi caloris, aut venti rareſcunt, atque tranſmutantur; ſeu, inſtar ceræ, ita liqueſcunt, vt ſtillatim decidant.

Siquidem aquæ ſemina contineri in nubibus, notius eſt, quàm vt dici debeat, ea enim cum ipſis pariter aſcendunt, pariter ſuccreſcunt; neque ſecus per ipſas, ac ſanguis per parteis noſtri corporis diſperguntur. Neque verò modò ex omnibus fluuiis humor in nubeis tollitur; ſed nubes quoque mari incumbentes humorem non ſecus, ac vellera lanæ concipiunt.

Quare & poſſunt Pluuiæ ex nubibus effluere, Aut cùm vis venti nubeis contrudit, & copia nimborum coorta ſupernè eas vrget, ac premit. Aut cùm nubes vi ventorum rareſcunt, diffluereque humorem patiuntur, vel calore Solis ita diſſoluuntur, vt ſtillatim, & quemadmodum dixi, quaſi cera tabeſcens, liqueſcant.

Fieri

Fieri porrò poteſt, vt Pluuiæ ſint interdum valdè diuturnæ, quoniam tunc contingit ſemina aquarum complura, aliis, aliiſque nubibus identidem ſuborientibus, ac vndelibet aliunde tranſlatis, creandæ pluuiæ ſuppetere; cùm & fumans interdum terra quem totum humorem recipit, rehalet.

At verò Ros fit, Aut coëuntibus mutuò ex aëre corpuſculis, quæ eiuſmodi ſint naturæ, vt ad talem humoris ſpeciem gignendam comparata ſint. Aut eductione corpuſculorum ex humentibus, aquoſisve locis, quæ rorem præſertim ſurſum generent; vbi deinceps ſic coëunt, vt & humorem iſtum conficiant, & in ſubiecta loca defluant: Scilicet non pauca ſimilia, apud nos, ac in vaporariis potiſſimùm, fiunt.

CAPVT XIV.

De Grandine, Niue, & Pruina.

EX aqueis concretionibus, quæ impreſſione frigoris in ſoliditatem quampiam congelaſcunt, duæ ſunt, quæ cælo nubiloſo creantur, videlicet Grando, & Nix; vna, quæ ſereno, ſcilicet Pruina.

Et Grando quidem generatur, Aut cum validior eſt congelatio præ conſtitutione venti frigidi, quæ vndique circumſter, ac vrgeat nubium ſtillicidia, ſeu guttas alioquin abituras in pluuiam: Aut cùm gelata moles in parteis dehiſcit, & moderatâ liquefactione ſtillæ aquoſæ rimis inſinuatæ tum molis interruptionem, tum compreſſionem partium, & totius compaginis diffractionem ad hoc efficiunt, vt partes per ſe ſingulæ compactæ ſubſiſtant, fragminúmque aceruum, qui diſpergatur, faciant.

Rotunditatem verò horum fragminum qualemcumque fieri nihil prohibet; Aut quòd extremi anguli vndequaque reſcindantur, præ caſus nempe prolixitate; Aut quòd in ipſa conformatione quidpiam ſeu aquoſum, ſeu ventoſum particulas ſingulas vndique, vt dictum eſt, & æquabiliter circumſtet; ambituſque earum proinde non inæquabilis euadat.

Niuem autem fieri contingit, Aut diffuſa tenuî ex nubibus aqua, eâ ratione vt ſpumeſcat (prementibus nempe nubibus idoneis, ventis verò difflantibus) ac in ipſo poſteà motu congelaſcat, ob vehementiorem quandam in locis nubium inferioribus, frigiditatis conditionem.

Aut factâ quadam æquabili in nubibus congelatione, ad quam dum corpuſcula aquea mutuò compreſſa, conuicináque appellunt, fiat aggeneratio, talem obtinens laxitatem, qualem præ ſe ferunt niuis flocculi; cùm & eadem magis ſeſe compellentia creent grandinem; cuiuſmodi duæ res in aëre maximè fiunt.

Poteſt & hæc Niuis confeſtim cadentis velut eiaculatio fieri per detritionem ex nubibus, quæ priùs conglaciauerint. Poteſt & aliis quoque modis Niuis generatio parari.

Pruina denique ex iiſdem, quibus Ros, corpuſculis fit: Nempe cum roris guttulæ alterutro modo creatæ, propter certam frigiditatis conditionem in aëre concreſcunt, ac leuem compactionem congelando accipiunt.

CAPVT XV.

De Iride, & Halone.

NOn ſunt verò heic prætereundæ duæ quædam dignæ notatu res, quæ in nubibus, ſubliméve apparent; Iris nempe, ſeu ille Arcus variis inſignis coloribus, qui è regione Solis formatur; & Halos, ſiue Area, quæ coronæ candidæ inſtar Lunam interdum circumambit.

Creatur porrò Iris, aut quòd aër humeſcens aduerſo Solis ſplendore refulgeat; Aut quòd ea ſit ſpecialis natura tum lucis, tum aëris, vt eiuſcemodi colorum ſpecies exprimat, ſiue omneis, ſiue vnicam, à qua deinceps reſplendeſcente, partes confines aëris talem colorationem ſubeant; quemadmodum fieri obſeruamus, dum cuiuſpiam rei partes illuſtratæ reſplendeſcere conterminas faciunt.

Ad rotundam formam quod ſpectat; creatur iſta arcus ſpecies, quòd æquo vndique interuallo ad ſpectatoris oculum referatur; Aut etiam, quòd atomi, quæ ex aëre in nubem feruntur, ita compellantur, vt quæpiam inde facta concretio in hanc formetur rotunditatem.

Halos verò fit circa Lunam, aut euecto vndequaque verſum Lunam craſſiuſculo, ſiue leuiter nubiloſo aëre, dum intereà effluxiones quædam ab ea deriuatæ ipſum reprimentes eatenus excernunt) quippe non penitùs diſcutiunt) quatenus in orbem circa ipſam nubiloſa hac ſpecie conformentur.

Aut aëre, qui circum ipſam, congruè coacto, ad exprimendum rotundam hanc craſſiuſculámque circa ipſam, ſpeciem. Quod quidem ſecundùm nonnullas ipſius parteis fieri contingat, ſeu affluxu quodam exteriùs cogente, ſeu calore appoſitè ad id præſtandum ſubinſinuato.

CAPVT XVI.

De Auernis.

SVpereſt aliquid dicamus de locis Auernis, quæ dicere ita ſolemus, quod auibus infeſta ſint; quatenus vbi aueis per ipſa tranſvolare contigerit, extemplo concidant, ac intereant: itemque de Peſtilentiæ cauſis quatenùs quidem ex aëre dependent.

Repetendum verò heic ſolummodò eſt, continere Terram omnifaria corpuſcula ita di-

uerſimodè figurata, vt quædam naturæ animalium conducentia, quædam nocentia ſint ; & propter illorum texturas inter ſe adeò diſſimileis , quædam ſint nonnullis congrua , ac ſalutaria , quæ comperiantur aliis incommoda , ac pernicioſa. Quidni id verò ? cùm immutatâ per febrim eiuſdem hominis texturâ , ac temperie , quod vinum priùs ſummè iuuabat, plagæ mactabilis inſtar fiat ?

Sed enim plurima ingrata , infeſtaque , & pernicioſa incurrere paſſim in guſtatum, in olfactum , in tactum , ac in omneis ſenſus manifeſtum eſt ; ac ne arbores memorem , quæ vel ſui vmbrâ dormientibus grauedinem creant , vel tætro etiam odore necant ; ne grauem vim, odorémque carbonum , & ſimilia : quæſo , quàm varia loca ſunt , quæ graueis , noxiuſque odores bituminis , ſulfuriſque exhalant. Scrutatores verò metallorum, qui euadunt tam liuidi, qui tam citò intereunt ; quos non exſpirari vapores infeſtos ex intimis terræ partibus comperiunt?

Itaque loca quædam ſunt , è quibus ij halitus exſpirantur, qui in ſuperfuſum aërem euecti , ipſum aliquouſque venenent , qualitatéve mortifera inficiant , adeò vt , cùm aueis per eum tranſire contigerit, veluti ſi mulier menſium tempore Caſtoreum olfaciat, & obſtupefiant,& repentè prolapſæ vitam etiam amittãt.

Prætereo autem, fieri etiam poſſe , vt aëre , qui inter aueis , terrámque ſuppoſitus eſt , vi halitus prorumpentis diſcuſſo, locóque facto propè inani , volucres non habeant fulcimentum, cui pennæ expaoſæ innitantur, vt propagare volatum poſſint ; ſicque labantur, ac procidant , pondere corporis prægrauante. Et ſic quidem Auerna.

CAPVT XVII.

De Peſtilentia.

PEſtilentia autem , ſeu affectio exitialis aëris, vtcumque poſſit etiam ſupernè, nubis, nebulæque inſtar aduenire ; tum tamen præſertim creatur,cùm terra intempeſtiuis pluuiis, ardoribuſque , putrorem eſt nacta ; iſque halitus, ex ea conſurgit, cui inficiat aërem, & longè , latéque non modò in homines , ſed in alia quoque animalia graſſetur.

Aërem certe facilè induere affectionem halitus è terra proximè exſpirati, tum regionales vocati morbi indicio ſunt, vt heic apud nos frequens Podagra, apud Achæos Ophthalmia, apud Ægyptios Elephantiaſis ; tum quod experiuntur, qui peregrinantur , dum adeò perſpicuè agnoſcunt , quanta in locis variis aëris diuerſitas ſit.

At propagari interdum hanc affectionem per aërem,ipſa Peſtilentiæ affectio declarat ; vt illa imprimis, quæ proauorum noſtrorum memoriâ , cùm ortum habuiſſet in Æthiopia , ita in Libyam, Ægyptúmque , & vniuerſam penè Regis Perſarum ditionem excurrit , vt etiam in noſtram hanc Vrbem , regionémque peruenerit ipſámque planè vaſtauerit.

Fit porrò iſta propagatio,dum venenatus halitus corpuſcula ſua aëri commiſcens , corpuſculorum illius ſitum ita tranſponit , peruertitque , vt quicquid ſimilium eſt ſuis , in eandem texturam conformet ; vt dum ignis ſubiens corpuſculis ſuis in lignum, coagmentationem eius ſic commutat, vt quicquid in illo igneorum eſt corpuſculorum eliciat, & ex ipſis nouum, ac ſui ſimilem ignem faciat. Deinceps verò, vt ignis mobilitate ſuâ proſerpens , habet vnde ſeſe in ſyluam integram propaget ; ita affectio peſtilens præ mobilitate corpuſculorum, ex quibus contexitur , ſenſim prorepat , ac aërem longè, & quovſque admodum diuerſâ affectione inhibeatur, commutet. Nimirùm dicas idem fieri , vt cùm nubes , ac nebula per aërem repit , & paullatim , quà graditur , immutat, conturbatque ipſum.

Prætereo autem , dum homines aërem ſpirando inducunt in corpus, ſorbere illos pariter ea affectus corpuſcula , quibus quæ ſimilia in corpore ſunt , eo modo, quo de aëre dictum , tranſpunantur, peruertantúrque, & contagio, vicinia , afflatu , ea tranſmittantur deinceps in alios, quæ parem peruerſionem faciant , præſtétque , vt morbus populatim denique graſſetur.

Atque hactenus quidem non Meteorologia modo,ſed & vniuerſa Phyſiologia eſto : de qua quæ pauca ediſſeruimus , eiuſmodi profectò ſunt , quæ contemplando facta perſpecta præſtent vt deinceps ea , quæ ipſis ſunt affinia poſſint perſpici , & valeant ſimul quæ cauſæ ſunt effectorum naturæ ſpecialium, pernoſci. Nam qui iſta quidem quàm-maximè ſtudioſè poſſunt, non proſequuntur ; ij longè abſunt,vt aut ipſa quatenus decet , perſpiciant , aut finem , cuius gratiâ perſpicienda ſunt , conſequantur.

Ac non ſunt quidem vnquam mente abiicienda Criteria (neque ipſa adeò Euidentia , quæ iuxta illorum vnumquodque eſt) quoniam ſi ab iſtis non diſceſſerimus,id, vnde oritur perturbatio, quódque metum ingerit, recta cum ratione ediſſeruerimus , noſque ab ipſo eximemus, cauſam videlicet tenentes eorum , quæ in ſublimi fiunt, ac reliquorum ſimùl omnium , quæ paſſim interueniunt, ſummumque terrorem cæteris incutiunt.

Verùm eriteris ſuppoſitis,iuuat maximè dedere ſeipſum ſpeculationi principiorum , ex quibus conſtant omnia, & infinitatis naturæ ; aliorúmque his cohærentium, ac memoria iugi conſeruare ea , quæ de ipſis præcipua ſunt , maximéque generalia Effata. Quippe exinde maximè licet procùl fieri à fabulis , & ſtatum illum animi imperturbatum obtinere , qui germanus eſt , & vnicus ſcopus , in quem nos , iſthæc omnia ediſſerentes collineauimus.

PARS

PARS PHILOSOPHIÆ III.

QVÆ EST

ETHICA, ſeu DE MORIBVS.

CVM iam ſuperſit Ethica, ſeu Philoſophia de Moribus; aut abs re dictum eſt initio eſſe eam præcipuam Philoſophiæ partem habendam; quoniam illa quidem, quæ eſt de Natura, vt illeic quoque deduximus, ſuperuacanea euaderet, niſi ad vitæ finem, qui Ethicæ eſt conſiderationis, conferret. Sanè ipſa quoque Prudentia, quæ ad hanc partem attinet, ideò naturali Philoſophiæ præcellit, quòd illi imperet, ipſamque vt medium accommodet ad moralis finem.

Quod dico interim Partem hanc circa vitæ finem verſari, admonet, cùr nobis ſit moris eam dicere, quæ eſt de Vita, & Moribus, ſeu de Actionibus vitæ inſtituendis (neque enim Mores aliud ſunt, quàm humanæ vitæ conſuetæ actiones) itémque de Fine, hoc eſt, de extremo, ſummôve Bonorum, quæ proſequimur; ac rurſùs de Eligendis & Fugiendis, quatenus præſcribit Electionem eorum, quæ ad illum finem conducunt, & fugam eorum, quæ ab eodem auertunt.

Nam, ne longum morer, Finis quidem vitæ, tacito omnium hominum conſenſu, Felicitas eſt; ſed cùm omnes ferè ab hoc fine aberrent; an-non neceſſe eſt id contingat, vel quia non eam, quam oportet, Felicitatem ſibi præſtituunt; vel quia quibus mediis oportet, ad illam minimè contendunt?

Cùm videamus ſanè tam multos, quibus cùm abundè omnia ſuppetant, quæ ad vitæ vſus neceſſaria ſunt (quippe & affluunt opibus, & decorantur honoribus & filiis probæ indolis florent, & quicquid id demùm videtur poſſe vulgò expeti obtinent) eueniat nihilominùs, vt anxij, querulique ſint; curis, & ſollicitudinibus ſcateant, percellantur terroribus, vitam vno verbo degant miſeram: intelligi exinde licet ignorare illos, in quo ſita ſit, & vnde habenda felicitas vera; ac ideò eſſe illis pectus inſtar vaſis, quod partim fluxum, pertuſúmque expleri nullatenus poſſit; partim liquore tætro imbutum, quidvis receptum conſpurcet, ac vitiet.

Quare & operæ-pretium eſt beneficio huius de Fine, ac Felicitate Philoſophiæ pectus ſanare, purgaréque; vt & paucis rebus explebile ſit, & nullâ non re iucundè fruatur. Philoſophandum ſed enim nobis, non ad ſpeciem, ſed ſeriò eſt: quando nobis opus non eſt, vt ſani videamur, ſed vt ſani ſimus. Philoſophandum item quam-primùm, neque in craſtinum differendum: quoniam hodie quoque beatè viuere intereſt; & hoc mali habet ſtultitia, quod ſemper viuere incipit, deſtinatve incipere, & nunquam tamen interim viuit.

Mirum ſanè dicto: Semel nati ſumus: bis naſci non licet, ac definere ætatem oportet: Tu verò, ô bone, cùm diem craſtinum in tua poteſtate non habeas, cras te victurum reputans te in horas venturas differs, ac interim hodiernum amittis? Sic omnium vita cunctando perit; exindéque eſt, vt noſtrum nonnemo inter occupationes moriatur. Nemo non ita exit è vita, quaſi modò intrauerit; ac poteſt ideò ſenibus quoque exprobrari infantia, quòd quaſi alienum agentes negotium, viuere ſe non ſenſerint, vitáque ipſis tota abierit ſine fructu vitæ.

Adnitamur ergo ita viuere, vt nos temporis exacti non pœniteat, ac die præſente ita fruamur, quaſi craſtinus ad nos nihil attineat. Videlicet ad craſtinum ſuauiſſimè accedit is, qui qui minimùm egens, appetenſque craſtini eſt; & grata illi ſuperuenit hora, cuius nimiam ſibi non fecerit ſpem. Cùm moleſtum ſit vitam ſemper inchoare; eſto nobis illa continuò, quaſi perfecta, abſolutaque, & quaſi cumulo ipſius nihil deſit. Stulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur; nos verò demus operam, vt noſtra ſit grata, vt ſecura, vt non modò præſens, ſed etiam, vt iam collocata in tuto.

Sanè hoc eſt demùm fugere ſtultitiam, euehere ſe in illam Sapientum quaſi ſpeculam, è qua videre cæteros liceat palanteis errare, & vitam nequicquam quærere in vita. Quòd ſi eſſe reputas ſuaue, è terra nautas colluctanteis cum tempeſtatibus ſpectare; aut citra tui periculum exercitus prælia miſcenteis contueri; nihil eſſe ſuauius omninò poteſt, quàm è ſereno Sapientiæ ſolio deſipientium turba, contentionéſque contemplari. Non ſanè quod iucundum ſit cæteros malis affici, ſed quod iiſdem malis non inuolui delectet.

Cæterùm, vt liceat nobis pro virili, & quadamtenus adiuuare illos, qui peruenire ad hoc Sapientiæ quaſi culmen deſiderant; ſic ea congeremus, quæ hiſce de rebus meditati hactenus ſumus, vt dicamus primum de Felicitate, quæ ſummum bonum homini eſt; ac deinceps de iis, quæ ipſi ercandæ, conſeruandæque conferunt, quæque aliud non ſunt, quàm ipſæ Virtutes.

CAPVT IX.

De Felicitate, ſeu fine Bonorum, quatenus illius Homo capax eſt.

ET de Felicitate quidem hoc ſolum præmitto, idcircò illam dici Finem, hoc eſt, Vltimum, Extremum, ac Summum Bonorum; quòd cùm ea Bona dicantur, quæ ad ſui proſequutionem appetitum alliciunt, & ex ipſis bonis quædam propter ſe, quædam propter

alia expetantur, ipſa Felicitas tale Bonum ſit, ad quod referri omnia oporteat, ipſum autem nuſquam.

Neque obſtat, cùm Felicitas, & Beatitudo, ſeu beata vita idem ſint, à nobis nihilominùs Beatæ vitæ finem aliquando dici; Id facimus enim phraſi gentilitiâ, quâ Beatæ vitæ finem, & Beatam vitam pro eodem habemus; non verò quâ ſignificemus eſſe vlteriorem finem aliquem, ad quem Beata vita referri cenſeatur.

Hoc autem præmiſſo, par eſt duplicem abvſque initio diſtinguere Felicitatem; Vnam videlicet Supremam, quæ intenſionis, remiſſioniſque ſit incapax; alteram ſubalternam, in quam cadere adiectio, & detractio voluptatum poteſt.

Et prior quidem concipitur quaſi quidam ſtatus, quo nullus poſſit melior, ſuavior, deſideratior excogitari; in quo nihil ſit mali, quod timeas, nihil boni, quod non habeas; nihil quod agere libeat,ac non liceat, qui denique conſtantior ſit, quàm vt amitti vnquam poſſit.

Poſteriorem autem habemus, vt ſtatum, in quo, quantum licet, quam-optimè ſit; ſeu in quo bonorum neceſſariorum quam-plurimùm, malorum quorumvis quam-minimùm adſit; atque adeò in quo traducere vitam ſuauiter, tranquillè, permanenter detur; quantum quidem ipſa conditio regionis, ſocietatis, generis vitæ, conſtitutionis corporis, ætatis, & ſimilium circumſtantiarum permiſerit.

Non eſt verò nequicquam, quòd ita diſtinguo, ac definio: Siquidem tametſi perſpicuum videatur priorem illam eſſe habendam Dei propriam; non deſunt tamen,qui de ſe,ſuâque ſapientiâ magnificè ſentientes, illam ſibi vt polliceri, ſic adrogare audeant, ac ſeſe idcitcò Deo pares dicant, modeſtique ſint, ſi ſe vno Ioue reputent minores.

At illi videntur profectò ſuæ mortalitatis, imbecillitatiſque obliti, cùm quicumque illius ſunt conſcij, agnoſcere facilè poſſint non eſſe homines alterius, quàm poſterioris capaceis; ac multum præſtare Sapientiam, ſi cùm omnes homines quadamtenus miſeri ſint, te in eo ſtatu collocet, in quo ſis minimè omnium miſer; aut inter varios miſeriæ gradus, quibus obnoxius natus es, collocet in eo, in quo ſis quàm minimùm miſer. Quippe iſtud demùm eſt, eſſe felicem, iis carere malis, quibus angi poſſes, ac iis interim bonis frui,quibus maiora, eâ, quâ es conditione, eſſe non poſſint.

Hæc certè eſt cauſa, cur cenſeam Sapientem, tametſi carebit ſenſu oculorum, tametſi etiam aurium, futurum nihilominùs beatæ vitæ participem; quoniam & adhuc perſeuerabit in quàm-multis licebit bonis, & iis malis priuabitur, niſi corporis, ſaltem animi, quibus alioquin poſſet vexari.

Quin-etiam profiteor Sapientem, tametſi dirè torquebitur, adbuc tamen felicem fore. Nempe non diuinâ illâ quidem, ſed hâc humanâ felicitate, quæ in Sapiente ſemper eſt tanta, quanta eſſe maxima, pro conditione temporis poteſt.

Nam in tormentis quidem dolores perſentit; interdum etiam ingemiſcit ob illos, atque eiulat; ſed interim tamen, quia facta illos patiendi neceſſitate, minimè ipſos exaſperat, ſeu præ impatientia, ac deſperatione grauiores non facit, quin potiùs quàm-maximâ poteſt animi conſtantiâ illos mitigat, quodammodóque leuiores reddit; catenus ſanè beatior eſt, quàm ſi illis ſuccumberet; illorum videlicet inſtar, qui cruciati ſimilibus, non pari virtute, & conſtantiâ eos tolerant; neque paria habent, à Sapientia, (quæ adhibet ſaltem vitæ innocentiam,conſcientiæque ſecuritatem) quibus ea leuent adiumenta.

Quare neque eſt, quòd quis cauilletur, eſſe ergo nobis pro eodem Phalaridis Taurum, ac roſas; & Sapientem proinde,dum in illo Tauro peruretur, exclamaturum, Quàm ſuave eſt: Quàm hoc non curo: Quàm pro nihilo haben! Siquidem alia ſunt, quæ ſapiens malit ſibi contingere, vt corporis quies ab omni incommodo libera,& animi remiſſio bonorum ſuorum contemplatione gaudentis; alia ſunt, quæ quamvis nolit accidere; cùm accidant tamen, & conſtanter perfert, & illa etiam laudat, comprobatque: quatenus habet, vnde ſibi de ſua conſtantia gratuletur, ac dicere poteſt, Vror, ſed inuictus. Quidni optabile ſit, non quòd vrit me ignis,ſed quòd non vincit?

Atque hæc quidem prout contingit Sapientem quoque eſſe obnoxium vt morborum doloribus, ſic cruciatibus tyrannorum; tametſi neque illos acceſſat, neque iſtos prouocet, quantum quidem decorè poteſt. Quod ſupereſt autem, neque ea ſemper, neque omnibus tempora incidunt, in quibus longè vt indolentiùs, ita feliciùs viuere liceat.

CAPVT II.

Voluptatem, ſine qua notio Felicitatis nulla eſt, rem bonam, ſuapte natura eſſe.

CVm porrò & ſuaue, ſeu Volupe ſit, ſine dolore Viuere, & ſuaue quoque,ſeu volupe bonis frui, ipſiſque recreari; conſtat quidem felicitatem non poſſe ſine vtraque hac, aut altera ſaltem, ſuauitate, voluptatéve intelligi (nempe pro eodem Voluptatem, Suauitatem, Iucunditatem, cæteráque id genus habeo, verùm eſſe aliquos videas, qui magnâ pompâ aduerſus ipſam Voluptatem ſic diſſerant, quaſi quidpiam malum ſuâ naturâ ſit, ac adeò ab ipſa ſapientia, felicitatéque alienum.

Quare & priuſquàm diſquiramus reuerâne Felicitas in Voluptate conſiſtat, declarandum eſt Voluptatem eſſe ex natura ſua quid bonum; vti & Dolor oppoſitus quidpiam eſt ſuapte natura malum.

Sanè

Sanè verò cùm illud ſit Bonum, quod iuuat, quod placet, quodque adeò amabile eſt, appetitumque allicit; vti & Malum illud, quod nocet, quod eſt ingratum, quodque idcirco ſui odium, auerſionemque concitat; nihil eſt, quod magis, quàm Voluptas demulceat, magis delectet, magis diligatur, expetatur magis; vt contrà nihil eſt, quod magis quàm dolor incommodet, diſpliceat, abhorreatur, refugiatur. Adeò proinde vt Voluptas non modò eſſe videatur Bonum, ſed ipſa quoque Boni ratio, quatenus eſt id, cuius causâ res aliqua bona eſt, ſeu expetitur; vti & Dolor non modò Malum, ſed ipſa etiam Mali ratio, quatenus eſt id cuius causâ res aliqua eſt mala, ſeu refugitur.

Quippe & tametſi interdum Voluptatem refugiamus, non ipſa tamen eſt Voluptas, quam refugimus, ſed quem fortè habet adnexum dolorem; vti &, ſi dolorem aliquando proſequamur, non ipſe eſt dolor, quem proſequimur, ſed quam voluptatem fortè habet adiunctam.

Nam, vt rem dicam paullò explicatius, Nemo ipſam Voluptatem, quia voluptas ſit, aſpernatur, aut odit, aut fugit; ſed quia conſequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem ſequi neſciunt. Neque porrò quiſquam eſt, qui Dolorem ipſum, quia dolor ſit, amet, conſectetur, adipiſci velit; ſed quia nonnunquam eiuſmodi incidunt tempora, vt labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem.

Vt enim ad minima veniam: Quis noſtrum exercitationem vllam corporis ſuſcipit laborioſam; niſi, vt aliquid ex ea commodi conſequatur? Quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit eſſe, quam nihil moleſtiæ conſequatur? vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo Voluptas nulla pariatur? At verò eos & accuſamus, & iuſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis præſentium voluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, quas moleſtias excepturi ſint, occæcati cupiditate, non prouident. Similique ſunt in culpa, qui officia deſerunt mollitiâ animi, id eſt laborum, & dolorum fuga.

Et harum quidem rerum facilis eſt, & expedita diſtinctio. Nam libero tempore, cùm ſoluta nobis eſt eligendi optio, cùmque nihil impedit, quò minùs id, quod maximè, placeat, facere poſſimus, omnis Voluptas aſſumenda eſt, omnis Dolor depellendus. Temporibus autem quibuſdam ſæpe eueniet, vt & Voluptates repudiandæ ſint, & moleſtiæ non recuſandæ.

Itaque tametſi omnem Voluptatem eſſe quid bonum exiſtimemus, & omnem Dolorem quid malum: non aſſerimus tamen oportere ſemper aut proſequi illam, aut fugere hunc; ſed eſſe in ipſis ſicut qualitatis, ita quantitatis habendam rationem. Nempe præſtare, vt dolores ſuſtineamus aliquos, quo voluptatibus potiamur vberioribus; ac expedite, vt abſtineamus ab aliquibus voluptatibus, ne ſubinde dolores difficiliores perferamus.

Quò fit, vt hic ſit quaſi fons, ex quo de Criteriis agentes, Canones varios circa Affectum, Paſſionemve deduximus, habentes putà Voluptatem, & Moleſtiam, ſiue Dolorem pro Electionis, Fugæque Criterio, neque id profectò iniuriâ. Siquidem commenſuratione, & rerum iuuantium, lædentiumque delectu diiudicare hæc omnia decet, quandoquidem bono interdum vt malo, & vice verſa interdum malo, tanquam bono vtimur.

Ex hiſce ergo, vt rem inculcem, dico, Nullam Voluptatem eſſe per ſe malum, ſed ea, quæ nonnullas Voluptates pariunt, eiuſmodi eſſe, vt multò ampliores voluptatibus dolores inducant: addóque proinde, Si voluptas omnis ſic in ſeipſam colligi poſſet, vt nullum dolorem neque in ſe complecteretur, neque poſt ſe relinqueret; fore omnem ipſa ſui collectione non minus perfectam, abſolutamque habendam, quàm ſint opera naturæ præcipua, foréque adeò, vt voluptates nullatenus inter ſe differrent, ac poſſent idcirco indiſcriminatim optari.

Quin-etiam, ſi illa quoque ipſa, quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos rerum ſublimium, & mortis, ac doloris metu; docerentque qui eſſent fines cupiditatum; nihil haberem, quod reprehenderem; cùm vndique complerentur voluptatibus, nec haberent vlla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id eſt malum.

CAPVT III.

Felicitatem vniuersè in Voluptate conſiſtere.

NVnc, vt ad id, quod propoſui accedam, videtur planè Felicitas in Voluptate conſiſtere; quanquam id comprobandum primò vniuersè eſt, ac dicendum poſteriùs in quanam ſpeciatim conſiſtat.

Vniuersè ergo videtur Voluptas eſſe vt principium, ita & finis Beatæ vitæ; quando eſſe eam bonum primum, & noſtræ, omniſque animalis naturæ congenitum deprehendimus; ipſaque eſt, à qua electionem, fugamque omnem auſpicamur, & in quam tandem deſinimus; hoc affectu vſi, tanquam Regulâ ad bonum omne diiudicandum.

Et quod Voluptas quidem ſit primum, congenitumque bonum, ſeu, vt ſolent dicere, Primum aptum, accommodatumque naturæ, ex eo demonſtratur, quòd, Omne animal, ſimul atque natum ſit, voluptatem appetat, eâque gaudeat, vt ſummo bono; Dolorem aſpernetur, vt ſummum malum, & quantum poſſit, à ſe repellat (& videre certè licet, vt ne Hercules quidem ab interula ſuccenſa depaſtus, ſeſe contineat, quin lacrymetur

Clamans,

Clamans, fremenſque; at vndique reſonant Petræ Locrorum, & Eubææ iuga alta montium) facit verò id omne animal nondum deprauatum, ipsâ naturâ incorruptè, atque integrè iudicante.

Itaque nulla eſt ratione, neque diſputatione opus, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor ſit; conſtat ſcilicet hoc ſentiri; vt calere ignem, niuem eſſe albam, dulce mel; quoniam nihil oportet exquiſitis rationibus confirmare; ſatis eſt admonere. Etenim, quoniam detractis de homine ſenſibus, reliqui nihil eſt: neceſſe eſt, quid aut ſecundum naturam, aut contra ſit, à natura ipſa iudicari: Voluptatem etiam & per ſe expetendam eſſe, & dolorem ipſum per ſe eſſe fugiendum. Etenim quid percipit, & quid iudicat, quò aut petat, aut fugiat aliquid, præter Voluptatem, & Dolorem?

Quòd verò Voluptas, vt primum naturæ accommodatum eſt, ſic etiam expetendorum extremum, ſiue bonorum finis ſit, vel ex eo poteſt intelligi, quòd Voluptas ſit ſola, ob quam cætera ſic expetimus, vt ipſa non ob aliud, ſed ſuimet causâ ſolùm expetatur. Quippe poſſumus quidem alia expetere, vt delectemur, ſeu voluptate afficiamur: at nemo requiſierit propter quam cauſam delectari, aut affici voluptate velimus. Profectò non magis, quàm propter quam cauſam eſſe felices deſideremus; vt putà quod vt eodem gradu, ſic pro eadem te haberi Voluptas, ac Felicitas debeant; atque adeò pro Fine, ſiue Vltimo, ac Summo bonorum, ad quod referantur quidem cætera, ipſum autem aliò nuſquam referatur.

Confirmatur autem ex eo, quòd Felicitas non aliunde eſſe, vt iam præmonuimus, Felicitas intelligatur, quàm quia eſt ſtatus, in quo licet quam-ſuauiſſimè, iucundiſſiméque, hoc eſt, quanta fieri poteſt maxima cum Voluptate degere. Tolle enim hanc ſuauitatem, iucunditatem, Voluptatem ex vita; ecqua, amabò, tibi notio Felicitatis ſupererit? non illius modò, quam dixi diuinam, ſed etiam alterius, quam humanam haberi; quæque aliunde magis, & minus, ſiue intenſionem, ac remiſſionem non ſuſcipit, quàm quia cadere in ipſam adiectio, & detractio Voluptatis poteſt?

Vt res etiam poſſit ex comparatione Voluptatis cum dolore manifeſtiùs intelligi; conſtituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem & animo, & corpore voluptatibus; nullo dolore nec impediente, nec impendente; quem tandem hoc ſtatu aut præſtabiliorem, aut magis expetendum poſſumus dicere? Ineſſe enim neceſſe eſt in eo, qui ita ſit affectus, & firmitatem animi nec mortem, nec dolorem timentis, quòd mors ſenſu careat, dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis ſoleat eſſe: vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio conſoletur. Ad ea cùm accedit, vt neque diuinum numen horreat, nec voluptates aut bonorum præteritorum memoriâ, aut futurorum exſpectatione partas effluere patiatur, earúmque aſſidua recordatione lætetur; quid eſt, quod huic poſſit, quod melius ſit, accedere?

Statue contrà aliquem confectum tantis animi, corporiſque doloribus, quanti in hominem maximi cadere poſſunt: nulla ſpe propoſita fore leuiùs aliquando, nulla præterita, nec præſenti, nec expectata voluptate; Quid eo miſerius dici, aut fingi poteſt?

Quòd ſi vita doloribus referta maximè fugienda eſt; ſummum profectò malum eſt viuere cum dolore; cui ſententiæ conſentaneum eſt, vltimum eſſe bonorum, cum voluptate viuere. Neque enim habet noſtra mens aliud quidquam, vbi conſiſtat, tanquam in extremo; omneſque & morbi, & ægritudines ad dolorem referuntur; nec prætereà eſt res vlla, quæ aut ſua ſede naturam ſollicitare poſſit, aut frangere.

CAPVT IV.

Voluptatem, in qua ſita felicitas eſt, eſſe Indolentiam corporis, & Tranquillitatem mentis.

VErumtamen, cùm ſint duo quædam, vt paullò antè eſt inſinuatum voluptatum genera; Nam alia quidem ſpectari poteſt tanquam in ſtatu, ſeu quiete; adeò vt nihil aliud ſit, quàm placabilitas, ſedatio, & vacuitas, immunitaſve à perturbatione, ac dolore: alia verò tanquam in motu, adeò vt conſiſtat in ſuaui motione, veluti lætitia, hilaritate, & quacumque ſenſus iucundè, & quodam quaſi cum dulcore, & titillatione mouetur, vt dum quis per famem, & ſitim comedit ac bibit: ideò quæri poteſt, in vtraque-ne; an in altera, & quánam fœlicitas conſiſtat?

Dicimus ergo voluptatem, in qua conſiſtit felicitas, ſiue finis beatæ vitæ, eſſe voluptatem priorem, hoc eſt, ſtabilem ſeu in ſtatu, atque idcircò non aliam, quàm Indolentiam corporis, & Tranquillitatem mentis.

Quocirca & cùm vniuerſè Voluptatem beatæ vitæ eſſe finem dicimus, longè profectò abſumus, vt eas Voluptates, quæ ſunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus ſpectantur in ipſa motione, actionéve fruendi, quâ nimirum ſenſus iucundè, dulcitérque afficitur, intelligamus; veluti quidam rem ignorantes, aut à nobis diſſentientes aut alioquin aduerſum nos malè affecti, interpretantur? ſed illud dumtaxat, vt res iterum dicatur, intelligimus, Non dolere corpore, ac animo non perturbari.

Siquidem non compotationes, comeſſationeſque perpetuæ; non ipſa cum pueris, mulieribuſque conſuetudo; non piſcium deliciæ; aut quæcumque aliæ menſæ lautioris cupediæ

pediæ

pediæ iucundam vitam pariunt; ſed quæ cum ſobrietate, ſerenûque adeò animo eſt ratio, cauſas cur quidque eligendum, fugiendumque ſit, inueſtigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima menteis occupat perturbatio.

Vt noſcatur verò quamobrem hæc ſola voluptas ſit finis; obſeruari debet naturam ad voluptatem aliam primariò, & tanquam ad finem non tendere, quàm ad ſtabilem; quæ ex amotione doloris, moleſtiæve conſequitur. Nam mobilem quidem non habet vt finem, ſed apparat ſolùm tanquam medium ad ſtabilem, nimirùm, vt ſit quaſi condimentum operationis illius, quæ ad eximendum dolorem, moleſtiamve eſt neceſſaria. Sic enim, cùm fames, & ſitis v. c. res ſit moleſta, animalque incommodet; primarius finis naturæ eſt, vt in eo ſtatu animal conſtituat, in quo ſit ab hac moleſtia immune: & quia id, niſi comedendo, bibendoque non poteſt fieri; ideò ſuauitate ipſam comedendi, bibendique actionem condit, vt animal tantò libentiùs ſeſe ad comedendum, bibendumque accingat.

Ac vulgò quidem homines præpoſterè agentes, nimirùm inconſideratè intemperantérque abrepti, voluptatem, quæ eſt in motu, tanquam finem ſibi præſtituunt; verùm aduocata in ſubſidium ſapientia voluptates in ordinem, & concinnitatem redigit; docetque non aliam pro beatæ vitæ fine conſtituendam, quàm quæ finis ſit ſecundùm naturam, quæque non alia profectò ſit ab ea, quam prædiximus. Etenim duce ipsâ naturâ quicquid agimus, eò ſpectat, vt neque corpore doleamus, neque animo perturbemur; ac vbi id ſemel aſſequuti ſumus, omnis animi procella ſedatur, & nihil maius eſt, ad quod reſpectemus, quaſi requirentes quidpiam aliud, quo ipſum tam animi, quàm corporis bonum compleatur: Tunc enim voluptate egemus, cùm ex illius eſſentia excitatur in nobis dolor; at cùm non dolemus; tunc nulla in nobis voluntatis indigentia eſt.

Ex quo ſit proinde, vt magnitudinis voluptatum terminus, ſeu voluptas ſumma, ipſa ſit doloris amotio, ſeu qui amotionem conſequitur ſtatus. Nam vbicumque voluptas adeſt, quandiù quidem adeſt, ibi nihil eſt dolens, aut ægrum, aut vtrumque ſimul. Fit etiam proinde, vt priuatione doloris terminata voluptas ſumma, variari quidem, diſtinguíque poſſit, augeri autem amplificarique non poſſit. Natura enim, quovſque omnem prorſus dolorem exemerit, voluptatem auget; at ſublato omni dolore, non patitur ipſam ſecundùm magnitudinem prouehi, ſed admittit ſolùm varietates quaſdam minimè neceſſarias; vtpote quæ ad id ne doleamus, non comparentur.

Quin etiam heinc ſit, vt abs re inſultent, qui cauſantur nos non habere illud, omni dolore carere, vt aliquid dolorem inter, & voluptatem medium; ſed ipſum cum altero membro ſic confundere, vt non ſolùm pro voluptate, ſed etiam pro ſumma voluptate habeatur. Nam quoniam, cum priuamur dolore, ipſa liberatione, & vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas eſt, vt omne id, quo offendimur, dolor; doloris omnis priuatio rectè nominata eſt voluptas. Vt enim cùm cibo, & potione fames, ſitiſque depulſa eſt, ipſa detractio moleſtiæ conſequutionem affert voluptatis; ſic in omni re doloris amotio ſucceſſionem efficit voluptatis.

Vnde & poteſt quoque diſcrimen oſtendi, cùm vrgent non eſſe, cur ſtatus ille medius voluptas potiùs, quàm dolor dicatur. Quippe detractâ voluptate, non ſtatim conſequitur ægritudo, niſi in voluptatis locum dolor fortè ſucceſſerit; at contrà gaudemus omittendis doloribus, etiamſi voluptas ea, quæ ſenſum moueat, nulla ſucceſſerit; eóque intelligi poteſt, quanta voluptas non dolere ſit; & niſi quis capiat, eos interroget, qui morborum doloribus acerbiſſimis infeſtantur.

Quod verò etiam ſunt, qui rident, obiiciuntque eſſe voluptatem hanc conſtitutionem quaſi dormientis, ac nos inertiæ inſimulant; idcircò faciunt, quia non aduertunt conſtitutionem huiuſmodi non eſſe nobis merum torporem; ſed potiùs eiuſmodi ſtatum, in quo omnes vitæ actiones placidè ſimul, atque iucundè peragantur. Nam nolumus quidem Sapientis vitam eſſe quaſi torrentem, rapidúmve flumen; at non idcircò tamen eſſe volumus quaſi aquam reſtagnantem, & mortuam; ſed potiùs quaſi aquam fluuij tacitè, placidéque labentis. Quare & contendimus eius voluptatem eſſe non inertem, ſed eam, quam ratio efficit firmam ſibi.

Verùm hoſce vt mittam, & ad id quod caput eſt, redeam, in idemque inſiſtam, Duo apud nos bona ſunt, ex quibus illud ſummum, beatumque componitur; Vt Animus ſine perturbatione, Vt Corpus ſine dolore ſit: atque ita quidem, vt hæc bona, vbi omni moleſtia detracta, plena fuerint, minimè creſcant: Quò enim creſcat, quod plenum ſit? Si corpus omni dolore caret, quid accedere ad hanc indolentiam poteſt? Si animus conſtat ſibi placiduſque eſt, quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas cæli non recipit maiorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata; ſic hominis corpus, animumque curantis, & bonum ſuum ex vtroque nectentis, perfectus eſt ſtatus, & ſummam voti ſui inuenit, ſi nec æſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extrà blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed vt ita dicam, condiunt, & oblectant: abſolutum enim illud humanæ naturæ Bunum, corporis, & animi pace contentum eſt.

CAPVT V.

De iis, quæ hanc Felicitatem, ſeu Voluptatem pariunt, vt cum-primis Virtutes ſunt.

IAm, cùm iſta Corporis, Animique pax, hoc eſt Tranquillitas in hoc, in illo Indolentia, completa Hominis Felicitas ſit; nihil noſtrâ magis intereſt, quàm ea, quæ ipſam facere, tuerique poſſunt, meditari, quandoquidem, dum illa adeſt, quod non habeamus, nihil eſt; dum abeſt nihil non agimus, vt conſequi ipſam poſſimus; & tamen, vt dictum iam eſt, plærumque non conſequimur.

Itaque videtur imprimis non ſecus de Felicitate, quàm de Sanitate philoſophandum eſſe; ſiquidem conſtat illum ſtatum, in quo Animus ſine perturbatione, Corpus ſine dolore eſt, nihil eſſe aliud, quàm perfectam totius Hominis ſanitatem. Quò fit, vt intelligi liceat, quemadmodum in corpore, ſic in Animo quoque ipſo, ea, quæ Sanitatem creant, & conſeruant, ipſa eadem eſſe, quæ obſtant, ne morbi adueniant; aut ſi aduenerint, curant, expelluntque.

Cùm verò aduerſus Corporis morbos comparata ſit Medicinæ ars, quæ remedia iis præcauendis, propulſandiſque adhibet; ideò non multum circa illos ſupereſt nobis operæ; ſed duo quædam Monita eſſe poſſe ſatis videntur.

Vnum, vt, quò auerti poſſint, aut leuiores fieri, & plerumque curari, colatur Temperantia, vitaque ſit Sobria, atque continens; quòd morborum ſeges non aliunde ſoleat, quàm ex oppoſito vitio proficiſci.

Alterum, vt cùm eos patiendi incubuerit neceſſitas, Fortitudo occurrat, & tum perferantur animo cunſtanti, cum præ impatientia non exaſperentur; ac vel illud ſolatio ſit, quòd futuri ſint, aut magni, breues; aut diuturni, leues.

Aduerſus Animi autem morbos comparata quidem Philoſophia eſt; vnde & illam Animi quaſi Medicinam meritò habemus: Verùm ea non perinde ab iis, qui animo laborant, conſulitur aut adhibetur. Id nempe, quia corporis morbos ipſo animo iudicamus; morbos vero animi neque ſentimus corpore; neque animo aut agnoſcimus, aut iudicamus, vt par eſt; quoniam ipſum-met quo iudicandum ſit, ægrotet. Vnde & intelligi poteſt, eſſe reuerâ animi morbos pernicioſiores, quàm corporis; vt inter morbos corporis, illi omnium grauiſſimi, & periculoſiſſimi ſunt, qui ſui ſenſum adimunt, ſicuti veternus, aut febris ardentior.

Quin-etiam eſſe Animi morbos deteriores, quàm Corporis, eadem declarat ratio, qua Voluptates animi ſunt Voluptatibus Corporis potiores. Videlicet, quòd corpore nihil niſi præſens, & quod adeſt; animo autem & præterita, & futura ſentiamus. Vt enim æquè doleamus animo, cùm corpore dolemus, fieri tamen permagna acceſſio poteſt, ſi v.c. aliquod æternum, & infinitum impendere malum nobis opinemur; Quod idem licet transferre in Voluptatem, vt ea maior ſit, ſi nihil tale metuamus: cùm & illud perſpicuum ſit, maximam animi aut voluptatem, aut moleſtiam, plus aut ad beatam, aut ad miſeram vitam afferre momenti, quàm eorum vtrumvis, ſi æquè diù ſit in corpore.

Quoniam verò duo quidam ſunt Capitales animi morbi, Cupiditas nempe, ac Metus, cum propaginibus variis, cùmque adiuncta vbique Ægritudine, ſeu Moleſtia, eo modo, quo corporis morbi cum adiuncto Dolore ſunt: ideò Philoſophiæ eſt munus adhibere Remedia, quæ ipſos ne, ne animum inuadant, prohibeant; aut ſi innaſcerint, tanquam è præſidio deiiciant. Tales ſunt potiſſimùm Cupiditates inanes opum, honorum, aliarum rerum, & Metus à Diis, à Morte, & alij, quibus latè graſſantibus, nulla vnquam pars animi relinquitur ſana.

Remedia porrò, quæ Philoſophia adhibet, ipſæ ſunt Virtutes, quæ à Ratione, ſeu Prudentia generaliore profectæ, huiuſmodi Affectus arcent, & expellunt. Dico autem Rationem, ſeu generaliorem Prudentiam, quoniam cùm ſit quædam Prudentia ſpecialior, actionibus vitæ ſingularibus dirigendis inſeruiens; agnoſcitur tamen altera generalior, quæ nihil aliud ſit, quàm ipſamet Ratio, ipſomve Rationis dictamen; ac idem plæriſque habeatur cum ipſa Sapientia; cùm aliunde Virtus nihil aliud ſit, quàm Perfecta quædam diſpoſitio animi, quam Ratio, ſeu Prudentia creet, ac animi morbis, ſeu Vitiis opponat.

CAPVT VI.

De Recta ratione, ac Libero arbitrio, à quo laus omnis Virtutum eſt.

HEinc, cùm deinceps de Virtute, eiuſque ſpeciebus videatur dicendum, præmittendum eſt quidpiam de ipſa Ratione, ac ſimul de eo, quod in ea eſt, Libero arbitrio; cùm exinde ſit vniuerſa, quæ Virtuti competit laus; vti eſt & oppoſitum quod Vitio debetur, probrum, ac vituperium.

Itaque, cùm Ratio generatim nihil aliud ſit, quàm facultas ratiocinandi, ſeu iudicandi, ac vnam rem inferendi ex alia; tum illam ſpeciatim heic accipimus, quæ in rebus agendis, ſeu in Electionem, Fugamque cadentibus, iudicat, ac infert, ſeu ratiocinatur.

Cùm poſſit autem iudicium, ſiue ratiocinium rectè, peruerſeque inſtitui: illa quidem Ratio, cuius prauum eſt iudicium, non eſt propriè ratio; noſque illam potiùs Opinio-

nem

Digitized by Google

nem dicimus: Attamen, ob frequentem vſum, dicatur quoque, ſi lubeat, Ratio, dummodò Praua intelligatur; vti & Recta ratio dici poteſt Opinio, modò intelligatur ea, quæ ſana ſit.

Ac ipſam quidem Rationem rectam tum naturæ bonitas facit, tum rerum peritia, ſiue Experientia, ac obſeruatio ſedula, ex qua efficitur, vt quaſi habitis firmis correctiſque principiis, ratiocinatio ſolida ſit, & iure ad illius prouocetur iudicium, qui expertus eſt, ac prudens rerum; ſed & huc faciunt, quæ de Criteriis in Canonica diſputata ſunt, quæque recenſere nihil eſt iam opus.

Interim porrò cùm dico res in Electionem, fugamque cadenteis; ſuppono eſſe quoque in nobis Liberum rationis arbitrium, hoc eſt, facultatem eligendi, & proſequendi id, quod eſſe ipſa ratio bonum iudicarit; reſpuendi verò, ac refugiendi, quod eadem iudicarit malum.

Eſſe autem id reipſâ in nobis, Experientia probat, & communis ſenſus, quo conſtat nihil eſſe laude, vel vituperio dignum, niſi quod liberè, voluntariè, iudicatò, ex electione fit; ac idcirco pendet ab Eo, quod eſt in nobis, quódque ab omni dominatu liberum, immuneque eſt, ac eiuſmodi, vt proptereà præmia, ſuppliciaque iure legibus conſtituantur: cùm fieri nihil poſſet iniquiùs, ſi hominum actiones eſſent condicendæ rigidæ illi neceſſitati, quam ex Fato ortam aliqui, vt omnium dominam, introducunt, dum quiequid accidit, aut fit, id ex æterna veritate, cauſarumque continuatione fluxiſſe declarant.

Satius longè profectò eſt, fabuloſæ, hoc eſt, vulgari de Diis opinioni addici, quàm Phyſicorum Fato ſeruire; imponentium ipſum ceruicibus noſtris, vt ſempiternum dominum, quem dies, noctéiſque timeamus. Quippe illa opinio, ob reuerentiam, quæ Diis habetur, vt exorentur, facit ſpem: hoc verò habet Neceſſitatem inexorabilem adiunctam.

Ac verum eſt quidem in rebus ratione carentibus fieri aliqua neceſſariò (quanquam non ea neceſſitate, quæ impediri non valeat; vti & in Canonicis, & tum, cùm de cauſis ageremus, attigimus) at in homine ratione vtente, & quatenus quidem illa vtitur, neceſſitas prorsùs eſt nulla; ac nos ideò conati ſumus declinationem motuum aſſerere atomis, vt deduceremus, quî poſſet Fortuna humanis rebus interuenire, ac illud quod in nobis eſt, ſiue Liberum arbitrium, minimè periret.

Nempe congruum omnino eſt, vt nos in omnem partem verſemus, & contendamus ingenium; in id incumbendo, vt quomodocumque demum à motione ſempiterna liberum tueamur arbitrium, ac Prauitatem euadere inculpabilem non patiamur.

Quod de Fortuna autem dico, non eò ſanè facit, vt ipſi tribuamus diuinitatem aliquam, non modò inſtar vulgi, ſed illorum etiam, qui illam habentes vt cauſam quampiam inſtabilem, non exiſtimant quidem porrigere ipſam quaſi manu hominibus boni, aut mali aliquid, quod ad beatam vitam faciat, ſed putant tamen illam bonorum malorumque inſignium occaſiones ſuppeditare: Non eò, inquam, facit; ſed vt agnoſcamus, ſicut neceſſitate, & conſilio, ſic etiam fortunâ multa fieri, ac idcirco Sapientis eſſe, vt ſe comparet aduerſus Fortunam.

Porrò, cùm quicquid bonitatis, aut malitiæ eſt in humanis actionibus, non aliunde pendeat, quàm ex eo, quòd, Quis ſciens, & volens, ſeu liber facit; ideò Animus eſt aſſuefaciendus, vt & Sanè ſciat, hoc eſt, ratione recta vtatur; & Sanè velit, hoc eſt, vt liberum arbitrium ad id, quod verè eſt bonum, flectat, ab eo, quod verè eſt malum, deflectat: Siquidem talis aſſuetudo eam diſpoſitionem in animo gignit, quam eſſe Virtutem definiuimus; vti oppoſita gignit eam, quam proinde licet definire Vitium.

Taceo autem illud eſſe verè Bonum, quod Voluptatem, vt ſinceram, ita ſine vlla vnquam futura moleſtia, ac pœnitentia creat; illud verè Malum, quod ſincerum Dolorem, & ſine vlla vnqnam futura voluptate & allubeſcentia parit. Verum autem vtrumque dico, ad eius diſcrimen, quod niſi apparens, fucatumque non eſt, cuiuſmodi quidem eſt Bonum, quod voluptatem præſentem creans, inſequuturam nihilominus moleſtiam, ac pœnitentiam habet: Malum verò, quod dolorem, moleſtiamve præſentem pariens, voluptatem habet, allubeſcentiamque futuram: vt intelligitur ex iis, quæ deducta iam antè ſunt.

CAPVT VII.

De Virtutibus ipſis generatim.

CÆterùm, cùm ſit omnis Virtus aut ipſa Prudentia, Rationiſve rectæ dictamen, prout ipſi aſſueſcimus; aut ab ipſa Prudentia, rectæve Rationis dictamine regatur, ac pendeat; conſtat ad hoc poſterius genus ſpectare tum illam, qua quis eſt erga ſe affectus, tum illam, qua erga alterum: cùm Prudentia aliunde ea ſit, qua quis ad regendum comparatus eſt, non modò ſeipſum, verùm etiam alios.

Et quæ Virtus quidem eſt ad alterum, ea dici Iuſtitia generatim ſolet; at ea qua quis erga ſeipſum affectus eſt, duplex vulgò diſtinguitur, Temperantia, & Fortitudo. Moris eſt nobis vt vtramque Honeſtatis nomine complectamur, vti dum agere ex virtute, nihil eſſe aliud, quàm Prudenter, Honeſtè, Iuſtè agere dicimus; videlicet, quatenus iis qui ſobriè, continenterque viuunt, viuere honeſtè, ſeu decorè dicuntur; & qui gerunt ſe fortiter,

fortiter, gerere ſe honeſtè, ſeu decorè cenſentur.

Quare & nos quoque, vt cæteri ſolent, Quadruplicem diſtinguimus Virtutem, vt putà Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Iuſtitiam; ſed ita nihilominus, vt Prudentiam non tam vlli opponamus Affectui, quàm Incogitantiæ, Ignorantiæ, Stultitiæ (niſi tamen ex accidenti, quatenus perturbatio rationem veluti occæcat, facitque, vt homo imprudenter agat) & Iuſtitiam ſimiliter, non tam affectui, quàm Malitiæ, qua quis in fraudes pronus eſt (niſi etiam ex accidenti, quatenus ira, odium, auaritia, aut paſſio alia facit, vt iniuſtè agatur;) Temperantiam autem opponamus alteri memoratorum paullò antè affectuum, videlicet Cupiditati; & Fortitudinem alteri, videlicet Metui.

Patet proinde, quod antè dixi, Rationem eſſe Sobriam, rectéve inſtitutam, quæ vitam iucundam, ſeu beatam pariat, eò ſpectare, vt intelligamus, præſtare id illam beneficio Virtutum, quas ingenerat, ac tuetur. Et quod adieci illam inueſtigare cauſas, cur quidque eligendum, fugiendumve ſit, ac abigere opiniones, ob quas plurima menteis occupat perturbatio, eò attinere, vt intelligamus eſſe eam idem cum generaliore Prudentia, quæ eſt omnium Eligendorum, Fugiendorumque principium, ac ideò Bonum maximum, quòd ab ea exortæ virtutes perturbationes ſedent, edocentes viui iucundè non poſſe niſi prudenter, honeſtè, iuſtéque viuatur, vt neque prudenter, honeſtè, ac iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè.

Effici autem ex hoc vides quamobrem cenſeam eſſe Virtutes beatæ vitæ congenitas, ac fieri non poſſe, vt ab iis vita iucunda ſeparetur. Nempe cætera quidem omnia, vt caduca, atque mortalia, ſunt à germana, conſtantique Voluptate ſeparabilia; ſola autem Virtus, vt bonum perpetuum, atque immortale, inſeparabilis ab ea eſt.

Simul verò ex his intelligitur, eſſe omneis virtutes inter ſe connexas, & ex capite quidem duplici; Vno, quia cum ipſa principe Prudentia cæteræ omnes coniunctæ ſunt, vt cum capite membra cætera, aut cum fonte riui ex ipſo manantes: Altero, quia tam Prudentia, quàm cæteræ cum iucunda vita cohærent; & neque, niſi adſint Virtutes, eſſe iucunda vita poteſt; neque adeſſe Virtutes poſſunt, quin vita ſimul iucunda ſit.

Neque porrò tametſi omnes inter ſe nexæ Virtutes ſint, ideo pares inter ſe ſunt, ſicut aliqui autumant, qui & paria eſſe inter ſe Vitia omnia, Peccataque defendunt. Nam & poteſt quis eſſe ad Iuſtitiam, quàm ad Temperantiam comparatior; & poteſt in vno eſſe, quàm in alio Temperantia perfectior; nam (quod citra quidem inuidiam ſit dictum) ipſe, v. c. qui diutiùs iam in eo ſum, vt in ſobrietate proficiam, non toto aſſe paſcor; Metrodorus, qui nondum tantum profecerit, toto. Conſtat & inter homines eſſe alium alio Sapientiorem; & ex iis, qui rectè & ex Virtute agunt, non paria decerni præmia omnibus; vti neque peccantibus paria decernuntur ſupplicia. Nempe, quòd iis ſenſus, moreſque repugnent, qui paria omnia faciunt, & peccare æquè contendunt eum, qui parentem, & eum, qui ſeruum verberet iniuriâ; cùm & ſint, apud quos nihil diſtet, fabam comedas, an parentis caput.

Sed hoſce, vt mittam, illi alij ſunt, qui, quòd Virtutes ad Voluptatem, ſeu Felicitatem comparatas eſſe dicamus, inſimulant, ac debacchantur, quaſi intelligamus eam; quæ obſcœna, infamiſque Voluptas ſit. Verùm illi ſinendi ſunt, vt lubuerit, deblaterare; Nam & quod Virtutem ſummum Bonum faciunt, facimus & nos, ſi modò de mediis ad beatè viuendum conducentibus ſermo ſit; Neque enim aliud eſt vllum, quod, quantum ipſa virtus, poſſit, ipsâque adeò præſtantius ſit (ſcilicet non opes, non gloria, non amici, non liberi, &c.) At, ſi de ipſo Beatè viuendo, ſeu Felicitate ſit ſermo; quid-ni ſit hoc Bonum Virtute ſuperius; cùm Finis ſit, cui obtinendo ipſa Virtus inſeruiat?

Inclamant aliunde, quòd Virtutem eneruem faciamus, dum tantum ipſi virium non tribuimus, vt Sapientem omni Paſſione, affectuve carentem reddat, ſed patiatur illum aliquibus tangi, vt quòd v. c. in amicorum morte mœreat, lacrymetur, gemitus, ac ſuſpiria ducat: Verùm, cùm magni iure faciamus, quòd poſſit nos Virtus & à vanis Terroribus, & à Cupiditatibus inanibus eximere, quando iſta capita ſunt grauiorum omnium perturbationum; non parui quoque ducimus, ſi ad cæteros affectus quod ſpectat, illos ad eiuſcemodi mediocritatem redigat, in qua remaneat aliquis humanitatis veluti ſenſus.

Illa certè omnimoda, quam iactare ſolent, mœroris detractio, à maiore alio malo proficiſcitur, Immanitate ſcilicet, ac immoderata vanæ gloriæ ambitiône, & quaſi rabie: Adeò vt videatur longè præſtabilius, paſſionem quampiam experiri, mœrore quopiam affici, oculos non pati turgere, ſed in lacrymas fluere; & quæ ij patiuntur, aut fingunt, qui affectu tenero eſſe amanteſque videri volunt, quàm ex horum decreto ſapere, & ringi.

CAPVT VIII.

De Prudentia vniuersè.

VErùm, vt aliquid ſpeciatim de Virtutibus ſingulis dicamus; ducendum initium à Prudentia eſt, cuius cùm ſit munus vitam regere, & quicquid in vita contingere poteſt, ſic proſpicere, vt ad Beatam vitam illud dirigat; videri poteſt vna omnium Virtutum munera complecti.

Digitized by Google

Et quòd Prudentia quidem comparetur ad hoc, vt quæ in vita accidunt omnia, ſiue omnes vitæ actiones ad beatam vitam, ſeu felicitatem, Voluptatémve expoſitam componat; nimiſ-quàm manifeſtum eſt. Vt enim Medicorum ſcientiam non ipſius artis, ſed bonæ valetudinis causâ probamus; & Gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, vtilitate, non arte laudatur, ſic Prudentia, quæ omnino ars viuendi putanda eſt, non expeteretur, ſi nihil efficeret in vita: Nunc autem expetitur, quòd eſt tanquam artifex conquirendæ, & comparandæ eiuſcemodi voluptatis.

Prudentia enim (ſeu fortè mavis Sapientiam dicere) eſt vna, quæ non modò præcaueat, ne quid incidat, vnde corpus doleat, ſed quæ etiam potiſſimùm mœſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat; quâ præceptrice in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. Cupiditates enim ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam labefactant ſæpe Rempub. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur, nec hæ ſeſe foris ſolùm iactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt; ſed intus etiam in animis incluſæ inter ſe diſſident, atque diſcordant. Ex quo vitam amariſſimam, neceſſe eſt effici; vt Prudens, ſiue Sapiens ſolus amputatâ, circumciſáque inanitate omni, & errore, naturæ finibus contentus, ſine ægritudine poſſit, & ſine metu viuere.

Quòd ſi vitam omnem videmus perturbari errore, & inſcitiâ, Prudentiámque eſſe ſolam, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipſius fortunæ modicè ferre doceat iniurias, & omneis doceat vias, quæ ad quietem, & tranquillitatem ferant. Quid eſt, cur dubitemus dicere, & Prudentiam propter voluptatem expetendam eſſe, & imprudentiam propter moleſtias eſſe fugiendam?

Quod dico autem Virum Prudentem ferre modicè Fortunæ iniurias, ideò eſt, quòd niſi ſpeciatim, at generatim ſaltem eas habet prouiſas; neque, ſi quidpiam præter ſpem, prætérque ſuſcepta conſilia contingat, idcircò ſe cruciat quòd nôrit non eſſe humanæ ſolertiæ, ſagacitatis, facultatis, aut prouidere, aut impedire, ne quidquam aduerſi, moleſtique eueniat. Imò ſatiùs ducit, ratione bene inſtitutâ (quantum videlicet humana imbecillitas patitur) infortunatum fieri quàm malè initâ fortunatum; ac nihil eſſe putat præclariùs, quàm ſi quidpiam fortuna pulcrè feliciterque dirigat, fuiſſe id ipſi non ſine iudicio, deliberationéque commiſſum.

Quanquam & ita ſe gerit Sapiens, vt cupiditates inaneis reſcindens, ad neceſſaria ſe contrahat, quæ tam pauca, paruáque ſunt, vt ea vix vlla eripere fortunæ iniquitas poſſit; adeò proinde, vt cùm nulla, vel planè exigua fortuna interuenire Sapienti poſſit, is videatur illi poſſe dicere, Occupaui te, Fortuna, atque cepi, omneiſque aditus tuos interclusi, vt ad me adſpirare non poſſes.

Verumtamen de reſcindenda cupiditate inferiùs: Nunc, cùm ſpectari Prudentia poſſit, quatenus aut ſeipſum regit, aut domum, ſeu familiam aut ciuitatem, ſeu Rempub. ſicque aut Priuata, aut Dumeſtica, aut Ciuilis diſtinguitur: agedum de ſingulis pauca.

CAPVT IX.

De Prudentia Priuata.

ET de Priuata quidem, vnum ferè eſt caput, vt quiſque genium ſuum nôrit, & nihil naturâ repugnante adorſus, maturè prouideat de Statu, in quo totam vitam exacturus ſit, & cui omneis vitæ actiones ſic accommodet, vt quàm fieri poſſit indolentiſſimè, atque tranquilliſſimè viuat.

Oportet enim ſibi finem, ſiue vitæ ſcopum ratum, conſtantémque præfixum habere; & ratione quidem bene initâ, ſecundum omnem euidentiam, quâ ſolemus expendere, ſi quid opinamur, aut ſtatuimus; omnia quippe, niſi id fiat, indiſcretæ temeritatis, confuſioniſque plena euadent, ac ſuſcepti inſtitutive ſubibit ſera pœnitentia.

Quin-etiam, niſi occurrente quavis occaſione vnamquamque actionum ſuarum, vt ad huiuſcemodi ſcopum, ſic ad ipſum naturæ finem, quem tibi in illo conſtituendo propoſueris, referas; ſed ad aliud quidpiam ſiue proſequendo, ſiue refugiendo deflectas; non erunt tibi vitæ actiones propriis ſermonibus conſentanea; ſed tranquillitatem exempli gratiâ verbis extollens, negotioſum reipſâ te, turbationique obnoxium prodes.

Is porrò præſcriptos à natura fineis in vitæ ratione ineunda perſpexit, cui perſpectum eſt, quàm parabile ſit, faciléque occurrat, quod neceſſarium ad vitam ſit; ſeu, quod ad detrahendum, quicquid ob indigentiam in corpore dolet, ſufficiat. Exinde videlicet nouit ita præclarè ſeriem vitæ totius conſtituere, vt nullatenus rebus, ac negotiis contentionis, ac adeò aleæ periculique plenis indigeat.

Ex hoc proinde ſit, cur Sapiens paupertatem non valdè timeat, quandò tam rarum eſt, vt ea, quæ neceſſaria ſunt, cuiquam deſint. Quòd ſi fortè ea quoque deſint, ac pecunia ad ipſa comparanda indigeat; non idcircò tamen vitam ſic inſtituet, vt Cynicorum more mendicet; ſed aliquos potiùs ad ſapientiam ita erudiendos ſuſcipiet, vt & rem agat ſapientiâ dignam, & ſibi interim neceſſaria ab iis, quibus rerum ſit abundè, prouideat.

Quatenus tamen, & quovſque aut iſtud, aut aliud ipſi affine præſtandum ſit, vbi neceſſaria deficiunt (ac id agitur, vt quæſitâ animi fiduciâ, ea, quæ in diem accidunt, generosè

excipiamus) adhibenda eſt ipſamet ſapientia, Philoſophia ve in ſubſidium; Malo ſcilicet conſultori earum rerum arbitrium, quæ noſtrâ interſunt, permittimus, ſi quod naturæ eſt neceſſarium, ſine Philoſophia & metimur, & apparamus.

Quare oportet Philoſophantem huiuſcemodi rebus prouidere, & vſque-dum quidem adhibita ipſis cura diligens eas ſuppeditârit. Quandiù autem quidpiam ex ipſis, ſine quo perfecta conſtet fiducia, poteſt detrahi, non accingere ſe opibus, alimentiſque comparandis.

Philoſophia igitur duce, harum rerum ſtudium ſuſcipiendum eſt; ac fiet breui, vt agnoſcatur quæ virtus, & quanta boni ſit, id ſolùm in ipſis, quod ſit minimum, ſimplex, leueque, requirere; quoniam quod in vita ſuauiſſimum, & à moleſtia alienum eſt, id ex minimo quo quis ſit contentus, dependet. Quæ verò ſecum impedimenta ſollicita rerum comparatio trahit, cùm agnoſcantur ex grauitate, laboreve corporis, aut ex ipſa rerum comparandarum difficultate, aut ex abductione à ſpeculationum longè præſtantiſſimarum ſtudio (quod continens eſſe operæ-prætium fuerit) aut quapiam alia demùm ex cauſa; ea ſanè euadit protinus infrugifera, neque digna, quæ cum perturbationibus conſequentibus commutetur.

Quod præmonui autem, vt quiſque genium ſuum norit, ſeſeve ipſum conſulat, vt ſui ipſius deſtinationem, quatenus ſe ad aliquid idoneum compererit, faciat: idcircò feci, quòd alioquin nihil eſſe poſſit ærumnoſius, & à tranquillitate alienius, quàm illud vitæ genus ſequi, ad quod te ineptum finxerit natura.

Quò fit, vt neque viro deſidioſo vita actuoſa ſequenda ſit, neque actuoſo deſidioſa: Quippe vt illi otium quies, actio labor eſt; ſic iſti otium labor, actio verò quies. Sic timido, ac leni defugienda militia eſt; audaci, atque impatienti vmbratica vita. Siquidem neque ille in bello, neque iſte in vmbra poteſt tranquillè degere? Quod idem poteſt facilè intelligi in cæteris: adeò proinde, vt nihil ſit tutius, quàm illud ſolùm aggredi, quod exſequi non aduerſante, repugnantéque natura poſſis.

Vnum addo, vt quantum licet, is ſtatus, qui deligitur, quò ſecurior ſit, & tranquillior, deligatur mediocris, ſeu qui neque valdè emineat, neque valdè abiectus ſit. Quoniam verſari in ciuitate neque vt leonem, neque vt eulicem oportet; ne aut huius inſtar facilè exteraris; aut inſtar illius inſidiis capteris.

CAPVT X.

De Prudentia Domeſtica.

AD Domeſticam Prudentiam, quod ſpectat, cùm ea eſſe poſſe videatur, aut Coniugalis, & Paterna; aut herilis, & Poſſeſſoria; licet circa priorem quidem ad id ſolùm attendere, quod elicitur ex iis, quæ ſunt mox de genere vitæ inſtituendo dicta.

Videlicet, ſi ita quidem comparatum te noueris, vt viuere cœlebs ſine angore non poſſis; vt poſſis patienter moroſam vxorem, malè moratos liberos ferre: vt valeas non admodum angi, vbi videris liberos eiulanteis, morbo laboranteis, tibi præmorienteis; vt non ſollicitudinibus variis diſtineri, diſtorquerique, quò omnia neceſſaria ad coniugalem ſtatum prouideas; quò nocumenta omnia auertas, atque id genus cætera: eo caſu & ducere vxorem, & ſuſcipere liberos, quibus Prudentia coniugali, & paterna conſulas, licet. At niſi talem te noueris; vides, ſi ducas, ſi ſuſcipias, quantum tibi ad Beatam vitam, hoc eſt, germanam tranquillitatem, ſis facturus impedimenti.

Ac præſumere quidem potes & vxorem morigeram, & bene natos liberos; & curas non multas, nec magnas; verumtamen præſumes ſolum neque ſe quis Deus tibi vadem dabit, rem ita ceſſuram, vt præſumpſeris. Quare cùm ſit ſaltem res admodùm anceps; alienum à ſapientia eſt, vltrò ſubire aleam, ac eò ſe coniicere, vnde, ſi deinceps pœniteat, reuocare pedem non poſſis.

Dico tamen, vltrò; quoniam poteſt aliqua vitæ circumſtantia exigere, vt inuitus licet, nuptias adeas, liberoſque ſuſcipias; veluti ſi eo loco ſis, vt tibi ſit Patriæ commodis ſeruiendum. Nam, quod nonnulli quidem prætexunt propagationem generis, cui veluti adſtricti ſimus: Periculum ſanè non eſt, ne deſint, qui & nuptias colant, & procreandis liberis vacent; vt inuidendum proinde ſit, ſi Sapientes aliqui pauci ab hoc munere præſtando abſtineant.

Quòd ſi quiſpiam caſus, aut certum conſilium, neceſſitaſve aliqua te ad nuptias adegerit; tum & vxor eſt eo loco habenda, vt tui amantem, partiſque curarum ſuſcipientem reddas; tum liberi ita curandi, vt partim natura præſcribit, quæ ad hoc nos inſtigat, vt ſimul atque nati ſunt, illos depereamus, ſollicitique pro iis ſimus (quod ouibus etiam ac lupis, aliiſque animalibus eſt commune) partim ipſa ſapientia, quæ ita inſtituendos monet, vt & Patriis legibus obſequentes ſint, & ipſimet fieri ſapientes exoptent.

Neque verò hæc cura modò pro liberis propriis ſuſcipienda eſt; ſed pro liberis etiam amicorum, ac ſi pupilli præſertim ſint; cùm nihil eſſe poſſit amicitiâ dignius, quàm ſe tutorem gerere, ac parentis loco erga illos habere, quos amicus præmoriens & ſummè amauerit, & vt orphanos, ita præſidio indigenteis reliquerit.

Circa poſteriorem, & quatenus quidem ſubſunt ſerui, ac famuli, qui ipſi ſunt neceſſaria quidem, ſed parum plærumque iucunda poſſeſſio; ita debet Sapiens dare operam, ne inſoleſcant, ac moroſi fiant, vt manſuetè ſe, quantum fuerit fas, erga illos gerat; & dyſcolos quidem penè inuitus caſtiget, memor ſcilicet eſſe homines; facilè autem indulgeat, veniamque condonet,

condonet, ac ſi qui præſertim indolis non malæ, diligenteſque exſtiterint. Et nequeid modò, ſed etiam vbi aliquos natos ad Sapientiam compererit, quales apud nos non defuére, ac ipſe præ cæteris Mus, illos & promoueat, & amicos vocet, & philoſophari ſecum ſuaue ducat.

Quatenus autem familiatis res ſubeſt; illius curam ita habebit, ſicque in futurum proſpiciet, vt id tamen citra auaritiam, diteſcendique cupiditatem fiat. Sed de hac quidem cupiditate poſteà. Interim verò non debet ſapiens rem familiarem negligere; quia id ex vſu vitæ eſt; ne ſi peſſum nempe res eat, ac deinceps quæ ſunt ad vitam neceſſaria non ſuppetant, philoſophando obex fiat, dum aut laborioſè requirenda erunt, quæ potuerant nullo, exiguóve negotio ſeruari; aut emendicandum, petendumque importunè ex alio, quod quiſ potuerat ex ſeipſo facili ſtudio obtinere; aut ſeneſcendum, ægrotandum, moriendum ea in egeſtate, quæ tranquillitati animi non parùm officiat.

Ac præter illa quidem, quæ ſunt vitæ vſibus neceſſaria, eſſe quædam poſſunt, quæ pro conditione perſonæ, loci, temporis habenda neceſſaria ſint, àc ideirco non habenda neglectui: at eſſe præſertim eorum cura debet, quorum ad tollendum indigentiam naturalem neceſſitas eſt, quibuſve negatis natura ipſa dolet. Talis eſt frugis prouiſæ copia; ipſique eos magis commendamus, qui frumentum domum, quàm qui ſupellectilem pretioſam important. Delectat nos certè maximoperè, quòd cùm nuper graui obſidione vrgente, tam multi fame in hac noſtra ciuitate perierint: ipſi tamen potuerimus tot, ac tam bonos familiareis amicoſque nobis conuiuenteis ſeruare; non congeſtis lautis eduliis, ſed prouiſa fabarum copia, ex qua ad certum numerum licuit ſingulis dietim impertiti.

CAPVT XI.

De Prudentia Ciuili.

QVod attinet demùm ad Ciuilem Prudentiam, id repetendum haud ſecus eſt, quod circa ipſum genus vitæ eligendum eſt inſinuatum.

Nempe, ſi qui ſint natura ambitioſi appetentéſque gloriæ; actuoſi aliunde, & publicis rebus gerendis idonei; ac inſuper ij, quibus aut naſcendi conditio, aut ſors, & occaſio ianuam facilem ad publicæ rei adminiſtrationem aperiat, poſſunt ij non quietem ſectari, ſed ſe publicæ adminiſtrationi, actuoſæque vitæ dedenteis, ſuæ naturæ obſequi: ſcilicet, cùm ſint ita comparati, vt ex vita otioſa perturbationem, & moleſtiam, dum quod concupiſcunt, non aſſequuntur, trahant.

At ſi qui aut ſuapte natura comparati ad otium ſint; aut ambitionem, vanitatemque vi rationis repreſſerint; aut quid id ſit rei experti, quaſi ex procellis emerſerint; aut iot, iámque magnis exemplis facti cautiores fuerint: haud abs re illi reputabunt eſſe ſibi otium longè præſtabilius, neque eſſe congruum, vt illud cum vita actuoſa commutent; niſi quid fortè interueniat ex parte Reipub. quod eorum induſtriam depoſcat; vnde & concludimus, Sapientem non eſſe ad Rempub. niſi quid interuenerit, acceſſurum.

Quid-ni? cùm illi otium ſectanti liceat faciliùs longè, ac tutiùs eundemmet finem conſequi, quem ſibi viri ambitioſi per pericula, ac labores præſtituunt?

Nam de bonum ſcopo vt dicam; Non defuere vnquam, qui vt ſecuritatem ex hominibus adipiſcerentur (ac pro conditione quidem principatus, & regni, ex quibus eam vulgò comparari putant) affectauetint gloriâ præfulgere, illuſtreſque euadere; exiſtimantes ſe hac ratione ſtatum ſecurum, tranquillumque ex hominibus paraturos. Ac ſi ſecura quidem fuit, tranquillaque ipſorum vita, ij ſunt illud ipſum, quod naturæ eſt, bonum conſequuti: Niſi autem ſecura, tranquillaque fuit (vt reuerâ eſſe vix poteſt) tum exciderunt ſanè ab eo, quod naturæ congruum nanciſci ex principatu fruſtrà appetierunt.

At cùm Sapientis ſcopus ſit idem, ſecuritas nempe, & tranquillitas vitæ: quanto amabò, compendio ad eum peruenit, cùm vitæ ciuilis turbas fugiens, directò ac ſtatim, ſeipſum in profundiſſima quiete, & quaſi in portu omnino ſilente, tranquillóque conſtituit? Felix profectò, qui pernôrit ſummum Bonum, Beatamque vitam, non in principatu, aut potentia dominatrice conſiſtere; non in numeroſa pecunia, aut poſſeſſione rerum ampla; ſed in vacuitate doloris, ſedationeque affectuum ac diſpoſitione illa animi, quæ ipſis naturæ finibus omnia circumſcribens, efficit, vt paucis contentus id obtineat, quod illi niſi imperent multis, opeſque magnas habeant, obtinere ſe poſſe diffidūt.

Certè, ſi de me liceat dicere, felicitati ſummæ duco, quòd factionibus ciuitatis me nunquam immiſcuerim, ac populo numquam placere, adulatique ſtuduerim. Ecqua verò id facerem ratione? quandò quæ ego ſcio, non probat populus, quæ probat populus, ego neſcio. Quàm verò & mihi, & ipſi Metrodoro ſimul non nocuit, occultis vixiſſe; cùm videlicet inter bona tanta, quibus licuit paruis in hortis, inque obſcura Melite frui, nobilis hæc Græcia nos non modò ignotos, verùm etiam penè inauditos habuit!

Dixi autem, niſi quid interueniat ex parte Reipub. Quoniam ſi Reſpub. vocet, ac operâ noſtrâ reipsâ indigeat, inhumani ſimus, ſi cùm liceret plurimis prodeſſe, nolimus. Simus & nobis ipſis iniurij; cùm, niſi ſaluâ Republicâ eſſe nobis non liceat, id, quod maximè cupimus, otioſis.

Haud

Haud ergo ſic ſe habet Sapiens, vt videre aliquos licet, qui profeſſi ſapientiam, videntur ſibi adeò pulcrè, præ faſtus abundantia, perſpectum babere negotium politici regiminis, vt paria Lycurgo, ac Soloni moliri ſe poſſe confidant.

At ſi rogetur, vt leges ferat, vt & Formam regimiuis, & Magiſtratuum munera præſeribat; id non detrectabit; ratus nempe illos, qui primì condidere leges, ac iura, & conſtituêre regimen, Magiſtratumque in vrbibus, vitam conſtituiſſe in ſtatu ſecuro admodum, & tranquillo; cùm ſi quis de medio iſta tolleret, vitam viueremus ferarum, & qui alium haberet obuium, ipſum tantùm non deuoraret.

Sin vocetur, vt princeps ſit, & iuxta leges, ac regimen iam conſtitutum Rempub. regat; non detrectabit ſimiliter, ratus, tametſi ca res aleæ plena plærumqnæ ſit, poſſe tamen virum Sapientem ſic proſpecta habere omnia, ſic prouidere omnibus, vt exigua illi, quod antè dicebam, Fortuna interueuiat, & maximæ interim, grauiſſimæque res conſilio ipſius, & ratione adminiſtrentur. Dabit verò operam imprimis, ne cùm hominum infirmiorès debitum obſequium potentioribus exhibuerint, iſti illos aut opprimant, aut egere rebus ad vitam neceſſariis, ipſi, iis affluentes, patiantur. Quippe, cùm is ſit omnis ſocietatis, ac Reipub. adeò finis, vt ex operis mutuis præſtitis, vita omnium ſit tuta, ac beata quam-maximè licet.

Tandem, ſi à Principe vocetur, & occaſio poſcat, vt ſeu conſilio, ſeu auxilio obſequium illi exhibeat; id denique non detrectabit; ratus, cùm ſit non modò pulchrins, verùm etiam iucundius beneficium dare, quàm accipere; rem fore vt pulcerrimam, ſic longè incundiſſimam, beneficium conferre in Principem, ex quo ad tam mulos ſit redundaturum. Sed hæc de Prudentia.

CAPVT XII.

De Temperantia vniuersè.

SEquitur Temperantia, pars vt iam eſt dictum, Honeſtatis prior, ac talis quidem, quæ præcipuam Honeſti, ac decori continere rationem videatur. Nempe cùm illius ſit munus animum cupientem reprimere, vt Fortitudinis eſt eundem metuentem erigere; minùs indecorum habetur puſillanimitate demitti, quàm cupiditate efferri; atque ideircò magis decorum cupiditati obſiſtere, quàm aduersùs metum eniti.

Initio verò illud quoque circa Temperantiam obſeruandum eſt, experi ipſam non propter ſe, ſed quia voluptatem pariat; hoc eſt, animis pacem afferat, & eos quaſi concordiâ quadam placet, ac leniat. Siquidem, cùm in moderandis cupiditatibus verſetur, ac idcircò in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem vt ſequamur, moneat; non ſatis eſt iudicare quid faciendum, non faciendúmve ſit; ſed ſtare etiam oportet in eo, quod ſit iudicatum.

Plerique autem, quòd tenere, atque ſeruare id, quod ſtatuêre, non poſſunt, victi, & debilitati obiecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec quid prouenturum ſit, prouident: ob eámque cauſam propter voluptatem & paruam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur; & quâ etiam carere poſſent, ſine dolore; tum in morbos graueis, tum in damna, rum in dedecus incurrunt; ſæpe etiam legum, iudiciorúmque pœnis obligantur.

Qui autem ita frui volunt voluptatibus, vt nulli propterea dolores conſequantur, & qui ſuum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod ſentiunt non eſſe faciendum; hi voluptatem maximam adipiſcuntur prætermittendâ voluptate. Iidem etiam dolorem ſæpè perpetiuntur: ne, ſi id non faciant, incidant in maiorem.

Ex hoc verò intelligitur, Temperantiam eſſe expetendam, non quia Voluptates aliquas refugiat, ſed quòd ab illis ſe continens, moleſtias declinet, quibns deuitatis, voluptates conſequatur maiores. Id verò interim ita faciat, vt res honeſtati, decorique vertatur; ac intelligi valeat poſſe eoſdem vt Voluptatis, ita decori amanteis eſſe; imò & taleis, qui cùm omneis virtutes & colant, & retineant, ea plerumque præſtent, atque conſequantur, ex quibus manifeſtum fiat, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia; atque ea, quæ maximè mali petant, & concupiſcant, ad bonos peruenire.

Porrò, quia Cupiditatem, circa quas verſatur Temperantia, aliæ Naturales, aliæ Inanes ſunt, & ex Naturalibus aliæ Neceſſariæ, aliæ Non-neceſſariæ (vt prætercam Neceſſariarum alias pertinere ſimpliciter ad Vitam; qualis eſt cibi, atque potus, vnáque voluptatis, quæ in motu eſt; alias ad ipſam Felicitatem, qualis Indolentiæ, & Tranquillitatis, ſiue Voluptatis in ſtatu) conſtat profectò non abs re diſtinxiſſe nos in Phyſiologia Cupiditatum genera tria. Diximus nempe alias eſſe Naturaleis, & Neceſſarias; alias Naturaleis, ſed Non-neceſſarias; alias neque Naturaleis, neque Neceſſarias, ſed Inaneis, ſeu ex opinione inani prognatas.

Et quia eſſe illas Naturaleis, Neceſſariaſque diximus, quæ niſi expleantur, dolorem in corpore creant; conſtat eas, quæ ad nullum dolorem, noxámque, niſi expleantur, deducunt, & cum ſtudio tamen vehemente ſunt, eas taleis euadere non ob neceſſitatem, ſed propter vanam opinionem; ac tametſi principium aliquod à natura habeant, id tamen, quòd vltra modum diffunduntur, non habere ab ipſa natura, ſed ab inanitate opinionum, quæ homines reddunt ipſis etiam feris huiuſcemodi

cemodi diffuſioni non obnoxiis, deteriores; quin-etiam ipſas Cupiditates probari vel ex eo poſſe eſſe non modò non neceſſarias, verum-etiam non-naturaleis, quòd appetentiam contineant diffluentem, difficiléque, aut etiam nullo modo explebilem; & plærumque etiam cauſæ nocumenti alicuius eſſe iure reputentur.

Vt de quibuſdam autem præcipuis ſpeciebus Temperantiæ iuxta præcipuas aliquas Cupiditatis ſpecies dicamus; ſeligi poſſunt Sobrietas, quæ opponitur Gulæ, ſeu nimiæ cupiditati cibi, ac potus, Continentia, quæ Libidini, ſeu cupiditati Venereorum effræni. Lenitas, quæ Iræ, ſeu cupiditati Vindictæ: Modeſtia, quæ Ambitioni, ſeu Cupiditati Honoris: Moderatio, quæ Auaritiæ, ſeu cupiditati Diuitiarum; denique ob affinitatem, quæ eſt inter Cupiditatem, ac Spem, ipſa Mediocritas, quæ eſt inter ſpem, deſperatiónemque Futuri.

CAPVT XIII.

De Sobrietate aduerſus Gulam.

IMprimis verò dici non poteſt, quantum ſit bonum Sobrietas, quæ nos ad victum tenuem, ſimplicem, parcúmque reducit, docens nos, quàm id ſit exiguum, quod natura deſiderat; ac planum faciens neceſſitatem, qua illa laborat, poſſe rebus tenuibus, paratúque facilibus, cuiuſmodi ſunt polenta, fructus, herbæque, & aqua, abundè ſanari.

Id nempe, quod ob indigentiam moleſtia, corpus afficit, præclarè, & quantum ſat eſt, eximunt, quæ nullibi non ſuppetentia, ſimplicem ſiccorum, humidorumque alimentorum naturam habent; quod ſupereſt verò, quicquid in luxum abit, id ſpectat ad cupiditatem, quæ neque neceſſaria eſt, neque occaſione alicuius rei moleſtiam neceſſariò inferentis, creatur: Sed partim, quia quidpiam angit, vellicatque, ob id ſolùm, quòd eius abſentia impatienter toleratur, partim, quia abſoluta, & ſine vllius moleſtiæ intermiſtione oblectatio præſumitur, partim, ac, vt paucis dicatur, quia menti inhærent inanes, falſæque opiniones, quæ neque ad farciendum vllum naturalem defectum ſpectant, neque ad aliquid habendum, ex cuius abſentia corporis ipſius compages diſſoluatur, tendunt.

Siquidem, vel ipſa, quæ ad manum ſunt, abundè ſufficiunt obtinendis iis, quibus natura indiget, hæc quippe eiuſmodi ſunt, vt partim ob ſimplicitatem, partim ob exiguitatem, nullo negotio ſint parabilia. Heinc illi quidem, v. g. qui carnibus veſcitur, opus etiam eſt inanimis rebus: at illi, cui ſunt res inanimæ ſatis, dimidio ſolùm opus eſt; ac ipſo quidem tum facilè parabili, tum ad apparandum modicis ſumptibus egente.

Sunt porrò quatuor quædam præcipua commoda, quæ Sobrietas parit. Vnum, quod victui ſimplici, minimeve ſplendido, copioſoque, aſſueſcere, Sanitatis numeros implet. Videlicet opiparæ, vbereſque epulæ ſunt, quæ cruditates, graucdines, podagras, febreis, morboſque alios gignunt, exaſperant, protrahunt, non verò eſcæ ſimplices, quas natura vt neceſſarias, ita ſalutareis facit, producitque, & non cæteris quidem animalibus modò, ſed ipſi quoque homini, qui illas tamen ſuo malo deprauat, iiſque cupediis vitiat, ob quæ deinceps illas deperiens, nihil aliud, quàm ſuam deperit perniciem.

Quamobrem ſi ſapuerimus, cauendum nobis eſt ab eo cibo, cuius fruitionem deperimus, proſequimurque, & quem tamen, vbi illius fuerimus facti compotes, fuiſſe malo noſtro gratum reputamus. Huiuſcemodi autem eſt, qui opiparus eſt, ac pinguis; quò minùs probari carnium vſus poteſt, qui ſanè potiùs officit Sanitati, quàm ad illam proſit. Argumentoque eſſe poteſt, quòd cùm Sanitas conſeruetur per eadem, per quæ amiſſa recuperatur; conſtet ipſam tenuiſſimo, & citra carnium vſum victu recuperari.

Nihil autem mirum, ſi hominum vulgus putet eſum carnium ad valetudinem conferre; idem enim eſt, qui exiſtimat ſanitatis tuendæ vim eſſe in ipſis voluptatum quaſi prolutionibus; etiam venerearum, quarum tamen eſt nulla, quæ quicquam proſit alicui; cùm & bene ſit, niſi etiam noceat.

Alterum eſt, quòd hominem ad vſus vitæ neceſſarios expeditum, & impigrum facit. Quippe, ſeu functiones animi requiras, ſerenitatem, aciem, vigorem animi tuetur; ſeu functiones corporis; ipſum vt ſanum, ſic vegetum, agile, diligens tuetur: at repletio, ſatietas nimia, ingurgitatio, crapula, animum obfuſcat, retundit, ac languidum reddit; corpus autem vt morbidum, ſic debile, ſegne, prægrauatum facit. Quæſo verò ecquid ſpeciatim tibi pollicearis de illo, cui ob vinum largiùs epotum, grauantur membra, præpediuntur crura, lingua tardeſcit, madet mens, oculi nant, ſingultus, iurgia, clamores gliſcunt?

Longè ſanè aberit Sapiens, vt in compotationibus, temulentiaque pernoctetur; qui aut vinuli hemina eſſe contentus debeat, aut pro potu ſuauiſſimo obuiam quamque aquam habere. Neque verò id modò, ſed longè etiam aberit, vt lautis dapibus ſe inferciat, aut pinguibus, & craſſis ventrem oneret, cui ſufficere debeant ſimpliciſſimæ; imò ipſa naturæ dona.

Quòd ſi huiuſmodi tenuium, ſimpliciumque ciborum vſus ad habendum Milonis robur, aut vniuersè ad virium corporis contentionem minimè confert; neque ſanè eo robore, intenſiſque viribus Sapiens indiget, ſi contemplationi quidem, non vitæ actuoſæ, petulantique ſit incubiturus.

Tertium, quòd præſtat, vt ſi quando per interualla ſit menſa ſplendidior, ipſi degu-

ſtandæ comparati ſinceriùs ſimus. Non profectò, quòd viles cibi æqualem epulis ſumptuoſis voluptatem non afferant, vbi exempta prorſùs fuerit, quæ cibi defectu moleſta eſt fames (nam polenta etiam, & aqua voluptatem maximam pariunt, ſi quis modò famem, ſitimque exſpectans, iis, cùm indiguerit dumtaxat, vtatur) ſed quòd iſti aſſueti lautioribus epulis, earum ſuauitatem præ ſaturitate penè continenti non ſentiant, perinde ac Sapiens qui ad eam percipiendam, guſtatum præ victus tenuitate comparatum affert. Quo pacto accidit illi quoque, vt publicis ſpectaculis ſincerè præ aliis, ſi intereſſe aliquando iis contigerit, oblectetur.

Quod nego autem tenuiſſimo victu, id eſt contemptiſſimis eſcis, & potionibus minorem voluptatem percipi, quàm rebus exquiſitiſſimis ad epulandum; improbari quoque, niſi ab eo non poteſt, qui ſibimetipſi vanis imponat opinionibus; qui non attendat illos ſolos magnificentiâ iucundiſſimè frui, qui eâ minimùm indigent, qui nunquam ſiti, aut fame preſſus, aquam, aut cibarium panem vſut parit. Me profectò quod attinet; pane cibario, & aqua veſcens, aut non-nihil dumtaxat caſei Citheridij (ſi quandò epulari iuuet paullò ſumptuoſiùs) ſuperaddens, voluptate abundo in corpuſculo; ac nuncium remitto voluptatibus, quæ ex vulgari epulatum magnificentia percipiuntur. Vnde & efficitur, vt, ſi modò panem, polentamve, & aquam habuero, paratus ſim vel cum ipſo Ioue de felicitate certare.

An addam verò eduliorum magnificentiam, ac varietatem non modò ipſam animam perturbatione non exuere, ſed ne augere quidem voluptatem in corpore: quandò ipſa quoque, eo, quod dolebat, exempto, finem repetit? Exempli gratiâ, carnium vſus, de quo mox loquebar, nec ſpeciatim adimit quidquam, quod naturæ moleſtum ſit; neque aliquid peragit, quod niſi compleatur, in moleſtiam ſit abiturum. Interim autem gratiam habet violentam, ac fortaſſis quoque ex contrario miſtam; quatenus ad vitæ durationem minimè valet; confert autem ſolum variandis voluptatibus, ſimilis vſibus venereis, vinorumqne peregrinorum potatiouibus, ſine quibus poteſt natura, ſeu vita manere; cùm ea ſine quibus manere non poteſt, compendioſa penitus ſint, facileque & ſalua iuſtitiâ, liberalitate, tranquillitate, otio plurimo obtineri poſſint.

Ac tali-ne perſuaſione ſint homines vulgares, nihil eſt, quòd moremur; viget ſiquidem petulantia, intemperantiaque in id genus hominibus; adeò proinde, vt verendum non ſit, ne quandoque deſint, qui animalibus veſcantur. Nam, ſi omnes quidem optimè de rebus ſentirent, nihil foret opus aucupio, vel aucupibus, piſcatoribus, aut ſubulcis, ac huiuſcemodi animalia degentia per ſe, & incuſtodita, præfectóque carentia, breui perinde perducerentur; deuaſtarenturque ab aliis inſidiantibus, multitudinemque abſumentibus, ac in aliis innumeris, quibus homines non veſcuntur, contingit. At verò multiplici ſemper, vel omnigena potiùs vigente, deſipientia inter homines, non deerunt vnquam innumeri, qui ea depaſcantur, helnones.

Quartum denique, quòd nos reddit interritos aduerſus fortunam. Nempe illi timeant fortunam oportet, qui ſumptuosè viuere aſſueti, arbitrantur non poſſe vitam non miſerrimè tranſigi, niſi ſuppetat vnde dietim minas, talentaque impendant. Ex quo efficitur, vt plærumque vitæ negotioſæ obnoxij fiant; & & plærumque rapinas, cædeis, ſceleraque ſimilia patrent; At, cui viles cibi, vt fruges, oleraque ſufficiunt; cui ſunt panis, & aqua ſatis; cui eſt intra hæc deſiderium cluſum; quid eſt, quod ille fortunam timeat? Quotuſquiſque enim eſt ad iſta pauper? Quænam fortunæ malignitas ad hæc vſque ſeſe demittit? Eccui ita inuidet, vt non fabas, non lenticulas, non fructus, non herbas facilè comperiat? Nam de aqua quidem paſſim occurrente, quid neceſſe eſt dicere?

Ego certè, vt de me ipſo, verecundè licet, pergam dicere, ipſis Hortulorum plantaribus contentus, & lætus iis ſum, & volo hoc etiam pro foribus eſſe inſcriptum: Hoſpes, heic bene manebis: heic ſummum bonum voluptas eſt. Paratus erit ipſius domicilij cuſtos, hoſpitalis, humanus; & te polentâ excipiet, & aquam quoque largè adminiſtrabit: & dicet, ecquid bene acceptus es? Non inuitant enim hi hortuli famem, ſed exſtinguunt; nec maiorem ipſis potionibus ſitim faciunt; ſed naturali, & gratuito remedio ſedant.

In hac voluptate ego quidem conſenui; qui & cùm rationibus mecum initis deprehenderim ne toto quidem aſſe me paſci, nihilominus certos habeo dies, quibus maligniùs famem exſtinguam; viſurus, an aliquid deſit ex plena, & conſummata voluptate; vel quantum, & an dignum ſit, quod magno labore penſetur.

CAPVT XIV.

De Continentia aduerſus Libidinem.

DEinde, Virtus quoque eximia ipſa eſt Continentia, ſiue abſtinentia à Venereis, quippe quorum vſus, vt paullò antè dixi, nunquam proſit, & præclarè agatur, niſi etiam noceat.

Iis certè abuti intemperanter, eſt facere vitam vigore effœtam, curis anxiam, morbis moleſtam, duratione breuem; Quò fit, vt vir Sapiens eſſe in eo debeat, vt & capi ſe amore non ſinat, & longè ſit, vt reputet eſſe Amorem quidpiam, quod immittatur diuinitùs, vt illi propterea eſſe indulgendum videatur.

Et quò minùs quidem amore capiatur, ac

vt

vt incentiuo ad venerea careat, nihil æquè prodeſt, atque tenuis victus, de quo dictum mox antè eſt; quandò, quæ ex nimio eduliorum vſu turgeſcit copia ſeminis, & fomes, & pabulum eſt, quo creatur amoris incendium; ſed & confert ſecundum hoc, tum honeſta, & quæ præſertim circa Sapientiam eſt occupatio, tum meditatio incommodorum, quibus obnoxij illi ſunt, qui ſe ab amore abripi ſinunt.

Nam vniuersè quidem mulieris, puerive amori ſe addicere, illud ſecum trahit, vt vires abſumantur, pereant labores, labatur familiaris res, vadimonia fiant, officia langueant, fama ægrotet: ac dum Sicyonia in pedibus, grandes Smaragdi in digitis, aliaque ornamenta in corpore rident, animus ipſe ſe, tanquam ſibi malè conſcius remordeat, quòd deſidiosè ætatem agat, annoſque bonos perire ſinat; cæteraque id genus alia, quæ enumerare eſt promptum.

Speciatim verò ecquid mali non trahit, velle rem habere cum ea muliere, qua leges interdixerint? Longè ſanè aberit ſapiens, vt quidpiam tale cogitet, cùm absterrere ipſum debeat vel ingens illa ſollicitudo, quâ ſunt præcauenda, quæ multa, & magna intercurrunt pericula; cùm & plærumque eueniat, vt qui hæc adoriuntur, vulnerentur, contrucidentur, aut adigantur ad carceres, ad exſilia, ad grauiores pœnas. Vnde & efficitur, quod antè dixi, vt nempe propter voluptatem & paruam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent, ſeſe dolori maximo, pœnitentiæ putà grauiſſimæ ſubiiciant.

Niſi proinde Incontinentem eſſe, ac molliter vni huiuſcemodi voluptati ſuccumbere, non eſt ſe interim fraudare voluptatibus & multis, & magnis, quibus fruitur, qui continenter, & ſub legum præſcripto viuens, Sapientiæ ſic vacat, vt Mentem quidem neque hebetet, neque curis excruciet, neque affectibus, cæteris perturbet; corpus autem neque eneruet, neque morbis vexet, neque dolure torqueat; ſicque bonum illud ſummum conſequatur; quod, vt antè dixi, non ipſa puerorum, mulierumque conſuetudo; vti neque piſcium deliciæ, neque aliæ cupediæ menſæ lautioris parere poſſint.

Prætereò verò non ſubeſſe, cur dum abſtinentia à Venereis heic vniuersè commendatur, quiſpiam inferat eſſe: ergo etiam à legitimis nuptiis abſtinendum. Quippe, quæ noſtra hac de re ſit ſententia, eſt iam antè dictum. Addo heic ſolùm, quod dixi Amorem non immitti diuinitùs, eò facere, vt intelligatur, ſi quis liberis careat, nulloſve ex vxore ſuſcipiat, non eſſe id Cupidini, Venerive iratis tribuendum, ſperandumque, vt votis, atque ſacrificiis potiuſquàm remediis naturalibus euadere in Parentem poſſit.

Addo autem prætereà abfuturum ſapientem, vt Cynicorum ritu viuat, ſeu eâ ſit inuerecundiâ, quam iſti in propatulo oſtentant. Nam quòd ſe dicunt naturam ſequi, & reprehendunt, ac irrident, quòd ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus; quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis: Nam latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœnè; liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum; pluraque in eandem ſententiam aduerſus verecundiam diſputant: Non videntur ſatis aduertere, viuere ſe in ſocietate, non verò in agris, & ferarum ritu, quo modo naturam purè ſequerentur.

Quippe ex quo nomen ſocietati dedimus, iubet nos natura eo fine ſeruare leges ſocietatis, vt fruentes communibus bonis, malum nobis non accerſamus, quale eſt, niſi alia pœna, at ſaltem infamia, ſiue ignominia, quæ ſequitur inuerecundiam, defectumve eius pudoris, quem eius in qua viuimus, ſocietatis mores præſcribunt, & à quo, in voce, adſpectu, aliiſque adiunctis ſpectato, ea, quæ meritò laudatur, Pudicitia eſt dicta.

Addo denique facere non parum, vt ad Pudicitiam, ſic vniuersè ad Continentiam, & à Muſica, & à Poëtica abſtinere, quatenus ab vtraque ſunt, & cantilenæ, & eæ voces, quæ ſuauitate quadam fuſæ, aliud nihil ſunt, quàm libidinis incentiua.

Nempe hac de cauſa noſtra eſt ſententia ſolum Sapientem de vtraque rectè, & vt virtutem decet, verba facere, quòd cæteri illecebris vtriuſque facillimè capti, vtrique indulgeant; ſolus ſapiens damno, cuius cauſa ſunt, perſpecto, eas eliminet; declarando Muſicam eſſe inter cætera, vt bibacem, & pecuniarum facilè prodigam, ita ſegnitiei amantem, & ad omne bonum honeſtum, generoſumque opus inutilem: Poëticam verò, inter cætera, eſſe eam, quæ homines ſemper in vitia, ac potiſſimùm in libidinem pronos fecerit, etiam ipſorum Deorum exemplo; cùm ipſos, vt irâ inflammatos, ſic libidine furentis induxit, effecitque, vt videremus non eorum modò bella, pugnas, prælia, vulnera, odia, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus; ſed etiam querelas, lamentationes, vincula, cum mortali genere concubitus, mortaleiſque ex immortali procreatos, cæteraque id genus, à quibus ſanè homines, quibus mens fuerit, abhorreant.

CAPVT XV.

De Lenitate aduerſus Iram.

AD hæc Lenitas, ſiue Manſuetudo, ad quam etiam Clementia, & Miſericordia referuntur, ita aduerſus Iram, Vindictæve cupiditatem comparatur, vt laudatiſſima Virtus ſit; quoniam Ira, ac potiſſimùm Immodica gignit inſaniam. Quippe per Iram mens efferuiſcit, caligineque ſuffunditur, micat ardor ex oculis, pectus rumpitur fremitu, dentes quatiuntur,

vox ſtrangulatur, horrent capilli, & facies ſuccenſa, minaſque intentans ita eſt horrenda, fœdaque aſpectu, vt mens tam ſui impotens, quàm omnis decori oblita videatur: Lenitas verò ſic mentem ſanat, ſanamve potiùs ſic continet, vt neque ipſa emoueatur, neque paſſio in corpus exeat, qua quidquam præter decorum fiat.

Cæterùm, cùm Ira accendi, efferueſceréque ex acceptæ iniuriæ opinione ſoleat; iniuria verò inferatur ab hominibus præ ipſorum aut odio, aut inuidia, aut deſpicientia: Quî fieri poterit, vt ſapiens ita iniuriam toleret, vt erga inferenteis lenis, atque placidus maneat? Nempe rationis præſidio fretus, quo & iam dixi illum aduerſus fortunam ſe comparaturum. Quippe iniuriam habet in rebus fortuitis, maturéque agnoſcit non eſſe in ſua ſitum facultate, vt cæteri hominum ſint iuſti, paſſionibuſque non abripiantur; ac ideò tam parùm iraſcitur, commouetúrque ob iniurias illatas ab hominibus, quàm ob incommoda, aut damna, quæ à fortuitis caſibus, vniuerſéque ab aliis cauſis extra facultatem poſitis aduenium.

Non commouetur, exempli gratiâ, propter feruores, aut algores, qui à tempeſtatibus inducuntur; quoniam tempeſtatum ſuas vices obeuntium hæc natura ſit, quam immutare ipſe non poſſit; quamobrem neque commouetur ob iniuriias, quas inferunt petulantes, & improbi, quòd illi pro ſua natura ſic agant, & vt ſecus agant, naturamve mutent, in ipſo non ſit. Neque verò aliunde eſſe congruum putat rationi, ac ſapientiæ malum malo adiicere (ſcilicet præter nocumentum, quod extrinſecùs accidit, accerſere ſibi ſua opinione intrinſecùs perturbationem) aut quia alius voluit moleſtiâ animum eius afficere, ita deſipere vt moleſtiam admittens, illi quaſi gratificetur.

Ac par eſt quidem virum Sapientem bonæ famæ curam eatenus habere, quatenus deſpectui non ſit; ſiquidem nonnullæ etiam voluptates ex bona fama proficiſcuntur, vti ex mala, & ex contemptu ipſam conſequente aliquæ moleſtiæ; Verùm bonæ famæ cura eſt habenda, non tam vlciſcendo iniuriam, aut iraſcendo in inferentem ipſam; quàm bene, innoxiéque viuendo, neque contumeliæ, aut maledicentiæ veram vllam cauſam, occaſionémve præbendo. Nempe hoc præſtare noſtræ opis eſt, non verò vt alius ſua non vtatur malignitate.

Quò fit, vt ſi etiam, qui tibi eſt infenſus, ac ſe pro inimico gerit, quidpiam poſtulet, id denegandum ipſi non ſit; ſi modò liceat, & poſſis proinde ſecurus ab eo fieri, qui à Cane non differat, ſitque adeò quadam quaſi offa placandus. Quanquam nihil ſatius, tutiuſque eſt, quàm illius malitiæ, vt vitæ innocentiam, ſic propriæ conſcientiæ ſecuritatem opponere; &, quod ſupereſt, oſtendere ſe iniuriâ ſuperiorem eſſe.

Profectò verò, cùm fieri etiam poſſit, vt Sapiens, quod antè dicebam, vocetur in ius, & non modò iniuriam, ſed etiam calumniam, accuſationem, damnationem patiatur; Cogitat tunc quoque, eſſe quidem ſitum in ſua poteſtate, vt bene, & ex virtute viuat; ſed non, ne cæteros erga ſe malignos, iniuſtoſque experiatur; neve ab ipſis præter fas, & æquum accuſetur, cauſamque apud Iudices etiam iniquos dicere teneatur. Quare, neque accuſatoribus, neque teſtibus, neque iudicibus iraſcitur ſuis; ſed bona fretus conſcientiâ, nihil de ſua lenitate, tranquillitateque remittit; & ſe hoc quoque caſu ſuperiorem habens, ſpectat ipſum intrepidè, & in iudiciis animosè, intrepidéque verſatur.

Neque porrò eſt, quòd quiſpiam obiiciat repugnare hiſce, quæ de lenitate iam doceo, id quod ſuprà de famulorum caſtigatione dictum eſt. Quoniam & ad dyſcolos ſolùm caſtigationem redigimus, & illam in familia, non ſecùs ac in Repub. animaduerſionem in ſceleſtos, neceſſariam eſſe manifeſtum eſt; &, vt Princeps, aut Magiſtratus ciuium ſcelera citra iram punit; ita poteſt Pater-familias citra iracundiam famulorum delicta. Non repeto autem id, quod dictum eſt, de indulgentia erga illos, qui bonæ alioquin indolis, diligenteſque extiterint.

Hiſce addo virum Sapientem non leniter modò iniùrias laturum, non manſuetè modò veniam habiturum; ſed officiosè etiam illi, qui ſeſe in meliorem frugem receperit, gratulaturum. Quippe, cùm Initium ſalutis ipſa peccati notitia ſit, ideò gratulatio inſtituenda eſt, vt ſicut ob talem notitiam peccati horror incentitur; ita illius quod fieri debuit, quodque deinceps faciendum eſt, pulcritudo exaggeretur, ſtudiumque illius magis incaleſcat.

CAPVT XVI.

De Modeſtia aduerſus Ambitionem.

AD Modeſtiam quod attinet, ſufficere penè ea poſſunt, quæ ſuperiùs deducta ſunt, vbi oſtendimus Sapientis non eſſe, affectare Magiſtratus, honoreſve in Repub. ſummos: verùm ſe ita continere, quaſi in angulo quopiam deliteſcat. Quare & inculco heic ſolum, quod conſilium cuique amicorum do: Occultus, ſeu Priuatus viue (ſed cum ea tamen cautione, niſi quid ex parte Reipub. interuenerit) quandò, vt vel ipſa docet experientia, is bene vixit, qui bene latuit.

Nimiſquàm certè eſt familiare, vt videamus illos, qui ad ſummum ſuccedunt honorem, deiici inuidiâ, quaſi fulmine; ac ſerò demùm agnoſcere, ſatius multò eſſe quietum parere, quàm ſudando, & per anguſtum ambitionis iter luctando, regere imperio res velle, eóque euehi, vnde nihil ſit aliud, quàm caſus & magnus,

gnus, & præceps timendus. Quid, quod iſti, quos gloria, honoréque præfulgenteis vulgus ſuſpicit, infeliciſſimi ideò ſunt, quod intra pectus grauiſſimis, moleſtiſſimiſque curis corrodantur. Caue ſcilicet credas illos viuere animo ſecuros; quandoquidem fieri non poteſt, vt qui eſſe timendi videntur, ipſi multos non timeant.

Et licet videas illos claſſeis longè, latéque dimittere, imperitare legionibus, ſtipantium turba circumdari, caue putes illos degere tranquillè, aut omnino ſinceræ vllius voluptatis participes fieri: quoniam hæc omnia ridicula, ludibriaque; & inſomnia ſunt, quatenus & metus, & curæ ſequaces non metuunt reuerâ ſtrepitus armorum, non reuerentur fulgorem auri, non ſplendorem purpuræ; verùm audacter inter Reges, rerumque potenteis verſantur, ac vulturis Poëtarum inſtar, ipſa præcordia depaſcuntur.

Caue quin etiam exiſtimes proficere quidquam noſtro in corpore iſtam regni gloriam, nobilitatem, gazam; cùm videre præſertim liceat, non decedere citiùs febreis, ſi in picturis textilibus, rubentique oſtro iacteris, quàm ſi in veſte plebeia cubes: ac nos nihil lædat veſte purpureâ, aurôque, & monilibus pretioſis onuſtâ carere, ſi nobis modò plebeia ſit, quæ frigus arcere à corpore poſſit. Quid verò ſi pannis, ſtramentiſque lætus doceas quàm vani mortales ſint, qui non intelligentes quàm ea ſint parua, quæ beatam vitam faciunt, ad hæc quæ habentur magnifica, animis attonitis inhiant? Magnificentior, mihi crede, ſermo tuus in grabato videbitur, & in Panno: non enim dicentur tantùm illa, ſed probabuntur.

Certè, & tametſi aliunde domus ipſa argento non fulgeat, auro non renideat, citharis non reboet, aurea iuuenum ſimulacra lampadas manibus tenentia, vt ſuppeditent lumina epulis nocturnis, non habeat; nihilò profectò eſt minùs iucundum corpora curare molli proſtratos in gramine, & propter quidem aquæ riuum, ac ſub altæ arboris ramis, & tempeſtate præſertim vernâ, quâ herbæ floribus conſperguntur, cantus auium mulcent, perflant Zephyri, tota denique natura arridet.

Quare, & cui ſic viuere in agris, aut in hortulis ſuis licet, Quid eſt, quamobrem honores ambiat, & non potiùs ſeſe modeſtè contineat? Nam & aliunde quærere gloriam oſtentatione virtutis, ſcientiæ, eloquentiæ, nobilitatis, opulentiæ, famulitij, veſtium, formæ, inceſſus, & ſimilium, ridiculæ eſt vanitatis; ac in hiſce omnibus Modeſtia exigit hoc ſolùm, vt ne quid præ ruſticitate, inſulſitate, neglectu nimio aduerſus decorum peccetur. Scilicet, vt antè dicebam, æquè vilis eſt, abiectique animi ob iſta inſoleſcere, & ob iacturam, abſentiamve eorundem animo demitti.

Heinc, ſi fortè Sapiens aliquas maiorum, aliorumve ſtatuas, Imagineſve habuerit, longè erit, vt eas oſtentet, gloriamve ex iis quæritet; & licet illas non negligat, ſollicitè tamen in porticibus, potiuſquàm alibi collocet, ac ſeruet.

Sic verò neque ſollicitus de ſepultura admodum erit, neque de ea quidpiam ſumptuoſum mandabit. Id ſolùm ipſi curæ erit, quod poſſit ſucceſſoribus vtile, iucundumque eſſe; ratus, quod ad ſe, corpuſve mortuum attinet, interfore parùm, quo ſe modo habeat. Quippe vanitatem etiam vltra mortem propagare, inſanum eſt: vti & prætextus, quo aliqui nolint, vt antè obiiciebam, dentibus ferarum laniari: Nam ſi id quidem malum ſit; quî non ſit acerbum ignibus torreri, in melle ſitum ſuffocari, rigeſcere ſub marmore, terræ pondere obtritum vrgeri?

CAPVT XVII.

De Moderatione aduerſus Auaritiam.

SEquitur Moderatio, ſeu illa animi diſpoſitio, qua quis paruo contentus eſt, quâque profectò nullum maius adeſſe homini bonum poteſt. Nempe eſſe paruo contentum, res eſt omnium ditiſſima; quando & grandes diuitiæ ſunt ad legem naturæ compoſita paupertas. Scilicet modò non eſurire, non ſitire, non algere, contingat; fœlicitas diuinæ par eſt; & cui hoc habenti, nihilque aliud auenti deſunt cætera, vtcumque pauper vulgò habeatur, is ditiſſimus nihilominùs eſt.

Quàm verò res honeſta eſt hæc paupertas, læta cùm ſit, contentaque eo, quod eſt ſatis hoc eſt, iis naturæ diuitiis, quæ ad hoc ſufficiunt, vt, quod dixi, non eſuriat, non ſitiat, non algeat: Sanè quando iſtæ Naturæ diuitiæ terminatæ ſunt, faciléque parabiles, earum verò, quæ iuxta inaneis opiniones concupiſcuntur, nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt: Gratiæ ſunt habendæ naturæ beatæ, quòd neceſſaria paratu facilia; & quæ paratu ſunt difficilia, non neceſſaria fecerit.

Et cum oporteat virum ſapientem in ea eſſe ſpe, vt tota vitæ ſerie defuturum ſibi nihil ſit: nonne hanc ſpem abundè fouet perfacilis rerum iſtarum tenuium parabilitas; cùm alioquin illa, quæ ſumptuoſa ſunt, bene ſperantem perinde non faciant; & hacce de cauſa homines vulgares tametſi plurima poſſideant, perinde tamen, ac ſi illa defectura ſint, congerendis ſemper, quæ nunquam cumulo perfecto habeantur, laborent?

Vnde & debet facere ad hoc, vt contenti ſimus facilè parabilibus, ſimpliciſſimiſque rebus, meminiſſe quemadmodum ne omnes quidem in vnum congeſtæ diuitiæ quicquam vitium habeant ad animi perturbationem præclara aliqua ratione ſoluendam; mediocres autem, paſſimque obuiæ, & ad obtinendum comparatiſſimæ res incommodam cor-

pori indigentiam tollant, cùm & aliunde eiuſmodi ſint, vt cogitanti mortem, dimittere ipſas haudquaquam ſit graue.

Miſeræ ſanè hominum mentes, cæcaque eorum pectora! Nolle videre ipſam naturam nihil ſibi aliud dictare, quàm vt ſummoueant à corpore id, quod propter indigentiam dolet, &, quod ſupereſt, fruantur iucunda, & ſine cura metuque, mente: Non verò vt ſe totà vità ad id habendum comparent quod ſit ad vitam neceſſarium; atque ita quidem inhiantes, quaſi tum quoque victuri ſint, cùm vita frui deſierint; non peruidentes vtpote, quàm ſit lethale omnibus nobis ab ipſo exortu pharmacum propinatum.

Quod ſi ea, quæ ſufficiunt, & ad quæ nemo pauper eſt, delicias quoque, quas hominum vulgus deperit, non miniſtrant; iis tamen natura non eget; neque deſinit interim ſinceras ex tenuibus, ſimplicibuſque id genus rebus voluptates ſuppeditare, quemadmodum dictum iam eſt. Vnde & ſapiens ſic eſt affectus, circa eas res, quæ pecuniæ cupiditatem afferunt, (quò nempe amori, ambitioni, quotidianis ſumptibus copiæ ſuppetant) vt, cùm procùl ab iis omnibus rebus abſit, non ſit, cur pecuniam magnoperè deſideret, vel curet omnino.

Quod dico autem, Diuitiarum, quæ iuxta inaneis opiniones concupiſcuntur, nec modum vllum, nec finem eſſe; ideò eſt, quòd cùm paruo natura ſatietur, inanis opinio cupiditati præïens, cogitet ſemper aliquid, quod non habeatur, & quaſi adhuc deſit, cupiditatem ad illud vocet. Vnde & efficitur, vt cui Pauca non ſufficiunt, ſatis illi eſſe nihil poſſit; ſed quò plureis opes congeſtas habuerit, eò plureis ſibi reputet deeſſe.

Quamobrem, cùm nunquam penuria ſit parui, debet vir Sapiens, cui illud adeſt, grandeis, quod dicebam, putare diuitias; ſiquidem illis nihil deeſt, cùm cæteræ quantumvis magnæ, paruæ ſint, quoniam deeſt illis, quod ſit infinitum. Ex quo conſequitur, vt cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius Mundi dominus euaſerit, miſer tamen ſit; quippe cùm miſeria indigentiæ ſit comes; & illi, qui adeptus totum Mundum fuerit, defuturi ſint Mundi cæteri, quos vana opinio haud ſecus monſtrabit, quàm pauca habenti totum iſtum Mundum concupiſcendum monſtrauerit.

Vis proinde quempiam diuitem facere; ſcito non diuitiis eius adiiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſſe. Tunc enim ſolùm, cùm inanibus cupiditatibus reſectis, ſeſe ad naturam compoſuerit, nihilque ampliùs, quàm quod illa exigat, concupierit, ſentiet ſe reuerâ eſſe diuitem; quia tunc ſolùm ſibi nibil deeſſe ſentiet. Vnde & hoc illi inculcandum eſt: Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; Si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura deſiderat; opinio immenſum.

Hæc certè animi diſpoſitio, ſeu mavis facultas, qua ſibi ipſi temperando, quicquid neceſſarium naturæ non eſt, ex cupiditatibus detrahitur, vnà cum adiuncta ſimpliciſſima, ac facillima rerum neceſſariarum parabilitate; hæc, inquam diſpoſitio eandem parit ſecuritatem, quæ habetur ex placido ſeceſſu, deuitationeque multitudinis; quando illius beneficio, verſanti etiam in ſocietate, mediâque multitudine, nihil ampliùs deeſt, quam ſeorsùm agenti.

Ex eodem verò capite eſt, quòd quiſquis vnquam ſibi fiduciam, ſecuritatemque ex rebus externis, quâ optimâ ratione licet, comparare aggreſſus eſt, is poſſibilia quidem paratu, tanquam à ſe non aliena quæſiuit; at impoſſibilia pro alienis habuit. Quin-etiam poſſibilium benè multa non attigit; ac ea omnia, quæ obtinere nihil fuit neceſſe, abdicauit.

Porrò huiuſce abdicationis, detractioniſque memoratæ defectu; quantæ quæſo miſeriæ eſt, hominem, vt pertuſo vaſe continuò haurire, neque mentem vnquam explere? Nam, vt taceam multis paraſſe diuitias, mutationem fuiſſe, non finem miſeriæ, ſiue quia curis ſe onerarunt, quibus anteà erant immunes; ſiue quia locum fecere inſidiis, quibus & capti & impetiti fuerint; vt inquam id taceam; hoc ſaltem miſeriæ eſt ſummæ, te, quò paſcaris vberiùs, eò maiore fame cruciari.

CAPVT XVIII.

De Mediocritate inter ſpem, deſperationemque futuri.

Denique verò cùm omnis vniuersè cupiditas ad id feratur, quod non habetur, & concepta habendi ſpe, quaſi habendum proponitur; vnde & ſpes cupiditatem lactans, quadam cum voluptate eſt; vti & oppoſita deſperatio fouens metum, ne quod concupiſcitur, non habeatur, non eſt ſine moleſtia: ideò aliquid ſubiiciendum eſt de Mediocritate, quæ tum generatim adhibenda eſt, circa id, quod concupiſcitur, ac eſſe aut ſperatur, aut deſperatur futurum; tum ſpeciatim circa vitæ durationem, ſiue potiùs perpetuitatem, cuius vt cupiditas accenditur, ita deſperatio diſcruciat.

Itaque illud mente imprimis generatim tenendum eſt; id, quod eſt futurum, ac in rebus quidem contingentibus, neque omnino noſtrum, neque omnino non noſtrum eſſe. Videlicet, vt neque illud, tanquam euenturum haud-dubiè ſperemus, quòd aliquo caſu interueniente diuerti valeat; neque etiam, tanquam haud-dubiè non euenturum deſperemus, quòd poſſit, à quo auertatur, nullus caſus interuenire: ſicque efficiatur, vt non deſtituti omni ſpe, ſine voluptate aliqua non ſimus; aut omnino fruſtrati ſpe, moleſtia quapiam afficiamur.

Illud

Illud certè diſcriminis inter Sapientem,ſtultumque eſt, quòd Sapiens exſpectet quidem futura; ſed ab illis tamen non pendeat: interim autem & potiatur præſentibus (animaduertendo quanta ſint ea,quámque iucunda) & præterita gratè recordetur: Stulti autem vita, vt ſuprà dicebam, ingrata, ac trepida ſit, quod tota in futurum feratur.

Quam multos nempe videre licet, qui non meminerunt præterita bona; non fruuntur præſentibus? Futura modò expectant, quæ, quia certa eſſe non poſſunt, conficiuntur & angore, & metu, maximéque cruciantur, cùm ſerò ſentiunt fruſtrà ſe aut pecuniæ ſtuduiſſe, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ; Nullas enim conſequuntur voluptates, quarum potiundi ſpe inflammati, multos labores, magnoſque ſuſceperant. Ne quid dicam de iſtis aliis, qui minuti, & anguſti, omnia deſperant, ac vt plurimùm ſunt maleuoli, inuidi, difficiles, lucifogi, maledici, monſtroſi.

Dico verò ſapientem virum præterita bona gratè meminiſſe; quoniam queri ſatis non poſſum, quòd nimis ingrati aduerſus præterita ſimus; quòd quæcumque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter voluptates numeremus; cùm certior nulla ſit voluptas, quàm quæ iam eripi non poteſt. Præſentia videlicet bona nondum tota in ſolido ſunt; poteſt illa caſus aliquis incidere; futura pendent, & incerta ſunt; id ſolum,quod præteriit, inter tuta ſepoſitum eſt.

In bonis autem præteritis non illa modò habeo, quibus potiri conceſſum fuit; verùm ipſam quoque malorum, quæ potuerunt nobis incidere, deuitationem; neque minus ipſam ab iis, quæ inciderunt, ac eſſe potuerunt diuturniora, liberationem, ac vnà ipſam recordationem, reputationem, gratulationem, quòd fuerint tolerata conſtanter.

Quod attinet porrò ad cupiditatem producendi in immenſum vitam; innui iam illam viro Sapienti idcirco eſſe reſcindendam, quòd in promptu ſit deſperatio, quæ ſine moleſtia, angoreque non eſt. Facit verò hanc cogitatio illa, quòd ex infinito tempore ætatis non maior voluptas poſſit percipi, quàm percipiatur ex hoc, quod videmus eſſe finitum; ſi quis modò illius fineis rectà ratione dimetiatur.

Quippe, cùm ratione dimetiri fineis voluptatis nihil aliud ſit, quàm reputare, vt antè dixi, Voluptatem ſummam non aliam, quàm vacuitatem tum doloris, tum perturbationis eſſe; conſtat illam neque maiorem, neque minorem fieri longinquitate temporis; neque minorem, remiſſioremve eiuſdem breuitate reddi.

Et quamvis ſperata productior, ſeu longioris æui voluptas videatur voluptatem præſentem intenſiorem facere; id tamen apud eos, qui voluptatis finem non rectâ ratione, ſed cupiditate inani metiuntur; quique ſic ſe habent, quaſi cùm non erunt, ſeu vita deſierit, ſint ſenſuri moleſtiam ob priuationem voluptatis, quam ſentirent, ſi ſupereſſent. Ex quo factum eſt, vt antè monuerim exquiſitam notitiam, quod mors nihil pertineat ad nos, præſtare, vt hac vita mortali fruamur, non quidpiam temporis inecrti adiiciendo, ſed immortalitatis cupiditatem abiiciendo.

Quamobrem, cùm præſcripti ſint à natura fines voluptati corporis,ac illos temporis æterni deſiderium adimat; neceſſe eſt mens, ſeu ratio ſuperueniat, quæ, vt par eſt, ratiocinando de huiuſmodi finibus, ac deſiderium eliminando ſempiterni temporis, vitam vndique perfectam conſtituat, efficiatque, vt ea contenti, haudquaquam ipſa temporis infinitate indigeamus.

Quin etiam, ne tum quidem voluptate fruſtrabimur, cùm rerum mortalium conditio exceſſum è vita molietur; quippe, prout optimæ vitæ perfectum, atque adeò delectabilem nanciſcemur finem; diſcedentes videlicet tanquam conuiuæ vitæ pleni, & debitè perfuncti eo munere, quo perfunctori accepimus vitam.

CAPVT XIX.

De Fortitudine vniuersè.

FOrtitudo ſupereſt quam alteram partem Honeſtatis eſſe ideò diximus, quòd comparata aduerſus Metum, & quicquid incutere eum ſolet, præſtet, vt qui ſe non timidè, & ignauè gerunt,ſed animoſè,& fortiter; gerere ſe honeſtè, & decorè dicantur. Cúmque res latè pateat, tum videtur potiſſimùm ſumpſiſſe occaſionem ex bello, in quo qui ſeſe fortiter, atque adeò honeſtè gerunt, gloriam præ aliis adipiſcuntur, exindéque fit, vt Honeſtum ferè intelligatur id, quod eſt populari fama glorioſum.

Eſſe autem & hanc virtutem comparatam ad voluptatem, quatenus expoſita eſt, vel ex eo intelligitur, quòd neque laborum perfunctio, neque perpeſſio dolorum per ſe ipſa alliciat; nec patientia, nec aſſiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipſa, quæ laudatur, induſtria, ne Fortitudo quidem: Sed iſta ſequimur, vt ſine cura, metûque viuamus, animumque, & corpus, quantum efficere poſſumus, moleſtiâ liberemus.

Vt enim mortis metu, exempli gratiâ, omnis quietæ vitæ ſtatus perturbatur: & vt ſuccumbere doloribus, eoſque humili animo, imbecilloque ferre miſerum eſt; ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, multi patriam, plærique etiam ſeipſos penitùs perdiderunt: ſic robuſtus animus, & excelſus omni eſt liber cura, & angore; cùm & mortem contemnit,qua qui affecti ſunt, in eadem cauſa ſunt, quâ antequam nati; & ad dolores ita paratus eſt, vt meminerit maximos morte finiri, paruos multa habere interualla quietis, mediocrium

mediocrium nos eſſe dominos, vt ſi toletabiles ſint, feramus;ſin minùs,æquo animo è vita, cùm ea non placeat, tanquam è rheatro execamus.

Quibus rebus intelligitur, nec rimidiratem, igoauiamque viruperari, nec Forritudinem, patientiamque laudari, ſuo nomine, ſed illas reiici, quia dolorem pariant: has optari, quia voluptatem.

Quod dixi porrò Fortitudinem comparatam eſſe vt aduerſus Metum, ſic aduerſus omnia quæ incutere metum ſolent, eò rendit, vt intelligamus eadem eſſe mala, quæ vr præſentia cruciant, ſic futura metuuntur; atque idcireò addiſcamus ea,quæ futura aut ipſi nobis fingimus, aur quomodocumque apprehendimus, non metuere; ea verò, quæ præſentia ſint, patienter, conſtanterque ferre.

Ac ex variis quidem malis, quæ ipſi nobis fingimus, neque reipsâ futura ſint, præcipua ſunr,quæ vel à Diis metuimus, quaſi ipſi aut mali ſint aut eſſe mali authores poſſint: vel à morte, quaſi ea ſecum, futurumve poſt ſe malum aliquod ſempiternum rrahat. Ex iis autem quæ & ſic metuimus,vr aduenire valeant, & ſic interdum præſenria ſunt, vt nos moleſtia afficiant, ea ſunt, quæ aur dolorem corpori inferunt, aut Ægritudinem in animum inducunt.

Et quæ Dolorem quidem creant, ſunt morbi, flagra, ignis, gladius, id genus alia; quæ verò Ægritudinem ea, quæ dicuntur mala externa, cuiuſmodi ſunr aut publica illa, tyrannis, bellum, euerſio patriæ, peſtis, fames, &c. aur priuata, vt ſeruitus, exſilium, carcer, infamia, orbítas, & quæ id genus alia ſunt.

Id verò diſcriminis eſt inter hæc omnia ex vna parte, & Dolorem, Ægritudinemque ex alia; quòd Dolor, atque Ægritudo mala per ſe ſint, iſta omnia non ſint, niſi quatenus ad dolorem, ægritudinemque referuntur, vt cauſæ: Neque enim, niſi dolorem, & ægritudinem parerent, foret quamobrem refugerentur.

Et pauca quidem ex ordine attingenda de iſtis ſunt: ſed adnotandum priùs eſt, Fortitudinem, non quaſi naturâ, ſed quaſi rationis conſilio ingeneretur, eſſe habendam. Differt ſcilicet Forritudo ab Audacia, Ferocitate, inconſulta Temetitate,quæ in Bruris etiam animantibus reperitur; quippe cùm propria ſit virorum, & ex conſilio quidem, ſeu prudenter agentium; ſicque metiri illam oportet, non corporearum virium robore atque impetu,ſed firmitudine animi,honeſto inſtituto, ſeu propoſito conſtanter hærentis.

CAPVT XX.

De Fortitudine circa Metum Numinis.

VIdetur autem eſſe imprimis de duplici quodam grauiſſimo metu dicendum: Quia ſi quid vnquam mentis finem, ſummamve, quæ animi ſit propria, voluptatem peperit, ipſa fuit expunctio earum opinionum (adde & ipſis affinium) quibus metus maximi ipſi menti incutiebantur. Scilicet miſeri mortales in eo ſemper ſunt, quòd non ſanis quibuſdam ducantur opinionibus ſed quopiam ratioois experte affectu vt non definientes proinde ratione id,quod reuerâ malum eſt, parem, neque minùs intenſam perturbationem ſuſcipiant, quàm ſi illa reuerâ eſſent, propter quæ turbantur.

Quod ſolet porrò priore loco maximum metum incutere, maximamque adeò perturbationem creare in hominum mentibus, illud eſt, quòd exiſtimantes eſſe quaſdam Beatas, atque immortaleis Naturas; cenſent tamen ipſis ineſſe contrarias hiſce attributis voluntates, actiones, paſſiones, cuiuſmodi ſunt ſollicitudines, negotia, iræ gratiæ, ex quibus contingat vr malis detrimeota maxima, & bonis præſidia ab ipſis naturis, hoc eſt, diis, adueniant. Nempe homines innutriti propriis, hoc eſt, humanis affectibus, ſimileis ſui Deos fingunt, & admittunt; & quicqoid affectuum ſuorum non eſt, illud reputant ab ipſis alienum.

Quamobrem & dici non poteſt, quàm infœlix ſe genus humanum reddiderit, cùm talia Diis tribuit, ac Iras præſertim acerbas adiunxit, ob quas animi formidine Diuûm facti humiles, non-nemini membra conrepunt pauore, ſeu tonitru cælum murmure percurrit, ſeu terra iotremiſcit vacillatque ſub pedibus, ſeu ventorum vis, ac tempeſtas mare commouet; ſeu quid aliud demùm occurrit, ex quo mentem ſubeat velle Deos à ſe miſeris exigere pœnas.

Non ita verò, qui ratione edocti didicere deos ſecurum æuum agere; naturamque eorum eſſe à rebus noſtris longiùs ſemotam, ſeiunctamque quàm vt erga nos aut gratiâ, aut irâ tangantur. Sanè verò ſi tangerentur, hominumque etiam vota exaudirent; quæſo te, quàm breui perirent omnes homines; qui continuò, vt multa, ita pernicioſa in ſe inuicem comprecentur!

Quamobrem caue, ne reputans Deum eſſe immortale, beatumque animal, vt communis notio de Deo ſuggerit, quidquam ipſi attribuas, quod aut ab immortalitate alienum ſit, aut à beatitudine abhorrens: ſed quicquid de illo opinabere, fac, vt valeat ſalua immortalitate, beatitudinéque conſtare.

Scilicet Dij reuerâ ſunt; euidens eſt enim illorum notitia, vt ſuperiùs deduximus; at qualeis vulgò homines exiſtimant, minimè ſunt; ſiquidem qualeis ipſos eſſe quibuſdam adiunctis,ſeu proprietatibus opinantur,vt cùm immortaleis, ac beatos dicunt; non taleis deinde tuentur, ſed aliis adiunctis contradicentibus eoſdem negant; vt dum illos dicunt negotium habere, aut exhibere alteri; irâque, &

gratiâ teneri; quæ vt ſuperiùs attigimus, præ imbecillitate, metu, opiſque externæ indigentia contingunt.

Neque verò propterea erit, cur reputeris impius; quoniam impius reuera eſt, non is, qui vulgareis Multitudinis Deos tollit; ſed is, qui Multitudinis opiniones Diis adhibet: Non enim germanæ prænotiones ſunt, ſed ſuſpiciones falſæ, ea quæ de Diis ab hominibus è vulgò traduntur.

Qua ratione quoque non is pius eſt, qui præ Deorum metu ad nullum non lapidem, nullam non aram vertitur, nulla non delubra ſanguine reſpergit; ſed is qui peccata mente omnia contuens, de Diis vera ſentit, ac illos animo, non ſpe quidem, pretiove inductus, ſed ob maieſtatem eximiam, ſupremamque naturam colens, tuetur reſpectu ipſorum venerationem omnimodam; & genere etiam orationis vtitur eas ſuggerente cogitationes ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones naſcantur, neque adeò patitur id, quòd cæteri, in quorum animis contrarietas hæc maximam ingenerat perturbationem.

Quæ Impietas heic repetitur, refutata fusè habetur in Animaduerſionibus, indicatis ſuperiùs locis, ac iis præſertim, quibus oſtenſum contra Epicurum eſt, & Eſſe Deum Rectorem Mundi, & Gerere Deum ſpecialem curam Hominum, Tom. I. *à Pagg. videlicet* 374. & 381. *Addendus iam locus, qui circa Religionem, cùm diſputatum de Iuſtitia eſt*, Tom. II. *à Pag.* 205.

CAPVT XXI.

De Fortitudine circa Metum Mortis.

QVod deinde Hominum menteis tætetrimo metu percellit, Mors eſt; quoniam neſcio quid ſempiterni mali iuxta fabulas præſtolantur, ſuſpicanturque (& quod eſt quidem mirum, in ipſa, quæ contingit, priuatione ſenſus; quaſi & tunc ipſi forent aliqui) ignari nempe, quæcumque ſunt prodita eſſe in Inferis, quæque etiam antè memorauimus, figmenta eſſe Poëtarum mera; aut ſi quid veri contineant, id nobis contingere in vita; ſcilicet ob metus inaneis, ob ſollicitudines vanas, ob cupiditates inſatiabileis, ob cæteras demùm paſſiones, quæ ſic miſeros mortaleis excruciant, vt ipſorum vita pluſquam Acheruſia reddatur.

Tu igitur, vt hiſce te eximere terroribus poſſis, reputare aſſueſce nihil ad nos pertinere mortem, ac eiuſmodi quidem argumento, Quod quicquid nobis ſiue boni, ſiue mali eſt, cùm ſenſu ſit; Mors autem priuatio ſit ſenſus. Diſſolutio nempe eſt mors, & quod diſſolutum eſt, ſine ſenſu manet; Adeò proinde, vt videatur Mors eſſe contemptu perfacilis: quoniam agens irritum eſt, ac dolorem fruſtra minatur, vbi patiens eſt è medio ſublatum.

Enimverò Homines vulgares Mortem refugiunt, interdum quidem, quaſi dolorum maximum, interdum verò, quaſi omnium, quibus in vita fruimur, ceſſationem. Abs te verò ipſum non-viuere, ſeu non-eſſe, terrori eſt; quoniam nihil vitæ in eo ſupereſt, vt dignoſcere liceat, eſſe non-viuere quidquam mali.

Quo fit, vt illi prorsùs deſipiant, dum, cætera inter exhorrent, indignanturque ſe iri poſt mortem laniatum à feris, crematum ab igne, corroſum à vermibus; Quippe, quòd non videant nullos fore ſe, vt ſe lugere poſſint peremptos, laniatos, exuſtos, in putrorem verſos. Itemque, dum ægrè ferunt non verſaturos ſe amplius cum vxoribus, cum liberis cum amicis; nullum ipſis officium, nullum auxilium præſtituros: Quippe, quod non ratiocinentur, neque fore tum ſibi vllum deſiderium huiuſmodi rerum.

Igitur, quæ omnium malorum maximè horrendum exiſtimatur mors, nihil ſicut dixi, ad nos attinet; quia dum nos ſumus, mors non adeſt; & dum mors adeſt, nos non ſumus: adeò proinde, vt neque ad viuos, neque ad mortuos pertineat; quoniam alteros quidem non attingit, alteri verò nulli ſunt.

Exquiſita porrò notitia, quòd mors nihil pertineat ad nos, præſtat, vt hac vita mortali fruamur, non quidpiam incerti temporis adiiciens, ſed cupiditatem immortalitatis abiiciens. Nihil enim mali in vita eſt illi, cui egregiè perſpectum eſt nihil eſſe in vitæ priuatione mali. Adeò proinde, vt quemadmodum cibus non qui plurimus, ſed qui ſuauiſſimus eſt, deligitur, ita vitæ tempus, non quod longiſſimum, ſed quod iucundiſſimum, fructuosè capietur.

Neque verò ille non ineptus eſt, qui timere ſe mortem dicit, non quòd præſens dum fuerit, mœroris quicquam afferat; ſed quòd donec futura eſt, animum mœrore conficiat. Quod enim, quando præſens eſt moleſtiæ nihil exhibet, id dum exſpectatur, nequicquam contriſtat. Si quid certè in hoc negotio incommodi, aut metus eſt, morientis eſt vitium non Mortis; neque Moleſtiæ quicquam eſt in ipſa, magis quàm poſt ipſam; ac tam ſtultum eſt ipſam timere, quàm ſenectutem; quoniam quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ipſam ſenectutem.

Adde quòd, ſaltem ſperandum eſt, aut nullum fore in extremo illo anhelitu dolorem, aut, ſi ſit, fore aliquantulum in ipſa breuitate ſolatij; quòd nullus ſit dolor longus, qui ſit magnus: ac perſuaſus eſſe quiſque debeat, ſi ipſa animæ, corporiſque diſtractio cum cruciatu fiat, ſe ſaltem poſt illum dolorem non poſſe dolere.

Ridiculus quoque eſt ille, qui Iuuenem admonet, vt honeſtè viuat; ſenem, vt honeſtè moriatur, quòd hæc ſeiungenda non ſint, ſed vera eademque eſſe meditatio debeat honeſtè viuendi, & honeſtè moriendi. Quippe quod & iuueni poſſit mors immatura contingere; & ſeni tum vitæ aliquid ſupeteſt, tum qui poſtremus

mus actus eſt, ſit pars etiam quædam, imò coronamentum vitæ.

Perſpectum profectò eſſe vtrique debet, tametſi poſſint homines parare ſibi ſecuritatem ad cætera quod attinet, ad mortem tamen ipſam quod ſpectat, verſari omneis homines quaſi in ciuitate, quæ muris, & præſidio careat.

Poteſt aliunde Iuuenis felix mori, qui cogitet nihil aliud ſe in longiore vita manere, quàm quod eatenus viderit, fueritque expertus. Poteſt & Senex viuere infelix, qui commoda vitæ, quaſi in vas pertuſum congeſta præterfluere ſinat, nec rerum ſatur vnquam ſit, vt tanquam vitæ ſatur conuiua cedere, capereque velit æquo animo quietem ſecuram.

Caue ſcilicet vllum ſenem eſſe felicem reputes, quod ſenex diem obeat, ſed ſi bonorum quidem ſit ſatur, ac plenus.

Denique multò magis ineptus, ridiculuſque ille eſt, qui eſſe ait bonum non naſci.

Aut natum, ditis quam-primùm clauſtra ſubire: Si enim perſuaſus hoc dicit, quamobrem non ſtatim abit ipſe è vita? id nimirùm illi, ſi rem modò ſeriò deliberauit, promptum eſt. Sin joco dicit, inſanè facit; cùm hæ non ſint res, quæ jocum admittant. Sed nempe eſt in ipſa vita quidpiam per ſe amabile; illique idcircò non minùs obiurgandi ſunt, qui mortem concupiſcunt, quàm qui ipſam timent. Quid eſſe profectò tam ridiculum poteſt, quàm mortem appetere, cùm vitam tibi inquietam feceris metu mortis? aut præ vitæ tædio currere ad mortem, cùm genere vitæ effeceris, vt currendum ad mortem foret.

Id itaque potiùs curandum, ne tibi vita diſpliceat, neque dimittere eam velis, niſi te aut natura vocet, aut intolerabilis quiſpiam caſus. Ob id ſcilicet meditandum eſt, vtrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad mortem. Etenim malum quidem eſt in neceſſitate viuere; ſed in neceſſitate viuere neceſſitas nulla eſt: quando natura nobis dedit vt aditum ad vitam vnum, ita exitus ab ea multos

Quanquam, ſi interdum, contingat, vt fugiendum, ac properandum ſit, antequam aliqua vis maior interueniat, quæ libertatem auferat recedendi: nihilominùs nihil eſt tentandum, niſi cùm aptè poterit, tempeſtiuéque tentari. Cùm verò illud tempus, quod fuerit diù captatum, venerit, tum demùm exſiliendum eſt. Neque enim par eſt dormitare illum qui de fuga cogitat; neque non debemus ſperare etiam ex difficillimis ſalutarem exitum, ſi nec propetemus antè tempus, nec ceſſemus in tempore.

Quæ repetitur etiam hocce loco impietas refutata fuſe habetur in Animaduerſionibus indicata diſſertatione, cui titulus eſt Eſſe Animos hominum immortaleis contra Epicurum, Tom. I. *à Pagina* 286. *Et quod hæc ſpeciatim ad calcem de Voluntaria morte habetur,* Tom. II. *à Pag.* 69. *impetitum fuit.*

CAPVT XXII.

De Fortitudine aduerſus corporis dolorem.

AD Dolorem quod attinet, corporeum intelligimus; qui profectò ſolus, vt Mali, ita Summi Mali rationem haberet, niſi noſtrâ culpâ dolorem animi accerſeremus, qui euadat etiam, vt iam antè dictum, corporeo deterior. Nam concepta quidem animo ægritudo propter iacturam diuitiarum, bonorum, liberorum, & ſimilium, eiuſmodi eſt, vt plærumque habeatur, ac fiat grauiſſimis doloribus corporis intolerabilior: ſed nimirùm id noſtra opinione, quæ ſi foret ſana, non commoueremur, quatenus iſta extra nos ſunt, neque nos reuerâ attingunt, ſed interueniente ſolùm opinione, quàm ipſi nobis facimus; ſicque intelligeremus nullum eſſe reuerà malum, præter dolorem corporis, nihilque dolendum eſſe animo, quod ſit à dolore corporis præſenti, futurove ſeiunctum.

Itaque, qui ſapiet, cauebit, ne quempiam dolorem in corpus accerſat, quidpiamve committat, vnde ſibi dolor creari poſſit in corpore, niſi aut declinandi grauioris doloris, aut comparandæ vberioris voluptatis gratiâ id fiat, vt iam aliquoties inculcatum eſt. Quo magis mirari par eſt eſſe aliquos, qui cæteris habentibus Sanitatem, quæ ſtatus eſt Indolentiæ, tanquam rem bonam, defendant tamen eſſe habendam vt aliquid indifferens; Quaſi verò quis niſi verbis ludat, aut planè deſipiat, reputare pro eodem poſſit, in dolore eſſe, & dolore vacare,

Porrò autem, ſi neceſſitas quæpiam aut naturalis conſtitutionis, qua corpus morbis obnoxium ſit; aut factæ exteriùs violentiæ, quàm, vt ſe res humanæ habent, defugere interdum non liceat (Nam, Sapientem quoque, ac innocentem virum poſſe aliquando & in ius vocari, & damnari, & cædi, & variè torqueri, manifeſtum eſt) dolorem quempiam fecerit; tunc Sapientis eſt ipſum ferre æquo, fortique animo; ac patienter aut ſolutionem, aut relaxationem eius præſtolari.

Non diù certè perſeuerat in corpore continens dolor; ſed ſummus quidem, valdéve intenſos, breui deſinit; aut enim ſoluitur, ſuccedentemque habet, niſi omnimodam indolentiam, ſaltem mitigationem magnam; aut ſoluit, ſicque finitur morte, cùm quod ab ea doleat, nihil ſit. Qui dolor verò moram trahit, diúque in corpore perdurat, is ſanè & remiſſior eſt, & non multos eſt dies, imò horas non multas, abſque aliqua in ipſo corpore voluptate.

Et non-ne obſeruare licet prolixiores morbos plus habere per interualla iucundi, quàm mali, dolentiſve in corpore? Quippe vt taceam accenſam ſitim voluptatem bibendi augere; & refectioni locum dant, & interfandi

fandi vires patiuntur, & ludos aliquos admittunt, & longas plærumque habent intercapedines, per quas vacare etiam ſtudiis, negotiiſque concedatur. Vnde & planum fit dolorem vt in grauitate breuem, ſic in longinquitate leuem eſſe ſolere; vt eius magnitudinem celeritas diuturnitatem alleuatio conſoletur.

Quamobrem illud ſæpe ſuccurrat, Neque intolerabilem, neque perpetuum eſſe dolorem; quòd omnis videlicet ſit, ſi longus, leuis; ſi magnus, breuis: dummodò finium ipſis rebus præſcriptorum memineris, nihilque adieceris ex tuo opinatu, quo grauiorem ducas, ac facias, quàm ſit: & te querelis onerans, impatienterque exaſperans, eò ſolùm proficias; vt intolerabiliorem reddas: cùm ex oppoſito nihil ſit, quod dolorem alleuet magis, quàm ipſa conſtantia, & quaſi patiendi aſſuetudo, ex qua fit, vt ſapiens, qui ſæpiùs laborat, etiam per ipſam mali corpus afficientis vehementiam, lætari interdum, ac ridere poſſit.

Teſtari profectò de noſtro Metrodoro id poſſumus, qui ſemper intrepidè ſe, vt aduerſus mortem, ita aduerſus dolorem geſſit. Nam de nobis quidem nihil attinet dicere; quibus familiare propemodùm eſt, eos adeſſe morbos veſicæ, ac viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem accedere poſſit. Et compenſatur tamen cum ipſis omnibus animi lætitia, quam capimus memoria rationum, inuentorumque noſtrorum, eâque conſtantiâ quâ beatos habere dies illos non deſinimus, quibus huiuſcemodi morbis, atque doloribus torquemur.

Atque hæc quidem cauſa eſt, cur ſuperiùs dixerimus Sapientem, tametſi torqueatur, poſſe nihilominùs eſſe beatum; quoniam & quam neceſſitatem frangere non poteſt, patientiâ emollit; & quantum poteſt animum ſuum à dolente corpore abducit; cúmque ipſo ampliùs, quàm cum fragili, querulaque parte verſatur. Cogitat quid honeſtè, quid fortiter fecerit; & memoriam in ea, quæ maximè miratus eſt, quæque maximè delectârunt, ſpargens, recreat ſe bonis præteritis, aduerſus quæ longè abeſt, vt ſit inſipientium more, ingratus.

Cogitat & ſe nihil poſſe facere ea virtute, ac ſapientia, quam profitetur, dignius, quàm ſi dolori, hoc eſt, rei omnium toleratu difficillimæ non ſuccumbat; ſi ſe erectum teneat, ſi patientiâ hoſtem tam infenſum eiiciat; ſi victoriam demum reporret, cuius deinceps recordatio ſit iucundiſſima futura: at per indolentiam præſertim, quæ ſucceſſura ſit tantò gratior, quantò, vt ex mari procelloſo, euaſerit in portum tranquillum.

Quod ſi in graui etiam dolore alleuamenta Sapienti non deſunt; quid eſſe putemus de leuiore dicendum, aut de priuatione quoque alicuius vel membri, vel ſenſus? Haud abs re ſanè dictum eſt antè, tametſi fuerit oculis captus, fore nihilominùs fœlicem. Videlicet, ſi ipſa nox beatam vitam non adimit; cur adimat dies, cùm ſimilis eſt nocti? Vtcumque verò tunc aliquæ corporis voluptates abſint: & variæ tamen adhuc ſuperſunt; & quod caput eſt, ipſo animo multis delectati, variiſque modis licet, etiam ſi non adhibeatur adſpectus.

Etenim, cùm ipſi Sapienti viuere cogitare ſit; eius cogitatio non fermè ad inueſtigandum adhibet oculos aduocatos. Illi certè, cuius doctrinæ dedimus aliquando nomen, ſine varietate colorum licebat viuere beatè; ſine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adſpectu oculorum arbitrabatur; & cùm alij ſæpe, quod eſſet ante pedes, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate conſiſteret.

CAPVT XXIII.

De fortitudine aduerſus animi ægritudinem.

Dixi iam ægritudinem, quæ animo concipitur, concipi ſolere ob ea, quæ reputantur mala externa, quibúſque oppoſita bona maximè concupiſcimus. Res etiam aduerſas, & proſperas, ſeu ſecundas dicunt; obſeruaréque licet eundem eſſe humilem, abiectúmve animum, qui vt aduerſis deprimitur, ita proſperis inſoleſcit. Quò fit, vt quæ forent hoc loco dicenda ſpeciatim de malis ægritudinem inducentibus, & quorum occaſione fortitudine opus eſt, intelligi debeant ex iis, quæ attigimus circa bona quorum cupiditates ſunt, & propter quæ eſt temperantiâ opus.

Id heic generatim ſufficiat, quod obiter quoque inſinuauimus, eſſe ægritudinem non naturâ, ſed opinione mali, quâ neceſſe eſt omneis eſſe in ægritudine, qui ſe in malis eſſe arbitrentur, ſiue illa antè prouiſa, & exſpectata ſint, ſiue interuenerint. Nam, qui fit, vt non minùs lætetur, cuius filius ſit interfectus, ſed id tamen neſciat, quàm ſi reuerâ viueret; ac pari ratione, ſi famæ detractum, ſi peculium furto ablatum, atque ita de cæteris? An non id facit opinio ſola? Nam ſi natura faceret, quo momento filius abeſſet à viuis, exprimeretur iacturæ ſenſus in paterno animo; neque ſecus iactura famæ, peculiique ſentiretur.

Quare, vt ægritudinis ſenſus exprimatur in animo, neceſſe eſt opinio, non natura interueniat. Quóque minùs dubites, ſi ille filium ſuppoſititium eſſe germanum exiſtimet, & germanum pro filio non habeat; renuntiata germani morte nullatenus mouebitur; renuntiatâ ſuppoſititij, vehementiſſimè angetur; idque proinde non natura, ſed opinio ſola præſtabit.

Exinde verò hoc ſaltem conſtat, iſta, quæ nos angunt, non eſſe nobis reipsâ mala; quia extra nos ſunt, neque nos per ſeipſa attingunt; ſed opinione ſolùm noſtrâ in nobis mala fieri; & ex hoc eſſe, cur iam antè Rationem eſſe dixerimus, quæ vitam iucundam, ſeu beatam faciat dum opiniones abigit, ob quas ani-

mos occupat perturbatio. Scilicet ægritudo eſt, qua & animus conturbatur, & illius tranquillitas, iucunditáſque euertitur.

At quomodo tandem poteſt ipſa ratio haſce opiniones expellere ? Nempe quatenus, vt eſt antè dictum, comparat ſe Sapiens aduerſus fortunam. Hæc quippe externa, quæ opinamur bona, quotumque iactura ægritudinem in animis parit, fortunæ quoque bona dicuntur, quòd noſtra reuerà non ſint, ſed pro ipſo fortunæ arbitrio adeſſe, & abeſſe poſſint.

Vnde & ſapiens iſta habet non magis ſua, quàm aliena ; neque ipſa ſic poſſidet, quin ſit ad eorundem amiſſionem comparatus. Quippe opinionem illam exuit, qua bona huiuſcemodi reputantur falsò, vt propria, ita & inamiſſibilia ; illam verò induit, qua eſſe ambigua & fluxa, vti & ſunt, perſuaſum habet ; ſicque prouidet, quid acturus ſit, ſi facere ſe contingat illorum iacturam ; prouidet, inquam, ne tunc ſe inani mœrore conficiat ; ſed æquo ferat animo id à fortuna repeti, quod non dederit, niſi commodatò.

Iis ſanè, qui huiuſmodi bonis priuari opinantur malum, id grauiſſimum accidit, vt quæ poſſent ſaltem leuiora præmeditando fieri, & quaſi vetuſtate minui, præmeditatio malum adaugeat, ſicque ſtulta fiat cogitatio mali, quod futurum ſit, aut fortaſſe ne futurum quidem. Scilicet eo caſu odioſum eſt ſatis malum omne cùm venerit ; &, ſi fortè non venerit, fruſtrà omninò ſuſcipitur miſeria voluntaria, ac efficitur, vt quis nunquam non aut excipiendo, aut cogitando malo angatur. Nam & qui ſemper cogitet poſſe ſibi aliquid mali, aduersíve accidere, euadet hoc illi ſempiternum malum.

Quòd ſi Sapienti quoque contingat, vt propter factam aliquam in vſu bonorum fortunæ aſſuetudinem, illam opinionem non prorſus expungat, ſicque ſaltem exigua ipſi fortuna interueniat, ob quam in ægritudinem ſaltem mediocrem incidat, vnde & fieri poſſit, vt mœreat : tunc ægritudinis leuatio in iiſdem duabus rebus ponitur, quæ paulò antè ſunt circa dolorem inſinuata : videlicet Auocatione à cogitanda moleſtia, cauſave, quæ illam induxit ; & reuocatione ad ea, quæ agnoùit eſſe animo grata, & iucunda.

Poteſt ſiquidem animus Sapientis parere rationi, & quò duxerit, illam ſequi. Vetat autem ratio intueri ea, ex quibus creetur, foneatúrque moleſtia ; ſicque abſtrahit ab acerbis cogitationibus animum, vt illum conuertat ad cogitandum bona, futura, aut præterita, eaque præſertim, ex quibus nouerit illum delectari.

At facilè quidem moleſtæ, importunæque cogitationes recurrunt ; ſed iſti tamen auocationi, reuocationíque inſiſtendum eſt ; quoniam animus iugi deflexione aſſueſcit paullatim moleſtiam quaſi eluere, neque alia ratione tempus ægritudinem ſenſim minuit, quàm quia exhibet occaſiones varias, quibus diſtractus animus aſſueſcit ſenſim non cogitare & quaſi obliuiſci ea, quæ ægritudinem induxerunt.

CAPVT XXIV.

De Iuſtitia vniuersè.

IVſtitia reſtat, quam totam eſſe ad alterum prædiximus, quamque idcirco homini, vt in Societate degenti conuenire conſtat. Et certè ipſa eſt quaſi communis nexus, ſine quo conſtare nulla poteſt Societas ; cùm virtus ſit, qua vnicuique id, quod eſt ipſius, tribuitur, & ne vlli fiat iniuria cauetur.

Atque vt exordiar ab eo, vnde dicere de cæteris virtutibus cœpi, haud abſimilia profectò ſunt, quæ dici quoque de ipſa poſſunt. Vt enim prudentiam, temperantiam, fortitudinem copulatas eſſe docui cum voluptate, vt ab ea nullo modo nec diuelli, nec diſtrahi poſſint ; ſic de Iuſtitia iudicandum eſt ; quæ non modò nunquam nocet cuiquam, ſed contrà, ſemper alit aliquid, tum vi ſua, atque natura, quod tranquillet animos ; tum ſpe nihil earum rerum defuturum, quas natura non deprauata deſideret.

Et quemadmodum Temeritas, & Libido, & Ignauia ſemper animum excruciant, & ſemper ſollicitant, turbulentæque ſunt ; ſic cuius in mente iniuſtitia conſedit, hoc ipſo, quod adeſt, non poteſt turbulenta non fieri : etſi verò molita quidpiam eſt, quamvis occultè fecerit, nunquam tamen confidet id fore ſemper occultum. Quod ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſæpti eſſe, & muniti videantur, Deorum tamen numen horrent, eáſque ipſas ſollicitudines, quibus eorum animi noćteis, atque dies exeduntur, à Diis immortalibus ſupplicij cauſâ importari putant.

Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ moleſtias acceſſio fieri poteſt ; quanta ad augendas tum ex conſcientia factorum, tum pœna legum, odióque ciuium ? Et tamen in quibuſdam neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque imperij, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla præda vnquam improbè parta minuit, ſed auget potiùs, atque inflammat ; vt coërcendi magis, quàm dedocendi eſſe videantur.

Inuitat igitur vera ratio benè ſanos ad Iuſtitiam, æquitatem, fidem ; neque homini infanti, atque impotenti iniuſtè facta conducunt, qui nec facilè efficere poſſit, quod conetur, nec obtinere, ſi effecerit : & opes, vel fortunæ, vel ingenij liberalitati magis conueniunt ; qua qui vtuntur, beneuolentiam ſibi conciliant, &, quod aptiſſimum eſt ad quierè viuendum, caritatem ; præſertim, cùm omninò nulla ſit cauſa peccandi.

Quæ enim cupiditates à natura proficiſcuntur,

tur, facilè explentur, ſine vlla iniuria: quæ autem inanes ſunt, his parendum non eſt. Nihil enim deſiderabile concupiſcunt, pluſque in ipſa iniuria detrimenti eſt, quàm in aliis rebus emolumenti, quæ iniuriâ parantur.

Itaque ne iuſtitiam quidem rectè quis dixerit per ſeipſam optabilem: ſed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi, & carum eſſe iucundum eſt; propterea, quia tutiorem vitam, & voluptatem efficis pleniorem. Itaque non ob ea ſolùm incommoda, quæ eueniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; ſed multò etiam magis, quòd cùm in animo verſatur, nunquam ſinit eum reſpirare, nunquam acquieſcere.

Ac poſſent hæc quidem penè eſſe ſatis; ſed ſubiiciendum tamen eſt quidpiam partim de iure, ſiue iuſto, à quo iuſtitia denominatur, vt intelligi pleniùs poſſit, quæ illius origo ſit, quos inter verſetur, quo fructu colatur; partim de quibuſdam iuſtitiæ affinibus virtutibus, cuiuſmodi ſunt beneficentia, gratitudo, pietas, obſeruantia, & amicitia.

CAPVT XXV.

De Iure, ſeu Iuſto, à quo Iuſtitia dicta.

IMprimis ergo, cùm iuſtitiam eſſe ex eo dictam conſtet, quod ius alij debitum tueatur, ſeu id, quod iuſtum eſt, exſequatur; noſſe operæ-pretium eſt, quid ſit id, quod ius, iuſtumve cenſere oporteat.

Itaque, cùm iuſtitia ad commune bonum ſit excogitata, neceſſe eſt, ius, ſeu iuſtum, quod ſpectat, tale quidpiam ſit, quod ſit omnibus ſinguliſque, qui ſunt ſocietatis participes, bonum. Et quia vnuſquiſque id, quod ſibi eſt bonum, naturâ duce expetit; neceſſe eſt id, quod eſt ius, ſeu iuſtum quidpiam ſecundum naturam ſit, ac naturale ideo dicatur.

Nequicquam verò hoc non attingo; quoniam contingit aliquando, vt id quaſi ius, ſiue iuſtum in Societate præſcribatur, quod Societatis bonum non ſit; ac ideò, quia non naturale, ſiue contra naturam ſit, non debeat, niſi ex abuſu, ac nomine tenus iuſtum reputari; cùm id, quod veram iuris, ſeu iuſti naturalis rationem habet eiuſmodi ſit, vt ſicuti præſcribitur, ita ſit reuerâ vtile, ac bonum.

Quocirca, vt propriè loquamur, ius, ſiue iuſtum naturale nihil aliud eſt, quàm teſſera vtilitatis; ſeu ea, conſpirantibus votis, propoſita vtilitas, vt homines adinuicem, neque lædant, neque lædantur; atque adeò ſecurè degant, quod, vt bonum eſt, ſic naturâ duce quiſque expetit.

Vtile proinde, ac bonum pro eodem hele habeo, cenſeóque, vt quidpiam ſit iuſtum, ſeu iure ſeruetur, duo quædam exigere; vnum, vt vtile ſit, ſeu ad communem vtilitatem, hoc eſt, ſecuritatem, ſpectet; alterum, vt ſit ex communi Societatis conſenſu præſcriptum. Neque enim quidpiam eſt completè iuſtum, niſi quod Societas communi conſenſu, communive pacto inito cenſuerit ſeruandum.

Hinc, fit, vt vtrique iſtorum iuris, ſiue iuſti nomen tribui ſoleat, Siquidem tam vtile ipſum dicitur ius eſſe, quod cui competit, ſeu quód illi tribui ſeruarive eſt iuſtum: quàm ipſa communis Societatis pactio præſcriptiove quæ & dicitur Lex; vt purà, quaſi id, quod eſt cuique vtile, ſeu iuſtum, præſcribens.

Ac ſunt quidem, qui exiſtiment ea, quæ iuſta ſunt, eſſe ſecundum propriam, inuariatamque naturam iuſta; & leges non ipſa iuſta facere, ſed dumtaxat præſcribere iuxta eam, quam habent naturam: verùm res non ita ſe habet, ſed eo potiùs modo quo ſe habere obſeruatur cæteris in rebus, quæ ſunt vtiles, vt quæ ad ſanitatem ſpectant, ſexcentæque ſimiles, quæ vtiles iſtis, noxiæ illis ſunt, ſicque à ſcopo ſæpenumero tam communiter, quàm priuatim aberrant.

Et certè cùm res vnaquæque qualis eſt ſecundum naturam, talis eſſe deprehendatur vbique, ſemper, & omnibus; quippe quod inuariata ſit: Quæſo ea, quæ iuſta hi dicunt, vbivis ne, ac ſemper, atque omnibus iuſta ſunt? An non peruidere deberent ea, quæ ſunt legibus conſtituta, ac idcircò legitima, iuſtave habentur, non eſſe perinde apud omneis nationes conſtituta, atque recepta; ſed partim quidem vt indifferentia à pleriſque negligi, partim vt noxia à cæteris reſpui, ac iniuſta cenſeri? An non & ſunt quidam, qui ea, quæ non ſunt vniuersè vtilia, talia nihilominùs putent; atque idcircò ea complectantur, quæ accommodata vniuersè non ſunt, ſi reſpectu modò ſuæ ſocietatis deprehendant eſſe vtilia, & generale aliquod præ ſe ferre emolumentum?

Quamobrem dici ad ſummum poteſt, illud vniuersè eſſe iuſtum, habereve iuſti naturam, quod vtile eſt, ſiue conforme prænotioni de iuſto, quæ eſt mox deſcripta; nam ſpeciatim quidem, vt vtilitas apud varias genteis variatur, ita & iuſtum varium eſt, ſiue vni quidem ſic habitum iuſtum, vt alteri iniuſtum ſit. Atque ita dum quæritur idem ne apud omneis ſit ius, ſiue iuſtum? Reſpondeo, generatim quidem eſſe idem; vtile nempe aliquid in ſocietate mutua, verùm ſpectatis ſingulatim tum regionibus, tum cauſis apud varias variis; fieri, vt non ſit idem apud omneis.

Atque, vt ex iſtis aliqua deducam, quod experientiâ comprobatur vtile eſſe ad mutuos vſus in ſocietate, communive eorum participatione, quæ eſſe iuſta reputantur, illud iuſti naturam habet, ſi tale quidem ſit, vt vtilitas ad omneis attineat. Quòd ſi tale quidem quis ponat, & contingat tamen, vt mutuò ſociatis vtile non ſit, id iam veram iuſti naturam non habet.

Rurſus &, tametſi interdum ex eo, quod

Digitized by Google

fuerit iuſtum habitum , vtilitas excidat : ſi nihilominùs interdum vtilitas aliqua ſit , ac idcircò ad prænotionem , quæ habetur de iuſto, congruat , id pro illo quidem tempore eſt iuſtum : Certè apud illos,qui ſeſe inani loquacitate non confundunt , ac res humanas generaliùs perſpiciunt.

Denique , vbi nulla noua interueniente rerum circumſtantia , ea quæ fuerint habita iuſta circa actiones hominum , deprehenduntur ad prænotionem habitam de iuſto non congruere, ipſa iuſta haudquaquam ſunt. Vbi verò nouatis rebus ea , quæ fuerant decreta iuſta , deſierunt eſſe vtilia ; ea quidem illeic extitere iuſta , quanto tempore ad mutuam conciuium ſocietatem permanſere vtilia ; deinceps verò ſtatim atque deſierunt eſſe vtilia , deſierunt ſimul eſſe iuſta.

CAPVT XXVI.

De Origine Iuris , ac Iuſtitiæ.

SEd, vt rem altiùs , & ab ipſo , quod aiunt, ouo repetamus;tam videtur eſſe antiquum, eſſe quidpiam ius , ſiue iuſtum , & coli iuſtitiam apud homines ; quàm ſunt ipſæ eorum inter ſe ſocietates antiquæ.

Nam initio , cùm homines ferarum ritu vagarentur, & incommoda varia tum à feris, tum ab inclementia cæli paterentur ; (præſtitit quidem naturalis quædam eorum inter ſe conciliatio (quippe ob formæ , animæque , ſeu morum conuenientiam) vt in varios cœtus coïrent , ac illis etiam incommodis aliquatenus prouiderent (extructis videlicet caſis, comparatiſque tum aduerſus feras , tum aduerſus ipſum frigus, monimentis) verùm quòd vnuſquiſque bene ſibi eſſe,quàm alteri mallet, ideò frequentes erant rixæ de cibatu , de fœminis, de commodis aliis , quæ ſibi inuicem præripiebant ; quovſque animaduerterunt, non poſſe ſe tutò , commodéque degere , niſi pacta inirent de non lædendo ſe inuicem ; atque ita quidem , vt ſi quis alterum læderet , cæteri lædentem punirent.

Itaque is fuit primus ſocietatis nexus , qui vt ſuppoſuit poſſe vnumquemque habere quidpiam proprium , ſeu quod poſſet dicere ſuum, vtpote aut tanquam primò vſurpatum , aut tanquam donatum , pretiove acceptum , aut tanquam propria arte quæſitum , aut aliis modis habitum , ita fecit illud vnicuique ratum. Talis autem nexus, ſiue talis pactio, nihil aliud fuit , quàm communis lex , ad cuius obſeruationem omnes tenerentur , & quæ attribueret, faceretve certum vnicuique ius , ſiue facultatem vtendi re ſua ; vnde & ipſa quoque lex fuit quaſi commune , ſicuti iam dixi , ſocietatis ius.

Ac non memoro quidem , vt tota ſocietas ſuam illam puniendi , ſiue coërcendi facultatem in aliquos paucos ſapienteis , ac bonos , aut etiam in vnum , qui ſapientiſſimus , optimuſque omnium reputaretur , tranſtulerit : adnoto ſolùm illos fuiſſe in ſocietate habitos iuſtos , colenteiſve iuſtitiam , qui iuribus ſuis contenti , aliena non inuaderent , ſicque nemini facerent iniuriam ; illos verò iniuſtos , iniuſtitiamve exercenteis , qui non contenti iuribus ſuis, in iura aliorum inuolarent ; ſicque aut rapiendo , aut cædendo , aut alia ratione nocentes , lædenteſve iniuriam inferrent.

Et fuit quidem aliquovſque tranquilla , ac fœlix vita hominum , & maximè quidem ſub illis ſiue pluribus , ſiue vno , qui eſſent principes , ſeu Reges ſapientiſſimi , optimique , qui toti in eo , vt ſaluti , vtilitative publicæ proſpicerent, varias condiderunt , ſanxeruntque leges conſentiente populo , quibus diſſidia apud ipſum , aut exoritura anteuerterent , aut componerent , ſi exorirentur. Attamen , vt ſe res hominum habent, tranſiit demùm res in Principes , ac Reges non bonos , vnde illis deiectis , aut etiam occiſis , rediit ſumma ad populum , atque adeò ad turbas , ob factiones varias ambientium imperium ; quovſque inimicitiis , diſſidiiſque languens populus , ac defeſſus vi æuum colere , regi iterato à magiſtratibus , ſeu principibus voluit ; tametſi , cùm anteà principum arbitria vt plurimùm pro legibus eſſent, leges,quibus vellet regi, pepigit,ſicque iterùm recidit ſub leges,hoc eſt, arcta iura.

Sed ne ad poſteriora tempora deſcendam , ac præcipuum caput dumtaxat attingam, quod ſpectat ad tutandum vitam, cuius (vt cariſſimæ omnium rei) cura fuit ab initio , vt ſecuritas pactionibus , ſeu legibus communibus ſtabiliretur : Videntur ſapientiſſimi , optimique illi Legum conditores , cùm ad vitæ ſocietatem , & ad ea , quæ homines inuicem agunt , attenderent , declaraſſe nefandum eſſe hominem interficere , & ignominiam non vulgarem (vtpote quæ eſſet coniuncta cum minutione capitis) interfectori decreuiſſe ; partim quidem permoti illa , de qua iam dixi , hominum conciliatione inter ſe , quâ attentâ homines deberent non perinde eſſe procliues ad conſimile ſibi animal , ac diſſimile aliquod ex iis , quorum cædes eſt conceſſa , perdendum ; partim verò & maximè conſiderantes , auerſari id homines debere , quòd nullius foret ad vitam tranſigendam emolumenti , ac malignitati ſolùm verti poſſet.

Nempe ab initio , illis quidem , qui ad conſtitutionis vtilitatem attenderunt , nullâ aliâ fuit opus causâ , quâ ſe ab agendo quidpiam ſimile continerent ; qui verò non potuere ſatis cuius ea momenti eſſet , capere , ij magnitudinis pœnæ metu à patrandis temerè mutuis cædibus abſtinuerunt ; quod vtrumque etiamnum deprehenditur euenire. Etenim, qui conſiderant quanta ſit huiuſcemodi conſtitutionis vtilitas , ij , comparati ad conſtantem illius obſeruantiam ſunt ; qui illius verò intelligendæ

capaces

capaces non ſunt, ij ſe comparant præ metu pœnarum, quas leges intentant, quaſque Prudentiores quidam aduerſus illos, qui vtilitatis rationem non habent, ſtatuerunt: & maiore quidem parte multitudinis illas, vt legitimas, admittente.

Quippe à principio nulla earum legum, quæ ſiue ſcriptæ, ſiue non ſcriptæ, ad nos vſque peruenerunt, tranſdendæque porrò in poſteros ſunt, violentia quadam conſtitit; ſed mero; vt iam dixi, vtentium conſenſu. Videlicet mentis prudentiâ, non robore corporis, aut imperioſo obſequio multitudini præcelluere, qui has leges Populum rogarunt; ac illud quidem, inducendo nonnullos ad conſiderandum quid vtile foret (cùm priùs, vt par etat, non aſſequerentur) aliis verò ipſa pœnarum magnitudine metum incutiendo. Neque enim alio vti medicamine ad curandum imperitiam vtiliıatis licuit, quàm pœnæ à lege præſcriptæ timore. Nam & nunc quoque ipſe eſt ſolus, qui vulgareis homines in officio continet, obſtatque ne quidpiam ſeu in publicum, ſeu in priuatum commodum peccent.

Quòd ſi omnes poſſent per-æquè & noſſe, & mente tenere, quid vtile ſit, legibus haudquaquam egerent, ſed ſuapte ſponte ab iis cauerent, quæ illæ vetant; agerent, quæ illæ præſcribunt, quandò vel agnoſcere ſolùm quid vtile, quid noxium ſit, ad inducendū horum quidem fugam, illorum verò proſequutionem, ſatis, ſuperque idoneum eſt. At verò comminatio pœnæ aduerſus eos, qui, quid expediat, non proſpiciunt, eſt neceſſaria. Siquidem pœna impendens cogit eos refrænare impetus, qui ad actiones prauas inſtigant, ac ad agendum, inuitè licet, quod ſit conſentaneum, compellit.

Exinde ſanè Legum-latores, ne cædem quidem inuoluntariam eſſe omnis mulctæ immunem ſtatuerunt; non quidem, ne affectantibus voluntariam prætextum vllum facerent imitandi ex propoſito, quæ alij facerent inconſultò: verùm, ne non ſatis cautionis, atque diligentiæ hac in parte adhiberent, ſieque bene multa, quæ reuerà forent inuoluntaria, contingerent. Neque enim hoc non vtile fuit propter eaſdem cauſas, ob quas ſe mutuò conficere voluntaria cæde prohibitum fuit. Adeò proinde, vt cùm eorum, quæ inuoluntariè fiunt, alia quidem ex cauſa improuiſa, inobſeruabilique naturæ humanæ contingant; alia verò ex noſtra negligentia, incogitantiaque imminentis diſcriminis: idcirco volentes auertere ſocordiam, quæ in proximorum cederet perniciem, ne ipſam quidem inuoluntariam actionem abire omnino inultam conſtituerint, ſed peccati huius frequentiam pœnarum metu ſuſtulerint.

Quin etiam ego exiſtimo, cædeis quoque lege permiſſas non aliam ob cauſam eſſe factas ſolitis illis per luſtrationes expiationibus obnoxias (idque eorum conſilio, qui iſthæc præclarè inuexerunt primi) quàm quòd eſſet in animo, homines à cæde voluntaria nimiſ-quàm frequenti abſterrere.

Siquidem homines vulgares aliquo paſſim indigebant, quo, ne temerè facerent, quod non conduceret, arcerentur. Vnde primi illi id intelligentes, non pœnas modò decreuerunt, ſed alium inſuper timorem, cuius non eſſet ratio perinde patens, incuſſerunt; declarando illos, qui quomodocumque interfeciſſent hominem, niſi luſtrationibus vterentur, fore impuros.

Nimirùm pars animæ bruta, ſeu in qua affectus, paſſioneſve ſunt, diuerſimodè quaſi inſtituta acceſſit ad eam, quæ paſſim iam viget, manſuetudinem; adhibitis contra affectus impetus ferini iis cicurandi artibus, quibus ab initio vſque vſi ſunt, qui multitudinem rexerunt. Ex quibus eſt illud inter cætera, ne homines ſe inuicem indiſcriminatim occidant.

CAPVT XXVII.

Quos inter Ius, ac Iuſtitia verſetur.

His verò dimiſſis, cùm requiri poſſit, ob ea, quæ præmiſſa ſunt, Inter quoſ-nam tam ipſum Ius, eiuſque violatio, quæ Iniuria eſt, quàm ipſa Iuſtitia, & quæ Iniuſtitia illi eſt oppoſita, reperiatur; idcirco res intelligenda ex comparatione inter homines, cæteraque animalia eſt.

Quemadmodum igitur, inter quæcumque animalia conuenire non potuit, vt nec læderent, nec læderentur adinuicem, nulla eſt Iuris, Iniuriæve, ſeu Iuſti, & Iniuſti ratio: Pari modo, neque eſt vlla cenſenda inter eas nationes, quæcumque non potuere, aut noluere, vt adinuicem neque læderent, neque læderentur, paciſci.

Etenim Iuſtum, ſiue Ius, quod ſeruare Iuſtitiâ eſt, niſi in mutua ſocietate non eſt; Iuſtitiaque adeò bonum eſt Societatis, quatenus quiſque ſociatorum poteſt ſecurè degere, experſque eius anxietatis, quam continens metus nocumenti creat; ex eòque fit, vt quæcumque animalia, aut quicumque homines inire non poſſunt, aut nolunt ſocietatem inter ſe, neque adeò quicquam paciſci, tali bono careant, ſiue nullo iuris, iuſtitiæque vinculo, quo ſecuti degant, inter ſe teneantur. Vnde & fit, vt non alia ipſis ſecuritatis ratio ſuperſit, quàm ne lædantur, ſic lædere, vt etiam lædi, cùm læſerint, non poſſint.

Quare &, ſicut, dum animalium, quæ nihil inter ſe pepigerunt; vnum lædir aliud, dici quidem poteſt eſſe illi noxium inferreve ipſi nocumentum, aut noxam; at non tamen eſſe reſpectu illius iniuſtum, inferreve ipſi iniuriam, quia nullo iure, nullave pactione, aut lege de non lædendo ipſum, tenetur: Eadem ratione hominum quoque, inter quos nulla pactio, ſocietaſve interuenit, ſi vnus lædat alium, is dici quidem

quidem poteſt nocens, noxamve, aut damnom afficiens; verùm non iniurius, ſeu iniuriam faciens, quòd nolla pactio, aut lex ſit, quâ ad non lædendum teneatur.

De Animalibus autem loquor, non quaſi ſint aliqua, etiam ex gregalibus, ſociatimve viuentibus, quæ pacta ineant inter ſe, ne adinuicem lædant, aut lædantur; ſicque poſſint adinuicem, iuſta, ſi non lædant, iniuſta, ſi lædant, cenſeri; ſed quaſi exinde intelligi poſſit, inter homines quoque ipſos Iuſtitiam per ſe nihil eſſe, quatenus reperitùr ſolùm in mutuis ſocietatibus, pro ea cuiuſque regionis amplitudine, in qua poſſunt pacta de non inferendo, accipiendove nocumento iniri: cùm alioquin & in homine ſolitariè ſpectato ſit nulla; & quæ in vna ſocietate Iuſtitia eſt, in alia plærumque, ob pactiones contrarias, Iniuſtitia habeatur.

An verò inter homines, ipſaque animalia interuenire Iuſtitia poteſt? Non ſanè: Nam ſi homines quidem poſſent, vt cum ipſis hominibus, ita & cum aliis animalibus ſtipulatione quadam paciſci, ne nos occiderent, neque ipſa quoque à nobis indiſcretè occiderentur; eatenus præclarè liceret ipſa inter, & nos Iuſti rationem exigere; illud videlicet ad mutuam ſecuritatem dirigeretur: At quandoquidem fieri nequit, vt quæ ſunt rationis expertia animalia, communi nobiſcum lege contineantur: hanc ipſam ob cauſam non licet id adipiſci vtilitatis, vt maiorem ſecuritatem ex aliis animalibus, quàm ex ipſis rebus inanimatis impetremus. Adeò proinde, vt quò reddi ſecuri ab ipſis poſſimus, ſuperſit vtamur ea facultate, quæ in nobis eſt eorum necandorum.

Requires fortaſſis obiter, quî fiat, vt animalia etiam occidamus, à quibus nihil eſſe, quod timeamus, videtur? Nempe poſſumus id plærumque facere præ intemperantia, & feritate aliqua; vti & præ immanitate, crudelitatéque ſæuimus in eos homines, etiam extra ſocietatem poſitos, à quibus fieri poteſt, vt nihil timeamus. Sed videlicet aliud eſt peccare aduerſus Temperantiam, illiuſve ſpecies cuiuſmodi eſt, vt ſobrietas, ſic lenitas, ſeu manſuetudo, ſiue mavis humanitas, naturaliſve bonitas; aliud peccare aduerſus Iuſtitiam, quæ inita pacta, legeſve ſupponit.

Nec verò illud dici poteſt, conceſſum nobis lege eſſe interficere aliqua ex illis aoimalibus, quæ naturæ humanæ exitialia non ſunt, aliove quopiam modo hominis vitæ non officiunt. Neque enim, vt fatear, vllum eſt ex lege conceſſis, quod permiſſum excreſcere in multitudinem ingentem, nobis pernicioſum non ſit; retentum verò eâ copiâ, quâ vulgò habetur, vſus aliquos non præbeat ad vitam.

Etenim & ouis, & bos, & quodcumque aliud huiuſcemodi, donec mediocri copia habetur, ſubſidia nobis aliqua vitæ tranſigendæ neceſſaria confert; at verò, ſi in quantamcumque, & ſuperantem longè eum modum, quo iam poſſidetur, vbertatem abeat, tunc ſanè vitæ noſtræ officiat, aliud quidem vſum ſuo robore (quippe ad id pro indole ſibi natiua comparatum) aliud autem, vel ex eo, quòd alimentum nobis ex terra proueniens, abſumat. Quocirca & propter hanc cauſam vetitum non eſt huiuſcemodi animalia interficere; & eo quidem modo, vt retineatur copia, quanta ad vſum vitæ conducit, quantumque regere difficile non ſit.

Non enim, vt circa leones, lupos, vniuerſéque cætera, quæ vocari ſolent fera animantia (ſiue illa parua, ſiue magna ſint) accipere non poſſumus quandam ex ipſis multitudinem, quæ reſeruata, quodpiam ſubſidium ad vitam neceſſarium præſtet; ita ſe habet res circa boves, equos, & vniuersè cætera, quæ appellitantur manſueta animalia. Ex quo fit proinde, vt illa exterminemus penitùs; ex his id ſolùm, quod conſentaneum modum excedit, reſcindamus.

Vnde, vt hoc quoque breuiter attingam, reputandum eſt, etiam apud illas nationes, in quibus delectus circa eſum animalium eſt, fuiſſe rem appoſitè ad iam dictas cauſas præſcriptam ab iis legibus, quæ ſunt his ſimilia complexæ; & quod ad ea ſpectat, quæ edendo non ſunt, fuiſſe vtilis, ac non vtilis habitam rationem, & ob cauſam quidem cuiuſque regionis ſpecialem, cuiuſque conſtitutionibus adhærere nos, qui illeic locorum nuſquam degimus, nihil eſt neceſſe.

Ex hiſce autem intelligimus haud abs re fuiſſe habitum, etiam ab vſque initio, circa occiſionem aliorum aniotalium, ipſorumque hominum diſcrimen. Nam ad alia quidem animalia quod ſpectat, conſentaneum eſt primos illos, qui ea, quæ forent nobis agenda, vel non agenda, præſcripſerunt, occidere nullum vetuiſſe. Etenim quæ vtilitas reſpectu eorum percipitur; ex ritu agendi contrario (illi ſcilicet, de quo antè circa homines diximus) eſt nata. Neque enim poterat fieri, vt homines mutuò cum animalibus viuentes, tuerentur ſeſe incolumeis, niſi conarentur illa propulſare.

At verò ad Ipſus homines quod attinet, cùm aliqui ex iis, qui erant pro illo tempore venuſtiores (iique, qui, vt probabile eſt, ſuaſores fuere primæ illius pactionis, de qua antè dictum) recordarentur, vt illeicmer, vbi mixtim viuebatur, à cæde interdum abſtinuiſſent, propter, ipſam, quæ ad ſalutem attinebat; vtilitatem; reuocârunt quoque in memoriam aliis, dum in vnum congregarentur, ecquid rei rum contigiſſet: quo abſtineores ab animalis cungeneris internecione, vitæ ſocietatem tuerentur, quæ generatim cauſa eſt priuato cuique propriæ ſalutis, vtile autem fuerat antè ſecedere à ſocietare coëuntium aliorum ſeu animalium, ſeu hominum, aut damno certè afficere nullum, ne non modò animalia, quæ diuerſa genere erant, ſed ne homines etiam, qui erant congeneres,

congeneres, & ad noxam inferendam comparati, irritarentur. Quare & ob hanc cauſam continuère manus ab animali congenere, quodcumque ſe in communionem rerum neceſſariarum præbuit, quoſdamque in ipſam ſocietatem vſus contulit.

Procedente autem longiùs tempore, & progenie vtrimque longè ſuccreſcente, ac depulſis, quæ generis erant alieni, animalibus, ſecretioneque ipſorum facta, cœpêre quidam ratiocinando (& non ſolâ, vt priùs, ſine ratione memoriâ vtendo) conſilium de eo, quod foret vtile, dum adinuicem conuenirent. Nempe conati ſunt validiùs inhibere illos, qui ſe inuicem temerè, imprudenterque conficerent, & mutuum auxilium imbecillius redderent, ob præteriti temporis, quibus res ſui ſimilibus malè ceſſiſſet, obliuionem. Adnixi ergo hoc facere, eas legum conſtitutiones, quæ etiamnum per ciuitates, nationeſque perſeuerant, induxerunt; conſentiente ipſis, vt iam inculcatum, multitudine ſua ſponte; quatenus perſenſit quàm maior exinde vtilitas de gentibus in mutua congregatione proueniret. Pari modo videlicet ad ſecuritatem conducit, illud, quod pernicioſum eſt citra indulgentiam perdere, & id, quod ipſi exterminando vtile eſt, ſeruare.

Probabile igitur eſt, factum ob has cauſas, vt cæterorum animalium licita cædes fuerit, hominum verò prohibita: tametſi immoror heic nimiùm.

CAPVT XXVIII.

Quàm merito iure Iuſtitia colatur.

SVpereſt ergo, vt cum iuſtitia communi pactione ſit conſtabilita, vnuſquiſque exiſtimet ſe ſine natum, ſiue adſcitum, ea conditione ſocietati, in qua degit, nomen dediſſe, ſeu in illam admiſſum eſſe, vt ſiue expreſsè, ſiue tacitè, in pactionem illam ne lædat, lædaturque, conſenſerit. Quare & ſtandum eſſe pactioni, aut à ſocietate exeundum: quoniam non alia, quàm qua receptus conditione eſt, in ea toleratur. Ex quo ſequitur, vt cùm naturæ ſponte nolit ſe lædi à cæteris, non lædat ipſe cæteros; ſicque non faciat alteri, quod ſibi ipſe fieri nolit.

Poſſunt certè exinde leges poſitæ cenſeri in Sapientum gratiam; non quidem ne ipſi quid iniuſtè agant, ſed ne quid in ipſos iniuſtè agatur: Nam ad ipſos quod attinet, ſunt ſanè ita comparati, vt etiam ſine legibus nemini inferant nocumentum. Quippe, quod præſcripſerint modum ſuis cupiditatibus, eaſque ad naturam compoſuerint, cui nihil ſit neceſſe re iniuſta gratificari. Neque enim vlla voluptas, quæ ſecundum naturam ſit, cauſa eſt, vt alij patiantur iniuriam, ſed quæ cupiditas ex vanis opinionibus effrænis creatur.

Cum enim natura, vt exemplo dicam, fecerit herbas, fruges, fructus, ac vnà ipſam aquam res paratu facillimas; non ea voluptas, quæ ex ipſis famem, ſitimque exſpectando, maxima percipitur, cauſa eſt latrociniorum, cæterarumque iniuriarum, quæ vulgò patiant homines; ſed inanis cupiditas viuendi lautiùs, opulentiuſque, atque idcircò diteſcendi, vt ſit, quod in ſumptus ſufficiat. Quod idem dicendum de iis, qui ſimplici veſte, ſimplici domo, ſimplici coniugio, ſimilibuſque, præ ambitione, luxu, libidine, aliis paſſionibus non contenti, plura appetunt, quàm quibus natura indigeat.

Quin-etiam; cùm ſapiens, vt antè innuebam, ſui ipſius causâ omnia faciat, nihil eſt omninò, quod magis ſui causâ facere poſſit, quàm dum præclarè iuſtitiam colit. Quippe dum ſuum cuique tribuit, ac nemini nocet, ſeruat, tueturque ſartam tectam, quantum in ſe eſt, ſocietatem, quæ niſi ſalua ſit, ſaluus eſſe ipſe non poſſit; & neque cuiuſquam in ſe prouocat iniuriam; neque mulctam, pœnámve vllam, publicitùs infligendam metuit: ſicque nihil ſibi malè conſcius, omni perturbatione caret, qui fructus eſt iuſtitiæ omnium maximus; quemque proinde dum colligit, quid maius ſui causâ faciat?

Neque verò eſt, cur exiſtimes, poſſe illum, qui clàm, neminéque conſcio, violauerit aliquid iuris, pactorúmve eò ſancitorum, ne quis faciat, patiatúrve iniuriam, pari eſſe ſecuritate, vacuitatéque perturbationis; ſiquidem, vt antè dicebam, quamvis occultè fecerit, nunquam tamen confidet, id fore ſemper occultum. Nam ſcelera quidem ſecreta eſſe poſſunt, at ſecura eſſe non poſſunt; neque prodeſt quicquam peccanti latere; quoniam non, vt felicitatem, ſic fiduciam latendi habet.

Sanè & quantumvis id millies impræſentiarum lateat, occultúmve ſit; incertum eſt tamen, an ad mortem vſque ſit futurum occultum. Plerumque enim improborum facta primò ſuſpicio inſequitur; deinde ſermo, atque fama, tum accuſator, tum index. Multi etiam ſæpè ſe indicauerunt; alij quidem per ſomnum, alij per delirium, alij per ebrietatem, alij per quandam incogitantiam. Adeò proinde, vt vir ſceleſtus, etſi Diuûm genus, hominúmque, vt dicitur, fallat, vt id tamen perpetuò clàm futurum ſit, diffidere debeat.

Vnde & efficitur, vt quamvis Iniuſtitia non ſit aliquid ſecundùm ſe malum, quatenus quod heic eſt iniuſtum, idem alibi iuſtum reputatur; at malum tamen ſit in eo metu, quo exſtimulante conſcientiâ, ſuſpicatur quid, veretúrque, ne quæ iniuſtè patrata ſunt, animaduerſores ſcelerum non lateant: nihilque adeò eſt, vt ſecurius, ſic ad degendum placidam, pacatámque vitam conducentius, quàm innocenter viuere, & fœdera pacis communia factis nullatenus violare.

Quare & cùm Iuſtus, Iniuſtuſque ea ſine antitheſi,

antitheſi, vt ſicuti ille eſt maximè omnium perturbationis immunis, ſic iſte, ex oppoſito ſit perturbationis pleniſſimus; ecquid eſſe illi vtilius, quàm iuſtitia: iſti nocentius, quàm iniuſtitia poteſt? Quid enim? Poſſúntne eſſe cuiquam vtiles angores, ſollicitudines, diurni, & nocturni metus?

Cùm tantum ergo bonum Iuſtitia, tantum Iniuſtitia ſit malum; illam vnicè exoſculemur, iſtam impensè abhorreamus. Et, ſi quando fortè animus vacillet, dubiique hæreamus, quid agendum ſir, quid facto ſit opus; aliquis Vir Bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus; vt ſic, tanquam illo ſpectante, viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus.

Valebit certè hoc conſilium, non modò ne quidpiam agamus,quod iniuſtum ſir;ſed etiam, ne quidpiam occulte aduerſus honeſtatem peccemus. Scilicet ille erit nobis, quaſi cuſtos, ac Pædagogus, quem quia animus verebitur, eius authoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciet. Illo præſente non facerem abſente cur faciam? Ille id carperet, quia malum; cur ipſe malum ſponte non fugiam? Sic itaque fac omnia, tanquam ſpectet aliquis; nam ſi verearis ſic aliquem, eris ipſe citò verendus.

CAPVT XXIX.

De Beneficentia, Gratitudine, Pietate, Obſeruantia.

SEquuntur iam illa virtutes, quas affineis eſſe Iuſtitiæ ideò diximus, quod ipſæ quoque ad alterum ſint; & niſi perinde legibus, pactionibuſque præſcribantur, non deſinant tamen quandam ex decoro, ex officio, ex vſu, obligationem ſimilem illi, quæ Iuſtitiæ eſt, præ ſe ferre.

Talis verò imprimis eſt Beneficentia, ad quam ij tenentur, qui aut operâ, aut pecuniâ adiutare indigenteis poſſunt; cùm niſi operam quidem præſtent, barbari, immites inhumani audiant; niſi pecuniam, tum paria audiant, tum prætereà ſordidi, tenaces, auari aliáque id genus; Sin autem præſtent, tum audiant comes, benigni, officioſi; tum liberales, munifici, magnifici, &c. adeò proinde, vt vel ſui, ſuæve vtilitatis gratiâ ad Beneficentiam(ſed ita vt fiat citra Prodigentiam) teneantur.

Etenim, qui illâ vtuntur, ij ſibi, vt iam attigi, beneuolentiam conciliant; &, quod aptiſſimum eſt ad quietè viuendum, caritatem; qui non vtuntur, maleuolentiam, & quod ad moleſtè viuendum eſt comparatiſſimum, contemptum, & odium. Caue autem ſaltem, ne circa res paruas beneficus non ſis; ne id emolumenti perdas, quod exinde habendus ſis etiam circa magna gratificabundus.

Haud abs re verò ſuperiùs dixi eſſe non modò præclarius, verùm etiam iucundius, beneficium dare, quàm accipere; quoniam is, qui dat, non modò eâ re maior, atque ſuperior eſt, ſed & quaſi fœnus, gratiam colligit, cùm interim res nulla ſit, quæ maius pariat gaudium, quàm gratia. Similis eſt nempe beneficus fonti, cui ſi mentem des, ecquo non ſit gaudio perfuſus, cùm rot ſata læta, ex ſui diffuſione quaſi ridere obſeruabit?

Talis deinde eſt gratitudo, ad quam reciprocè tenetur, qui beneficium accipit. Nimirùm, niſi velit odio, probróque quàm-maximo eſſe. Neque enim iniuriâ exoſa eſt omnibus hominibus Ingratitudo; quòd cùm nihil ſit magis ſecundùm naturam, quàm propenſum eſſe ad habendum bonum, contra naturam maximè ſit, non eſſe propenſum, gratéve affectum in authorem boni.

Cùm nemo ſit porrò in benefactorem magis gratè affectus, quàm Sapiens; licet ſanè aſſerere, Sapientem ſolum referre gratiam ſcire, quatenus ſolus debitam gratiam amicis & præſentibus, & abſentibus, & vitâ etiam functis habet.

Cæteri enim ferè dumtaxat gratiam habent præſentibus, (idque aliunde, vt plurimùm, quo poſſint beneficium aliquod nouum prouocare) at abſentium, quotus eſt quiſque, qui gratè commeminerit? qui, ſi poſſit, in liberos, in amicos, in res ipſius, vices rependat? Vitâ autem functorum, quotuſquiſque eſt, qui caram habeat memoriam? qui non lætetur quaſi ſolutam agnoſcendi obligationem? qui in eos, quos illi habuerint percaros, aut obſequium, aut etiam beneficentiam, ſi poſſit teſtetur?

Talis rursùs eſt Pietas, Gratitudinis ſanctiſſima ſpecies. Ea videlicet primariò erga Parentes attenditur, quibus nemo eſt, qui non ampliùs, quàm cæteris hominibus debeat: quando poteſt quidem alia debere cæteris; at parentibus ſeſe ipſum debet. Vnde & fit, vt ſi ingratitudo aduerſus alios exoſa ſit, ea, quæ aduerſus parentes eſt, ſit maximè horrori, exſecrationique.

Dico autem primariò, quoniam ſecundariò, & quaſi ex conſequutione extenditur ad conſanguineos, Fratreſque cum-primis, quibus parentum interuentu, quaſi vinculo ſic adſtringimur, vt intelligere debeamus non poſſe nos illos amore magno non proſequi, quin ingrati ſimus aduerſus parentes, auos, cæteroſque noſtri authores; ſcilicet rem illis ingratam facientes, qui fuêre ſuâ beneuolentiâ omneis à ſe ſiue exortos, ſiue exorituros complexi.

Non eſt verò Pietas ſeiuncta à Caritate in patriam, quæ ipſoſmet etiam parentes, conſanguineoſque complectitur; noſque & naſcenteis excipit,& natos alit,actuetur. Cumque, vt parentum interuentu tenemur affectu erga conſanguineos, ſic generaliùs erga conciueis patriæ interuentu teneamur; tum maximè ſanè tenemur erga Magiſtratus, atque Principes, qui quà ipſam patriam, legeſque tutantur,

tur, id in nos ſpeciatim beneficij conferunt, vt ipſorum freti præſidio degere ſecurè, tranquilléque poſſimus.

Talis prætereà eſt Obſeruantia, ſeu venerabunda affectio, quâ erga illos omneis tenemur, qui aliqua re ſupereminent. Quare & partim coniuncta eſt cum Gratitudine, & Pietate, quatenus non licet gratum animum magis magis apertum facere, quàm debitam venerationem, gratúmque cultum exhibendo, Benefactoribus, Parentibus, Principibus, omnibus dignitate præfulgentibus viris; partim maximo cum decore iis exhibetur, qui ætate, & ſapientiâ, ſiue virtute, re omnium ſpectatiſſima, & meritiſſima antecellunt.

Spectat porrò ad Obſeruantiam, quæ Religio eſt, Sanctitaſque aduerſus Deos: videlicet, quos colere, non aliter, quàm parentes teneamur, non ſanè vllâ ſpe, pretióve inducti; non quaſi aliquo accepto ab iis, aut ſperato bono; verùm, vt antè diximus, propter illorum maieſtatem eximiam, ſupremámque naturam; vtpote, quia venerationem iuſtam habet, quicquid excellit, & nullius naturæ maior, quàm diuinæ eſt excellentia; quippe cùm æterna, & beatiſſima ſit. Ex hoc ſanè efficitur, vt ipſi quidem intelligentes Deos, nec ſibi fingere vllam moleſtiam, nec alteri quærere, piè, ſanctéque colamus naturam excellentem, atque præſtantem.

Quòd ex duabus Obſeruantiæ, & Religionis cauſis, Beneficentia nempe, & præſtantia diuinæ naturæ, Epicurus non admittit priorem, id fuit impugnatum in Animaduerſionibus, cùm ſpeciatim, Tom. II. *à Pag.* 205. *tum generatim, cùm de Prouidentia*, Tom. I. *à Pag.* 374.

CAPVT XXX.

De Amicitia.

TAlis poſtremò eſt Amicitia, ad quam reciprocè tenentur, qui amantur reciprocè. Meritò verò ipſa nobis erit in ſtar coronidis; quoniam omnium rerum, quas ad beatè viuendum Sapientia comparauerit, nihil eſt maius Amicitiâ, nihil vberius, nihil iucundius. Inter cætera ſanè eadem ſcientia confirmauit animum, ne quod ſempiternum, aut diuturnum timeret malum, quæ perſpexit in hoc vitæ ſpatio Amicitiæ præſidium eſſe firmiſſimum, ac vna cum ſecuritate maximas parere voluptates.

Nimirum, vt odia, inuidiæ, deſpicationes aduerſantur voluptatibus; ſic amicitiæ non modò fautrices fideliſſimæ, ſed etiam effectrices ſunt voluptatum tam amicis, quàm ſibi; quibus non ſolùm præſentibus fruuntur, ſed etiam ſpe eriguntur conſequentis, ac poſteri temporis: Efficiturque adeò, vt cùm ſolitudo, & vita ſine amicis, inſidiarum, & metus plena ſit, ratio ipſa moneat Amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus; & à ſpe pariendarum voluptatum ſeiungi non poteſt.

Cùm Amicitiæ autem comparentur ob vſus, vtilitatémve, eo modo, quo ſerimus terram, ob prouentus futuri ſpem; Ipſi quidem primi congreſſus, copulationeſque conſuetudinum, inſtituendarum amicitiarum fiunt propter vtilitatem, proptérque voluptates, quæ exinde ſperantur: at verò, cùm vſus progrediens familiaritatem effecerit, tum amor effloreſcit tantùm, vt etiamſi nulla ſit vtilitas ex Amicitia, tamen ipſi amici propter ſeipſos amentur. Etenim, ſi loca, ſi fana, ſi vrbeis, ſi gymnaſia, ſi campum, ſi canes, ſi equos, ſi ludicra, exercendi, aut venandi conſuetudine adamare ſolemus, quantò id in hominum conſuetudine faciliùs fieri poterit & iuſtius?

Quærendi verò interim, parandique amici cum delectu ſunt: antè enim circumſpiciendum eſt, cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas. Et licet viſceratio, cibatióve ſine amico, leonis vita, ac lupi ſit; is tamen amicus deligendus eſt, cuius conſuetudine nullum ſuauius ſit condimentum. Quamobrem quærendus quidem eſt amicus, cui nihil candore, ſimplicitate, bonâ fide antiquius ſit; ſed & danda opera eſt, vt is ſit non difficilis, querulus, omniaque deplorans, ſed qui morum facilitate, alacritate, iucunda ſpe, ſuauem reddere vitam poſſit.

Conſiſtit porrò, cohæretve, ſeu perſeuerat Amicitia in mutua participatione voluptatum, ſiue bonorum, quibus frui, donec viuimus, licet. Non eſt verò tamen propterea neceſſe deponi in commune amicorum opes, vt ille cenſet, qui eſſe omnia Amicorum communia dicit; quippe hoc diffidentium eſt (ne non ſint nempe futuræ omnium ſatis conſtantes voluntates) qui verò diffidunt, ij non ſunt amici; ſed illi duntaxat, qui poſſunt plenâ confidentiâ capere quidquid opus eſt ex ipſis amicorum bonis (tametſi ab illis adſeruentur, neque in commune congeſta ſint) haud ſecùs, quàm ex ſuiſmet; reputando ſcilicet illa non eſſe ſua minùs, quàm ſi ipſimet ea poſſiderent, atque adſeruarent.

Ac ſtupent quidem homines vulgares, id dum audiunt: ſed nihil eſt, quòd ipſos moremur; neque enim quidquam fidei, aut conſtantiæ in amicitia, beneuolentiaque hominum huiuſmodi eſt; cùm neque harum rerum capaces ſint, neque vllius ſapientiæ partis, quæ commendationem aliquam mereatur. Quinetiam, qui è media multitudine eſt homo, non intelligit quid priuatim, publicéque vtile ſit; neque conſtituere inter mores prauos, honeſtoſque diſcrimen poteſt.

De Sapientibus ergo loquimur, quorum eſt quoddam quaſi fœdus, vt ne minùs amicos, quàm ſeipſos diligant; quod & fieri poſſe intelligimus, & ſæpè vſu euenire videmus; vt proinde perſpicuum ſit, nihil ad iucundè viuendum reperiri poſſe, quod coniunctione tali ſit aptius; ac propterea intelligamus, non

modò non impedire rationem, ſi ſummum bonum in Voluptate ponatur, ſed etiam, ſine hoc, inſtitutionem amicitiæ non poſſe reperiri.

Videlicet, quia nullo modo, ſine Amicitia, firmam, & perpetuam iucunditatem vitæ tenere, poſſumus, neque verò ipſam amicitiam tueri, niſi æquè amicos, & nos-metipſos diligamus; idcircò hoc ipſum efficitur in amicitia, & amicitia cum voluptate connectitur; nam & lætamur amicorum lætitiâ æquè, ac noſtrâ, & pariter dolemus angoribus.

Quocirca eodem modo Sapiens erit affectus erga amicum, quo erga ſeipſum; quoſque labores propter ſuam voluptatem, ſuſceperit, eoſdem ſuſcipiet propter amici voluptatem; ac vt habere ſe lætaretur, qui ſibi ægro aſſideret: & coniecto in vincula, vel inopi ſuccurreret; ita lætabitur ſe habere, cui, ſi æger fuerit, aſſideat; ſi coniiciatur in vincula, laboretve inopiâ ſuccurrat. Ac neque id modò, verùm etiam erit ita affectus animo, vt & dolores grauiſſimos ſubiturus pro amico ſit; &, ſi occaſio popoſcerit, mortem etiam oppetiturus.

Nouimus certè eueniſſe (idque Patrum etiam noſtrorom memoriâ, vt quibuſcumque plenam fiduciam, ſecuritatémque parare fas fuit ex ſocietate hominum, pari ſententia, affectúque viuentium, ij ſuauiſſimo freti pignore, quàm-ſuauiſſimè inter ſe vixerint, ac pleniſſimâ neceſſitudine iuncti præoptârint ſine lamentis, pro illo qui foret ad mortem deſtinatus, mortem ſubire.

ATQVE hæc ſunt quidem, quæ dicenda habui circa Ethicam, eamque, vt ab vſque initio conteſtatus ſum, præcipuam Philoſophiæ partem. Tu, quiſquis es, cui adſpiranti ad germanam ſapientiam gratificari in animo fuit, iſta age, ac meditare; ratus ipſa eſſe elementa honeſtè, atque adeò bene, beatéque viuendi.

Meditare, inquam, interdiù, noctúque; & ſiue quidem ipſe tecum, ſiue cum fido ſocio, qui perſimilis tui ſit, & cui dicere valeas: Soli quidem ſumus, ſed hoc magis nobis diſquirere verum ſine inuidia licet: Hæc ego non multis, ſed tibi; tu quoque non multis, ſed mihi; ſed nempe alter alteri ſatis magnum theatrum ſumus.

Et non-ne agnoſcis poſſe neminem cum viro illo comparari, qui & de Diis, vera ſenſit; & omninò intrepidè aduerſus mortem eſt comparatus; & de ipſo naturæ fine, bonorumque extremo ſic ratiocinatur, vt intelligat ipſum poſſe facillima facilitate adimpleri, compararique, ac id, quod in malis tolerandum eſt, aut eſſe duratione breue, ſi vehemens ſit; aut ſi diuturnum, toleratu leue; & ſibimetipſi denuntiat nullam erga ſe fatorum neceſſitatem eſſe, ſed vigere in ſe liberum arbitrium, ac nullam ſibi, aut perexiguam interuenire fortunam poſſe; & quæ cætera inculcata ſunt.

Sanè &, cùm tu vir huiuſmodi euaſeris, eueniet, vt nunquam ſiue vigilans, ſiue in ſomnis perturbêre (neque enim eris in ſomnis, ob mentem bene compoſitam, alio affectu, quàm per vigiliam) ſed vt quiſpiam Deus inter homines viuas. Nihil quippe mortali animali ſimile habet homo, qui in immortalium bonorum poſſeſſione æuum traducit.

HACTENVS EPICVRVS.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum ac Verborum totius Operis.

Prior Numerus Paginam, Secundus Columnam deſignat.

A

ABACUM Seſtertiorum monetâ noſtrâ expreſſorum. Vide in *I. Append.* Tom. II. pag. 318. & ſeqq.

Abſtinentia circa cibum; Sobrietas circa potum. Tom. II. 174. col. 1. & ſeq.

Acari cruta, caudam, cæteraque membra oculo exhibet engyſcopium. Tom. I. pag. 112. col. 1. & pag. 120. col. 2

Acceleratio Motûs rerum decidentium quâ proportione fit. Tom. I. 246. col. 2. & ſeqq.

Accidentia Peripateticorum vocat Epicurus Coniuncta & Euenta. Tom. I. 99. col. 2

Accidentia dicta Coniuncta & Euenta. Tom. I. 312. col. 2

Accidentia quædam corpori eſſentialia. Tom. I. 313. col. 2

Inter actionem Spontaneam, & Liberam quodnam ſit diſcrimen? Tom. II. 219. col. 1

Actiuæ vitæ præfertur Contemplatiua. Tom. II. 109. col. 1. & ſeqq.

Acus magneticæ declinatio in eodem loco, diuerſis temporibus varia. Tom. I. 202. col. 1. & 2

Acus Nautica. Vide *Magnes.*

Adoleſcentis eſt maiores natu vereri. Tom. II. 210. col. 2

Ægritudo malum, opinione, non naturâ. Tom. II. 127. col. 1. & ſeq.

In Ægypto vlteriore cur non pluat? Tom. I. 517. col. 2

Ex Æolipila probatur dari Inane. Tom. I. 98. col. 1. & ſeq.

Æquabilitas, radix perpetuitatis. Tom. I. 242. col. 2. & ſeq.

Æquitas quid? Tom. II. pag. 182. col. 2. & 183. col. 1. & ſeq.

Æquiuelocitas motûs Atomorum per Inane immenſum. Tom. I. 222. col. 1

Et in ipſis concretionibus. ibid. & 223

Æquum & Bonum. Tom. II. 182. col. 1. & 2

Aër quaſi quædam lanugo eſt reſpectu Terreæ molis, nec ad multa milliaria ſupra Terram extenditur, vt crepuſcula comprobant. Tom. I. 424. col. 2. & 445. col. 2. & ſeq.

Aëris in tres regiones diuiſio fictitia. Tom. I. 511. col. 1

Aër ſolus non eſt in aquam tranſmutabilis. Tom. I. 557. col. 1. & ſeq.

Aër an ſit inflammabilis? Tom. I. 445. col. 1. & 446. col. 2. & ſeq.

Aër pleno ore efflatus manum calefacit, contracto frigefacit: quamobrem? Tom. I. 172. col. 1

Aëris corruptio quomodo propagetur? Tom. I. 553. col. 2

Aërea regio neque calida, neque frigida ſuâ naturâ. Tom. I. 174. col. 2. & 175. col. 1

Æs attrahit argentum aquâ forti exſolutum. Tom. I. 186. col. 2

Æſtus maris diſquiritur. Tom. I. 562. col. 1

In Æſtu ſiue reciprocatione maris duæ ſunt partes, Venilia & Salacia, ſiue affluxus & refluxus, vel acceſſus & receſſus. *ibid.* De eo variæ opiniones. *ibid.* col. 2. & ſeqq. mirè conſentit cum Luna, Tom. I. 563. col. 1. Cauſa Æſtus ex motu Terræ explicatur. Tom. I. 564. col. 2. & ſeqq. Affluxus & refluxus diuerſi. Tom. I. 566. col. 2. & ſeq.

Æſtus in pleniluniis, nouiluniiſque potiſſimùm vehementes: Cur? Tom. I. 567. col. 1. & ſeq. Item in æquinoctiis & ſolſtitiis. Tom. I. 568. col. 1

Æternitas quid? Tom. I. 324. col. 2. Sumitur aliquando pro diuturno tempore. Tom. I. 325. col. 1

Æternitas Dei probatur. Tom. II. 55. c. 1. & ſeq.

Æternitatis, Temporiſque diſcrimen. Tom. I. 324. col. 2

Æterna tria: Atomus, Inane, Vniuerſum. Tom. I. 311. col. 1. & 2

Ætoæ incendium à Lucretio deſcribitur. Tom. I. 547. col. 2. & ſeq.

Ætna, cæterique montes flammei, cur non continuò, ſed per interualla dumtaxat ardent? *ibid.*

Æuum, quid? Tom. I. 325. c. 2

Aggredere tardè agenda; ſed aggreſſus age conſtanter. *Biantis præceptum.* Tom. II. 142. col. 2

Alcochoden, quid, apud Genethliacos? Tom. I. 497. col. 1

Allium prope Roſam ſatum ipſam odoratiorem quî reddat? Tom. I. 187. col. 2. & ſeq.

Alpheus fluuius. Tom. I. 548. col. 1. & ſeq.

Alteratio, quid? Tom. I. 235. col. 2. & ſeq.

Alteratio Epicuro nihil aliud eſt quàm motio quædam quâ Atomi adueniunt, decedunt, concurrunt, coëunt, &c. Tom. I. 124. col. 2. & ſeq.

Aluminis corpuſcula octahedrica. Tom. I. 147. col 2. & ſeq.

Amare ſolus nouit Sapiens. Tom. II. 9. col. 2

Amicitia quid? Tom. II. 211. col. 1. In ea æqualitas, vnde ad Iuſtitiam ſpectat. ibid. & ſeq. Amicitia niſi inter bonos non eſt. Tom. II. 213. col. 1

Amicitia, an vtilitatis gratiâ paranda? Tom. II. 23. col. 2. & ſeq.

Amicitiæ poſſeſſione ad beatè viuendum, nihil maius, nihil vberius, nihil iucundius. Tom. II. 297. col. 1. & ſeqq.

Ex Amicitia qui ſecuritatem quæſierunt, ij & vixerunt ſuauiſſimè, & mori etiam alter pro altero præoptauerunt. Tom. II. 307. col. 1

Amicus ad beatam vitam multum confert. Tom. II. 245. col. 1. & ſeq.

Pro Amico, occaſione poſtulante, mortem oppetet ſapiens. Tom. II. 30. col. 1

Amor, quid? Tom. I. 278. col. 1

Amoris & Odij à ſympathia & antipathia, cauſæ. Tom. I. 185. col. 2

Amore non capietur ſapiens. Tom. II. 10. col. 2

Amuleta contra faſcinatores, mera deliramenta. Tom. I. 189. col. 1

Anarchia. Tom. II. 150. col. 2. & ſeq.

Anaxagoræ principia refelluntur à Lucretio. Tom. I. 106. & pag. 107. col. 1. & ſeqq.

Digitized by Google

Anaxagoræ lapis celebris. Tom. I. 533. col. 1. & ſeq.
Angelus quomodo ſit in loco? Tom. I. 320. col. 2.
Angelus tutelaris ſiue Cuſtos. Tom. II. 252. col. 2
Anglus quidam nuper ad annum centeſimum quinquageſimum vitam protraxit. Tom. I. 503. & ſeq. col. 1. & ſeq.
Angulus incidentiæ. Tom. I. 255. & pag. 256. col. 2. & ſeqq. & pag. 258. col. 2. & ſeqq.
Angulus reflexionis. *ibid.*
Animæ natura, contexturaque quæ ſit iuxta Epicurum? Tom. I. 259. col. 1. & ſeq. & pag. 260. col. 1. & ſeq.
Animæ diuiſio. Tom. I. 274. col. 2. & ſeq.
Anima & Animus idemne ſit? Tom. I. 259. col. 2
Anima & Animus quâ ratione diſtinguantur. Tom. I. 276. col. 1. & 2. & pag. 288. col. 2
De Anima variæ antiquorum opiniones. Tom. I. 287. col. 2. & pag. 288. col. 1
An Anima, an verò animal per ſe ſentiat? Tom. I. 265. col. 1. & 2
Animæ corpus etſi tenuiſſimum, mixtum tamen, compoſitumque ex diuerſis rebus cenſet Epicurus. Tom. I. 261. col. 1. & 2
Anima an ſit in plantis? Tom. I. 263. col. 1. & 2
Animam hominis corpoream fecit Epicurus. Tom. I. 244. col. 1. & 2. & cum eo plures alij Philoſophi. *ibid.* Et ex SS. Patribus nonnulli. *ibid.* Quomodo contineatur à corpore, & turſus corpus illam contineat? Tom. I. 262. col. 1. & ſeqq.
Animam humanam ex duplici ſubſtantia, corporea, & incorporea compoſitam eſſe plures exiſtimant, etiam Catholici viri. Tom. I. 289. col. 1.
Animam Rationalem eſſe immaterialem ſiue incorpoream probatur. Tom. I. 291. col. 1. & 2. & ſeq.
Anima comparatur Igni. Tom. I. 268. col. 1. & 2
Anima Mundi ſecundùm Pythagoram, Platonem, alios. Tom. II. 246. col. 2. & ſeq.
Animi ſedem in pectore ſtatuit Epicurus, quibus argumentis? Tom. I. 276. col. 2. & ſeqq.
Animi partes duæ, Rationalis & Bruta. Tom. II. 129. col. 2
Animos hominum eſſe immortaleis contra Epicurum probatur. Tom. I. 286. col. 1. & ſeqq.
Animi concitatio fatidica. Tom. II. 263. col. 1. & ſeq.
Animal quomodo è ſemine generetur? Tom. I. 350. col. 2. & ſeq.
Animalia quomodo primùm producta iuxta Epicuri mentem? Tom. I. 335. col. 2. & ſeq. alia perdurarunt, alia interierunt. Tom. I. 336. col. 2
Animal omne ſimul vt natum eſt, voluptatem appetit. Tom. II. 90. col. 2
De Animalium nutritione habes integrum Tractatum *in Append. I.* Tom. II. à pag. 330. col. 1. ad pag. 350. col. 2
Animalia lignis adnata. Tom. I. 269. col. 2
Animodar quid ſignificet apud Genethliacos? Tom. I. 496. col. 1
Anticipatio, Prænotio, Præſumptio, Criterium ſecundum. Tom. I. 79. col. 2. Quid ſit? Tom. I. 79. col. 2. & 80. col. 1. & 2. & pag. 90. col. 2
Anticipatio idem cum Definitione & Deſcriptione. Tom. I. 80. col. 2. & ſeq. & pag. 90. col. 2
Anticipatio omnis Ratiocinationis principium. Tom. I. 81. col. 1. & pag. 82. col. 1. & ſeq.
Anticipationes quæ in nobis, vnde acquiſitæ? Tom. I. 80. col. 1
Anticipationem vniuerſalem intellige, non tam quæ communis ſit omnium hominum, quàm quæ repræſentandis compluribus conſimilibus ſit idonea. Tom. I. 80. col. 2. Nihil videtur eſſe aliud quàm vniuerſale Peripateticum, imò & quàm Platonica Idea. *ibid.*
Antidota quomodo deleteriam veneni vim debellent? Tom. I. 190. col. 2
Antipodas dari aſſerenteis deriſit Lucretius, vt & Lactantius. Tom. I. 348. col. 1. & 2
Apes non bene inter imperfecta animalia numerantur. Tom. I. 336. col. 1. & ſeq.
Apes quomodo mel elaborent. Tom. I. 579. col. 1. & ſeq.
Aquæ ex ſua natura non competit, neque calor, neque frigus, contra Ariſtotelem. Tom. I. 174. col. 1
Aqua quomodo gelu rigeat. Tom. I. 177. col. 2
Aqua quomodo dureſcat in glaciem. Tom. I. 572. col. 2. & pag. 573. col. 1
Aqua cur per nullum motum calefiat. Tom. I. 170. col. 1
Aqua intra ſe ſpatiola inania continet. Tom. I. 98. col. 1. & ſeq.
Aqua ſale ſaturata, etiam alumen, ac ſi ſale careret, exſoluit. *ibid.*
Aqua in Aërem rarefacta, vas occupabit capacitatis non decuplo, vt Ariſtoteles autumauit, ſed centuplo maioris. Tom. I. 159. col. 1
Aqua Igni maximè contraria, non quòd ſummè ſit frigida, ſed quòd ignem extinguat, quamvis feruida. Tom. I. 174. col. 2
Aquarum ſubterranearum ingens congeries. Tom. I. 558. col. 2
Aqua æſtate quomodo congeletur? Tom. I. 174. col. 1. & pag. 521. col. 2. & ſeqq.
Aquæ calidæ ſiue thermales vnde? Tom. I. 549. col. 1
Aquæ puteales non ſunt æſtate frigidiores quam hyeme, quicquid vulgus ſecùs arbitretur. Tom. I. 551. & 552. col. 1. & ſeqq. & pag. 606. col. 2
Aqua pura cur oleum ex panno non eluat, eluat verò lixiuium, præſertim ex ſapone? Tom. I. 197. & 198. col. 2. & ſeqq.
Aqua in cyatho, quomodo fiat rubra oleo Tartari infuſo. Tom. I. 124. col. 1
Item oleo vitrioli. *ibid.*
Aqua cur citiùs exhaletur quàm oleum, plumbum quàm argentum, &c. Tom. I. 107. col. 2
Aqua maris dum in ſpumam vertitur cur candida? Tom. I. 124. col. 1
Aqua quomodo trahatur à ſpongia, pannis ſiccis, rebus filamentoſis, &c. Tom. I. 136. col. 1. & 2
Aqua in Cteſibianis machinis ſiue *pompis* vltra pedes 33. non aſcendit. Tom. I. 225. col. 1
Aquæ ex floribus Arantij, Roſæ, & ſimilium extractæ non tam reuera ſunt, quàm apparent inodoræ ipſis florum temporibus. Tom. I. 192. col. 1
Aqua vitæ in medio vini conglaciati. Tom. I. 175. col. 2
Aqua vitæ ſeu ſpiritus vini in glaciem non duratur. Tom. I. 575. col. 1
Aquilæ pennæ aliarum auium pennas exedere perhibentur. Tom. I. 187. col. 2
Aqui-Sextienſis latitudo eſt grad. 43. min. 33. Tom. I. 415. col. 2
Araneus alliſus virus à ſe emiſſum retrahit. Tom. I. 190. col. 1
Arbores hominis acceſſum vel contactum fugientes. Tom. I. 264. col. 2
Area quid ſit in Meteoris. Tom. I. 585. col. 2
Area ſeu Corona circa Lunam, vel Solem, quæ Halo dicitur, quomodo fiat? Tom. I. 584. col. 1. & 2. Non eſt quid conſiſtens, vnde tot ſunt Areæ, quot oculi cernentes. Tom. I. 585. col. 1. & 2. Vide *Halo.*
Arethuſa, fons. Tom. I. 598. c. 1
Argumentum Zenonis contra partium in continuo infinitatem. Tom. I. 217. col. 1. & pag. 240. col. 2. Argumentum itidem Zenonium Achilles dictum. Tom. I. 217. col. 1. & 2. & pag. 239. col. 1. & 2. Alia demum duo eiuſdem de eadem re. Tom. I. 238. col. 2. & ſeq.
Ariditas, quid? Tom. I. 178. col. 2. & 1
Ariſtippus quàm longè differat ab Epicuro. Tom. II. 262. col. 2
Ariſtippi voluptas diſtat ab Epicurea. Tom. II. 78. col. 2. & pag. 80. col. 1. & 2

Ariſtocratia,

Digitized by Google

Ariſtocratia.

Ariſtoteles improbatus. Tom.I. pag.82. col.1.& pag.96. col.1. & 2. & 143. col.1. & 158. col.2. & 159.col.2. & 160. col.1. & 163. col. 1. & 2. *ibid.* & 167. col.2. & 173. col. 2. & 176. col. 2. & ſeq. & 223. col. 1. & 235. col.2. & 244. col.1. & 246. col.2. & 251. col.2

Ariſtoteles ſibi contrarius in aſſignandis primis qualitatibus. Tom.I. 158. col.2. Impugnatur circa raritatem & denſitatem. Tom.I.159. col. 2. Ad excludendum Inane ſubſtantiam quandam induxit calidam & animalem, rebus omnibus inexiſtentem, poros omnes replentem, &c. Tom.1.159.col.2. & 160. col.1

Ariſtoteles immeritò Democritum ac Leucippum reprehendit. Tom.I. 167. col.2. & ſeq. Falſum ſupponit, cùm ex duobus corporibus vniformis materiæ, cenſet quod maius, grauiuſque eſt ferri verſus terram, caderéve celeriùs. Tom.I. 223.col.1

Ariſtoteles aduerſus ipſius Expoſitores defenſus.Tom.I. 176. col. 2. & ſeq. Non bene fluiditatem duobus ſolùm Elementis tribuit. Tom.I.177. col.1

Ariſtoteles de ortu & formatione Mundi parùm ſibi conſtat. Tom.I. 368. col. 2. & ſeq. Aquæ ſummum frigus tribuit, licet alicubi doceat nullum humorem ſine calore eſſe. Tom.I. 173. col.2. Suis ſyllogiſmorum regulis vix vnquam paret. Tom.I. 82.col.1

Ariſtoteles lucem quàm bellè definierit. Tom. I. 142. col.2. & ſeq.

Ariſtoteles Locum malè definiuit. Tom. I. 96.col. 1. & ſeq. & 317. col.1. & ſeq. Et Tempus. Tom.I. 315. col. 2. & ſeq. & Continuum. Tom. I. 163. col. 2. & ſeq.

Ariſtoteles gloriatur ſe Mundum improductum ac æternum ſtatuiſſe, cùm tamen ante ipſum plures idem ſenſerint. Tom.I.327. col.2

Ariſtotelis opinio de Maris Salſedine expenditur.Tom.I. 569. col.2. & ſeq.

Ariſtoteles cùm inter motum & mutationem diſcrimen ſtatuat, interdum tamen mutationem quaſi genus habet, cuius motus ſpecies ſit; interdum habet motum loco generis cuius mutatio ſpecies cenſeantur. Tom.I.235. col.1. & ſeq.

Ariſtoteles ſtellas figurâ ſphæricas eſſe quàm inepto argumento probet? Tom.I. 409. col.2

Ariſtoteles aëra malè diuiſit. Tom.I.510. col.2. & ſeqq.

Ariſtoteles cælum animatum eſſe confirmat.Tom.I.438. col.1

Ariſtotelis de Fato Opinio. Tom.II.233.col.2

Ariſtoteles ſententiam ſuam non ſemel correxit. Tom.I. 393.col.2

Ariſtotelis de ſubſtantiis ſeparatis ſiue incorporeis opinio, Angelis non poteſt conuenire. Tom.II. 251. col.2

Artes diuinatrices. Tom.II. 254. col.2. & ſeq.

Aſtrologiæ ſiue ſcientiæ ex aſtris diuinatricis antiquitas. Tom.I.473.col.1. & ſeqq. à Chaldæis initium duxit. Tom.I. 474. col.1. & ſeq. Eiuſdem vanitas & futilitas. Tom.I. 478.col.1. & ſeqq. Non eſt ars, ſed mera alea & hariolatio. Tom.I. 490. col. 2. & ſeq. Vaticinia vana. Tom.I.500.col.1. & ſeqq.

Aſtrologia ſtulta filia ſapientem matrem ſuo quæſtu alit. Tom. I.490. col. 1

Aſtrologi, Mathematici, Genethliaci, Planetarij, Iudiciarij dicti. Tom.I. 473. col. 2

Aſtrologorum vafrities. Tom.I. 506. col.1

Aſtrologus quidam calceos ſibi ab amico donatos, ex occurſu Medij cæli ad Planetæ neſcio cuius beneficum radium retulit. Tom.I. 506.col.1

De Aſtrorum ſubſtantia variæ antiquorum opiniones. Tom. I. 401. col.1. & ſeq. De ea quid cenſuerit Epicurus. Tom. I. 334. col.1

Aſtra neque animalia, neque deos eſſe, verè docuit Epicurus. Tom.I.402.col.2.& 348.col.2. & ſeq.

Aſtra igneæ eſſe naturæ cæteri præter Ariſtotelem Philoſophi docuerunt. Tom.I. 400. col.1

Athenæus Epicuri voluptatem malè interpretatur. Tom. II. 76. col.1

Atmoſphæra. Tom. I. 511. col.1

Atramentum ſcriptorium aquâ purâ non eluitur, ſed humore acido. Tom.I.179.col.2

Atomorum varia nomina, & epitheta. Tom. I. 100. col. 1.& ſeqq.

Atomus non ſic dicitur quòd partibus careat, & magnitudine omni deſtituatur, vt vulgus exiſtimat, ſed quod ita ſolida compactaque ſit, vt diuidi non poſſit. *ibid.* & 101 col.1. & 115. col.1

Atomos ſiue corpora inſectilia dari probatur. Tom. I. 99. col.2.& ſeqq. & pag.101. col.1. & ſeqq.

Atomi ſunt materia prima, prout ex ipſis omnia fiunt. Tom.I. 119. col.2. Sunt etiam prima cauſa, & primum efficiens, quo ſenſu? *ibid.*

Atomorum maxima longè infra viſum conſiſtit. Tom.I. 120. col.1

Atomus, plena natura, vacui expers ac ſolida. Tom. I. 101.col.1

Atomorum ſoliditas probatur. Tom. I. 103. col. 1

Atomos eſſe principia rerum. *ibid.* & ſeq. & pag. 104. col.1

Ex Atomis minutiſſimis quî poſſit Mundus conglobari. Tom.I.107.col.2. & ſeqq.

Atomos quis primus excogitauerit, Leucippus, Democritus, an Epicurus? &c. Tom I. 100. col.2. & ſeqq.

Atomorum tres proprietates, Magnitudo, figura & grauitas, ſiue pondus. Tom.I. 110. col. 2. & ſeqq. Ex grauitate Atomorum motus. *ibid.* De earum figura tria docet Epicurus. Tom. I. 112. col. 2. & ſeq. & 113. col.1. & ſeq. & 114. col.1. & ſeq. Sunt diuerſimodè figuratæ. Tom.I. 112. col.2. quanta in ipſis figurarum varietas. Tom.I. 113. col.2.& ſeq.

Atomi ſub vnaquaque figura numero infinitæ, iuxta Epicurum. Tom.I. 114. col.2

Atomorum motus duplex, naturalis & reflexus. Tom.I. 116. col.1. Naturalis rurſus duplex: perpendicularis, & declinans. *ibid.* & ſeq. Reflexus etiam duplex, ex plaga, & ex concuſſione. Tom. I. 118. col. 1

Atomorum celebriora euenta. Tom.I. 123. col.1

Atomi defenduntur contra Lactantium. Tom. I. 107. col.1. & ſeqq. & 108. col.1

Atomi irrequietæ ac in perpetuo motu. Tom.I. 119. col.1. & ſeqq. & 164. col.2. & ſeq. Vnde rerum naturalium indeſinens mutatio.Tom.I. 118. col.2. Mouentur æquivelociter per inane immenſum. Tom.I. 222. col. 1. & ſeqq. Etiam in ipſis concretionibus. Tom.I. 232. col.2. & ſeqq.

Atomorum æqui-velocitatem impugnat Themiſtius. Tom. I. 117. col.1. Vt & Cicero. *ibid.* & ſeq.

Atomorum magnitudo multiplex, ſed inuiſibilis.Tom.I. 215. col.2

Ex Atomis moleculæ diuerſæ ſunt, quæ ſunt ſemina rerum. Tom.I. 108. col.1

Atomi multitudine infinitæ: Inane verò magnitudine. *ibid.* & 109. col.2

Atomus æterna ob ſoliditatem, & quia plagæ expers. Tom. I. 302. col.2

Atomi à Deo productæ, nec infinitæ. Tom. I. 128. col.2

Atomos non eſſe æternas. Tom. I. 331. col.2. Earum motus à Deo. *ibid.* & ſeq.

Atomi comparatæ cum corpuſculis in radio Solis per rimam traiecto conſpicuis.Tom.I. 119.col.1. & ſeqq.

Atomi calorificæ, non quod calorem ex ſe habeant, ſed quod eum creent. Tom.I. 168. col.2. & ſeqq. Quales ſint? *ibid.* & ſeq.

Atomi frigorificæ quales & cuius figuræ? Tom. I. 173. col.1. & ſeqq.

Atomi quæ ſapores creant, quanam ſint figurâ? Tom.I. 156. col. 2. & ſeq.

Atomi caloris ſaporis, odoris, caloris, &c. expertes Tom. I. 221. col.2.& ſeqq.

Index

Auditionem peragi per incurrentem Sonum. Tom. I. pag. 146. col. 1. & ſeqq. Quibus ioſtrumentis. *ibid.*

Auerna terras halitus fundentia. Tom. I. 552. col. 1. & ſeqq. vnde ſic dicantur? *ibid.*

Augures & Haruſpices ſpreti. Tom. I. pag. 552. col. 1. & ſeqq.

Auris in qua ſui parte ſonum admittat. Tom. I. 146. col. 1

Aurora Borea, quid? Tom. I. 589. col. 2. Eximia ab Auctore viſa anno 1621. menſe Septembri. Tom. I. 589. col. 2. & ſeqq.

Aurum cur tam immenſè dilatari, attenuarique valeat. Tom. I. 183. col. 2. Auri vncia vna in bracteas diducta dicitur obtegere poſſe decem terræ iugera. *ibid.*

Auri argentique granula, aquæ fortis aut regalis corpuſculis quamvis ponderoſiora, in ea tamen ſuſtentantur, vnde? Tom. I. 186. col. 2

Aurum fuſum cur tantoperè exurit? Tom. I. 171. col. 1

Auri fulminantis mirus impetus. Tom. I. 528. col. 1

Aurum attrahit hydrargyrum. Tom. I. 186. col. 2

B

BAculo viſo in aqua curua, oculus non fallitur. Tom. I. pag. 175. col. 2

Baſiliſcus adſpectu quomodo occidat? Tom. I. pag. 188. col. 2

Baſſi Aufidij ſenis conſtantiam mortem nil reueriti commendat Seneca. Tom. II. 63. col. 1. & ſeq.

Beatitudo quid ſit? Tom. II. 32. col. 1. & ſeq. Vide *Felicitas, Vita beata.*

Beatus quis ex mente Zenonis Epicurei. Tom. I. 217. col. 1

Quod Beatum æternumque eſt, id nec habet ipſum negotij quicquam, nec exhibet alteri. Tom. II. 271. col. 1. & ſeq.

Benefacere eſt maximè ſecundum naturam. Tom. II. 197. col. 1

Beneficentia & liberalitas. Tom. II. 213. col. 2

Beneficium, vtrùm illius qui accepit, vtilitate; an eius qui dedit liberalitate metiri oporteat? Tom. II. 215. col. 2

Beneficium non ſine delectu conferendum. Tom. II. 214. col. 2

Bellum non temerè ſuſcipiendum. Tom. II. 156. col. 1

Bellum Camarina malorum. *ibid.* & ſeq.

Bello gerendo quatuor neceſſaria, viri idonei, arma congrua, commeatus ſufficiens, pecunia ampla. *ibid.* & ſeqq.

Belli ciuilis tempore vir bonus an quieſcere debeat, an alteri partium ſe addicere? *ibid.*

Bitumen ac ſulphur, ſucci duo concreti ſemina ignis in ſe continent. Tom. I. 546. col. 2. & ſeqq.

Biuium voluptatis & virtutis. Tom. II. 98. col. 1

Bonum, vide *Felicitas, Voluptas.*

Bonum nihil niſi honeſtum, malum nihil niſi turpe aſſerebant Stoici, an bene? Tom. II. 86. col. 1

Bonum & iucundum, Synonyma. Tom. II. 87. & ſeqq.

Borramets, Agnus Scythicus, fabuloſus. Tom. I. 269. col. 2

Bruta non intelligunt vniuerſalia. Tom. I. 292. col. 1

De Bruti genio tam celebri quid ſentiendum? Tom. II. 257. col. 2

Buſo Muſtelam inuitam quomodo corripiat? Tom. I. 188. col. 2

C

CÆlorum numerus variis varius. Tom. I. pag. 418. col. 2. & pag. 419. col. 1. & ſeqq. & pag. 420. col. 1. & ſeq.

Cælorum intelligentiæ. Tom. I. 438. col. 1. & ſeqq. & 440. col. 1

Cælum ſupremum, ſiue primum mobile, quomodo ſit in loco. Tom. I. 321. col. 1

Cælum non eſſe rotundum, ſed expanſum vt laquear, quidam SS. Patres ſtatuunt. Tom. I. 396. col. 2

Cælum eſſe animatum vult Ariſtoteles. Tom. I. 438. col. 1

Cæleſtes ſphæras quinam primi diſtinxerint. Tom. I. 418. col. 2. & ſeq.

Cæleſtibus obſeruandis inſtrumenta idonea, dignumque ſtudium quàm pauci adhibeant. Tom. I. 408. col. 1

B. Cæſarij Fratris S. Gregorij Nazianzeni, de eclipſi Lunæ opinio. Tom. I. 459. col. 1. & ſeqq.

Grande in Calamitatibus ſolatium, culpa vacare. Crantoris dictum. Tom. II. 164. col. 1

Calidum immortale, rerumque omnium intelligens, Hippocrati. Tom. I. 355. col. 1

Calor quid? Tom. I. 168. col. 2. & ſeqq. Non differt ab Igne, niſi ſecundum magis & minus. Tom. I. 169. col. 2. Quomodo excitetur? *ibid.* & ſeqq.

Calorem homogenea congregare, diſgregare verò heterogenea, an verum ſit, & quo ſenſu? Tom. I. 171. col. 2. & ſeqq. & 175. col. 2

Calor videtur vniuersè diſgregatiua qualitas: Frigus verò congregatiua. Tom. I. 171. col. 2. & 175. col. 2

Calorem cur non ſentiat manus, dum velociter præter flammam agitur. Tom. I. 171. col. 2

Caloris intentio quâ ratione fiat? *ibid.* & ſeq.

Calor quomodo ceram liquefaciat, ferrum candefaciat, &c. Tom. I. 180. col. 1. & ſeq.

Calor ſubterraneus. Tom. I. 546. col. 2. & ſeqq. ſiue flamma. *ibid.*

Calx cur aquâ ſuperinfusâ calorem concipit, efferueſcitque? Tom. I. 170. col. 2

In Candela digitali quæ per horam comburitur quàm multæ membranulæ ſucceſſiuè deripiuntur. Tom. I. 132. col. 2

Candelæ lux in Meridiano Sole aërem illuſtrat: non minus quam per mediam noctem. Tom. I. 412. col. 2. & ſeqq.

Caniculæ ortus & occaſus Heliacus. Tom. I. 414. col. 1.

Caniculares dies 30. 40. aut 50. à decima ſeptima Iulij antiquis dicti fuère. *ibid.* & 477. col. 1. Modò verò menſe integro poſteriores eſſe debent, quòd exortus Caniculæ ſit iam factus menſe poſterior. Tom. I. 414. col. 1

Canis maior, qui nobis ſignum caloris, Antipodibus noſtris eſt ſignum frigoris. *ibid.* & ſeqq.

Canis integros catulos enixa, poſtquam deinde habuit lapidis ictu confractum crus, catulos omnes edidit claudos. Tom. I. 284. col. 2

Canes cur non ſudent? Tom. I. 517. col. 1

Canij ad extremum ſupplicium à Centurione vocati mira conſtantia. Tom. II. 32. col. 1

Canonicam pro Logica ſubſtituit Epicurus. Tom. I. 68. col. 1. & ſeqq.

Canonica Philoſophiæ pars vnde dicta. Tom. I. 69. col. 1 & ſeqq.

Canon, quid ſignificet, & vnde deriuetur? *ibid.* & pag. 70. col. 1

Canonicum Ius vnde dictum? Tom. I. 70. col. 2

Canonici, qui inter Eccleſiaſticos ſic nominantur, vnde dicti? *ibid.*

Canon, liber Epicuri, cur ſic vocitatus? *ibid.* & ſeqq.

Canones de Criteriis. Tom. I. 90. col. 2. & ſeq.

Capræ in aëre ſaltantes. Tom. I. 609. col. 1

Caput ex venereorum vſu, vt & oculi debilitantur. Tom. I. 351. col. 2. Siquidem in Embryone caput præ reliquis partibus magnum apparet, & in capite oculi maximi apparent. *ibid.*

Carbo cur vehementius vrit quàm flamma. Tom. I. 171. col. 1

Carcerem quomodo ſapiens ferre debeat. Tom. II. 165. col. 2. & ſeqq.

Cardanus Aſtrologos non illepidè damnat. Tom. I. 500. col. 2. & ſeq.

Cardanus mortem quam prædixerat, inediâ ſibi, ne

mendax

mendax haberetur, conſciuit. Tom.I. 509.col.1
Carnium vſus ad ſanitatem nil confert, teſte Porphyrio, quin potius illi officit. Tom. II. 122.col.2
Carta pertenuis marginibus ſurſum plicatis, oleoque infuſo, prunas diutius tolerat. Tom. I. 171. col. 1. & ſeq.
Caſeus [illegible], Menagio in [illegible], in [illegible], Voſſio [illegible]. Tom.I. 65.col.1
Caſſius Epicureus, Dux non ignauus. Tom.II. 159.col.1
Caſtitas ſpecies Temperantiæ. Tom. II. 169. col. 2. & Tom. II. 172. col. 1. Caſtitatis munimenta tria. Tom. II. 173. col. 1. & ſeqq. Caſtitas à Pudicitia, qui differat? Tom. II. 172. col.2
Caſtor & Pollux, fauſtum nautis ſignum; Helena, infauſtum. Tom.I.610. col.1. & ſeq.
Caſus Globi è ſtellis fixis, è Sole, è Luna in Terram, è ſuperficie terræ in centrum, quot horis duraret. Tom.I. 251. col. 1. & ſeq.
Caſus à Fortuna in quo differat? Tom. II. 224. col. 1
Cauſam finalem ablegauit Democritus. Tom. I. 353. col.2
Cauſas ob quas principia rerum naturalium ita ſe habeant, ignoramus. Tom. I. 117. col.2. & ſeqq.
Cauſæ vt plurimum ignotæ. Tom. I. 118.col.2.& ſeqq.
Cellæ vinariæ non ſunt calidiores hyeme quàm æſtate. Tom.I.552.col.1.In iis enim oleum hyeme concreſcit, non æſtate. Tom.I. 575.col.2. & pag.170.col.1
Centauri vnde exorti. Tom. I. 340. col. 1
Centrum Mundi Epicuro nullum. Tom. I. 116.col.1
Chalcanthi ſeu Vitrioli vis in ſiſtendo ſanguine, cicatricéque obducenda inſignis. Tom.I. 191. col. 1
Chamæleon à ſeſquipalmo muſcam corripit. Tom. I. 185. col.1
Chaos, occaſio fuit Epicuro ad philoſophandum. Tom.II. 332.col.1 & 2
Chordæ ſuſpenſæ itus, reditusque quomodo fiant. Tom.I. 182.col.2. & ſeq. Cur æquitemporanei fiot, tametſi non æquiſpatiales? *ibid.*
Cur Chorda duplo longior ſi intendatur eadem vi, excurrit duplo ſegniùs? ſi verò intendatur vi duplo maiore, non excurrit duplo velocius, ſed ſolùm ſi vis ſit quadruplo maior? *ibid.* & 183. col.1
Chorda vniſona cur tremit, dum pulſatur æquiſona? Tom.I. 187. col.1
Cibi viles ac ſimplices, modò quis famem expectet ſummam afferunt voluptatem. Tom. II. 118. col. 1. & 2
Cibus idem cur iſti iucundus, illi ingratus. Tom.I. 157. col. 1. & 2
Cicero & Athenæus Epicuri voluptatem malè interpretantur. Tom. II. 75. col.2
Cimon cum nil haberet quo paterni cadaueris ſepeliendi ius impetraret, ſeipſum vendidit. Tom. II. 209. col.1
De Circulatione ſanguinis diſſeritur in *Apppend. I.* Tom. II. à pag.345. ad 362
Circulorum in aqua ex iniecto lapide formatio ad ripam vſque pari tenore continuatur, ſeu lapis magnus ſeu paruus ſit. Tom.I. 150. col.1
Circulus aureus in Ægypto, in quo inſcripti ſinguli anni dies. Tom. I. 475. col. 2
Vt Circuli, ſic vitæ perfectio, non in magnitudine, ſed in rotunditate conſiſtit. Tom. II. 66. col.2
Circuli duo inæquales eidem axi affixi; reuoluti an deſcribant lineam æqualem? Tom.I. 240. col.1
Ciuis legitimus vt quis haberetur in quibuſdam Rebuſpub. natum eſſe ſufficiebat ex altero parente Ciue. Tom.I. 62.col.2
In Clade publica,qui ſe animus erigere debeat? Tom.II. 265.col.1
Cleanthis Tabula de Virtutibus Voluptati tanquam Dominæ ſeruientibus. Tom. II. 266. col. 2.
Clementia quid? Tom. II. 176. col.1. In quo à Manſuetudine differat? *ibid.*
Cleomedis in Epicurum argumenta circa magnitudinem Solis. Tom.I. 403. col.2. Soluuntur. 406. col.2
Cogitationem fieri per Imagines incurrenteis. Tom. I. 144. col.2. & ſeqq.
Cur Cogitare vnicuique liberum eſt quod lubet? Tom. I. 145. col. 1. & 2
An cogitemus in capite, vel in corde.Tom.I. 276.col.2. & 277. col.1
Cognitio duplex: ſimplex apprehenſio, & iudicium. Tom.I. 74. col.1
Cognitio alicuius rei, ne fallax ſit, debet ex multis inſtitui. Tom.I. 88.col.2
Color quid? Tom.I. 140. col.2. Non cohæret corporibus. *ibid.*
Colore in tenebris corpora deſtituuntur. Tom. I. 141. col. 1. Color eſt lux in corpora incidens. *ibid.* Mutatur color ſecundum varios lucis vmbræque gradus. *ibid.* col. 1. & 2. Colorum varia genera ex luce & vmbra oriuntur. Tom. I. 143. col. 1. & 2.
Color Iridis æquè verus, ac color herbæ vireſcentis. Tom. I. 142. col.2
Colore carent rerum principia. Tom.I. 122. col.1
Columna in Meteoris quid? Tom.I.609.col.1
Cometarum variæ ſpecies. Tom.I. 591. col. 2. quo loco ſtatuantur, an infra, an ſupra Lunam. Tom.I. 592. col.1. De iis opiniones antiquorum variæ.Tom.I.*ibid.* & 601. col. 1. & 2. Vix vnquam ſimul plures appareant. Tom.I. 593. col.1. quanto tempore durent. *ibid.*
Cometæ varij. Tom.I. 596. col.1.& 2
Cometæ anni 1618. hiſtoria, & obſeruationes variæ. Tom. I. 596. col. 1. & 2. & pag. 600. col. 1. & 2. & ſeqq.
Cometarum motus. Tom. I. 596. col. 2. & ſeqq. & pag.602. col.2
Cometas reponendos inter opera æterna naturæ docuit Seneca. Tom. I. 592. col. 2. quibus argumentis? Tom. I. 602. col. 2
Cometæ an cenſendi ſint quaſi quidam veredarij ſeu viatores qui varias ciuitates, Solarem, Canicularem, Acturiam &c. luſtrent? *ibid.* col.1
Cometæ an aliquod malum imminens præſagiant. Tom. I. 603. col.2
Compreſſio partium in concretis quomodo fiat. Tom.I. 181. col.1
Concordiam quo pacto ciues ſuos Heraclitus docuerit? Tom. I. 64. col. 2
Concretum nihil eſt abſolutè continuum Tom. I. 263. col. 1. & 2. nec abſolutè leue. Tom.I. 164. col.2
Condenſatio & Rarefactio non poſſunt fieri ſine Vacuo. Tom. I. 97. col.2
Coniuncta & Euenta Lucretio Accidentia. Tom.I. 312. col.2
Conſilium aureum Cyneæ, Pyrrho bellum aduerſus Romanos cogitanti. Tom. II. 158.col.1. & 2
Conſtantia quid? Tom. II. 163. col. 2. An Conſtantia & perſeuerantia ſint ſynonyma. *ibid.*
Conſtantia mira Canij in ipſomet mortis ſupplicio. Tom. II. 32. col.2
Contemplatiua vita præfertur Actiuæ. Tom. II. 209. col.2
Continuum non eſſe diuiſibile in infinitum. Tom. I. 217. col. 1. & 2. & pag. 239. col. 1. & 2
Continuum propriè eſt ſola Atomus. Tom. I. 263. col. 2
Continui definitio ab Ariſtotele allata, non eſt phyſicè vera. *ibid.*
Contradictionum prætextu, aſſerere Deum non poſſe quidpiam facere, minus eſt religioſum. Tom.I. 263. col. 1
Contradictoria duo poſſe Deum facere, non eſt negandum abſolutè. Tom. II. 59. col.1
Copernicus terræ motum ſuperiori ſæculo inſtaurauit. Tom. I. 422. col. 2. Quid ex antiquis mutuatus in ſuæ opinionis firmamentum. Tom. I. 423. col. 2.

& ſeqq. Eius opinio vt probabilis defenditur. Tom.I. 427. col.1. & ſeqq.
Copernici primi ſectatores. Tom.I. 424.col.2
Copernicano telluris motui quæ obiiciantur? Tom. I. 431. col. 1
Corpus quid? Tom.I.95.col.1
Corporum proprietas, tactus. *ibid.* & 158. col. 1. & 2
Corpus, quo intra ſe plus vel minus inanis habet, eò leuius, vel grauius eſt. Tom.I. 98. col.1. & 2
Corpus vnumquodque tantum habet extenſionis, ſiue quantitatis, quantum materiæ. Tom. I. 162. col. 1
Corpora omnia per ſe grauia, tenderéque deorſum cenſuit Epicurus. Tom. I. 168. col.1
Corporum impenetrabilitatis primaria cauſa. Tom. I. 163. col.1
Corporis indolentiam cum animi tranquillitate in ſocietatem accerſere, non indignum. Tom. II. 113. col. 1
Corpora quinque diuerſa è ſolo vino, aut tritico poſſunt educi, in vaſe vitreo à ſe inuicem ſeparata. Tom.I. 333. col.1
Corporum læuor & aſperitas. Tom.I. 164.col.2
Corruptio, quid? Tom. I. 206.col.2
Corruptionem vnius eſſe generationem alterius, quo ſenſu? Tom.I. 213. col. 1. An in corruptione reſolutio fiat vſque ad materiam primam. Tom. I. 212. col. 1
Corruptioni quantùm debeamus. Tom I. 434. col. 2
Crepuſculum apud Hiſpanos ad littus Oceani nullum fieri, quòd Sol in mare demerſus extinguatur tradidit Artemidorus. Tom.I. 410. col. 1
Criterium, quid ſignificet? Tom.I. 71. col.1. Organum, inſtrumentumve iudicandi. *ibid.* Triplex; à quo, per quod, ſecundum quod. *ibid.* & 72. col.2
Criteria tria ſunt in Canonica: ſenſus, anticipatio, paſſio. Tom. I. 72. col. 2. & 90. col. 2. Criterium primum, ſenſus eſt, primuſque ad ſcientiam gradus. Tom.I. 76. col.1
Criterium ſecundum, anticipatio. Tom.I. 79.col.2. & 90. col.2
Criteriorum Canones. Tom.I. 90.col.2
Cryptæ ſubterraneæ non ſunt hyeme calidiores quàm æſtate. Tom.I. 551.col.2
Cucumeri ſi admoueatur oleum, auerſatur: retróque deflectitur. Tom.I. 264. col.2
Cupiditatum tria genera; aliæ enim ſunt naturales & neceſſariæ; aliæ naturales & non neceſſariæ; aliæ demum nec naturales nec neceſſariæ. Tom. II. 73. col.1. & 82. col.2
Cuſtodem ſibi quiſque imponat. Tom. II. 293. col.2
A Cyrenaicis in quo differat Epicurus. Tom.II.262.col.2

D

DÆmonis etymon. Tom. II. pag. 249. col. 2
Dæmones à Philoſophis admiſſi. Tom.II.251.col.1
Dæmones mediæ quædam inter Deos, hominéſque naturæ. Tom. II. 250. col.1. & 2
De Dæmonibus Pythagoræ, Platonis, aliorum opinio. Tom. II. 249. col.2
Dæmones negauit Epicurus. Tom.II. 248.col.2
Declinatio acus nauticæ. Tom. I. pag. 201. col. 2. Vide *Magnes.*
Definitio rei omnibus perſpectæ, qualis eſſe debeat. Tom. I. 81. col.1
Definitio hominis ex Democrito. *ibid.*
Democratia. Tom. II. 252. col. 1
Democriti caligo, ſeu cæcitas. Tom. I. 64. col.2
Democritus, aliis operosè hominem definientibus, ſic definiit, *Homo eſt id, quod omnes ſcimus.* Tom. I. 81. col. 1
Democritus de Atomis an primus diſputauerit. Tom. I. 101. col.1
Democriti de fato opinio. Tom.II. 230. col.2
Demonſtrationem eſſe, quo argumento dogmatici probant in ſcepticos? Tom.I. 78.col.1
Denarij Romani pondus, valor, &c. *Vide in Appendice* 1. Tom. II. 817. col.1. & 2
Denſum eſt id quod materiæ multum obtinens, occupat tamen parum loci. Tom. I. 159. col. 1. Vide *Rarum, Raritas.*
Denſum, aut rarum nil poteſt fieri ſine Inani. Tom. I. 104. col.2. & ſeqq. & 158.col.2
Deſidioſus naturâ an vacare literis debeat? Tom. II. 143. col.2
Deteriora ſequi, qui videt meliora, an poſſit? Tom.II. 222. col.1
Dei notitia mentibus hominum inſita. Tom. II. 40. col. 2
De Deo vera ſentienda. Tom. II. 36. col. 2. Notitia exiſtentiæ Dei. Tom. II. 37. col. 1. Dij apud Ethnicos quales? Tom. II. 49. col.2
Deum eſſe perſpicuè oſtendit Mundi ordo mirificus, tam concinna rerum omnium diſpoſitio, &c. Tom.II. 43. col.1. & 2
Deus quâ formâ noſcatur. Tom.II. 44. col.1. In ſenſum non cadit. *ibid.* col. 2. Non ſcitur quid ſit, ſed potiùs quid non ſit. *ibid.* Philoſophorum variæ de natura diuina opiniones. Tom. II. 45. col. 2. Deum incorporeum qui dixerunt omnium digniſſimè de eo ſenſerunt. Tom. II. 46. col. 1. Eſſe Deum non corpus, ſed quaſi corpus; non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem, &c. quo ſenſu dixit Epicurus? Tom. II. 48. col. 1. Humanâ formâ Deum concipiendum eſſe tribus rationibus probat Cicero. *ibid.* col. 2. In quo homo Deo ſimilis ſit? Tom. II. 49. col.2. Dei perfectiones. Tom. II. 51. col. 2. Deum eſſe vnum, probatur. Tom. II. 52. col.2. Mundus enim moderatores plures non patitur. Tom. II. 53. col. 1. Deum infinitum eſſe & immenſum probatur. *ibid.* col. 2. Item æternum Tom. II. 55. col.1. Intelligentem, ac Mundi mentem. Tom.II. 56. col. 2. Omniſcium. Tom.II. 57. col.1. Omnipotentem. *ibid.* Bonum, liberum, ſapientem. Tom.II. 58. col. 2. Demùm Beatum. Tom.II. 59.col.1
Deus quomodo poſſit dici eſſe in loco. Tom. I. 320. col.2
Deum non poſſe quicquam facere, contradictionum prætextu qui aſſerit, parum eſt religioſus. Tom. I. 163. col.1
Deum neque irâ tangi, neque gratiâ malè cenſuit Epicurus. Tom.I. 381. col.1. & 2
Deum eſſe authorem mundi aſſeritur multis contra Epicurum. Tom. I. 167. col.2
Deus cur à fabricando Mundo tamdiu abſtinuerit? Tom. I. 372. col. 1
Deo an poſſit competere, fuit & erit? Tom. I. 122. col.2
Deus legibus naturæ ſolutus, nullas ſuæ potentiæ præſcripſit? Tom. I. 162. col. 1. & 624. col. 1
Dei in hominis formatione quàm admiranda induſtria? Tom.I. 359.col.1. & 2
Dei Prouidentia ſumma in Mundi regimine multis ſtabilitur contra Epicurum. Tom. I. 376.col.2
Diuina potentia eò ſe aſſurgit, quò mentis humanæ imbecillitas non pertingit. Tom. I. 162. col.2
Deum ſequere. Tom. II. 207. col.2
Deus orari vult. *ibid.*
Deorum ſimulacra. Tom. II. 42. col.2
Diaphanum. Vide *Perſpicuitas.*
Dialecticam reſpuit Epicurus. Tom. I. 69. col.1
Dialectici iidem qui Megarici, & Eriſtici ſiue contentioſi dicti. Tom.I. 69.col.1. & 2
Dictum, ſeu vocis ſignificatio, quid Stoicis? *ibid.*
Dierum noctiumque inæqualis prolixitas. Tom. I. 471. col. 2
Digiti Ecliptici. Tom.I. 461. col.2. & pag.462. col.1
Diluuium generale quo tota terra aquis abſorbeatur, vi naturæ fieri non poteſt. Tom. I. 518. col.1

Diluuium ab Aſtrologis prædictum, quàm falsò. Tom. I. pag. 488. col. 1
Dimenſiones tres quantitatis, aliæ corporeæ, aliæ ſpatiales. Tom. I. pag. 318. col. 2. & ſeqq.
Dinocrates Architectus. Tom. I. 205. col. 1
Diogenes Laërtius dum Platonis, & Epicuri vitas recenſet, fœminam quandam alloquitur. Tom. I. 67. col. 2
Diogenes Sophiſtæ concludenti quod haberet cornua; Item quod non eſſet motus; quid reſponderit? Tom. I. 83. col. 1
Diogenes de ſui ſepultura nil ſollicitus. Tom. II. 65. col. 2
Diogenes captiuus vendendus, in auctione rogatus quid rerum ſciret agere: Viris imperare reſpondit: Proclama, inquit ad Præconem, ecquiſnam ſit, qui dominum velit emere. Tom. II. 166. col. 2
Diodori argumentum contra motum Tom. I. 240. col. 2. Ab Herophilo Medico lepidè refellitur. *ibid.*
Diodorus, præ pudore, quàm Sophiſma ſoluere non potuiſſet, interiit: ſuâ morte dignus. Tom. I. 83. col. 1
Diophantus, Atomo minor. Lucilij iocus. Tom. I. 107. col. 2
Directio apud Aſtrologos, quid? Tom. I. 496. col. 2
Diſputantium familiare vitium, quòd ab initio non conueniant, quomodo quidque intelligatur: vnde totum diem miſerè diſtrahunt futilibus argumentationibus. Tom. I. 182. col. 1
Diuinatio, diuini vnde dicti? Tom. I. 474. col. 1
Diuinationem apud Ethnicos celebrem reiecit Epicurus. Tom. II. 247. col. 2
Diuinatrices artes variæ. Tom. II. 254. col. 2. & ſeq.
Diuiſibilitas continui in infinitum reiicitur. Tom. I. 216. col. 2. & pag. 239. col. 2. & ſeqq.
Diuitiæ, quibus natura contenta eſt, terminatæ & parabiles ſunt; aliarum nec modus vllus, nec finis. Tom. II. 87. col. 1
Diuitiæ magnæ, paruo viuere. Tom. II. 115. col. 2. & ſeqq.
Diuitias an debeat ſapiens abiicere? Tom. II. 71. col. 2.
Diuitiis maximè fruitur, qui minimè diuitiis indiget. Tom. II. 117. col. 2
Dodecatemoria Zodiaci. Tom. I. 479. col. 2.
Dolor, ſummum malum. Tom. II. 104. col. 1
Doloris amotio, voluptas ſumma eſt. Tom. II. 280. col. 2
Dolor contiuuus non diu perſeuerat. Tom. II. 281. col. 2
Dolor an voluptati præponendus? Tom. II. 96. col. 2. & ſeq.
Dolor forti viro tolerandus. Tom. II. 168. col. 2
Dolus cum hoſte, ſed non malus, ad prudentiam refertur. Tom. II. 157. col. 2
Dominium rerum poſſeſſarum. Tom. II. 148. col. 2
Domini oculus; Domini veſtigia. Tom. II. 143. col. 1
Domus cæleſtes natalitij thematis. Tom. I. 481. col. 2. & ſeqq. Earum nomina. Tom. I. 482. col. 1
Dormientes in ſpelunca ebrij poſt tres dies, ſe vnam noctem dormiſſe ſunt opinati. Tom. I. 324. col. 2
Drachma Græcorum, eiuſdem ponderis ac valoris cum denario Romano. *Append. 1.* pag. 312
Dracones, faces, iacula, in meteoris quid? Tom. I. 609. col. 1
Ductilitas auri tanta vnde? Tom. I. 183. col. 2
Dura quomodo emolliantur? Tom. I. 180. col. 2. & pag. 181. col. 1
Durities, durum, quid? Tom. I. 180. col. 2. Vnde oritur? *ibid.* & ſeqq.

E

EBrietatem perpetuam iis qui bene vixerint, pollicitus eſt Orpheus. Tom. II. 74. col. 2
Eccentrici circuli cur in cælum inuecti. Tom. I. 419. col. 2. & ſeqq.
Echeneis quî nauem detineat. Tom. I. 180. col. 2
Echo quid ſit, & quomodo fiat. Tom. I. 147. col. 2. Comparatur pilæ, luci, imagini è ſpeculo reflexæ. *ibid.*
Echo ad Carentonem eamdem ſyllabam reddens decies ſepties. *ibid.* in Ægypti pyramidibus quinquies. Tom. I. 148. col. 1. in porticu Olympiæ, ſepties. *ibid.*
Eclipſes primus obſeruauit & prædixit apud Græcos Thales Mileſius, apud Romanos Sulpitius Gallus. Tom. I. 461. col. 1. & ſeqq.
Eclipſes ſolebant vulgus hominum terrere. Tom. I. 459. col. 1. & ſeqq.
Eclipſes temporibus certis eueniunt. *ibid.* col. 2
Eclipſes ab hiſtoricis olim memoratæ. Tom. I. 465. col. 1
Eclipſeon obſeruationes ante teleſcopij vſum non fuerunt fidæ. *ibid.* col. 2
Eclipſes Solares & Lunares obſeruandi methodus. Tom. I. 466. col. 2. & ſeqq.
Eclipſis totalis & partialis. Tom. I. 465. col. 1
Ecliptici digiti. *ibid.* & ſeqq.
Eclipſis Solis melius diceretur Eclipſis terræ. Tom. I. 467. col. 2
Eclipſis Lunæ incipit ab ortu, Solis ab occaſu. Tom. I. 464. col. 2
Eclipſis Lunæ niſi in plenilunio, Solis niſi in nouilunio non contingit. Tom. I. 459. col. 2
Eclipſeon variæ obſeruationes. Tom. I. 459. col. 2. & ſeqq.
Eclipſes Stellarum inerrantium à Planetis. Tom. I. 462. col. 2. & ſeqq.
Eclipſeon ſiderum varias cauſas recenſuêre antiqui. Tom. I. 458. col. 1
Eclipſeos Lunæ dici Nouemb. vltimæ anni. Tom. II. 241. col. 2. Obſeruatio. *Append. 1* pag. 324. & ſeqq.
Ecnephias. Tom. I. 538. col. 2
Effata de Sapiente varia. Tom. II. 3. col. 1. & ſeqq.
Electrica quomodo trahant? Tom. I. 185. col. 2
Elementa quot & quænam. Tom. I. 96. col. 1. & 97. col. 2
Elementa ſiue principia dicuntur Epicuro. *Illa ex quibus concretiones fiunt.* Tom. I. 99. col. 2
Elementa quatuor vulgaria, vnde deducta? Tom. I. 393. col. 1. & ſeq.
Elementa quatuor vulgaria ſint, ſi lubet, elementa, ſiue partes componentes mundi, non erunt tamen principia rerum concretarum, niſi ſecundaria. Tom. I. 96. col. 2. & pag. 97. col. 2
Elementa ſiue rerum primordia ſi eſſent mollia, nil poſſet effici durum. Tom. I. 97. col. 2
Elementa Peripatetica refelluntur à Lucretio. Tom. I. 97. col. 2. & ſeqq.
Elementa quatuor vulgaria in vaſculo vitreo variis liquoribus repræſentata. Tom. I. 333. col. 1
Elephas quomodo ſuis grunnitum horreat. Tom. I. 188. col. 2
Empedoclis opinio de membrorum formatione. Tom. I. 357. col. 2. & ſeqq.
Engyſcopio res etiam minutiſſimæ diſtinctæ videntur. Tom. I. 212. col. 1. & pag. 120. col. 1. & ſeq.
Epicurus Atomos, an Leucippus, primus excogitarit? Tom. I. 100. col. 2
Epicurus de grauitate & motu longè meliùs quàm Ariſtoteles philoſophatus. Tom. I. 222. col. 2
Epicurus non ideò inconſtans, quod modò vnam opinionem, modò aliam probet. Tom. I. 425. col. 1. & ſeqq.
Epicurus in quo diſſideat à Stoicis circa voces. Tom. I. 69. col. 2
Epicurus Logicam repulit. Tom. I. col. 2. & ſeq.
Epicurus technas ſyllogiſticas contempſit. Tom. I. 81. col. 2
Epicurus cute diſtentâ deſcribitur à Sidonio Apollinari. Tom. II. 78. col. 1

Index

Epicurus ſtolidus, imperitus, imprudens, quòd Solem tantulum eſſe, quantulus videtur dixerit. Tom.I. pag.403. col.1. Defenditur. Tom.I. pag.404. col.2. & ſeq.

Epicuro [illegible]è obiicitur quod leges & iura à natura ſeiunxerit. Tom. II. pag.192. col.1

Epicuri germana de voluptate ſententia. Tom.II. 178. col. 1. & ſeq.

Epicurus qualem voluptatem beatæ vitæ finem intellexerit. Tom. II. 74. col.1. & ſeqq.

Ab Epicuro multum differt Ariſtippus & Cyrenaici. Tom. II. 262. col.2. & ſeq.

Epicurus & Ariſtippus in ſtatuenda Voluptate longè differunt. Tom II.78. col.2.& pag.80.col.1. & ſeq.

Epicurus Virtutem admittit ac ſummo in pretio habet. Tom. II. 98. col.2

Epicuri victus tenuis commendatur à Porphyrio. Tom. II. 120. col. 2. & ſeq.

Epicurus non toto aſſe paſſebatur, Metrodorus qui nondum tantum profecerat, toto. Tom. II. 126. col.1

Epicurus dolores animi peiores exiſtimauit doloribus corporis; & voluptates animi potiores voluptatibus corporis, ſecùs Ariſtippus ac Cyrenaici. Tom. II. 264. col.2. & ſeqq.

Epicuri de voluptate ſententia variè diſtorta. Tom. II. 81. col.1. & ſeqq.

Epicuri principia alia ab Anaxagoræ principiis. Tom. I. 106. col.1. & ſeq.

Epicuri ratæ ſententiæ. Tom. II. 270. col.2

Epicuri Philoſophiam compendioſam Vide in tota Append. II. Tom. II. à pag. 165. ad fin.

Epicurei ambitione depoſitâ, tranquillitatem ſectantur. Tom. II. 159. col.2

Epicycli quibus Planetis tributi. Tom. I. 420. col. 2

Epicycli Veneris quanta exorbitatio. Tom. I. 429. col.2

Epigramma in Diophantum. Tom.I. 107. col. 2

Eriſtici Philoſophi. Tom.I. 64.col.2

Eruditio, Philologia, Encyclopædia, idem. Tom.I. 63. col. 2

Eruditus quis debeat dici. *ibid.*

Ethices etymon. Tom. II. 1. col. 2. Vide *Moralis Philoſophia.*

Euaporationis rerum cauſa quænam? Tom.I. 107.col.2

Eudoxus Phaëtontis inſtar comburi optauit, modò Solem propiùs intueri daretur. Tom. II. 97. col.1

Euidentia quid? Tom. II. 87 col.2. Lapis eſt Lydius, quo vt veritas, ita falſitas exploranda. Tom. I. 89. col.1

Euidentia quæ per ſenſus habetur, fundamentum eſt omnis ratiocinij de rebus ineuidentibus. Tom. I. 77. col.1. & 2

Exercitus in aëre viſi, conflictus, miſſilia, clypei, &c. fabulæ. Tom.I. 590. col.2. & ſeq.

Exhalatio & Vapor. Tom. II. 510. col. 2. & pag.511. col. 2

Exilium opinione duntaxat malum. Tom.II. 165. col. 2. Splendidæ fortunæ plerumque occaſio. *ibid.*

Experimentum ſingulare quo intra aquam dari ſpatiola inania euincitur. Tom.I. 48. col.1

Experimentum nuperum circa Inane ſeu vacuum, exponitur. Tom.I. 223. col.2.& ſeqq.

F

FAbulas auerſatur ſapiens. Tom. II. pag. 5. col. 2. & ſeq.

Facultas nihil eſt diſtinctum à vi motrice. Tom. I. pag. 165. col. 2. & ſeq. Nulla propriè Facultas niſi actiua. *ibid.*

Facultates eſſe à tota ſubſtantia, quàm abſurdè vulgò admittatur. Tom.I. 166 col.1

Facultatum tanta varietas, vnde? Tom. I. *ibid.* col. 1. & ſeqq.

Falſitas in ſimplici apprehenſione non eſt, ſed in Iudicio ſiue Opinione. Tom. I. 74. col.2 & pag. 90. col. 2

Falſum eſt, quod non, vt dicitur ſe habere, ita ſe habet. Tom.I. 72. col. 1

Ex Falſis ſuppoſitionibus, veræ neceſſariæque concluſiones poſſunt elici. Tom.I. 219. col.2

Famæ curam, quatenus deſpectus non ſit, habebit ſapiens. Tom. II. 20.col.1

Fames quomodo excitetur? Tom. I. 280. col.1

De Faſcino Amoris, & aliis quid ſentiendum. Tom. I. 289. col 2

Fati variæ deſcriptiones Tom. II. 227. col.2. Dupliciter ſumi ſolet; vel vt ſubſtantia, vel vt actus. *ibid.*

Fati appellationes variæ. Tom. II. 228. col. 1

Fati nomen anilis plenum ſuperſtitionis. Tom.II. 227. col.2

De Fato capitales duæ opiniones, quarum vna fatum eſſe rem diuinam, altera rem merè naturalem docet. Tom. II. 227. col.2. & ſeqq.

De Fato quid ſenſerit Ariſtoteles? Tom. II. 233. col.2. Quid Epicurus? Tom.II. 234. col.2. & ſeq. Laudandus hic quod libertatem aduerſus fati neceſſitatem propugnarit? Tom. II. 235. col. 2.

Fatum defendi poteſt, ſi pro diuinæ prouidentiæ decreto ſumatur, & cum libero arbitrio concilietur. Tom. II. 238. col.2. & ſeqq.

Fatum neceſſitatem omnium rerum actionumque inducit. Tom. II. 238. col.2.& ſeqq. Etiam Deos adſtringit. *ibid.* De eo opinio Democriti. Tom. II. 230. col.2. & ſeq.

Facis ſiue Phænomeni flammei obſeruatio. Tom.I. 609. col.1

Febriens cur amara ea iudicat, quæ ſanus dulcia. Tom I. 157. col.1

Febrim perpetuam ad bibendum ſuauius optabat quidam miles Gallus. Tom. II. 169. col.1

Felicitas quid ſit: Tom. II. 32. col. 2. An à ſummo bono differat. *ibid.* Ad eam quæ requirantur? Tom.II. 34. col.2. & ſeqq.

Felicitatem in voluptate, hoc eſt, tranquillitate mentis & indolentia corporis ſitam eſſe. Tom. II. 81. col.1

Felicitas hominis in hac vita quanta? Tom. II. 25. col.1

Felicitas, & quæ ad eam faciunt, meditanda. Tom. II. 35. col.1

Ferrum etiam limâ expolitum, variis foſſulis, cauitatibuſque, quas limæ denticuli fecerint, neceſſariò interciſum eſt & aſperatum. Tom. I. 137. col. 1

Ferrum quomodo à magnete trahatur? Tom. I. 193. col.1

Ferrum non modò ab affrictione ad magnetem, ſed ſponte, & ex ſolo ad terram poſitu vi quadam magnetica præditum, ad boream ſe conuertit, &c. Tom I. 198. col 2

Ferrum candens, cùm ignis non ſit, cur exurere ſtuppam & producere ignem poſſit. Tom. I. 171. col.2

Ferrum candens in aquam immiſſum cur indureſcit magis? Tom. I. 180. col.2

Ferrum faſtigij Campanilis D. Ioannis Aquiſextienſis magneticam vim quî contraxerit. Tom. I. 205. col.2

Ficus quî à caprifico maturetur? Tom.I. 188. col.1

Vt Fidere nimiùm, ſic plerumque nimiùm diffidere nocet. Tom. I. 142. col.1

Figura phiſicè ſpectata, nihil eſt aliud quam ſuperficies corporis. Tom. I. 164. col.1. Probatur exemplo ſigilli in cera expreſſi. *ibid.*

Figura reale nihil eſt præter ipſum corpus. *ibid.*

Figurarum, vel in ipſis atomis quàm multiplex varietas. Tom. I. 113. col.2

Figura tam viſu quàm tactu percipitur. Tom. I. 158. col.1

Figuræ

Digitized by Google

Figuræ peculiares rerum omnium. Tom. I. pag. 576. col. 2
Figura mundi quænam? Tom. I. 394. col. 1. & ſeqq.
Figura vnaquæque regularis ſuam habet præ cæteris pulcritudinem, venuſtatem, commendationem. Tom. I. 396. col. 1
Figura tetrahedrica, ſphæricæ omnium maximè oppoſita, ac ad motum ineptiſſima. Tom. I. 372. col. 2
Finis qui, & finis cui. Tom. II. 89. col. 2
Firmitas rerum concretarum, prout opponitur fluiditati, vnde? Tom. I. 175 col. 1
Fiſſilitas. Tom. I. 183. col. 1
Flabellum æſtate quâ ratione faciem refrigeret. Tom. I. 175. col. 2
Flamma è ligno quomodo generetur? Tom. I. 211. col. 1. & Tom. I. 554. col. 1
Flamma candelæ cur noctu eminus maior appareat? Tom. I. 455. col. 1
Cur Flamma maior paruam corripit? Tom. I. 186. col. 2
Flammulæ noctu apparentes, hærenteſque digitorum apicibus, ſi quis apertam manum attollat Rogoni in Prouincia, in atrio domus Toparchæ. Tom. I. 610. col. 1
Flexilia (vt virga, lamina) &c. quomodo poſt deflexionem redeant, ſeu priorem repetant ſitum? Tom. I. 182. col. 1
Fluiditas quid & vnde? Tom. I. 176. col. 2. & ſeqq. In metallo duplex. Tom. I. 177. col. 2
Fluidi & Humidi differentia. Tom. I. 176. col. 1
Fluuiorum origo. Tom. I. 555. col. 1
Folia vnius eiuſdemque arboris inter ſe diſſimilia. Tom. I. 113. col. 1
Folia arboris cuiuſdam hominem fugientis. Tom. I. 264. col. 2
Fontium fluuiorumque origo tribus præcipuis rationibus explicatur. Tom. I. 555. col. 1
Fontes, Putei, cellæ vinariæ non ſunt hyeme, quàm æſtate calidiores, vt vulgo creditur. Tom. I. 170. col. 1
Fontes in verticibus montium, vnde? Tom. I. 557. col. 1
Fons in mari quinquageſimo à littore paſſu ad vſque vnius cubiti ſupra ſuperficiem maris altitudinem erumpens. Tom. I. 557. col. 2
Fons ardens iuxta Gratianopolim. Tom. I. 445. col. 2. Tom. I. 549. col. 2
Fons ἀναπαυόμενος, ſiue alternis quieſcens. Tom. I. 550. col. 1
Fons Collis-martienſis in Prouincia, octies intra horam fluens, totieſque curſum inhibens. *ibid.*
Fons Pireneorum per tres æſtatis menſes, horis ſingulis fluens & reſiſtens. *ibid.* col. 2
Fons Ammonius interdiu frigidus, noctu feruens. *ibid.* fortè fictitius. *ibid.*
Fons Epiri gelidus immerſas faces extinguit, extinctas accendit. Tom. I. 549. col. 2
Fontis Morienſis aqua, duodecies aquâ maris ſalſior. Tom. I. 569. col. 1
Forma an ſit quædam ſubſtantia, quæ per generationem oriatur; per corruptionem intereat. Tom. I. 209. col. 2
Formam non educi è potentia materiæ. *ibid.*
Forma quo, ſenſu motus ſit principium? Tom. I. 235. col. 1
Formicæ & Apes, cùm tantùm ſapiant, malè inter imperfecta animalia recenſentur. Tom. I. 336. col. 2.
Fortitudo quid? quomodo definiatur? qui illius actus, quæ extrema? Tom. II. 160. col. 1. & ſeq.
Fortitudo non ex malis leuiculis, ſed ex arduis ſolùm ac difficilibus enitefcit. *ibid.* col. 2
Fortis vir qui habendus. Tom. II. 162. col. 1
Fortuna quid ſit? Tom. II. 224. col. 2. Fortuna à Caſu in quo differat. Tom. II. 225. col. 1
Fortuna & Natura Epicuro aliiſque ſynonyma. Tom. I. 366. col. 2. Tom. II. 225.
Fortuna eſt concurſus variarum cauſarum abſque mutuo conſilio factus, adeò vt ſequatur euentus fortuitus, ac minimè intentus. Tom. II. 225. col. 2. & Tom. II. 230. col. 2
Fortunæ Templa, Bonæ, Malæ, Blandæ, Auerruncæ, Caluæ, Equeſtris, &c. Tom. II. 226. col. 2
Fortuna quàm malè Dea, Deuſve antiquis dicta? *ibid.*
Fortuna Homero innominata. Tom. II. 224. col. 2
Fortuna Sapienti rarò interuenit. Tom. II. 247. col. 1
Aduerſus Fortunam qui comparatus ſapiens? Tom. II. 287. col. 2
Fractilitas. Tom. I. 183. col. 2
Friabilitas. *ibid.*
Frigus an ſit qualitas vera & poſita, an ſolum mera caloris priuatio? Tom. I. 175. col. 2
Frigoris proprium eſt congregare, & compingere. Tom. I. 172. col. 2
Frigoris Atomi quales, cuiuſve figuræ? *ibid.*
Frigore congelata poma, membra, cæteraque, quomodo degelari citra corruptionem poſſint. Tom. I. 173. col. 2. & Tom. I. 190. col. 2
Frigus penetrabile qui aduerat? Tom. I. 173. col. 1
Frigus qui aliquando non perſentiſcant Operatiorum manus? Tom. I. 175. col. 2
Frigus quomodo tremorem, horroremque in membris cauſet? *ibid.* quomodo mortem? *ibid.*
Quodnam eſt primum Frigidum? Tom. I. 173. col. 2
Fructus quomodo maturentur, ac ex acerbis euadant dulces? Tom. I. 270. col. 1
Fulgur quid? & quomodo fiat? Tom. I. 533. col. 2. & ſeq.
Fulgur ſiue coruſcatio cur Tonitru præueniat? Tom. I. 537. col. 2
Fulmen quid? quomodo fiat? Tom. I. 526. col. 2
Fulmen ſiue fulmineus ignis non ex nubibus, ſeu medio ex aëre in terram deſilit, ſed ibi erumpit vbi ſtrages edit. Tom. I. 529. col. 2
Fulminum effectus mirabiles. Tom. I. 530. col. 1
Fulmineus lapis, an detur? Tom. I. 531. c. 2
Fulmina quid portendant? Tom. I. 538 c. 1
Fulmen plerumque nocentes præterit, inſontes ferit. Tom. I. 376. col. 1. & loca ſacra. *ibid.*
Fumus titionis quantum ſpatium peruadit. Tom. I. 121. col. 1.
Funis, vide *Chorda.*
Furor diuinus. Tom. II. 260. col. 1
A Futuri ſpe non pendendum. Tom. I. 71. col. 2. & ſeq.
Futura Sapiens expectat, nec ab iis pendet. *ibid.*

G

Galaxis. Vide *Via Lactea.*
Galenus de partium vſu quàm rectè diſſeruerit? Tom. I. 355 col. 2.
Galeni locus inſignis de opinione Epicuri Qualitates reiicientis. Tom. I. 12. col. 2
Galilæus experientiâ & ratione oſtendit proportionem accelerationis motus rerum decidentium. Tom. I. 249. col. 1
Galli cantus nocturnus & verſus auroram explicatur. Tom. I. 186. col. 1
Galli cantus Leonem quî terreat? Tom. I. 188. col. 2
Gaurici de Henrico II. vaticinium. Tom. I. 504. col. 2
De Generatione & Corruptione. Tom. I. 206. col. 1
Generatio, quid? *ibid.* quomodo fiat? Tom. I. 209. col. 1
Generatio rei merè corporeæ non fit acceſſu formæ, quæ ſit noua ſubſtantia. *ibid.*
Generatio animalis quomodo fiat? Tom. I 350. col. 2
Generatio (vt & Corruptio & Alteratio) fit vel ſolâ partium tranſpoſitione; vel additione accedentium,

 vel

vel abiectione præexiſtentium. Tom. I. pag. 214. col. 1. Generationis modi innumeri. *ibid.* col. 2
Geneſis Mundi à Moſe deſcripta ad literam accipienda. Tom. I. pag. 322. col. 2.
Genethliacæ prædictiones quàm variæ. Tom. I. 493. col. 1
Genij mali, Cacodæmones Ethnicis noti. Tom. II. 253. col. 1
Genios ſiue Dæmonas negauit Epicurus. Tom. II. 249. col. 1
De Genio Bruti toties recantato quid ſentiendum? Tom. II. 257. col. 2. Item de Genio Socratis. Tom. II. 258 col. 2
Geometricæ ſuppoſitiones non poſſunt perpetuo transferri in Phyſicam. Tom. I. 219. col. 2
Glacies quomodo concreſcat? Tom. I. 572. col. 2
Glacies, dum flumen congelaſcit, incipit à ſuperficie. Tom. I. 574. col. 2
Glacies qui poſſit in mediis æſtatis feruoribus parari. Tom. I. 174. col. 2. & Tom. I. pag. 522. col. 2. & Tom. I. 573. col. 1
Glacies quomodo ligno ita conglutinetur, vt ſeiungi ab eo non poſſit? Tom. I. 573. col. 1
Globulus vnus, digitis medio, indiceque decuſſatis, intertractatus, duplex tactui apparet. Tom. I. 87. col. 2
Globus è Luna, Sole, Fixis in terram cadens, quanto tempore decideret. Tom. I. 251. col. 2
Gorgias ob ſtatuam ſui auream Delphis conſecratam, à Platone imperitus. Tom. I. 64. col. 1
Gorgiæ Leontini ſenectus optanda. Tom. II. 71. col. 2
Grando quomodo fiat? Tom. I. 573. col. 2. & ſeq.
Grana nulla, quamvis einſdem generis, inter ſe ſimilia. Tom. I. 112. col. 2
Gratitudo mater reliquarum virtutum à Cicerone dicta. Tom. II. 206. col. 2
Grauitas lapidi inſita, quid? Tom. I. 244. col. 1. Graue Fertur in terram per ſe, non in centrum Terræ. Tom. I. 245. col. 1
Grauitas duplex; ſimplex & adiectitia. Tom. I. 252. col. 1
Grauitas omnis ex Atomis. Tom. I. 167. col. 1
Grauitas corporum ex minore vel ampliore Inani. Tom. I. 98. col. 1. & 2
Grauitas non tam videtur qualitas ipſis grauibus inexiſtens, quàm vis impreſſa ex attractione magneticè factâ ab ipſa Tellure. Tom. I. 167. col. 2
Grauitas non eſt inſita, ſed impreſſa extrinſecùs vis. Tom. I. 245. col. 1
Guſtationis ſenſorium, lingua, & palatum. Tom. I. 156. col. 1

H

Habitus quid? Tom. I. pag. 166. col. 2. quomodo comparetur, ſiue gignatur? *ibid.* An etiam in plantis? Tom. I. 167. col. 1
Halinitrum frigidum. Tom. I. 174. col. 1. Tom. I. 522. col. 2. Vniuerſa à ſe contacta refrigerat? *ibid.*
Halo, quid, & quomodo fiat? Tom. I. 584. col. 1. Illius diameter eſt diametri Iridis dimida. Tom. I. 555. col. 2. quid ſignificet? *ibid.*
Hamadryadum longæua vita. Tom. II. 66. col. 2. & Tom. II. 251. col. 1
Haruſpices & Augures contempti. Tom. II. 255. col. 2
Hebetudo corporum, vnde? Tom. I. 164. col. 1
Heden Hebræum quid ſignificet? an ab eo *ἡδονὴ*; Tom. II. 74. col. 2
Helena, infauſtum nautis ſignum. Tom. I. 610. col. 2
Heliotropicarum plantarum ad Solem conuerſio. Tom. I. 86. col. 1. & Tom. I. 264. col. 2
Hemina, Romanis dimidium Sextarij, ſiue duodecima pars congij, à Pariſino ſemiſextario non multum diſcrepans. Tom. I. 65. col. 1
Heraclitus concordiam ciuibus quo pacto perſuaſerit? Tom. I. 64. col. 2
Heracliti Philoſophi liber obſcurus adeò, vt Delio egeret natatore. *ibid.* col. 1
Herba ſentiens, & Mimoſa dicta. Tom. I. 264. col. 2
Herculeus lapis. Vide *Magnes.*
Herilis ſiue Dominica œconomia. Tom. II. 146 col. 2. & ſeq.
Hiatus, foueæ, putei, ſpeluncæ, &c. in meteoris quid? Tom. I. 589. col. 1
Hippocrates quid de partium vſu à natura inſtituto cenſuerit. Tom. I. 355. col. 1
Hiſtorias Thebano aut Troiano bello ſuperiores non eſſe cenſet Lucretius. Tom. I. 329. col. 1
Hiſtoriis fabuloſa multa interſeruntur. Tom. I. 338. col. 2
Hiſtorici plures incredibilium relatu commendationem parant. Tom. I. 507. col. 2
Hominis fabuloſa procreatio. Tom. I. 337. col. 1
Hominis membra, veluti modò manus, modò pedes, aliaſve corporis humani partes è terra emergere, pullulaſcentis herbæ inſtar, ſingulis annis non longè à Cairo Ægyptia ſcribit Camerarius. Tom. I. 338. col. 2
Hominem quomodo Democritus definierit. Tom. I. 81. col. 1
Hominum primæuus ſtatus. Tom. II. 184. col. 2
Homo membratim moritur. Tom. I. 303. col. 1
In Hominem, Naturæ ſæuitia. Tom. I. 382. col. 1
Homo, quàm contempta res, niſi ſe ſupra humana erexerit. Tom. II. 97. col. 1
Honeſti definitio. Tom. I. 94. col. 2
Honeſtum & virtus an ſynonyma? Tom. II. 95. col. 2
Honoris definitio. *ibid.* col. 1
Honoris appetitio an vniuersè damnanda. Tom. I. 96. col. 1
Honor Themiſtocli laborum omnium præmium. *ibid.* col. 2
Horoſcopi vanitas. Tom. I. 493. col. 1
Humidi & fluidi diſcrimen. Tom. I. 176. col. 2
Humor, humiditas, humidum, quid? Tom. I. 178. col. 1. & ſeq.
Humor duplex, aqueus & oleoſus, ſiue macer & pinguis. *ibid.* 179. col. 1. In quo differant, & ex quibus conſtent. *ibid.* col. 1
Hydrargyri pondus ad pondus aquæ ſe habet proximè vt quatuordecim ad vnum. Tom. I. 230. col. 2
Hydrargyri in tubo vitreo experimentum ad probandum vacuum. Tom. I. 224. col. 1
Hylech quid apud Aſtrologos. Tom. I. 497. col. 1

I

IActura liberorum, amicorum, carorum ſapienti quomodo ferenda? Tom. II. 167. col. 1. & ſeq.
Iaculum in Meteoris, quid? Tom. I. 609. col. 1
Ictero laborantibus flaua omnia apparent. Vnde? Tom. I. 143. col. 2
Ignaua ratio circa prædeſtinationem proponitur ac ſoluitur. Tom. II. p. 240. col. 2
Ignauus accedere ad Rempubl. prohibetur. Tom. II. 141. col. 2
Ignis & calor non differunt niſi ſecundum maius & minus. Tom. I. 167. col. 2
Ignem non eſſe rerum omnium elementum. Tom. I. 105. col. 1
Igni maximè contraria eſt aqua, non quòd ſit ſummè frigida, ſed quod ignem extinguat. Tom. I. 574. col. 2
Ignis non tendit ſurſum vi propriâ. Tom. I. 168. col. 2
Ignis ſurſum nitens an celerius moueatur in fine motus, quàm in initio? Tom. I. 246. col. 2
Ignis ex ligno generatio quomodo fiat? Tom. I. 211. col. 1

Ignis

Ignis quomodo contineatur in ligno ? Tom. I. 212. col. 1

Ignis corpuſcula quâ ratione metallum ea compſcto fluidum reddant, Tom.I. 234. col.1 & ſeq.

Ignis ſemina quibus præſertim corporibus inſideant. Tom.I.546. col. 1

Ignem Græcum cur non extinguat aqua. Tom.I. 175. col. 1

Ignis elementi nomine non ſphæram igneam ſub concauo Lunæ, ſed ipſum cælum intellexerunt antiqui. Tom.I. 393. col. 1

Ignis regio dicitur cæli domus. Tom. I. 104. col.1.

Ignis ſphæra ſupra aërem nulla eſt. Tom. I. 173. col.1

Ignem (quem cuſtodiam Iouis & Veſtam, & vnitatem appellarunt) in vniuerſi centro repoſuerunt Pythagoræi. Tom.I. 422. col.1

Ignes ſubterranei. Tom.I. 511. col. 1. ſed abſque flamma. Tom. I. 546. col.1

Ignis cum anima ſimilitudo. Tom.I.168.col.1.& 2

Ignes in tempeſtate gemini, Caſtor, & Pollux: vnicus verò ſi ſit, vocatur Helena. Tom.I.610.col.2

Ignis fatuus ſeu erraticus, quid? Tom.I.607. col. 2

Ignis lambens. ibid.

Ignem fatuum aſſequutum ſe narrat Fluddus, materiamque illius deprehendiſſe non igneam, ſed ſpermatis ranarum inſtar lubricam, viſcoſam, &c. Idem Broſſæus Medicus aſſerit. Tom. I. 608.col.1

Ignominiam quâ ratione ferat ſapiens. Tom. II. 167. col. 1

Ignorantia Iuris neminem excuſat. Tom. II. pag. 299. col. 1

Imaginaria ſpatia admittere nil vetat. Tom. I. 110. col. 1

Imago ſiue ſpecies viſibilis vnde formetur ? Tom. I. 141. col.1. Vide *Species*.

Immenſitas Dei. Tom. II. 52. col.1

De Immortalitate animorum quid cenſuerint veteres Philoſophi? Tom.I. 286.col.1. & ſeq.

Immortalitas animorum pluribus argumentis ſtabilitur contra Epicurum. ibid.

Impenetrationis corporum cauſa primaria non tam videtur eſſe extenſio ſiue quantitas præciſè ſpectata, quàm ſoliditas ſiue corpulentia. Tom.I.163.col.1.& ſeq.

Impietatis erga Deum tres ſpecies diſtinguit Plato. Tom.II. 58. col.1

Inane, quid ? Tom.I. pag.95. col.1. Dari in rerum natura probatur. *ibid.* col. 2.& ſeq. Et Tom.I.223.c.2. & ſeq.

Inane, Locus, Regio, in quo differant? Tom. I. 95. col. 1

Inane duplex; ſeparatum, & interſperſum. *ibid.* col. 2

Inane interſperſum explicatur exemplo aceruí tritici. *ibid.* 96. col.1

Inane dari ex Motu probatur. *ibid.* col. 2

Inane magnitudine infinitum. Tom I. 108. col. 2

Inane non eſt elementum, quamuis ſit pars Vniuerſi. Tom.I. 101. col. 2

Inane non eſt mobile. Tom. I. 96. col. 2

Inane & Locus, idem. *ibid.* 95. col. 1. & p.96.col.1

Sine Inani nihil fit aut rarum, aut denſum. Tom.I. 104. col. 2.& 158.col.2

Inanis interceptio, multa vel pauca, corpus rarum, aut denſum facit ? Tom.I. 158.col.2

Inane quamuis corporibus ſit intermiſtum, non eſt tamen pars eorum Tom.I. 100 col 1

Inane coaceruatum nupero Experimento probatum. Tom. I. 223. col. 2.& ſeqq.

De facto nouo circa Inane Experimento *vide multa in prima Appendice.* 312

Incendia ex materia ſubterranea quomodo excitari poſſint ? Tom.I.647.col.1

Incorpoream ſubſtantiam negantes refelluntur. Tom.II. 47. col. 1

Incorruptum nihil præter Atomos, Inane, & Vniuerſum. Tom.I. 343.col.2

Indifferentia, in qua libertas conſiſtit, quænam Tom.II. 210. col.1

Indiuidui definitio. Tom.I. 313.col. 1.& proprietates. *ibid.*

Indolentiam corporis in ſocietatem cum animi tranquillitate acceſſere, non indignum. Tom. II. 213. col.1

Infamiam qua fortitudine feret ſapiens. Tom.I. 167. col.1

Infantes dum balbutiunt, linguæ, cæterorumque organorum ad vocis articulationem neceſſariorum rigiditatem infringere tentant. Tom. I. 166.col 2

Infinitas corporum poſſibilis. Tom. I. 110.col.1

Infinitatem Vniuerſi quomodo probet Epicurus. Tom.I. 108. col. 2

Infinitum eſſe Vniuerſum & Inanis magnitudine, & Atomorum multitudine docet Epicurus. *ibid.* & ſeqq.

In Infinito infinitates infinitæ poſſintne admitti? Tom.I. 210. col. 1

Infinita vltra mundum ſpatia aſſerere nil vetat. *ibid.* col. 1

Infinitos Mundos abs re aſſerit Epicurus Tom.I. 126. col. 2. quâ ratione. *ibid. verſo.*

Ingrati animi vitium quàm fœdum. Tom. II. 226. col. 1

Inflexio & deflexio quomodo fiant ? Tom. I. 182. col.1

Iniuriam à ſeipſo an quis patiatur? Tom.II 103. col. 2. & ſeq.

Iniuria volenti an fiat? Tom. II. 304. col.1

Iniurias ſapiens rationis conſilio toleat. Tom. II. 3. col.2

Iniuſtitia non ea ſe, ſed ex metu pœnæ eſt mala, quâ ratione explicandum? Tom II. 301. col.2

Iniuſtè agens, nunquam eſt latendi ſecurus. *ibid.* 302. col. 2

Inſomnia quomodo fiant? Tom. I. 281. col. 1.& ſeq.

Inſulæ integræ ſubmerſæ. Aliæ emerſæ. Tom. I. 545. col. 1

Intellectio omnis pendet à ſenſibus. Tom.I. 78. col. 1

Intellectus eſt incorporeus & inorganicus. Tom.I. 594. col.1

Intellectus quomodo iudicet? Tom. II 220. col. 1

Intellectus, Libræ inſtar indifferens. Tom.I. 221. col. 1

Intelligentiæ Peripateticæ Cælos mouentes. Tom. I. 418. col. 1. & ſeqq.

Intelligentias beatas cælis mouendis deputari, vt iumenta molis truſatilibus indignum. Tom. I. 440. col.1

Intelligimus omnia aut comprehenſione, aut proportione ad comprehenſa. Tom.I 78.col. 1

Intermundia Epicuri. Tom. I. 398.col.2

In Intermundiis Epicurus Deos habitare cenſuit. Tom.I. 399.col.1

Inuenta noua poſteriorum temporum. Tom. I. 319. col 1

Iocus alius ingenuus, alius illiberalis. Tom. II. 179. col. 1

Ira à Diis aliena. Tom. I. 271. col. 2

Ira temperata an potiùs probanda quàm nulla. Tom. II. 175. col. 2. Ira immodica gignit inſaniam. *ibid.* Ira, breuis furor. *ibid.*

Iraſci an honeſtè liceat? *ibid.*

Iris admirationis filia. Tom. I. 581. col. 1. Iridis colores varij. *ibid.* Colorum ordo in Iride. *ibid.* Iridis cauſa. *ibid.* col. 2. Iris autem generatur in regione Soli oppoſita, vt ſi linea à Sole in noſtrum ducta oculum continuari intelligatur, tranſitura ſit per Iridis centrum. Tom. I. 582. col. 2. Quando Iris appareat ſemicirculo minor, maior, aut æqualis? *ibid.* 583. col. 1. Iridis diameter quanta. *ibid.*

Iris quid portendat? *ibid.* col. 1

Iris

Iris Lunaris an detur? Tom. I. 584. col. 1
Iſonomia, quid? Tom. I. 77. col. 2 quodnam probationis genus? Tom. II. 43. col. 1
Iucundè viui non poteſt, niſi ſapienter, honeſtè, iuſtéque viuatur; neque ſapienter, honeſtè, iuſtè, quin viuatur ſimul iucundè. Tom. II. 278. col. 1. & ſeq.
Iucundum & Bonum, ſynonyma. Tom. II. 92. col. 2
Iupiter cur Deus habitus? Tom. II. 39. col. 2. Iouis in Creta Inſula ſepulcrum. ibid. 40. col. 1
Iupiter admodum decreſcit, cùm non multum à Sole abeſt, vnde niſi diſtet ab eo decem gradibus, non apparet? Tom. I. 415. col. 1
Iouis aſſeclæ, Stellæ Mediceæ. Tom I. 470. col. 1
Ius quid ſit, & vnde oriatur? Tom. II. 182. col. 2. an Iuſtitiâ antiquius? ibid. Tom. I. 183. col. 1. Ius ars boni & æqui. ibid.
Ius naturale dicendum potius foret Ius animale. Tom. II. 194. col. 1. & ſeq. Et Ius gentium, Ius humanum. ibid. col. 2
Ius aliquando pro facultate, aliquando pro lege acceptum. Tom. II. 194. col. 1
Ius quatenus eſt lex, videtur non poſſe propriè aliud ius, quàm quod Ciuile eſt, appellari. Tom. II. 195. col. 1
Iuris naturalis capita quædam generaliora. Tom. II. 196. col. 1. & ſeqq. I. Vt quod ſibi bonum, quod commodum quiſque proſequatur; quod malum, incommodúmque fugiat. II. Quiſque ſe amat pluſquam cæteros, ac ſibi bene quàm alteri mavult. III. Vitam producere, & membrorum ac facultatum omnium integritatem omnes volunt. IV. In Societate quiſque degere vult. ibid.
Ius naturæ primarium, & ſecundarium. Tom. II. 190. col. 1
Ius naturale gentium & ciuile. Tom. II. 193. col. 2
Ius an ab vtilitate originem duxerit? Tom. II. 183. col. 1
Ius ſiue Iuſtum naturale eſt teſſera vtilitatis, eò ſpectans vt homines mutuò neque lædant, neque lædantur. Tom. II. 299. col. 2
Iuſtitia in genere. Tom. II. 179. col. 2. Iuſtitiæ definitio., diuiſio, præcepta, munia, &c. Tom. II. 180. col. 1. & ſeq.
Iuſtitia commutatiua & diſtributiua. ibid. 182. col. 1
Iuſtitia per ſe nihil eſt, ſed ſolùm in mutuis hominum ſocietatibus. Tom. II. 302. col. 1
Iuſtum vniuersè idem apud omnes gentes. Tom. II. 304. col. 1. & 2
Iuſtus eſt maximè omnium à perturbatione immunis: iniuſtus perturbationis pleniſſimus. Tom. II. 288. col. 2
Iuſto lex non eſt poſita. Tom. II. 198. col. 2

K

KEpplerus vice Eccentricorum & Epicyclorum vulgarium introduxit ſolertiſſimè circumductus Ellipticos ſiue Ouales. Tom I. 438. col. 1
Kepplerus Planetas eſſe animatos docet. Tom. I. 438. col. 2

L

LAc quomodo coaguletur? Tom. I. 178. col. 1
Lactantius tempore iam ſuo Mundi durationem vltra ducentos annos non extendit. Tom. I. 345. col. 1
Lactantio multa in Atomos obiicienti fit ſatis. Tom. I. 107. col. 1. & ſeq.
Lacus quidam dulces, alij ſalſi. Tom. I. 571. col. 1
Læue nihil eſt abſolutè præter Atomum. Tom. I. 164. col 2
Lanæ laxioris vel preſſioris ſimilitudine explicatur rarefactio & condenſatio. Tom. I. 160. col. 1
Lapis quomodo feratur deorſum. Tom. I. 244. col. 1
Lapis ſurſum obliquè proiectus, parabolicam lineam deſcribit, ex Galileo. Tom. I. 254. col. 2
Lapis cur difficillimè igneſcit? Tom I. 170. col. 2
Lapis fulmineus an detur? Tom. I. 531. col. 2 In Borrilliano cimeliarcho celebris. ibid.
Lapidum pluuia. Tom. I. 519. col. 2. & Tom. I. 574. col. 2
Lapis Anaxagoreus celeberrimus. Tom. I. 533. col. 2
Lebetis fundum, cur aquâ intus bulliente non incaleſcit? Tom. I. 170. col. 1
Leo qui à Galli cantu terreatur? Tom. I. 188. col. 2
Leucippus an Atomos primus excogitarit? Tom. I. 100. col. 2
Leuitas, non eſt vis ſiue qualitas ingenita, ſed potiùs vis extrinſecùs impreſſa. Tom. I. 168 col 1
Legis variæ definitiones. Tom II. 195. col. 2
Lex diuina, eſt pactum inter Deum & homines initum. ibid. col. 2
Lex Naturæ, æterna. Tom. II. 196. col. 1
Lex non eſt poſita iuſto. Tom. II. 198. col. 2
Leges in ſapientum gratiam conditæ, non ſanè ne iniuſtè agant, ſed ne iniuſtè in ipſos agatur. Epicurus. ibid.
Lege dicitur eſſe color, lege candor, lege dulcor, lege amaror, lege calor, lege frigus, &c. quo ſenſu? Tom. I. 155. col. 1
Libri de mundo, qui vulgò Ariſtoteli tribuitur, auctor Poſidonius Stoicus. Tom. I. 392. col. 2
Libera actio & ſpontanea in quo differant? Tom. II. 219. col. 1
Liberum & libitum differunt. ibid. col. 2
Liberum arbitrium in homine eſt, quatenus ea pluribus rebus in deliberationem cadentibus, non ita vnam eligit, quin vel ipſam negligere, vel eligere aliam poſſit. ibid. col. 1
Liberalitas & beneficentia. Tom. II. 213. col. 2
Liberorum erga parentes pietas. Tom. II. 208. col. 2
Libertas, ſiue liberum arbitrium, quid? Tom. II. 217. col. 2. Idem cum ratione, conſilio, propoſito. Tom. II. 218. col. 1
Libertatis natura in quanam indifferentia conſiſtit. Tom. II. 220. col. 1
Libertas arbitrij cum diuina prænotione conciliatur. Tom. II. 238. col. 2. & ſeq.
Ligaturæ ad impotentiam venereorum, nugæ. Tom. I. 189. col. 1
E Ligno quomodo flamma generetur? Tom. I. 211. col. 1
Linea poſſitne phyſicè diuidi in duo ſegmenta æqualia? Tom. I. 220. col. 1
Linea recta calamo ducta per cartam politam, mirè intercisa. Tom. I. 240. col. 2
Liquidum, vide *Fluidum*.
Literæ ſiue elementa ſcripturæ innumerabilem dictionum diuerſitatem creant, Atomis ſimiles. Tom. I. 123. col. 2
Ex Literis variè commiſtis quanta vocum diuerſitas. Tom. I. 114. col. 2
Lixiuium ac ſapo cur oleum ex panno eluant, non ſimplex aqua? Tom. I. 179 col. 1. & Tom. I. 190. col. 2
Locus, regio, inane, in quo diſcrepent? Tom. I. 95. col. 1
Locus nil aliud eſt quàm interuallum, ſeu ſpatium. Tom. I. 316. col. 2
Locus eſt quid incorporeum. ibid. 317. col. 1. Ab Ariſtotele malè definitur. ibid. Locus neque eſt ſubſtantia, neque accidens. ibid. 318. col. 2. Eſt extra categoriam. Tom. I. 318. & 323. col. 1. Eſt illimitatus. ibid.
Locus dimenſiones habet permanentes; tempus ſucceſſiuas. ibid. & ſeq.
Locum malè definiuit Ariſtoteles. Tom. II. 96 col. 1
Locus vi nullâ interrumpi poteſt. Tom. I. 383. col. 1
Locus & inane idem. Tom. I. 95. col. 1
Logicam reiecit Epicurus. Tom. I. 68. col. 1
Loquacitate nil importunius. Tom. II 178. col. 1

Lucida

Lucida à nobis viſa aliquando tanta apparent quanta ſunt, aliquando maiora, aliquando minora. Tom.I. 405. col. 1
Lucida cur noctu eminuſque ſpectata, maiora nobis apparent? ibid.
Luna eodem die vetus ac noua. Tom I. 415. col 1. Debet ſaltem ſeptem gradus cum ſemiſſe diſtare à Sole vt ſit conſpicua, cùm aliquando non appareat niſi ab eodem abſit, ſigno integro cum triente. ibid. col. 2
Lunæ ſemidiameter quanta? Tom.I. 453. col. 2
Lunæ diameter noctu deprehenſa maior quàm interdiu, eodem organo ſpectata. Tom.I. 405. col. 2
Lunæ lux duplex, primaria à Sole, ſecundaria à terra. Tom I. 447. col 1. & ſeq.
Lunæ phaſes variæ: quomodo dictæ Græcis & Latinis. ibid. & ſeq.
Lunam obturatione & reſeratione rotundi foraminis deficere, creſcere & minui cenſuit Anaximander. Tom.I. 448. col. 1
Lunæ ſuperficiem non eſſe terſam & politam, ſed ſcabram & inæqualem, ex lucis reflexione probatur. Tom. I. 450. col. 1
Lunæ facies maculoſa pluribus explicatur. Tom.I 451. col. 2. & ſeq.
Lunæ maculæ quid? variæ antiquorum opiniones Tom. I. 452. col. 1. & ſeq. Aliæ perennes, aliæ temporaneæ. Tom. I. 453. col. 1. Caſpia. ibid. Temporaneæ. Tom. I. 454. col. 1. Candida ad ortum. Tom.I. 455. col. 2
In Luna maria, montes, rupes, &c. Tom.I. 453. col. 1 & ſeq. Montes ipſo Olympo altiores quadruplo. ibid. col. 2
In Luna Penetrale Hecates, in quo animæ plecterentur. Tom. I. 452. col. 1
Luna eſt in perpetuo libramento, cuius menſtrua ferè eſt periodus. Tom.I. 452. col. 2
Lunæ ortus Heliacus veſpertinus eſt, Occaſus, matutinus. Tom. I. 414. col. 2
Lunæ color per eclipſin varius oſtendit ſecundariam illius lucem non eſſe ei propriam ac natiuam. Tom I. 450. col. 2. & 465. col. 1
Lunæ plures viſæ. Tom.I 588. col. 1
E Luna globus decidens, quot horis in Terram deſcenderet. Tom.I. 251. col. 2
Lupus Ouem amat, non odit. Tom. I. 188. col. 1
Lupus quo pacto raucedinem inducere poſſit, ac ſi prior hominem viderit ipſius linguam præpedire? ibid. col. 2
Lux eſt corpus. Tom.I. 542. col. 1. Lucem malè definit Ariſtoteles. ibid.
Lux, perſpicui motio. Tom.I. 442. col. 2
Lux Solis, vnde, & quid? Tom. I. 442. col. 1. an reparetur? ibid. an tandem exhaurienda? ibid. & ſeq.
Lucis radij comparantur virgulis aquæ è tubo exſilientis. Tom.I. 142. col. 1
Lux creat variatque colores. Tom. I. 148. col. 1
Lucis radius reflexus, non minùs vegetus quàm directus. Tom.I. 142. col. 1
Lux quæ in ipſo eſt medio non videtur. ibid. col. 2
Lux primaria, ſecundaria, tertiaria, &c. ibid. col. 1
Luxurioſis non patrocinatur Epicurus. Tom. II. 184. col. 1

M

MAculas in Sole obſeruare licet. Tom. I. 402. col. 1
Maculæ Lunæ, Solis, &c. Vide *Sol*, *Luna*.
Magia, præſtigiæ, incantamenta Ethnicis nota. Tom.II. 251. col. 2
Magnanimitas, quid? Tom. II. 163. col. 2
Magnes deſcribitur. Tom.I. pag. 192. col 2. Varia eius nomina. ibid. Magnes vnde dicatur? ibid. *Amant* apud Gallos cur dictus? ibid. duplici pollet virtute, 1. ferrum ad ſe trahendi. 2 verſus polos ſe, ferrúmque dirigendi. Tom. I. 193. col. 1. Poſterior hæc virtus à quatuor duntaxat ſæculis nota ibid. Illius inuentio ad annum 1206. & ad Gallos referenda. ibid. Huius virtutis directricis quænam cauſa? ibid. Quâ vi ferrum trahat. ibid. col. 2. Magnes tantò vegetior, quantò profundiùs eruitur. Tom. I. 198. col. 1. Globo Terræ ſimilis, vtpote ſuum habens æquatorem, ſuos polos, parallelos, meridianos. &c. ibid. & ſeq. Vis magnetica habet quid analogum vitæ, animæque plantarum. Tom I. 200 col. 2. Item ſenſui. T.I. 202. col. 2. Magnetis declinatio, quid, & vnde? Tom.I. 201. col. 2. Varia in eodem loco, diuerſis temporibus Tom.I. 103. col. 1. Attractio Magnetis fit quibuſdam quaſi catenulis. Tom.I. 204 col. 2 Radij Magnetici ſubtiliores ac potentiores lucidis, quippe qui etiam marmor peruadant. Tom.I. 203 col. 2. Magnetis circumradioſa attractio. ibid. Magnetis qualitas biformis. Tom.I. 204. col. 1. Magnetis poli nunquam commutantur, ſecus verò cuſpides acus ferreæ affrictæ. ibid.
Tom. II.
Magnes ferro armatus quantùm corroboretur. Tom. I. 205. col. 2. Magnes tripolaris. ibid.
Magnes debilis quâ ratione ferrum à valido potentiorique abducat. Tom.I. 206. col. 1
E Magnete corpuſcula emittuntur quæ attrahunt. Tom.I. 145. col. 2. & ſeq.
Magnetica vis Terræ. ibid.
Magnitudo abſoluta, idem cum quantitate ſine extenſione. Tom. I. 158. col. 2
Magnitudinem non eſſe infinitè diuiſibilem. Tom. I. 216. col. 2
Magnificentia quid? Tom. II. 163. col. 1
Magnificentiâ iucundiſſimè fruuntur; qui eâ minimè indigent. Tom.II. 117. col. 2
Mahomethi ſepulchrum inter æquas magnetum vires ſuſpenſum fabuloſè narratur. Tom. I. 204. col. 1. & ſeq.
Mala publica vnumquemque afficiunt, quatenus priuatim in ipſum redundant. Tom. II. 165. col. 1
Mala externa in publica & priuata diſtingui ſolent. Tom. II. 164. col. 2. Publica ſunt Bellum, Tyrannis, euerſio patriæ, peſtis, fames, &c. Priuata exilium, carcer, ſeruitus, ignominia & alia. ibid.
Mala, externa dicta, non ſunt re ipsâ mala, ſed opinione tantùm. ibid. col. 1
Malorum futurorum præmeditatio leuit eorum aduentum. ibid.
Mammillares proceſſus, organum olfactiuus. Tom. I. 154. col. 1
Manichæi, florem aut fructum decerpere, homicidium cenſuerunt. Tom. I. 263. col. 1
Manna, vnde ſic dictum? quid ſit? an alterius à melle naturæ. Tom. I. 580. col. 1
Manna bilem purgat, cùm eam mel augeat. ibid.
Manſuetudo ſiue lenitas, quæ virtus, & in quo conſiſtat. Tom. II. 175. col. 1
Manus operariorum diutiùs frigus vehemens perpeſſæ, adeo incaleſcunt, vt modò ab opere non ceſſent, frigus ampliùs non ſentiant. Tom. I. 175. col. 2
Manibus orbarum mulierum mira induſtria. Tom.I. 154. col. 1
Mare cur ſalſum ſit? Tom. I. pag. 568. col. 2. & ſeq. Cur ex tot fluminum acceſſu perpetuo non redundat? Tom.I. 558. col. 1
Mare in imo placidiſſimum, eſt, neque tempeſtatibus commouetur. Tom.I. 562. col. 2
Mare terrâ eſſe eminentius alij cenſent, alij humilius. Tom.I. 555. col. 2
Maris æſtus. Vide *Æſtus*.
Maritalis Oeconomia. Tom.II. 145. col. 2
Mars ad Pleiadas appellens num pluuiæ ſignum? Tom.I. 488. col. 2
Martis obſeruationes. Tom.I. 415. col. 2. & 471. col. 2

Digitized by Google

Martia fulmine icta peperit. Tom. I. 531. col.1
Martini Lutheri genitura apud Aſtrologos quam inepta. Tom. I. 505. col. 2
Cur Mas potiùs quàm fœmina, vel fœmina potius quam mas formetur. Tom.I. 284. col.2
Materia prima non iners, ſed actuoſa. Tom. I. 119.col.1
Mathemathicæ ſcientiæ quantam pariant voluptatem. Tom.II. 97. col.1
Mecœnatis mortem reformidantis ignauia. Tom. II. 65. col.1
Medicamenta quomodo humores è corpore purgent. Tom. I. 190. col. 2
Medium, in quo virtus, duplex: Rei, & quoad nos, ſiue Arithmericum, & Geometricum. Tom. II. 130. col.2. Item Medium quoad obiectum, & quoad eſſentiam. *ibid.* & 131. col.1
Medulla cur circa pleniluniun vberior.Tom.I.186.col.1
Megarici Philoſophi quinam. Tom. I. 64. col.2
Mel quid ſit, & quomodo fiat? Tom.I.577.col.1. Bilem auget. *ibid.*
Membrorum ſiue partium in animalibus varietas, vnde & quid? Tom.I. 352. col.1. & ſeq.
Membrorum in animali mira conformatio, concinnitas, vſus. Tom. I. 358.col.1
Mendicando non victitabit ſapiens. Tom. II. 15. col. 2
Mens quomodo diſtinguatur ab anima. Tom. I. 529. col. 1. & ſeq.
Mens non debet temerè rei apparenti aſſentiri. Tom. I. 88. col.1
Mens ſana in corpore ſano optanda. Tom. II. 107.col.1
Mens an medicinâ ſanetur, vt corpus. Tom. I. 303.col.1
Mercurius, quando, & quâ à Sole diſtantiâ conſpici poſſit. Tom. I. 416. col. 2. Variè obſeruatus. *ibid.*
Mercurius, vt næuus in Sole viſus. Tom. I. 444. col.2
Mercurius non ex omni ligno. Tom. II. 6. col.2
Merouæum ex Tritone & muliere in littore correpta genitum fabulantur authores. Tom. I. 338. col.2
Merſenni obſeruatio circa velocitatem ſoni.Tom.I. 150. col.1
Metallum quomodo ab igne exſoluatur.Tom.I.234.col.1
Metallum fuſum quomodo rurſus compingatur. Tom.I. 178. col.2
Metalla fuſa, aut excalefacta, cur tantoperè vrunt? Tom. I. 171. col.1
Metens ratio, contingentiam tollens, proponitur. Tom. II. 240. col.2. Soluitur. Tom. II. 244.col.1
Meteora complectuntur non modò nubes, fulgura, & alia quæ contingunt in aëre, ſed etiam Lunam, Solem, Stellas, eclipſes & alia quæ in cælo obſeruantur. Tom. I. 68. col.1
Meteoris cur accenſentur Terræmotus, origines fontium &c. Tom. I. 510. col.2
Metrodorus omnium Epicuri diſcipulorum celeberrimus. 111. Obiit anno ætatis LIII. Septem annis ante obitum Epicuri. *ibid.*
Metus vanos Phyſiologia diſpellit. Tom. II. 285.col.1
Michaelis Noſtradami vaticinia quàm vana. Tom. I. 504. col.2
Minæ Atticæ valor. Tom. I. 63.col.2
Minæ Atticæ valor. *Append.* 1. pag. 322
Minimum ſiue, inſectile Epicuri quale? Tom. I. 218. col.2
De Minimo in Atomo ex comparatione Minimi ad ſenſum. Tom. I. 220. col.2
Miſer eſt, cui ſua non videntur ampliſſima. Tom. II. 118. col 1
Miſericordia, qualis virtus? Tom. II. 176. col.2. Senecæ & Stoicis vitium. *ibid.* & 177. col. 1. Omnibus grata. *ibid.*
Miſtionis duo genera: appoſitione miſtilium, & coalitione Tom. I. 207. col. 1. An in miſtione partes ſecundum ſubſtantiam & qualitates remaneant? *ibid.* col 2
Mobilitas, ſeu vis motrix, vnde? Tom. I. 165. col.1
Modeſtia, qualis virtus, & in quo conſiſtat. Tom. II. 177. col. 1. Omnibus grata. *ibid.*
Mœrere, à ſapiente non alienum. Tom. II. 11. col.2 & ſeq.
Moleſtiæ variæ ſpecies. Tom. I. 278.col.1
Mollities, Molle, quid? Vnde oritur? Tom.I. 179.col.2
Monarchæ munera. *ibid.*
Monarchia, optimus regiminis ſtatus. Tom. II. 152. col.2. & ſeq.
Monarchiæ tres ſpecies, Regia, Tyrannica, Deſpotica. Tom. II. 152. col.1
Moneta ſiue Nummus quantum in iuſtitia Commutatiua locum obtinet. Tom. II. 581. col.2. & ſeq.
Mons omnium altiſſimus, Picus in Tenariffa. Tom.I. 455. col.1
Montium duorum concurſus in agro Mutinenſi.Tom.I. 544. col.2
Montes flammei. Tom. I. 546. col.1
Moralis Philoſophia non eſt merè ſpeculatiua, ſed maximè Actiua. Tom. II. pag. 2. col.1. In quo conſiſtat. *ibid.* col.2
Moralis Philoſophiæ quis inuentor? an Socrates? an Pythagoras? *ibid.*
Mors quid, & quomodo definienda? Tom.I. 274. col.1
Mors eſt omnium rerum quibus fruimur, & actionum quibus fungimur ceſſatio. Tom.II. 64. col.2
Mortem Malum non reputandam. Tom. II. 61. col.1
Mortis meditationi aſſueſcendum. *ibid.*
Mors nihil ad nos. *ibid.*
Mors ad nos nihil pertinet: quod enim diſſolutum eſt, id eſt ſine ſenſu: quod autem ſine ſenſu eſt, id nihil omnino ad nos pertinet. Tom. II. 273. col.2
Mortis, Somnique affinitas. Tom.I. 274. col. 1
Mors ocyor, munus Deorum. Tom.II. 70.col.2. & ſeq.
Moſcho cuidam Phœnici ante belli Troiani tempus, Atomorum inuentio tribuitur. Tom. I. 101. col. 1
Motus an ſit? Tom. I. 237.col.2
Motus cauſa primaria, quænam? Tom. I. 234. col.2. & ſeq.
Motus definitio Epicurea & Ariſtotelea. Tom. I. 236. col.1
Motum alium non agnouit Epicurus quàm Localem. Tom.I. 154. col. 2. & 235. col.1
Motum quàm obſcurè definierit Ariſtoteles. Tom. I. 82. col.2
Motus continuus, non in ſe, ſed ad ſenſum. Tom. I. 239. col.2
Motus localis eſt migratio de loco in locum. Tom. I. 116. col.1
Motus quatuor ſpecies ex Empirico, Pulſio, Tractio, Elatio, Depreſſio. Tom.I. 243. col.2
Motus variæ diuiſiones ſecundum Ariſtotelem, Platonem &c. Tom.I. 235. col.1
Motum quomodo partiatur Ariſtoteles? Tom. I. 242. col.1
Motus naturalis & violentus. Tom. I. 241. col. 1. & ſeq.
Motus naturalis, æqualitate dignoſcitur. Tom.I. 242. col. 2. & ſeq.
Motus omnis ab Atomis. Tom. I. 365. col.2
Motus ſpontaneus quî fiat? Tom. I. 280. col.1. & 2
De Motu rerum concretarum, ſiue naturalium. Tom.I. 234. col. 2. & ſeq.
Motus tam ſurſum quàm deorſum, violentus; horizontalis verò circulariſve naturalis cenſendus. Tom. I. 255. col.2
Motus impreſſus continuatur per quaſdam veluti fibras. Tom.I. 253. col. 1
Motus omnis ſemel impreſſus, à natura ſua eſt indelebilis. *ibid.* col.2
Motus proiectorum an poſſit eſſe ſecundum lineam rectam. *ibid.*
Motus proiectorum à proiiciente ſeparatorum à quo fiat? Tom. I. 251. col.2
Motus reflexus, Tom. I. 255. col.2 quâ vi fiat? *ibid.*

Motus

Digitized by Google

Motus omnis reflexus eſt ſemper nonnihil directo debilior. Tom. I. 181. col. 2
Motus rerum decidentium acceleratio quâ fiat proportione. Tom. I. 246. col. 2. & ſeq.
Motus Atomorum duplex, Naturalis & Reflexus. Tom. I. 116. col. 1. Naturalis rurſus duplex, ad perpendiculum, & ad declinationem. ibid. Reflexus item duplex, ex ictu, & ex concuſſione. Tom. I. 118. col. 1
Motuum cæleſtium quæ cauſæ? Tom. I. 437. col. 2.
Motus quomodo cauſet calorem? Tom. I. 170. col. 1
Motus Arteriæ alius σφυγμὸς, alius παλμὸς Medicis dictus. Tom. I. 118. col. 1
Motus hominis in naui, curſui nauis aduerſus, dictus Empirico admirabilis. Tom. I. 237. col. 2
Motus perpetuus corpuſculorum ſpiritus Halinitri, & illius quem Chymici ex Mercurio, ſtanno & ſublimato præparatis eliciunt. Tom. I. 119. col. 1
Motus pilæ proiectæ in naui tranſlata. Tom. I. 254. col. 1
Motus acceſſus & receſſus, ſiue Trepidationis, nonæ ſphæræ tributus. Tom. I. 420. col. 2
De Motibus ſiderum plura. Tom. I. 417. col. 2
Ex Motu probatur dari Inane. Tom. I. 96. col. 2
Mouens immotum præter Deum non datur. Tom. I. 252. col. 2
Mulam parere, non infrequens. Tom. I. 361. col. 1
A Muliere, quâ leges interdixerint, abſtinebit ſapiens. Tom. II. 9. col. 2
Mundi ſiue Κόσμου nomine, rerum vniuerſitatem primus appellauit Pythagoras. Tom. I. 392. col. 1
Mundi definitio ex Epicuro. Tom. I. 392. col. 1. Diuiſio. *ibid.* col. 2
Mundus quomodo factus? Tom. I. 330. col. 1
Mundum improductum & æternum ſtatuit Ariſtoteles glorioſè. Tom. I. 327. col. 2
Mundum in quem finem Deus condiderit? Tom. I. 372. col. 1
Mundi quænam ſit figura? Tom. I. 394. col. 1
Mundi fabrica vnde, ſecundum quoſdam Ethnicos. Tom. I. 365. col. 1
Mundi exortus, partiumque ipſius. Tom. I. 327. col. 2
Mundi ordo mirificus Deum demonſtrat. Tom. II. 43. col. 1
Mundus ſitne globoſus, annon, nondum conſtat. Tom. I. 335. col. 1
Mundi hypotheſes ex obſeruatis ſiderum variis motibus. Tom. I. 617. col. 2. & ſeq.
Mundi Syſtemata varia. Tom. I. 419. col. 1
Mundos infinitos eſſe cenſuit Epicurus. Tom. I. 94. col. 1
Mundum vnum in Vniuerſo infinito fieri tam abſurdum cenſuit Metrodorus, quàm in magno agro vnam naſci ſpicam. Tom. I. 126. col. 2
Mundos eſſe ſtellas ſingulas docuerunt Heraclides, Pythagoras, & Orphei ſectatores. Tom. I. 398. col. 1
Mundus Solaris, Canicularis, Arcturius, Lyricus, Capellanus, *ibid.* & Tom. I. 446. col. 1
Mundos infinitos ab Epicuro & aliis antiquis abs re aſſeri. Tom. I. 126. col. 2
Mundos præter hunc alios eſſe non poſſe, Demonſtratione non poteſt euinci. Tom. I. 128. col. 1
Mundi partes, Elementa vulgaria, corruptioni obnoxiæ. Tom. I. 342. col. 1. Continuò inter ſe pugnant. *ibid.* col. 2
Mundum paulatim deficere docet S. Cyprianus. Tom I. 342. col. 1
Mundum vt ortum, ſic interiturum ducuit Epicurus. Tom. I. 341. col. 1
Mundi vetuſtas. Tom. I. 329. col. 2
Mundum interiturum alij aſſerunt, alij negant. Tom. I. 340. col. 1
Mundus variis modis poteſt interire, vt conflagratione, inundatione, vetuſtate, partium corruptione, diſſolutione. Tom. I. 344. col. 1. & 2
Mundi ſenium deſcribitur. Tom. I. 345. col. 1

Mundus an poſt diſſolutionem idem iterum rediturus? Tom. I. 345. col. 1
Mundi ambitus inſtar coronæ. Tom. I. 397. col. 2
Mundi diſpoſitio inconcinna ac perturbata in opinione vulgari cæleſtium motuum. Tom. I. 427. col. 1
Mundus, Reſpublica. Tom. I. 375. col. 2
Mundi Anima, ſecundum Pythagoram, Platonem &c. Tom. II. 249. col. 2
De Muſica ac Poëtica ſolus ſapiens rectè diſſeret. Tom. II. 25. col. 2

N

NAſcebatur olim apud Orientales in ſua quiſque arte. Tom. II. pag. 141. col. 1
Natura duabus conſiſtit rebus Corpore & Inani. Tom. I. 94. col. 2. & Tom. I. 99. col. 1
Natura compendioſè agit omnia. Tom. I. 427. col. 2
Natura paucis contenta, pauca deſiderat. Tom. II. 116. col. 2
Naturæ quod neceſſarium eſt, facile eſt paratu. Tom. II. 128. col. 1
Natura homini nouerca, ex Plinio. Tom. I. 381. col. 2
Naturæ Lex æterna. Tom. II. 196. col. 2
Naturam ab ipſis rebus edoctam mira patrare, quo ſenſu docuerit Epicurus? Tom. I. 350. col. 2
Naturæ & Fortunæ voces quibuſdam ſynonymæ. Tom. I. 367. col. 1
Nauigatio circa Æquatorem in occaſum longè facilior quàm in ortum. Tom. I. 434. col. 2
Naues aliquando in medio mari conſiſtere poſſunt ſine Echeneide. Tom. I. 189. col. 2
Neceſſitas duplex, abſoluta, & ex ſuppoſitiuue. Tom. II. 239. col. 2
In Negorio aliquo ſuſcipiendo, plures circumſtantiæ expendendæ. Tom. I. 142. col. 1
Nicetas, vel Hicetas, vel Oicetas, mobilitatis Terræ aſſertor. Tom. I. 421. col. 2
Nicias pingens è ſeruis ſæpe quæſiit, prandiſſet necne? Tom. II. 97. col. 1
Nicolaus Copernicus. Vide *Copernicus*.
Nihil ex nihilo fieri. Tom. I. 92. col. 1. & ſeq. Probat variis argumentis Lucretius. *ibid.*
In nihilum nil poteſt reuerti. *ibid.* & col. 2. & 101. col. 2
Nilus tenebroſus dictus, quòd eius origo eſſet occulta & incomperta. Tom. I. 559. col. 1. De eius origine multa. *ibid.* col. 2. & ſeq. Nili incrementum, vnde? Tom. I. 560. col. 1
Nitrum aquam congelat. Tom. I. 174. col. 1
Nix ſexangula, ſiue ſtellatâ formâ. Tom. I. 576. col. 2
Niuis generandæ triplex modus. Tom. I. 575. col. 1. Niuis candor vnde? *ibid.* col. 2. Niuis ſolutio. *ibid.*
Nix à pomo, cæteriſve fructibus, & aliis rebus congelatis particulas frigoris attrahit. Tom. I. 173. col. 1. & 190. col. 2
Nomina an ſint à natura, an ex inſtituto? Tom. I. 361. col. 2
Noſtradami vaticinia vaniſſima. Tom. I. 504. col. 2. & ſeq.
Notæ ſiue maculæ ab vtero impreſſæ, veluti ceraſorum, mororum, fragorum, &c. cur rubeſcunt præſertim ipſis horum fructuum temporibus? Tom. I. 192. col. 1
Nubes quomodo fiat? Tom. I. 513. col. 2. quâ vi in aëre ſuſtentetur? Tom. I. 514. col. 2. Nubes à nebula ſeu caligine qua in re differat? *ibid.* & 515. col. 1
Numerum ſapientiſſimum inter omnia, cenſuit Pythagoras. Tom. I. 362. col. 1
Numerus granulorum arenæ, quæ totum mundi ſpatium occupare poſſent iuxta Archimedeam demonſtrationem 52. cyphris, notiſve Arithmeticis exprimitur. Tom. I. 331. col. 1
Numiſma vnde dictum? Tom. I. 182. col. 2
Nuptialis œconomia. Tom. I. 145. col. 2
De Nutritione Animalium habes Tractatum integrum in *Append. I.* à pag. 330. ad pag. 345

O

OBſeruantia erga maiores ætate, dignitate, ſapientiâ, &c. Tom. I I. 210. col. 1
Obſeruationes variæ, Martis. Tom. I. 415. col. 2. & 471. col. 2. Veneris. Tom. I. 416. col. 1. Eclipſeon Solis. Tom. I. 460. col. 1. & ſeq. Eclipſeon Lunæ. Tom. I. 461. col. 2. & 462. col. 2. Mercurij in Sole. Tom. I. 467. col. 1. & ſeq. Saturni. Tom. I. 470. col. 2. Iouis. Tom. I. 468. col. 2
Obſeruationes Aſtrologiæ iudiciariæ quàm fallaces. Tom. I. 499. col. 2
Occaſus Siderum. Vide, *Ortus, Sidus.*
Occiſi hominis ſanguinis ad occiſoris præſentiam quî commouetur? Tom. I. 188. col. 2
Occultæ qualitates. Tom. I. 184. col. 2. & ſeq.
Occultus viue. Tom. II. 280. col. 1
Occultarum rerum aliæ ſunt penitus occultæ; aliæ ad tempus. Tom. I. 74. col. 1.
Oculi ad videndum nati. Tom. I. 354. col. 2
Oculorum conformatio non eadem in omnibus. Tom. I. 543. col. 2
Oculus an fallatur dum videt baculum in aqua curuum, Turrim rotundam, quæ quadrata eſt, &c. Tom. I. 76. col. 2
Oculo vno detorto, obiectum videtur duplex. Tom. I. 86. col. 1. Cur? 87. *ibid.*
Odium quid? Tom. I. 278. col. 2
Odium ab antipathia. Tom. I. 185. col. 2
Odium quo Ouis Lupum, Pullus Miluum, Columba Accipitrem auerſatur, vnde? Tom. I. 188. col. 1
Odor quomodo propagetur. Tom. I. 532. col. 1. & 134. col. 1
Odor ſegniùs ad olfactum transfertur, quàm ſonus ad auditum. Tom. I. 154. col. 1
Odores cur his gratiſſimi, aliis moleſti. Tom. I. 155. col. 1
Odorum variæ ſpecies. *ibid.* Nominibus carent. *ibid.*
Odoræ res calidæ. *ibid.* col. 2
Odoris corpuſcula in ſulphurea ſubſtantia an contineantur? *ibid.* col. 1
Odores quomodo conſeruentur? *ibid.* col. 2
Odorum cum vtero mirus conſenſus. Tom. I. 192. col. 1
Oeconomica Prudentia. Tom. I. 144. col. 2. Quadruplex eſt Maritalis, Paterna, Herilis, & Poſſeſſoria. *ibid.* 145. col. 2
Oleum an Vino ſubtilius? Tom. I. 164. col. 1
Oleum in fundo maris ſurſum tendit: cur? Tom. I. 168. col. 2
Oleum non induratur vnquam in glaciem, ſed in molles grumos. Cur? Tom. I. 573. col. 2
Oleum bulliens cur magis vrit quàm aqua? Tom. I. 171. col. 2
Oleum per æſtatem non congelatur in cryptis, quæ tunc adeò frigidæ reputantur, concreſcit tamen in iiſdem hyeme, dum calidæ exiſtimantur. Tom. I. 573. col. 2
Oleum cucumeri aduerſum. Tom. I. 264. col. 2
Oleum ex minus maturis oliuis dulcius. Tom. I. 573. col. 2
Olei Tartari paucas guttas infunde in aquam, cum foliis Senæ; illico rubeſcet Aqua. Tom. I. 124. col. 1. Idemque eueniet ſi roſarum foliis aquæ immerſis, Oleum vitrioli infuderis. *ibid.*
Olei chalcantini ſiue Vitrioli paucas guttas in oleum Tartari infunde, totumque ebullire videbis ac ſummè incaleſcere. *ibid.* Cur? *ibid.*
Olfactionem fieri per Odorem incurrentem. Tom. I. 154. col 1. & ſeq.
Olfactionis organum, mammillares proceſſus. *ibid.* col. 2
Olympi altitudo perpendicularis, decem ſtadiorum. Tom I. 453. col. 2. Lunæ Montes quadruplo altiores. *ibid.*
Omne, Totum, Vniuerſum, natura rerum, ſumma rerum, ſumma tota, ſynonyma. Tom. I. 93. col. 2
Omnipotentia Dei probatur. Tom. I I. 57. col. 1. Hanc malè impugnat Plinius. *ibid.* col. 2
Opacitas, quid? Tom. I. 160. col. 2
Opinio quid? Tom. I. 74. col. 1. Iudicium præceps. *ibid.*
Opinio ſiue Iudicium, nihil aliud eſt quàm affirmatio, vel negatio, cui veritas vel falſitas competere poſſit. Tom. I. 83. col. 2
Opinio quandonam ſit falſa, & vnde agnoſcatur? Tom. I. 89. col. 1
Opinio quandonam ex Epicuro vera eſſe dignoſcitur? Tom. I. 87. col. 1
Opinionum, quæ metus incutiebant, expunctio, voluptatem ac tranquillitatem parit. Tom. I I. 290. col. 1
Opinionum inconſtantia circa hypotheſes cæleſtes. Tom. I. 425. col. 1
Oracula ab Epicuro Epicureiſque deriſa. Tom. I I. 247. col. 2
Oraculorum impoſturæ. Tom. I I. 260. col. 1
Orationes Panegyricas non ſcribet, nec recitabit ſapiens. Tom. I. 18. col. 2
Orbes cæleſtes ſeptuaginta ſtatuit Fracaſtorius. Tom. I. 419. col. 2
Organula inuiſibilia, attrahentia, pungentia, &c. Tom. I. 185. col. 1
De Ortu & Interitu. Tom. I. 206. col. 1
Ortus ſiderum per accenſionem, Occaſus per extinctionem Heraclito & Xenuphani tributus. Tom. I. 410. col. 1
Ortus Siderum Heliacus, Horizontalis, Coſmicus, Achronicus. Tom. I. 409. col. 2. & ſeqq.
Ortus ſtellarum Heliacus, matutinus eſt; Occaſus autem veſpertinus. Tom. I. 413. col. 1. & 2. Contra Lunæ ortus veſpertinus, Occaſus eſt matutinus. Tom. I. 414. col. 2
Ortus Planetarum Heliacus. *ibid.* col. 2
Ore pleno aër efflatus cur calefaciat manum, contracto frigefaciat? Tom. I. 575. col. 1
Oſtrea cur circa pleniluniuum ampliora. Tom. I. 186. col. 1
Ouum quæ gallina peperiſſet ex ſola inſpectione noverant Delij. Tom. I. 113. col. 2

P

PAlma fœmina à mare vicino fœcunda, aliàs ſterilis. Tom. I. 187. col. 2. & 264. col. 2
Papyrus, characteresque in ea exarati, engyſcopij beneficio apparent cæſuris, lacunisque innumerabilibus interrupti. Tom. I. 164. col. 2
Paradiſus voluptatis. Tom. I I. 74. col. 2
Parcæ tres, Atropos, Clotho, Lacheſis: vnde ſic dictæ. Tom. I I. 228. col. 2
Parentes quâ pietate colere debeant liberi? Tom. I I. 208. col. 2
Parhelius, ſiue Sol ſpurius, aliquando vnus, aliquando multiplex viſus. Tom. I. 586. col. 2. Parhelia quomodo fiant? Tom. I. 587. col. 1. & ſeq. Varia deſcribuntur. *ibid.* & ſeq. quanto tempore durent? Tom. I. 588. col. 1
Partes Virtutum triplices: ſubiectæ, integrantes, & potentiales. Tom. I I. 236. col. 2
Paruo viuere, quanta ſit virtus, & quantum bonum pariat. Tom. I I. 115. col. 2
Paſſio, quid? Tom. I. 90. col. 1. Criterium tertium. *ibid.*
Paſſiones Animæ. Tom. I. 276. col. 2. & ſeq. An in pectore ſedem habeant? *ibid.*
Paſſiones in qua Animi parte ſitæ? Tom. I I. 131. col. 2. Paſſionum vacuitatem, ἀπάθειαν, tuebantur Stoici, Peripatetici verò earum moderationem, μετριοπάθειαν. *ibid.* 132. col. 2

Paſſiones,

Digitized by Google

Paſſiones, affectuſve animi ſub aliis nominibus admiſerunt Stoici. Tom. II. 18. col. 2. & ſeq.
Pater quomodo ſe erga liberos gerere debet. Tom. II. 146. col. 2.
SS. Patres Epicuri voluptatem de corporea interpretantes. Tom. II. 77. col. 1
Paterna Oeconomis. Tom. II. 146. col. 1
Patientia, quid? an idem cum conſtantia. Tom. II. 163. col. 2
Patientia Socratis. Tom. II. 3. c. 2
Paupertatem qui toleret ſapiens? Tom. II. 167. col. 2
Paupertas læta, honeſta res. Tom. II. 116. col. 1
An omnis Peccans ignorans? Tom. II. 222. col. 2
Peccata an excuſentur vi ſeu violentiâ, quæ neceſſitatem metúmque comprehendat? Tom. II. 224. col. 1
Peccata inter ſe inæqualia reputat Sapiens. Tom. II. 21. col. 1
Pecunia, belli neruus. Tom. II. 157. col. 1
Penſile tres Pariſinos pedes cum ſextante longum, intra ſpatium vnius horæ peraget vibrationes circiter 3600. cùm quælibet vibratio, vno horæ ſecundo duret. Tom. I. 258. col. 1
Periapta, Amuleta, mera deliramenta. Tom. I. 189. col. 2
Perpetuitatis in homine deſiderium. Tom. I. 295. col. 1
Perſeuerantia quid? Tom. II. 163. col. 2
Perſpicuitas, quid? Tom. I. 160. col. 1. Vnde? Tom. I. 161. col. 1
Perſpicuitas in argumentando, diſputandóve, quàm neceſſaria. Tom. I. 82. col. 2 & ſeq.
Peſtilentes morbi, vnde? Tom. I. 552. col. 2. & ſeq.
Peſtis quomodo propagetur? Tom. I. 553. col. 2
Phænomenon pulcrum & rarum ab Authore per Auroram viſum. Tom. I. 589. col. 2
Phantaſia, Græcis quid ſignificet? Tom. I. 73. c. 1. Potius pro actione facultatis imaginatricis, quàm pro ipſa eadem facultate accipitur. *ibid.* Item pro actione tam ſenſus, quàm mentis. *ibid.* col. 2. & Tom. I. 73. col. 2. & 83. col. 1. Semper vera. Tom. I. 84. col. 1
Phantaſiæ omnes ſeu vigilantium, ſeu dormientium, ſeu ſanorum, ſeu inſanorum, paris æqualiſque ſunt veritatis. Tom. I. 79. col. 1
Philologia idem cum Encyclopædia, ſiue eruditione. Tom. I. 63. col. 2
Philoſophia eſt veluti medicina ſanans mentem. To. II. 3 1. col. 1
Philoſophandum iuueni & ſeni. *ibid.*
Philoſophiæ definitio. Tom. I. 68. col. 1. Eiuſdem diuiſio iuxta Epicurum. *ibid.*
Philoſophus, qui ſapientiæ & felicitati ſtudet. *ibid.*
Phocionis egregium militibus conuitiantibus reſponſum. Tom. II. 109. col. 2. & ſeq.
Phyſica Morali Philoſophiæ ſeruit. Tom. II. 2. col. 2
Phyſiologiæ qui ſcopus iuxta Epicurum? Tom. I. 91. col. 1
Phyſiologia ad tranquillitatem vitæ profit. Tom. II. 285. col. 1
Pictores quàm multa vident in vmbra & in eminentia, quæ nos non videmus. Tom. I. 88. col. 1
Pici Mirandulani mors. Tom. I. 509. col. 2
Pietas erga parentes. Tom. II. 208. col. 2. erga Patriam. Tom. II. 209. col. 2
Pilus nullus alio pilo in omnibus ſimilis. Tom. I. 213. col. 1
Cur Pinguia ſola calcſcere, igneſceréque apta? Tom. I. 170. col. 1. Pinguedo ſola matrix caloris. *ibid.*
Piſces aliqua reſpirationis ſpecie indigere videntur. Tom. I. 226. col. 2
Piſum per tubum vitreum leui flatu pulſum cur tanta pernicitate explodirur? Tom. I. 541. col. 1
Planetas animatos eſſe cenſuit Kepplerus. Tom. I. 438. col. 2
Planetis Terram accenſeri nihil prohibet. Tom. I. 434. col. 2
Planetarum ſecundùm Aſtrologos proprietates, dignitates, infortunia, &c. Tom. I. 480. col. 2. & ſeq.
Planetis varias figuras adſcripſerunt antiqui. Tom. I. 408. col. 2
Planetæ ſinguli quâ à Sole diſtantiâ fiant conſpicui? Tom. I. 415. col. 1
Planetæ lucem à Sole mutuantur. Tom. I. 446. col. 2
Planeta quiſque quò Soli propinquior, eò ſplendidior. Tom. I. 447. col. 1. & ſeq.
Planetarum ortus & occaſus Heliacus. Tom. I. 414. col. 2
Planetarum ſuperficies non eſt terſa politáque, (aliàs vix à nobis conſpicerentur) ſed aſpera & ſcabra. *ibid.*
Planetarum retrogradatio ex motu Terræ. Tom. I. 429. col. 2
Plantæ quomodo primùm productæ, itemque animalia iuxta Epicuri mentem. Tom. I. 336. col. 1
Plantæ an ſint animatæ? Tom. I. 263. col. 1
Plantæ quædam inter ſe amicæ, quædam inimicæ. Tom. I. 187. col. 2
Plantæ mirabiles hominis acceſſum vel contactum ſentientes. Tom. I. 264. col. 2
Plato ſenex Terræ motui ſubſcripſit. Tom. I. 422. col. 1
Platoni faſtum, veſtem ſumptuoſam, cultúmque propemodum laſciuientem varij obiecerunt. Tom. I. 64. col. 1
Platonis ſcomma in Gorgiam. *ibid.*
Platonis Reſpublica. *ibid.*
Pleiadum occultationes duæ à Luna. Tom. I. 469. col. 1
Plenum illud eſt, quod corpore occupatur: Inane, quod corpore vacat. Tom. I. 95. col. 2
Plumbum quomodo ab igne ex compacto fluidum fiat? Tom. I. 234. col. 1
Plutarchus iniuriâ Epicurum traducit, circa viſionem Turris procul ſpectatæ. Tom. I. 87. col. 1
Plutarchi locus emendatus. Tom. I. 102. col. 1
Pluuia quomodo fiat? Tom. I. 515. col. 2
Pluuiæ ſigna prognoſtica. Tom. I. 518. col. 1
Pluuiæ prodigioſæ. *ibid.* col. 2
An Pluerit aliquando vitulo? *ibid.* an ranis? an carnibus? an lacte? an ſanguine? an lapidibus? Tom. I. 519. col. 1
Ex Pneumatica bombarda probatur Inane. Tom. I. 97. col. 2
Poëmata non ſcribet ſapiens. Tom. II. 26. col. 1
Politiæ varia genera, Monarchia, Oligarchia, Polyarchia. Tom. II. 151. col. 1
Politica Prudentia. Tom. II. 149. col. 1
Pomum congelatum quâ ratione citra corruptionem reſtitui in priorem ſtatum poſſit? Tom. I. 173. col. 1. & Tom. I. 190. col. 1.
Pomum quomodo putreſcat? Tom. I. 124. col. 2
Pondus rerum concretarum vnde? Tom. I. 167. col. 1
Populo placere noluit Epicurus. Tom. II. pag. 58. col. 1
Porphyrius Epicuro fauet circa Iuris originem ab vtilitate ductam. Tom. II. 188. col. 2
Porphyrij locus inſignis de victu ſobrio Epicuri ac illius ſectatorum. Tom. II. 120. col. 2
Poſidonij arthritide laborantis mira conſtantia. Tom. II. 112. col. 1
Potentia naturalis, ſiue Facultas, quid? Tom. I. 165. col. 2.
Prædictiones rerum futurarum irriſit Epicurus. Tom. II. 248. col. 1. Vide *Diuinatio.*

Digitized by Google

Prædictionum Aſtrologicarum vanitas & falſitas. Tom. I. 487. col. 2
Præſentium iucunda fruitio, præteritorum grata recordatio. Tom. II. 72. col. 1. & 2
Præſignificationes Siderum. Tom. I. 473. col. 1. & ſeq.
Præſter quid? Tom. I. 538. col. 2
Præſtigiæ, vt plurimùm fabulæ. Tom. I. 189. col. 1
Primum familiare, ſeu primum aptum, accommodatúmque naturæ. Tom. II. 89. col. 1
Principia quænam? Tom. I. pag. 99. col. 2. & 103. col. 2
Principia rerum quot? *ibid.*
Priſma, ſiue Trigonum vitreum, vt & phiala aquâ plena varios colores qui exhibeant. Tom. I. 141. col. 2
Priuatæ Prudentiæ munera. Tom. II. 140. col. 2
Probabilitatem tantum in rebus habemus, non ipſam veritatem. Tom. I. 184. col. 2
Proiectionum longiſſima eſt, quæ fit ad angulum ſemirectum. Tom. I. 254. col. 1. Vide *Motu*.
Proiecta eodem tempore recidunt, quo aſcenderunt. Tom. I. 255. col. 1
Pronunciata quædam damnat Epicurus, non quia noua, ſed quia vana Tom. I. 391. col. 1
Proportio non alia propriè quàm Geometrica. Tom. II. 181. col. 1
Prouidentia diuina in Mundi regimine pluribus defenditur contra Epicurum. Tom. I. 376. col. 2. circa homines. Tom. I. 383. col. 2
Prouidentia diuina in animalium, hominis præſertim formatione, quanta? Tom. I. 360. col. 1. & ſeq. Item in cæteris. T. I. 369. col. 2
Prouidentiam diuinam ex eo negauit Epicurus, quod ſceleratos quoſque diuites, lætos, honoratos; bonos contrà videret pauperes, exules, miſeros, &c. Tom. I. pag. 382. col. 1. & ſeq. Refellitur. Tom. I. 386. col. 1
De Prouidentia diuina quis Ariſtotelis ſenſus? Tom. I. 376. col. 2 & ſeq.
Prudentia quid ſit? Tom. II. 137. col. 1. an eadem cum ſapientia. *ibid.* Eſt Ars vitæ Tom. II. 137. col. 2. Tria illius generalia munera. *ibid.* Ei opponitur calliditas, aſtutia, vafrities. *ibid.* Ad Prudentiam quàm multa requiruntur. Tom. II. 139. col. 1. Tria ſunt quæ præſtare Prudentia poteſt. Tom. II. 140. col. 1
Prudentiæ quinque ſpecies: Priuata ſiue ſolitaria, Oeconomica, Politica, Militaris & Regia. *ibid.* col 2
Prudentia an idem cum Philoſophia Morali? Tom. II. p. 1. col. 2
A Prudentia virtutes omnes oriuntur. Tom. II. 129. col. 2
A Prudentia virtutes omnes inter ſe connectuntur. Tom. II. 133. col 2
Pruina quomodo fiat? Tom. I. 578. col. 1. Pruinæ candor vnde? *ibid.*
Pudicitia qui à Caſtitate differat. Tom. II. 174. c. 1. vnde dicta. *ibid.* col. 2. & ſeq.
Pueros duos toto corpore virides, ex foſſa luporum dicta, mediâ æſtate emerſiſſe narrat Anglicana Hiſtoria. Tom. I. 338. col. 2
Pulcritudinis duo genera, Venuſtas & Dignitas. Tom. II. 179. col. 1
Pulſio, præcipua Motus ſpecies. Tom. I. 243. col. 2
De Pulſu & reſpiratione, vide Tractatum integrum *Append.* I. à pag. 345. ad 364.
Pulueris minutiſſimi grana, quamvis rotunda appareant, engyſcopio tamen anguloſa, ac diuerſimodè figurata videntur. Tom. I. 112. col. 1
Puluis pyrius quomodo paretur? Tom. I. 527. col. 2. & ſeq. & Tom. I. 543. col. 2
Pulueris pyrij in tormento bellico inflammati vis tanta vnde? Tom. I. 543. col. 1
De Puluere ſympathetico, quid ſentiendum? Tom. I. 191. col. 1
Puncta Mathematica, vt vulgo putatur, in compoſitione Continui non admiſit Epicurus, ſed exiliſſima corpora. Tom. I. pag. 218. col. 2. & ſeq. & 239. col. 1
Punit nemo prudens quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Tom. II. 199. col. 1
Pupilla oculi in luce contractior, in tenebris dilatatior. Tom. I. 405. col. 1
Puſillanimitas, quid? Tom. II. 177. col. 2
Putei an ſint æſtate frigidiores quàm hyeme? Tom. I. 551. col. 2
Putei, fontes, loca ſubterranea, non ſunt hyeme quàm æſtate calidiora. Tom. I. 169. col. 2. & ſeq.
Pyramis in Meteoris quid? Tom. I. 609. col. 1
Pyrij pulueris præparatio. Tom. I. 527. col. 2. & ſeq. & Tom. I. 543. col. 2
Pythagoreorum opinio de motu Terræ. Tom. I. 422. col. 1. & ſeq.
Pythagoreorum Syſtema de motu Telluris quàm concinnum. Tom. I. 429. col. 2
Pythagoricæ fabulæ. Tom. I. 307. col. 2
Pythia & Delia, quid? Tom. II. 254. col. 1

Q

QVadripartitum Opus Ptolemæu malè adſcribitur. Tom. I. pag. 501. col. 1
Quæſtiones aliæ de rebus, aliæ de nudis vocibus. Tom. I. 72. col. 2
Quæſtiones aliquæ circa id quod æquum, iuſtumque. Tom. II. 202. col. 1. & ſeq.
Qualitates rerum, vnde? Tom. I. 121. col. 1. & ſeq.
Qualitates primas Ariſtoteles modò facit, Calorem, Frigus, Humiditatem & Siccitatem; modò Raritatem & Denſitatem, ſibi contrarius. Tom. I. 158. col. 2
Qualitates tactiles. Tom. I. 158. col. 1
Qualitates occultæ. Tom. I. 184. col. 1. & ſeq.
Qualitates reiecêre Democritus & Epicurus. Tom. I. 124 col. 2. & ſeq.
Quantitas, quid? Tom. I. 162. col. 1. Idem cum magnitudine abſoluta, ſiue extenſione. *ibid.* An per rarefactionem acquiratur, per condenſationem deperdatur? *ibid.*
Quantitas quæpiam incorporea. Tom. I. pag. 318. c. 1. & 322. col. 2
Quantitatem non eſſe infinitè diuiduam. Tom. I. 216. col. 2
Quantitatis continuæ & diſcretæ diſcrimen. Tom. I. 163. col. 1
Quies aliqua in motu continuo. Tom. I. 239. col. 2
Quies nulla niſi apud mortuos. Tom. I. 241. col. 2

R

RArefactio & condenſatio quàm bene explicentur per interpoſitionem Inanis. Tom. I. pag. 160. col. 1. & ſeq.
Rarefactio, caloris effectus. Tom. I. 170. col. 2
Rarefactio non fieret, ſi non eſſet vacuum Tom. I. 97. col. 1
An per Rarefactionem acquiratur, per Condenſationem deperdatur Quantitas? Tom. I. 162 col. 1
Raritas aut denſitas non fit ſine Inani. Tom. I. 104. col. 2. & 158. col. 2. & ſeq.
Raritas & Denſitas ab interceptione Inanis multâ vel paucâ. Tom. I. 158. col. 2. & ſeqq.
Rarum eſt id quod parum obtinens materiæ, multum loci occupat. Tom. I. 159. col. 1. & ſeq.

Digitized by Google

Ratæ ſententiæ Epicuri. Tom. II. 270. col. 2
Ratio poteſt opinionem corrigere, at non ipſos ſenſus. Tom. I 75. col. 2
Ratio non reperitur niſi in eo quod humanâ figurâ præditum eſt. Tom. II. 51. col. 1
Rationem, ſenſus euidentiæ poſtponit Ariſtoteles. Tom. I. 88. col. 2
Ratio circa Prædeſtinationem, quæ dicitur *Ignaua*, proponitur & ſoluitur. Tom. II. 240. col. 2
Ratio item *Metens* dicta proponitur. Tom. II. 241. col. 1. ſoluitur. *ibid.* & 244. col 2
Reale aliquid datur, quod non eſt ſubſtantia, neque accidens: nimirum Locus & Tempus. Tom. I. 318. col. 1. & 2.
Reflexio motus corporis proiecti, quâ vi fiat? Tom. I. 256. col. 1
Reflexionis angulus angulo incidentiæ æqualis. Tom. I. 256. col. 1. & 259. col. 1
Regiminis forma in republica quæ videatur optima. Tom. II. 152. col. 2. & ſeq.
Regionis, Loci, Inanis diſcrimen? Tom. I. 95. col. 1
Reguli à Carthaginenſibus ob fidem in ſuam patriam crudeliter torti heroica virtus expenditur. Tom. II. 102. col. 1. cum Thorio Balbo viro voluptuoſo componitur. Tom. II. pag. 101. col. 1. & ſeq. & 103. col. 1
Regulus in cruce non infelicior, quàm Mecœnas in pluma. Tom. I. 187. col. 1
Religio in Deum, Iuſtitiæ ſpecies. Tom. II. 204. col. 2
De Remora quid ſentiendum. Tom. I. 189. col. 2
Remus in aqua cur fractus videatur? Tom. I. 85. col 1. & 2
Res nulla ad nihilum redit. Tom. I. pag. 93. col. 1. & 102. col. 1
Res, quarum veritas quæritur, quædam manifeſtæ, quædam occultæ. Tom. I. 71. col. 2. Occultæ quædam penitus; quædam naturâ, quædam ad tempus. *ibid.*
Rerum tria genera, Senſibilium, Intelligibilium, Moralium. Tom. I. 72 col. 2
Reſolutio extrema rerum concretarum fit in atomos, non in nihilum. Tom. I. 102. col. 1
De Reſpiratione & Pulſu, quære Tractatum integrum in *Append.* à pag. 345. ad 364.
Reſpublica Platonis. Tom. II. 149. col. 2. & ſeq.
Rex vnicus eſto. Tom. II. 53. col. 1
Regia munis. Tom. II. 152. col. 2
Rhetoricæ floſculos non affectabit ſapiens. Tom. II. 11. col. 2
Roris gignendi modi duo. Tom. I. 577. col. 1. & ſeq.
Ros filia Iunonis ac Lunæ. Tom I. 578. col. 1
Roſa ab Allio vicino odoratior. Tom. I 187. col. 2
Rubræ Maculæ à rubris fructibus linteis impreſſæ, facilè eluuntur, dum Plantarum quarum ſunt eiuſmodi fructus, folia marceſcunt ac decidunt. Tom. I. 192. col. 2
Rupilitas. Tom. I. 184. col. 1

S

SAccharum, Mellis ſpecies. Tom. I. 580. col. 1. & 2. An antiquis ignotum? *ibid.*
Sal dulce. *ibid.* col. 2
Salis corpuſcula ſunt cubica. Tom. I. 98. col. 2
Salis corpuſcula quam penetrantia? Tom. I. pag. 572. col. 1
De Sanguinis circulatione. Vide in I. *Append.* à p. 345. ad 364.
Sanitas corporis quanti facienda. Tom. II. 111. col. 2
Sanitas plenior è tenui cibo. Tom. II. 123. col. 1
Sapiens in compotatione non pernoctabit. Tom. II. 15. col. 2. Non accedet ad Rempub. neque Principatum geret, niſi quid interuenerit. Tom. II. pag. 14 c. 1. & 157. c. 2. Cynico ritu non viuet, neque mendicando vitam quæret. Tom. II. 15. col. 2. Sapiens quamvis oculis captus, beatè viuet. Tom. II. 16. col 1. Fieri poteſt vt ſapiens mœreat, vtque in ius vocetur. *ibid.* col. 2. Libros aliquos conſcribet, orationes tamen Panegyricas nec ſcribet, nec recitabit. Tom. II. 18. col. 2 Rei familiaris curam habebit, citra diteſcendi cupiditatem. Tom. II. 19. col. 1. Aduerſus fortunam ſe comparabit. *ibid.* Amicum non difficilem quæret. Tom. II. 20. col. 1. Bonæ famæ, quatenus contemptui non ſit, curam habebit. *ibid.* In publicis ſpectaculis præ reliquis delectabitur. *ibid.* col. 2. Peccata inter ſe inæqualia reputabit. Tom. II. 21. col. 1. Sanitatem vt in quibuſdam bonum, ſic in aliis vt quid indifferens agnoſcet. Tom. II. 22. col. 1. Fortitudinem non quaſi naturâ ſed quaſi rationis conſilio ingeneretur, æſtimabit. *ibid.* col. 2. Amicitiam ob vſus vitæ ſibi parabit. Tom. II. 23. col. 1. Felicitatem ſoli Deo ſummam; Homini eam quæ minus ac magis recipit competere exiſtimabit. Tom. II. 24. col. 2. & ſeq Imagines ſi quas habuerit, in porticibus, alibive indifferenter collocabit. Tom. II. 25. col. 2. Solus rectè de Muſica, Poeticâque verba faciet. *ibid.* Poëmata, ſiue Poëtarum figmenta ignorabit. Tom. II. 26. col. 1. Alius alio ſapientior. *ibid.* Sapiens ſi quid eguerit, pecuniam ex ipſa ſola ſapientiæ profeſſione comparabit. Tom. II. 27. col. 1. Obſequium Principi, ſi occaſio popoſcerit, exhibebit. *ibid.* col. 2. Vbi quiſpiam ſe in meliorem frugem receperit, gratulabitur. Tom. II. 28. col. 1. & ſeq. Scholam aperiet, ſed non populare auditorium. *ibid.* Scriptorum aliquid coram multitudine leget, non vltrò tamen, neque non rogatus. Tom. II. 29. col. 1. Placita rata, & de quibus minimè hæreat habebit. *ibid.* In ſomnis non alius, ob mentem bene compoſitam, quàm vigilando, exiſtet. *ibid.* col. 2. Pro amico, occaſione poſtulante mortem oppetet. Tom. II. 30. col. 1
Sapientem locupletat ipſa natura. Tom. II. 116. col. 1. & ſeq.
Sapiens non ignorat, non opinatur, non mentitur, &c. Tom. II. pag. 3. col. 2. Rationis conſilio tolerat iniurias. *ibid.* A Sapientia non deſciſcit, qui ſemel ſapiens fuerit. Tom. II. 4. col. 2. Sapiens veritati hæret nec quicquam fingit. Tom. II. 5. col 1. Non fit ſapiens ex quauis conſtitutione corporis, nec in qualibet gente naſcitur. Tom. II. 6. col. 1. Sapiens etiam in tormentis, ingemat licet, beatus. Tom. II. 7. col. 1. & ſeq. Solus ſapiens gratiam habet amicis, qualem oportet. Tom. II. 8. col. 2. & ſeq. Sapiens ab ea muliere, quâ leges interdixerint, abſtinebit. Tom II. 9 col. 2. Famulos caſtigabit, ſtudioſis tamen veniam dabit. Tom. II. 10. col. 1. Neque amore capietur, neque amorem habebit vt quid diuinitus immiſſum. *ibid.* & ſeq. De ſepultura non erit anxiè ſollicitus. Tom. II. 11. col. 1. Orationis floſculos non affectabit. *ibid.* col. 2. Venerea fugiet, quippe quæ proſint nunquam. Tom. II. 12. col. 1
Sapiens quis ſit, Cicerone authore. Tom. II. pag 128. col. 2
Sapiens quaſi Deus inter homines viuit. Tom. II. 246. col. 2
Sapientia eſt verum ſenectutis ornamentum. Tom II. 32. col. 1
Sapientia inamiſſibilis. Tom. II. 5. col. 1
Sapo cur oleum ex panno eluit? Tom. I. 180. col. 1. & 2
Sapor, quid? Tom. I. 156. col. 1
Saporum genera duo. *ibid.*
Sapores quæ creant Atomi, quanam ſint figura? *ibid.* col. 2

Saporum varietas. Tom. I. 157. col. 2
Saporum extremi, Acutus & Stipticus: ille à calore ſummo, hic à ſummo frigore. *ibid.*
Saporum cauſa primaria in ſalibus eſt. *ibid.*
Saturnus quàm formâ varius. Tom. I. 409. col. 1
Saturni anſulæ. Tom. I. 470. col. 2
E Scientiis quanta voluptas. Tom. II. 96. col. 2. & ſeq.
Scorpius alliſus emiſſum à ſe virus retrahit. Tom. I. 190. col. 2
Scriptura ſacra cum opinione Copernicana conciliatur. Tom. I. 437. col. 1
Sectilitas. Tom. I. 183. col. 2
Securitas, quantum bonum. Tom. II. 96. col. 2
Securitas ex quibus paranda? Tom. II. 287. col. 2. & ſeq.
Securitatem ex amicitia qui quæſierunt, ij & vixerunt ſuauiſſimè, & mori etiam alter pro altero præoptauerunt. Tom. II. 306. col. 1. & ſeq.
Securitas an ex principatu quærenda? Tom. II. 279. col. 1. & ſeq.
Selenites lapis alteratur ſecundum maiorem minoremve Lunæ lucem. Tom. I. 186. col. 2
Semina rerum fiunt ex Atomis. Tom. I. pag. 108. col. 1
Semen ſitne non modò maris, verùm etiam feminæ? Tom. I. 283. col. 2. & ſeq. An ſit à toto corpore. *ibid.* col. 1
Semidei. Tom. II. 251. col. 1
Senectus præclara Gorgiæ Leontini. Tom. II. pag. 71. col. 2
Senectutis ornamentum, Sapientia. Tom. II. 32. col. 1
Senſatio an ſit ſolius animæ, an verò totius compoſiti? Tom. I. 265. col. 1
Senſile omne ratum, indubiumque. Tom. I. 77. col. 1
Senſilis res quomodo ex inſenſibilibus gignatur? Tom. I. 266. col. 2
Senſus nunquam fallitur. Tom. I. 74. col. 2. & 75. col. 2. & 83. col. 2. Non enim poteſt opinari ſiue iudicium ferre. *ibid.* & 75. col. 1
Senſus non mentitur, ſed opinio: ſenſus enim patitur, non opinatur. *Tertull.* Tom. I. 85. col. 1
Senſus omnis eſt quidam tactus. Tom. I. 143. col. 1
Senſum ratio non corrigit, ſed opinionem. Tom. I. 75. col. 2
Senſus criterium primum, primuſque ad ſcientiam gradus. Tom. I. 76. col. 1
Senſus euidentiam, rationi præfert Ariſtoteles Tom. I. 88. col. 2
Senſus etſi non iudicent, anſam tamen faciunt intellectui, vt iudicium ferat. Tom. I. 75. col. 1
Senſus vnus ad diſcernendum aliquam ſpeciem, aliquando non ſufficit. Tom. I. 88. col. 2
Contra ſenſuum veritatem, ſexdecim Lucretij obiectiones. Tom. I. 85. col. 1. & ſeq. Soluuntur. Tom. I. 86. col. 2
Senſus, tum ſentiendi facultas; tum ſentiendi functio. Tom. I. 72. col. 2. & ſeq.
A Senſibus pendet omnis intellectio. Tom. I. 78. col. 2
Senſuum veritas Tertulliano probatur. Tom. I. 76. col. 2
Senſuum noſtrorum ruditas & hebetudo. Tom. I. 120. col. 1. & ſeq.
Senſibus fides non adimenda. Tom. II. 292. col. 2
Senſuum ex functionibus notitiam omnem noſtram conſtare docet Hippocrates. Tom. I. pag. 88. col. 2. & ſeq.
Sepulcrum Nitocridis à Dario, ſpe pecuniæ, apertum. Tom. II. 225. col. 2
Sepulturam non anxiè curabit ſapiens. Tom. II. 21. col. 1
Serpentes virgulam ex corno auerſari dicuntur. Tom. I. 189. col. 2
Seruitutem quomodo ferat ſapiens. Tom. II. 160. col. 2
Seſternorum monetâ noſtrâ expreſſorum Abacum. *Vide in Appendice* 1. pag. 316. & ſeq.
Sybillarum & Vatum oracula. Tom. II. 261. col. 1
Siccitas, quid? Tom. I. 178. col. 2. quid ſiccum? Tom. I. 179. col. 1
Siccum à ſolido differt, vt humidum à fluido. Tom. I. 176. col. 2
Sicilia ab Italia abrupta. Tom. I. 545. col. 1
Sidera in ortu accendi, in occaſu extingui docuêre priſci quidam Philoſophi. Tom. I. 410. col. 1
Signa tempeſtatum in animalibus. Tom. I. 610. col. 2. & ſeq.
Signorum Zodiaci ab Aſtrologis ridiculæ diſtinctiones. Tom. I. 479. col. 2
Sitis quomodo excitetur? Tom. I. 280. col. 1
Simile an agat in ſimile? Tom. I. 236. col. 2
Similia curantur ſimilibus, vt & diſſimilia diſſimilibus: quo ſenſu? Tom. I. 190. col. 2
Simulacra rerum. Tom. I. 144. col. 2. & ſeq. Vide *Species, Imago, Speculum*
Simulacra Deorum. Tom. II. 42. col. 2
Singularium tota eſſentia non continetur in ſpecie. Tom. I. 81. col. 1
Siphone Scaleno quomodo deriuetur aqua, effluatque ex aliquo vaſe. Tom. I. 187. col. 1
Sobrietas temperantiæ ſpecies. Tom. II. 170. col. 1. & 172. col. 1. Quid, & in quibus conſiſtat? *ibid.*
Societas prima, in coniugio proxima, in liberis, &c. Tom. II. 197. col. 2
Societatis humanæ communia iura qui violat quantum peccet. Tom. II. 199. col. 2
Socrates ob victum tenuem intactus à peſtilentia quæ totam vaſtabat Atticam. Tom. II. 124. col. 1
Socrates Sophiſtarum legibus adſtringi noluit. Tom. I. 83. col. 1
Socratis patientia. Tom. II. 4. col. 1
Socratis Genius quis? Tom. II. 258. col. 2
Solis figura quàm varia antiquis Philoſophis. Tom. I. 408. col. 2
Sol non totus lucidus, cùm conſtet ex partibus heterogeneis. Tom. I. 444. col. 2
Solis maculæ. Tom. I. 430. col. 2. & 444. col. 1. & ſeq.
Sol, primum mobile. Tom. I. 430. col. 2
Solis Diameter quàm varia apud antiquos, & recentiores. Tom. I. 406. col. 2. & ſeq.
Solis lux quò longius diſcedit, eò fit debilior. Tom. I. 446. col. 1
Solis lux an aliunde an à ſeipſo? Tom. I. 442. col. 1. an reſarciatur, & an tandem exhaurienda? *ibid.* & ſeqq.
Solem non à ſe, ſed ab alio lucere exiſtimauere quidam ex antiquis Philoſophis. *ibid.*
Solis magnitudo Epicuro quanta. Tom. I. 403. col. 1. & 2
Solis magnitudo apparens à vera diſtinguitur. Tom. I. 405. col. 1
Solis radij è cælo ad terram momento temporis pertingunt. Tom. I. 134. col. 2. & ſeq.
Solem poſſe eſſe quaſi fartum pumiceum, quo ſenſu docuit Epicurus? Tom. I. 401. col. 2
Soli, reliquiſque Aſtris Scaphæ formam tribuit Heraclitus. Tom. I. 442. col. 1. & 448. col. 1
Soles plures viſi, quid ſint? Tom. I. 586. col. 1. & ſeq.
Soles plures quàm ſeptem apparuiſſe non leguntur. Tom. I. 587. col. 2
Soles ſemper nouos oriri quo ſenſu docuêre priſci quidam Philoſophi? Tom. I. 411. col. 1
Sole Heracliteo citius extingui, Prouerb. Tom. I. 410. col. 1
Solertia, quid? Tom. II. 129. col. 2. & ſeq. & 139. col. 1

Somnus

Somnus vnde fiat ? Tom. I. 274. col. 1. & 2. & 282. col. 1. & ſeq.
Sonus quid ſit ? Tom. I. 146. col 2. & ſeq. Eſt res corporea. *ibid.*
Sonus varius à corpuſculorum configuratione varia. Tom. I. 148. col. 2. Sonus nullus ſine motu. Tom. I. 149. col. 2
Sonus in aëre creatur non tam velocitate quàm crebritate motus. Tom. I. 150. col. 2
Soni acuti & grauis diſcrimen, non ex velociore aut tardiore motu, ſed ex frequentiore aut infrequentiore. *ibid.* col. 2. & ſeq.
Sonum eò acutiorem quo tentior fuerit chorda, creabit. Tom I. 151. col. 1
Sonorum proportiones chordæ ſuſpenſæ modò breuioris modò longioris ſimilitudine explicantur. *ib.* & ſeq.
Cur ex ſoni conſonantia ſuauitatem, ex diſſonantia moleſtiam percipimus ? Tom. I. 151. col. 2
In Sono aeris motus æquiuelox, capimur enim quoſlibet ſonos ſeu paruos, ſeu magnos in eodem loco excitatos, æquali ferri tempore in eumdem locum è quo exaudiuntur. Tom. I. 150. col. 2. Nec ſecundo flante vento acceleratur, nec aduerſo reflante retardatur. *ibid.*
Soni velocitas ea eſt vt R. P. Merſennus obſeruauerit, ſonum vno horæ ſecundo peruadere. Tom. I. 150. col. 1. Pariſinas orgyias, ac vno proinde horæ minuto ſupra orgyiarum quatuordecim millia. Tom. I. 150. col. 1
Soni diffuſio non abſurdè comparatur cum irroratione quâ preſſus liquor oſtiolo vtris diffunditur, vel cum ea fullonum exſufflatione qua perpauca aqua in guttularum ſegetem innumeram ſpargitur. Tom. I. 149. col. 1
Sonus vaſorum concauorum ac ſuſpenſorum cur diuturnior ? Tom. I. 147. col. 2
Sonus comparatur circulis in aqua ex lapide iniecto formatis. Tom. I. 150. col. 1
Sophiſmata, ſiue captioſæ argumentationes quâ methodo facilè diluantur. Tom. I. 83. col. 1
Sophiſtæ nunquam obmuteſcunt, profeſſi poſſe ſe de omnibus rebus ex tempore dicere. Tom. I. 62. col. 1
Sophiſtarum gloriam ex obſcuritate vocum aucupantium vanitas improbanda. Tom. I. 82. col. 2
Sophiſtarum technæ quomodo facilè diſſoluendæ. T. I. 83. col. 1
Sophiſtarum leges circa diſputationem, ridiculæ, ac omnino ſpernendæ. *ibid.* col. 1. & ſeq.
Spatia imaginaria vltra mundum aſſeruntur. T. I. 110. c. 1
Spatia imaginaria ab æterno. Tom. I. 318. col. 1. Sunt immobilia. *ibid.* & ſeq.
Species intentionales è corporibus fluunt quaſi tenues membranulæ. Tom. I. 130. c. 2. & ſeq. & 142 col. 1. Quæ ſit earum natura. Tom. I. 131. col. 1. Non eſſe mera accidentia, contra Ariſtoteleorum, non ipſius Ariſtotelis ſententiam vulgarem. *ibid.*
Eas Author exiſtimat nihil eſſe aliud quàm lucem ſiue directam è lucidis corporibus, ſiue è cæteris reflexam. Tom. I. 131. col. 1. & 139. col. 1
Qui fiat vt corpora tandem non abſumantur tot continuò ſpecierum membranulis delibatis ? Tom. I. 131. col. 2. Earum procreatio. Tom. I. 133. col. 1. quàm celeriter moueantur. Tom. I. 134. col. 2. & ſeq.
Imaginum ſiue ſpecierum viſibilium mira tenuitas. Tom. I. 132. col. 1. & ſeq. Vide *Species.*
Species ſiue imago rei viſibilis ex omnibus eius partibus, ſeu particulis, & quaſi punctis prodit, vnde nihil aliud eſt, quàm textura quædam radiorum ex huiuſmodi punctis prodeuntium, qui directè ſeu in regionem cui ipſa puncta obuertuntur tendunt. Tom. I. 137. col 1
Species non continet totam eſſentiam indiuiduorum, ſiue ſingularium. Tom. I. 81. col. 1
Species viſibiles & intentionales quales Epicuro. Tom. I. 29. col. 1. Dicuntur formæ, imagines, figuræ, ſpectra, ſimulacra, effigies, &c. *ibid.* In Africa vigente aëris tranquillitate per aërem conſpiciuntur ex Diodoro Siculo. *ibid.*
Species intelligibiles quales Epicuro. Tom. I. 135. col. 1. & ſeq.
Spectacula publica non auerſabitur Sapiens. Tom. II. 20. col. 2
Speculum cur imaginem repræſentat non in ſui ſuperficie, ſed intus quaſi in profundo ? Tom. I. 138. col. 1
In Speculo cur imago nobis progredientibus videtur progredi. Tom. I. 139. col. 2. In eo ſunt innumeræ imagines eiuſdem obiecti. Tom. I. 139. col. 2
Falſum eſt quod dicunt eſſe eamdem totam imaginem in toto ſpeculi ſpatio, ac totam eamdem in qualibet parte. *ibid.* Cur pars dextra ſiniſtræ, læua dextræ in ſpeculo reſpondet ? Tom. I. 140. col. 1
Specula multiplicata ſitum reſtituunt. *ibid.*
Speculum conuexum cur obiectum repræſentet minus; concauum verò maius quàm ſit. Tom. I. 137. col. 2
Nec Sperandum nimis, nec nimis deſperandum Tom. II. 72. col. 1
Spinæ forma in homine, quàm admiranda, contra Empedoclem. Tom. I. 357. col. 2
Spiritus vini è vino aëri gelidiſſimo expoſito comparari poteſt. Tom. I. 573. col. 2
Spongia quomodo aquam trahat ? Tom. I. 186. col. 2
Spontaneum & liberum in quo differant ? Tom. II. 219. col. 1
Spuma aquæ cur albeſcit. Tom. I. 124. col. 1
Status vitæ certus non facilè eligitur. Tom. II. 341. col 1. & ſeq.
Status hominum primæuus. Tom. II. 184. col. 2
Stellæ inerrantes de ſuo ſplendent, neque lucem à Sole mutuantur. Tom. I. 446. col. 1
Stellas innumeras per vniuerſi immenſitatem diffuſas, totidem mundos reputauêre, Heraclides, Pythagorei, & quidam Orphei ſectatores. Tom. I. 126. col. 2
Stellas ſingulas eſſe totidem mundos, quibus terra, aër, æther pari modo ac in noſtro continerentur cenſuerunt Heraclides, Pythagoras, Orpheique ſectatores. Tom. I. 398. col. 1. & 402. col. 2
Stellæ quot gradibus à Sole diſtare debeant, vt ſint nobis conſpicuæ ? Tom. I. 413. col. 2
Stellæ Mediceæ. Tom. I. 470. col. 1
Stellæ cadentes, Bolides ac Lampades dictæ, quid ſint ? Tom. I. 607. col. 2
Stellæ diſcurrentes. Tom. I. 609. col. 1
Stella cadens interdiu circa Meridiem æſtate viſa. Tom. I. 607. col. 2
Sterilitatis in fœmina cauſæ. Tom. I. 283. col. 2. & ſeq.
Stoici bonum nihil eſſe niſi honeſtum; malum nihil niſi turpe eſſe contendebant, an iure ? Tom. II. 86. col. 1
Stoici in Epicurum malè affecti, eius de voluptate ſententiam obliquè contorſerunt. Tom. II. 81. col. 1
Stoici ex ſuo genio, ſectæ Epicuri conuitiatores. Tom. I. 63. col. 1
Stoici diuiſibilitatem continui in infinitum defendunt. Tom. I. 217. col. 2. & ſeq.
Stoicorum ἀπάθεια. Tom. II. 17. col. 1
Stoicorum & Peripateticorum circa ἀπάθειαν & μετριοπάθειαν diſſenſio. Tom. II. 131. col. 2. & ſeq.
Stoici paſſiones ſeu affectus animi aliis ſub nominibus admiſerunt. Tom. II. 18. col. 1
Stoicorum ſententia celebris de generali conflagratione ac de omnium rerum in vnum Iouem reſolutione. Tom. I. 341. col. 1
Subtilitas, & Hebetudo corporum quomodo explicetur. Tom. I. 164 col. 1
Succinum aliáque electrica, quomodo paleam cæteráſque res trahunt ? Tom. I. 185. col. 1
Sulphur ac Bitumen, ſemina ignis in ſe continent. Tom. I. 346. col. 2. & ſeq.

Sulpitius Gallus apud Romanos primus Eclipſes prædixit, ac exercitum terrore liberauit. Tom.I. 461. c.1
Superficies nulla viſibilis eſt perfectè plana vel polita. Tom. I. 137. col.1. & 164. col.2
Superum & inferum, comparatè ſolùm, non abſolutè dici. Tom. I. 167. col.2
Surſum, deorſum quomodo intellexerit Epicurus. Tom. I. 116. col.2
Sus animalium maximè brutum. Tom. I. 336. col.2
Suis Grunnitus Elephantem quî terrere poſſit? Tom.I. 188. col.2
Sues pertranſeunte lanio grunniunt. Tom.I. 188. col.1
Syllogiſmorum vſum non neceſſarium cenſuit Epicurus. Tom. I. 69. col.1
Syllogiſmorum figuræ & modi, inutiles Tom. I. 81. col. 2. & ſeq.
Sympathia & antipathia quid? Tom. I. 184. col. 2. Quomodo agant? *ibid.*
Syntagma totius Doctrinæ Epicuri habes in *Append.* II. à pag. 365. ad finem.
Syſtema Pythagoreum terram mobilem conſtituens, quàm concinnum. Tom. I. 429. col.1

T

TAbula Cleanthis de virtutibus voluptati vt Reginæ miniſtrantibus. Tom. II. 266. col.2
Tactus variè acceptus. Tom. I. 158. col.1
Tactus, corporis proprietas. Tom. I. 94. col.1. & 158. col.1
Talenti Attici, Hæbraici, Babylonici valor. *Appendice* I. pag. 322. & ſeq.
Talionis ius. Tom. II. 181. col.2
Tarantulæ morſus quî ad ſaltitandum excitare poſſit? Tom. I. 189. col. 1
Tellus, quaſi animal quoddam ingens. Tom. I. 555. col. 2. & ſeq.
Temperantia quid? Tom. II. 169. col. 1 & ſeq. Robur animæ, fundamentum virtutis, bonorum omnium ornamentum. *ibid.* col.2. Circa Guſtum Tactumque verſatur. *ibid.*
Temperantiæ ſpecies. Tom.II. 170. col.1
Tempus quid ſit? Tom. I. 314. col. 1. Variæ Temporis definitiones. Tom. I. 315. col. 2. & ſeq. Hoc malè definiit Ariſtoteles. Tom. I. 316. col. 1. & ſeq. Tempus eſt quiſpiam fluxus non minùs à motu quàm à quiete independens. Tom. I. 316. col.2. Eſt extra categoriam. Tom. I. 318. col.1
Tempus edax rerum. Tom. I. 327. col.1. Sapientiſſimum, & ineruditiſſimum. *ibid.*
Tempus ſecundùm ſe totum nec principium, nec finem habet. Tom. I. 323. col.1
Temporis, Æternitatiſque diſcrimen. Tom.I. 324. col.2
In Tenebris quomodo omnia excolora. Tom. I. 140. col.2. & ſeq.
Terra non eſt animata, neque Dea. Tom. I. 346. col.2. Magna Deum mater, quo ſenſu? *ibid.*
Terram non ſphæricam, ſed planam cenſuit Epicurus. Tom.I. 347. col.1. quibus de cauſis? *ibid.* Eſſe ſphæricam probatur. *ibid.* col.2. & ſeq.
Terram Stellis accenſuerunt priſci quidam Philoſophi. Tom. I. 422. col. 1. & ſeq.
Terram Planetis annumerari nihil obſtat. Tom. I. 434. col.2
Terra cur deorſum non labitur ex mente Epicuri? Tom. I. 348. col.2. à quo ſuſtentetur? *ibid.*
Terra ſecundum ſe totam neque grauis neque leuis. Tom.I. 349. col.2. & 431. col.1
Terra, Magnes, grauia ad ſe trahit. Tom. I. 245. col.2
Terræ mobilitatem ex antiquis Philoſophis plures magni nominis defenderunt. Tom.I. 421. col.1. & ſeq.
Terræ motus vt probabilis contra impugnantes defenditur. Tom. I. 426. col.2. & ſeq.
Terræ motui Scriptura ſacra non repugnat. Tom. I. 437. col.1. & ſeq.
Terra gibboſa, & ad Boream eminentior videtur Ariſtoteli & pluribus antiquis: quamobrem? Tom. I. 410. col.2
Terræ calor internus non à Sole, ſed eſt quaſi animalis. Tom. I. 546. col. 1. & ſeq.
Terra cur iam pridem incenſa exſolutaque non eſt ab internis caloribus? Tom.I. 547. col.1
Terræ ſemidiameter quanta? Tom. I. 453. col.2
Terræ ambitus Italicorum milliarium 26255. Tom. I. 132. col.2
Terra, ingens Magnes. Tom. I. 200. col. 1. & ſeq. & 201. col.1
De Terra circumhabitata, Vide multa in *Append. I.* à pag. 325. ad 330.
Terræ-motus quomodo fiat? Tom. I. 540. col.1. & ſeq. Explicatur comparatione cuniculorum ſubterraneorum in quibus puluis pyrius concluſus & inflammatus ædificia ſubuertit. Tom. I. 542. col. 2. & ſeq.
Terræmotus plures ſpecies. Tom. I. 544. col.1 & ſeq. Duratio. Tom.I. 545. col.2.
Terræmotui loca obnoxia. Tom. I. 545. col.2
Terræmotus in Peruuia anno 1604. immaniſſimus. Tom.I. 544. col.2.
Tertullianus ſenſum & Intellectum, res habet indiſtinctas. Tom. I. 275. col.1. Animam hominis corpoream cenſuit, & cum eo nonnulli ex SS. Patribus. Tom. I. 260. col.1. ſenſuum veritatem probat. Tom.I. 76. col. 2. & ſeq.
Teſtamentorum quædam Græcæ formulæ. T.I. 66. col.1
Thales futuram olearum vbertatem quî prædixerit. Tom. I. 490. col.1
Thales, quærenti, quid eſſet maximum? Locus reſpondit. Tom. I. 621. col. 2
Thales primus apud Græcos eclipſes obſeruauit & prædixit. Tom. I. 461. col.1
Theamedes lapis commentitius ferrum abigens. Tom.I. 198. col.1
Thema Natalium quomodo erigant Aſtrologi. Tom.I. 493. col.1
Themiſtocles, ex Plutarcho, quòd matre eſſet Thrace, nothus habitus. Tom. I. 62. col.2
Themiſtocli laborum omnium merces, Honor. Tom.II. 96. col.2
Theriaca cum Sapone comparatur. Tom. I. 190. col.2
Thermæ vnde calorem contrahunt? Tom.I. 549. col.1
Thermometrum deſcribitur. Tom.I. 512. col.2. quâ vi aqua in eo aſcendat & deſcendat? *ibid.* col. 2. & ſeq.
Thorius Balbus omni voluptate perfuſus cum M. Regulo confertur. Tom. II. 101. col. 2. & 103. col. 2
Timarchia, ambitioſus principatus. Tom.II. 150. col.2
Timon, non in Epicurum modò, ſed in omnes alios Philoſophos conuitia effudit. Tom. I. 62. col.2
Tonitru quid? quibus modis creari poſſit? Tom. I. 537. col. 2. & ſeq. Vide Fulmen.
Torpedo quomodo artus hebetet? Tom. I. 189. col.2
Torrens ſulphureus. Tom. I. 549. col.1
Trabi leuis ictus impreſſus in vno extremo, aure percipitur in altero. Tom.I. 252. col.2
Trabs in Meteoris, quid? Tom. I. 609. col. 1
Tractilia abducta cur excurrant recurrantque? Tom. I. 182. col.2. & ſeq.
Tranquillitas quid ſit, & quam intelligat Epicurus. Tom. II. 108. col.1. & 127. col. 1
Tranquillitas animi, felicitas. Tom. II. 34. col.2
Tranquillitas mentis, & indolentia corporis, vera voluptas experenda. Tom.II. 105. c.1. & 126. c.2. & ſeq.
Trepidationis motus nouæ ſphæræ tributus. Tom. I. 420. col.2
Trigoni ſiue priſmatis vitrei colores ſimiles coloribus Iridis. Tom.I. 585. col.2
Trutina Hermetis quid apud Aſtrologos? T.I. 496. c.1
Turris viſæ eminus rotundæ, quæ reuera quadrata eſt, viſio vera eſt. Tom. I. 76. col.2. & 84. col.2
Tympanum lupinum ſonum Ouini cur turbet? Tom. I. 187. col.2
Typhon. Tom. I. 539. col.2

Digitized by Google

V

VAccæ mactatum vitulum requirentis, ex Lucretio deſcriptio. Tom. I. 112. col. 2
Vacuum an abhorreat natura? Tom. I. 227. col. 1
Vacuum natura abborret, non quidem inſenſibile, ſed magnum. Tom. I. 98. col. 2
Vacuum dari in rerum natura probatur. Tom. I. 95. col. 2. & ſeqq. Et Tom. I. 223. col. 2. & ſeqq. Experimentis variis confirmatur. *ibid.* & ſeq. Vide *Inane.*
Vacuum niſi eſſet, motus non daretur. Tom. I. 96. col. 1. & ſeqq.
Vanitas à nemine probatur, omnibúſque exoſa eſt. Tom. II. 177. col. 2
Vaticinia Aſtrologorum vana, falſa, &c. Tom. I. 502. col. 2. & ſeq.
Velox & tardum per relationem ad tempus definiuntur. Tom I. 248. col. 2
De Venis Lacteis vide Tractatum de nutritione animalium, *Append.* 1. pag. 330. ad 345
Venditor ædium an earum vitium apetire teneatur iure? Tom. II. 203. col. 1.
Venenorum vis deleteria, vnde? Tom. I. 190. col. 1
Venenis quidam aſſueti. *ibid.* col. 2
Venerea fugiet ſapiens, quippe quæ nunquam proſiut. Tom. II. 12. col. 1
Veneris Planetæ obſeruationes. Tom. I. 416. col. 1. & ſeq.
Venus cornicularа, ſemiſecta, gibboſa, vt Luna. Tom. I. 446. col. 2
Venus quinto à Sole gradu fit conſpicua. Tom. I. 415. col. 1
Venilia & Salacia, affluxus & refluxus maris. Tom. I. 562. col. 1
Ventus quid, & quomodo fiat? Tom. I. 519. col. 2. & ſeq.
Ventorum nomina. Tom. I. 524. col. 2. & ſeq.
Venti quidam ſpeciales, temporanei, locales, &c. Tom. I. pag. 525. col. 1. & ſeq. Vnde calidi & frigidi? Tom. I. 522. col. 1. & ſeq.
Ventus frigidus non turbat aëris ſerenitatem, ſecus verò calidus: vnde? Tom. I. 523. col. 2
Ventorum impetus, aliquando tantus & tam diuturnus, vnde? Tom. I. 523. col. 2
Ventus continuus *Briza* dictus inter duos Tropicos. Tom. I. 522. col. 1
Ventus Ponthias in Delphinatu. Tom. I. 523. col. 1
Verborum præſtigiæ. Tom. I. 189. col. 1
Verecundia, quid? Tom. II. 170. col. 2
Veritas duplex, alia exiſtentiæ; alia Iudicij, ſiue Enunciationis. Tom. I. 71. col. 2
Veritas an rei competat, an voci, an ſignificationi? Tom. I. 69. col. 2
Veritas exiſteotiæ, ſiue tranſcendentalis ſenſibus tribuitur. Tom. I. 76. col. 2
Veritati ſenſuum opponit Lucretius ſexdecim obiectiones. Tom. I. 85. col. 1. & ſeq. Soluuotur. Tom. I. 86. col. 2. & ſeq.
Veritas contemplationis rerum, vnde petatur. Tom. I. 72. col. 2
Veritati hæret ſapiens, nec quicquam fingit. Tom. II. 5. col. 1
Verum eſt quod ita ſe habet, vt ſe babere dicitur. Tom. I. 72. col. 1
Veſica aëre plena tantò laborioſiùs intra aquam deprimitur, quantò ad fundum magis acceditur. Tom. I. 246. col. 2
Veſtæ riſus, quid? Tom. I. 527. col. 1
Vetula quomodo iofantulum faſcinare poſſit? Tom. I. 189. col. 2
Via lactea vnde dicta? Tom. I. 604. col. 1. Opiniones de ea variæ. *ibid.* & ſeq. Eſt innumerarum ſtellarum congeries. Tom. I. 607. col. 1
Vibrationes chordæ è laqueari ſuſpenſæ, rerumque penſilium quomodo fiant. Tom. I. 257. col. 1. Quo chorda eſt breuior, eo celeriores vibrationes fiunt; quo longior, eò tardiores. Tom. I. 257. col. 2. & ſeq. Cur tandem deſinunt? Tom. I. 258. col. 1. Vide *Penſile.*
Victus tenuis commendatur. Tom. II. 116. col. 1. & ſeq. Ex eo quatuor commoda ab Horatio recenſentur, eodem ordine, quo Epicurus ea docuerat. Tom. II. 123. col. 1. & ſeq.
Victus tenuis Socratem à peſtilentia intactum ſeruauit, quæ totam vexabat Atticam. Tom. II. 124. col. 1
Victus Epicuri & ſectatorum teouis celebratur à Porphyrio. Tom. II. 120. col. 2
Quæ Videmus ſub eodem angulo, æqualia nobis apparent, & iudicantur, niſi interueniat opinio de inæquali diſtaotia. Tom. I. 137. col. 2
Cur ex tenebris ea Videntur quæ ſunt in luce, non item è luce, quæ io tenebris? Tom. I. 138. col. 2. & ſeq. Cur clauſis oculis, cur rem oculo contiguam non videmus? Tom. I. 139. col. 1. & ſeq.
Cur res Viſa præter vitrum conuexum maior, præter concauum verò, minor appareat quàm ſit. Tom. I. 137. col. 2
Vinum generoſum ſi in lagena gelido aëri exponas, illoque conglaciato, lagenam, glaciémque effringas, deprehendes in medio aquam vitæ, ſiue ſpiritum vini liquidum. Tom. I. pag. 175. col. 2. & 573. col. 2
Vinum cur difficiliùs conglaciet quàm aqua: Tom. I. 573. col. 1. an oleo ſubtilius? Tom. I. 164. col. 1
Vina cur in doliis turbentur dum vites florent? Tom. I. 192. col. 1
Vini ſpiritus cur quò defæcatior, eò inflammabilior eſt. Tom. I. 170. col. 2
Violentum quî admitti poſſit in rerum natura? Tom. I. 241. col. 2
Viperæ venenum cur Theriacæ immiſtum? Tom. I. 190. col. 2
Virgæ in Meteoris quid? Tom. I. 588. col. 2
Virtutis etymologia. Tom. II. 129. col. 1. Variæ ſignificationes. *ibid.* Virtutis definitio. Tom. II. 130. col. 1
Virtus & Honeſtum, an ſynonyma? Tom. II. 95. col. 2
Virtutem eſſe in medio, quomodo intelligendum? To. II. 130. col. 2. Virtus eſt medium vitiorum. Tom. II. 131. col. 1
Virtutis diuiſio in quatuor ſpecies celebres, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem & Iuſtitiam. Tom. II. 135. col. 2
Virtutum partes triplices; Subiectæ, Integrantes, & Potentiales. Tom. II. 136. col. 2
Virtutum ex Prudentia ortus, medium, connexio, genera. Tom. II. 128. col. 2
Virtutes inter ſe, Prudentiâ communi vinculo, connectuntur. Tom. II. 133. col. 2. & ſeq.
Virtutem non conſuetudine aut doctrinâ, ſed naturâ ſolâ aut diuinâ ſorte parari quidam cenſuerunt. Tom. II. 2. col. 1
Virtus ſola non eſt dignum ſui pretium. Tom. I. 297. c. 2
Virtutes propter Voluptatem expeti. Tom. II. 266. col. 2
Virtus cum planta radicis amaræ, cuius ſuauiſſimi ſunt fructus comparatur. Tom. II. 97. col. 2. & ſeq.
Viſibilia oculo obuertuntur; in formam hemiſphærij diſpoſita. Tom. I. 137. col. 1. Viſibile minus æquale apparet aliquando, vel etiam maius, viſibili maiori, ſi occuper maiorem partem dicti hemiſphærij. *ibid.* col. 2
Viſio quomodo fieri dicatur à Stoicis & ab Ariſtotele; Tom. I. 135. col. 1. & ſeq. Item à Pythagoreis, Empedocle, Platone. *ibid.* col. 2. Peragitur ex ſimulacrorum incurſu. *ibid.* & ſeq.
In Viſione quidam ſigillationis modus. Tom. I. 136. c. 2
Viſus quomodo diſtantiam inter rem obiectam oculumque, interceptam percipiat? Tom. I. 137. col. 2. & ſeqq.
Vita quid ſit? Tom. I. 263. col. 2. An conueniat plantis. *ibid.*
Vita noſtra comparatur Circulo. Tom. II. 66. col. 2. In ea eſſe quid amabile. Tom. II. 68. col. 1. vnde ab ea non temerè exeundum. *ibid.*
Vita longior noo anxiè optanda. Tom. II. 291. c. 1. & ſeq.

Index Rerum ac Verborum.

Vitam nemo acciperet, ſi daretur ſcientibus. Tom. II. 71. col. 1
Vitæ ſcopus præfixus. Tom. II. 292. col. 2
Vitæ genus vnum prudenter eligere, non facile. Tom. II. 141. col. 1
Vita Contemplatiua præfertur Actiuæ. Tom. II. 129. col. 1
Vita beata in Voluptate, hoc eſt, tranquillitate mentis, & indolentia corporis ſita eſt. Tom. II. 73. col. 1. & ſeq.
Vitis Braſſicam, Rutamque auerſatur, Vlmum verò amat. Tom. I. 185. col. 2. & 264. col. 2
Vitrum pertenue, non eſſe totum perſpicuum. Tom. I. 161. col. 2
Viuere paruo quanta ſit virtus, & quot commoda pariat. Tom. II. 115. col. 2. & ſeq.
Vniuerſale Peripateticum, nil aliud quàm Anticipatio communis. Tom. I. 80. col. 2
Vniuerſi varia nomina. Tom. I. 93. col. 1. & ſeq.
Vniuerſum Corpore & Inani conſtat. Tom. I. 94. col. 2. & 99. col. 1
Vniuerſum eſſe Epicuro, & Inanis magnitudine, & Atomorum multitudine infinitum. Tom. I. à pag. 108. col. 2. ad 110. col. 2
Vniuerſum & Mundum Epicurus habet tanquam Totum & partem. Tom. I. 93. col. 2. & ſeq.
Vniuerſum Epicuro, ortus, interitusque expers. Tom. I. 94. col. 1
Vniuerſum moueri non poteſt, quia non eſt quò migrare poſſit. *ibid.*
In Vniuerſo nihil nouum. *ibid.*
Volenti an fiat iniuria. Tom. II. 204. col. 1
Voluntatis flexilitas, flexilitatem Intellectus ſequitur. Tom. II. 220. col. 1
Voluntas, Volitio, Boni cum ratione appetitio. Tom. II. 218. col 1. & ſeq.
Voluptas duplex, in motu, & in ſtatu. Tom. II. 83. col. 1. & 262. col. 2
Voluptas an ſua natura ſit bonum, an non. Tom. II. 83. col. 2
Voluptatem non prohibent leges, ſed quod ex ea ſequitur malum. Tom. II. 85. col. 2
Voluptatem appetit omne animal ſimul vt natum eſt. Tom. II. 90. col. 1
Voluptas & Dolor, Criteria rerum eligendarum, vel fugiendarum. Tom. I. 90. col. 1
Propter voluptatem omnia faciunt, etiam ij qui ſe puro virtutis amore, nullo ſui ſuæve voluptatis habito reſpectu omnia facere profitentur. Tom. II. 99. col. 2. Deus non ſine voluptate amatur. Tom. II. 100. col. 2
Voluptatem eſſe beatæ vitę finem demonſtratur. Tom. II. 265. col. 2. & ſeq.
Voluptatis nomine quid Epicurus verè & germanè intelligat. Tom. II. 78. col. 1. & ſeq.
Voluptas Epicuri & Ariſtippi longè diſſident. *ibid.* col. 2. & 80. col. 1
Voluptas Epicuri cõtra Cyrenaicos defenditur. Tom. II. 106. col. 2
Voluptatem Epicuri quomodo plures à SS. Patribus interpretentur. Tom. II 77. col. 1
Voluptatem beatæ vitæ finem qualem ſtatuerit Epicurus? Tom. II. 74. col. 2. & ſeq. & 127. col. 1. vnde pateture? *ibid.*
Voluptas, id eſt, tranquillitas mentis, & indolentia corporis beatæ vitæ finis. Tom. II. 73. col. 1. & ſeq.
Voluptas ſumma, ipſa eſt doloris amotio. Tom. II. 274. col. 2. & ſeq.
Voluptas ex infinito tempore non maior percipitur quàm ex finito. Tom. II. 290. col. 1
Voluptates ſinceras ſine Phyſiologia percipere non licet. Tom. II. 286. col. 1 & ſeq.
Voluptatis Paradiſus. Tom. II. 74 col. 2
Voluptatem quantam pariunt Mathematicæ. Tom. II. 97. col. 1
Voluptatem non maiorem Rex ex cibis lautiſſimis percipit, quàm Agricola è viliſſimis. Tom. II. 120. c. 2
Vox ſeu ſonus quid ſit, & quomodo fiat? Tom. I. 146. col. 2
Vocis, ſignificationis, rei differentia apud Stoicos. Tom. I. 69. col. 2
Voces inter diſſerendum, quales vſurpandæ. Tom. I. 91. col 1
Vox vna totalis quaſi in mille voculas diſſilit. Tom. I. 149. col. 1. & 152. col. 1
Voces cur noctu magis ſonoræ, clarioreſque ſint quàm interdiu? Tom. I. 153. col. 1. & ſeq.
Ad Vocem formandam quæ concurrant organa. Tom. I. 149. col. 2
Vocum diuerſitas in animalibus mira. Tom. I. 363. col. 2. & ſeq.
Vrbanitas quid? Tom. II. 178. col. 2. & ſeq.
Vrbanus à ſcurra longè abeſt. Tom. II. 179. col. 1
Vrticam cur manus refugit? Tom. I. 185. col. 2
Vſus partium in animalibus. Tom. I. 352. col. 1. & ſeq.
Vteri mira Fabrica. Tom. I. 358. col. 2
Cum Vtero mirus Odorum conſenſus. Tom. I. 192. col. 1
Vteros Epicuri terreos, ex quibus orti homines, tranſfodit Lactantius. Tom. I. 339. col. 2
Vtile nihil, quod non idem honeſtum. Tom. II. 200. c. 1
Vtilitas Iuri originem fecit. Tom. II. 183. col. 2
Vulcani minæ, ſine riſus Veſtæ. Tom. I. 527. col. 1
Vulpem inter & Pantheram diſceptatio. Tom. II. 265. col. 1
Vxorem non ducet ſapiens, niſi circumſtantia quapiam exigente. Tom. II. 13. col. 2

Z

ZEnonis argumentum aduerſus partium in continuo infinitatem. Tom. I. 217. col. 1. & ſeq. & 238. col. 2. & ſeq. Aliud item Achilles vocatum. Tom. I. 217. col. 2. & 239. col. 1

F I N I S.

SVIS RESTITVENDA LOCIS.

IN TOMO II.

P*Ag.14. lin.55. lege* quid interuenerit: Zeno ait: Accedet ad Rempub. niſi ſi quid. *pag.22. lin.35. lege* Licymnium, *& lin.41. lege* Crantor. *pag.25. lin.1. lege* temet. *& lin.43. lege* agunt. *pag.30. lin.49 col.2. lege* fuiſſe. *pag.31. col.2. lin.10. lege* vitam. *& lin vlt lege* ſenibus. *pag.50 col.2. lin.39. lege* ſicque. *pag.56 col.1. lin.11. lege* ſimilitudines, ſed. *pag.59. col.2. lin.46. lege* implicari. *pag 65. col. 2. lin. 27 lege* exiſtimant. *pag.69. col 2. lin 52. lege* vtilitatem. *pag 81. lin.20. lege* Voluptatem. *pag.90. lin.29. lege* experiamur. *pag 92. lin.52. lege* quod. *pag 106 lin 17. lege* Illam *pag.109. col.2 lin.18. lege* proditur. *& lin.31. lege* inſtrepis. *pag.113. col.2. lin.19. lege* ſummumbonum. *pag.115. col.2 lin 3. lege* illud. *pag.139. lin.21. lege* proſpiciat. *pag.149. lin.27. lege* ſuppoſititijque. *pag.150. col.2 lin. 28. lege* Platonis. *pag. 159. lin.26. lege* vocantur, ſunt. *pag.162. lin.43. lege* adſpicere. *pag.163. lin.1. lege* inſitam. *pag.168. lin.57. lege* ſuſpiciendum.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nôs Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Senêchaux, Prevots, ou leurs Lieutenans, & à tous autres nos Officiers qu'il appartiendra SALVT: Nôtre cher & bien-amé FRANÇOIS BARBIER nôtre Imprimeur & Libraire ordinaire en nôtre bonne Ville de Lyon, Nous a fait remontrer qu'ayant par nos Lettres patantes du 30. Mars 1649. Permis au Sieur Barancy, Docteur ez Droits, & Advocat au Siege Preſidial de Lyon, d'Imprimer un Livre intitulé *Petri Gaſſendi Animaduerſiones in Librum X. Diogenis Laertij, qui eſt de Vita, Moribus, Placitiſque Epicuri*, &c. *cum duabus Appendicibus*, avec pouvoir de le vendre & debiter dans tous les lieux de notre Royaume pendant vingt années, à compter du jour qu'il ſeroit achevé d'imprimer; ledit Barancy auroit cedé ſon droict au profit de feu Guillaume Barbier, Pere de l'Expoſant, lequel auroit en conſequence fait imprimer ledit Livre, avec grand ſoin & dépenſe, n'étant pas encore ſeulement rembourſé des frais faits pour ladite Impreſſion, quoyque le temps porté par nos Lettres ſoit preſque expiré; c'eſt pourquoy l'Expoſant Nous a tres-humblement fait ſupplier luy vouloir permettre de le Reimprimer, & à ces fins luy octroyer nos Lettres ſur ce neceſſaires: A CES CAVSES deſirant favorablement traitter l'Expoſant, Nous luy avons d'habondant Permis & Permettons par ces Preſentes de Reimprimer, ou faire Reimprimer, vendre, & debiter, en tous les lieux de Nôtre Obeïſſance ledit Livre, en tel Volume, charactere, & autant de fois que ledit Expoſant vondra durant le temps & eſpace de neuf années entieres & accomplies, à compter du jour qu'il ſera achevé de Reimprimer, faiſant iteratives deffenſes à toutes perſonnes de quelle qualité & condition qu'elles ſoient d'imprimer vendre, ny debiter ledit Livre en aucun lieu de nôtre obeïſſance, pendant ledit temps, ſoûs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, & en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le conſentement de l'Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de trois mil livres d'amande payable ſans depoſt par chacun des contrevenans; un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu dudit Lyon, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages, & interêts; A la charge d'en mettre encore deux Exemplaires en nôtre Bibliotheque publique, un en nôtre Bibliotheque du Louvre, & un autre en celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier le Sieur Seguier, Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes; Si vous mandons de leur contenu faire jouyr & vſer ledit Expoſant, & ceux qui auront droit de luy plainement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait, mis ou donné aucun trouble, ny empêchement: COMMANDONS au premier nôtre Huiſſier ou Sergent faire pour l'execution des preſentes tous Exploits requis & neceſſaires ſans demander autre permiſſion, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: VOVLONS en outre qu'en mettant au commmencement ou à la fin dudit Livre, un Extraict des Preſentes, elles ſoient tenuës pour dcüement ſignifiées, CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, Donné à S. Germain en Laye le 24. jour de Iuin, l'An de Grace mil ſix cents ſoixante-huict, & de nôtre Regne le vingt-ſixiéme. PAR LE ROY EN SON CONSEIL. *Signé* BABINET.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de cette Ville, ſuivant & conformement à l'Arreſt de la Cour de Parlement, du 8. Avril 1653. aux charges & conditions portées par le preſent Privilege. Fait à Paris ce 25. Ianvier 1669. ANDRE' SOVBRON *Sindic.*

Achevé de Reimprimer pour la premiere fois du ſuſdit Privilege le ſeiziéme Fevrier mil ſix cens ſeptante-cinq.

Les Exemplaires ont été fournis.

A01.1454237

Digitized by Google

XXIV
5
28

Digitized by Google

Digitized by Google

4

Digitized by Google